

R. P. JACOBI TIRINI S. J.

IN

UNIVERSAM S. SCRIPTURAM

COMMENTARIUS

CUI

PRÆTER SACRORUM BIBLIORUM TEXTUM AD EXEMPLAR VATICANUM EXACTUM

ADCEDUNT

PROLEGOMENA LEVINI LEMNII ET FRANCISCI RUEI

ET NOTATIONES QUAMPLURIMÆ

P. ZACHARIÆ ET P. JOSEPHI BRUNENGO

QUI PRÆSTANTISSIMUM OPUS

AUXERUNT, CORREXERUNT, ILLUSTRARUNT

—

Tomus I.



ALMA COLLEGE
220.7
LIBRARY
T516
Alma California

FATHERS LIBRARY,
LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

TAURINI

EX TYP. PONTIF. ET ARCHIEPISCOPALI

EQ. PETRI MARIETTI

1882

3268

P. ZACHARIÆ PRÆFATIO

ALTER hic est e Societate Jesu sacrarum Scripturarum Interpres, in cujus novam editionem symbolam qualemcumque meam confero. Primus fuit Emmanuel Sa, cujus notationes in S. Scripturam prolegomenis, et animadversionibus meis auctæ brevi prodibunt. TIRINUM nunc illustrare adgredior, quocum, mea quidem sententia, pauci sunt Bibliorum interpretes comparandi. Nam ea est perspicuitate, eo judicio, ea eruditione, ut vix quidquam in tanta brevitate illum effugerit, quod ad institutum suum faceret. Præterea siquid in sacrorum librorum explanatione deesse illi posset videri, id vel in Chronico magnæ diligentiæ, doctrinæque opere, vel in præclaris indicibus explicavit. Nihilo tamen minus sperare ausim, in hac editione proditurum illum ornatiorem, atque ad seculi nostri indolem magis accommodatum. Etenim præter ejus elogium ex Bibliotheca Societatis Jesu depromptum, meisque notationibus locupletatum, Prolegomena quædam addidi ex Joannis Doujat *prænotionibus canonicis*

opportune excerpta, pauculis meis notis illustrata, atque egregia Ven. Card. Bellarmini, quæ primum prodiit Wirceburgi an. 1749 dissertatione locupletata; præterea Chronicon, et qui sequuntur, commentarios non paucis animadversionibus illustravi vel Auctores, qui possint cum fructu conferri, indicans, vel aliqua pertractans seu ab ipso prætermissa, seu a recentioribus criticis aliter enucleata: qua in re usus potissimum sum explanatione plurium difficiliorum Scripturæ locorum, quam doctissimus e Maurinorum Benedictinorum Familia Martin Parisiis an. 1730 divulgavit; observationibus, præterea, quibus Gilletus Canonicus Regularis S. Genovefæ Gallicam suam Antiquitatum Judaicarum Josephi versionem, et ipsam Parisiis superiore anno 1756 typis excusam locupletavit. Sed et alia diligentissimus typographus præstitit, ut nova hæc Tirini editio in manus hominum ornatissima divulgaretur. Resectus fuerat, quem Tirinus in Antuerpiensi primo exemplari excudi jusserat, in Venetis editionibus sacrorum Bibliorum textus, quo scilicet emptorum sumptibus parceretur. Sed enim vero heinc multum operis utilitati detrahebatur. Molestum etenim semper est heinc Bibliorum Codicem, illinc commentarium sub oculos habere, ut quo commentarium spectet, intelligas. Igitur sacrum textum subjecto commentario in animum induxit typographus, optimo sane consilio, ut recudi curaret. Editionem præterea tribus libris locupletare constituit non ita sane obviis, illisque utilissimis. Hi sunt I. Levini Lemnii Zelandii, qui anno 1568 supremum diem obiit, *de similitudinibus ac Parabolis, quæ in Bibliis ex herbis atque arboribus desumuntur,* Commentariolum Antuerpiæ primo editum an. 1565, Francofurti deinde anno 1591 et 1596 repetitis editionibus vulgatum. II. Francisci Ruei Belgæ Insulani (decessit is an. 1585) *de gemmis aliquot, iis præsertim, quarum D. Joannes Apostolus in Apo-*

calypsi meminit, Tractatus Parisiis an. 1547 aliisque in urbibus sextodecimo seculo excusus. III. Lemnii, quem memoravimus, liber alius *de Astrologia*.

Ad Indices quod attinet, Geographicus ut adderetur curavi, is ipse, quem *Tabularum sacrarum Geographicarum* nomine inscriptum edidit Augustinus Lubin Augustiniensis; tum Indicem Auctorum (præsertim quod ad Ecclesiasticos spectat) subjectis notis emendavi. Unum erat, quod maxime cuperem, nec tamen impetrare a me potui, ut perficerem. Animadverti in eo non semel peccasse TIRINUM non tam suo, quam quibus vixit, temporum vitio, quod Auctores apocryphos citet, aut certis Auctoribus supposita ipsis opera tribuat. Singulis, ubi hac in re errat vir præstantissimus, locis in animo fuerat lectores errati monere. Verum id præstari commode haud posse intellexi. Quum enim TIRINUS librorum, quos appellat titulos, locaque in margine adnotare consueverit, absque incredibili rerum confusione fieri non poterat, ut iis in locis hoc qualecumque erratum corrigerem. In indice Auctorum eos qui apocryphi ab eruditis viris passim habentur, adnotavi; singulorum supposititia opera dignoscet facile, qui de Ecclesiasticis scriptoribus tractatores, Labbeum, Dupinium, Ceillierium ex Catholicis, ex Protestantibus Caveum, Oudinum, Joannem Albertum Fabricium consulet. Aliqua (ut ne hoc sub Præfationis finem dissimulem) ad TIRINI commentarios transtuli, quæ ad P. Sa notationes scripsisse me memini; verum tum id solummodo a me factum, quum necessitas id postulavit. Ceterum cavi diligenter, ne quæ ibi notaveram, hic iterum excuderentur; quin fortassis si quæ in utrumque Interpretem sum commentatus, simul colligerentur, ac paullo uberius tractarentur, quibusdam etiam quæ addi facillime possent, augerentur observationibus, novus quidam in Scripturam sacram commentarius posset institui. Nihil spondeo ;

tamen ubi Marianæ commentarios (nam et hos illustrare in animo est) iterum in lucem emisero, fortassis si per tempus licuerit, integrum opus in Scripturam sacram adgrediar.

Huc usque P. Zacharias. In hac vero novissima editione quid et ego taurinensis editor præstiterim, paucis aperiam. Nemo est qui nesciat postremis hisce temporibus ingenti labore, studio et investigatione cognitos tandem et enucleatos fuisse characteres, quos vocant cuneiformes, atque hac ope Assyriorum aliorumque finitimorum populorum historiam primo ex oblivione, tum ex innumeris erroribus vindicatam. Atqui hæc historiæ pars ejusmodi est ut lucem mirificam affundat iis quæ in libris Geneseos, Regum, Paralipomenon atque adeo in Prophetis vel enarrantur vel indicantur. Quod singulari Dei providentia evenisse credimus. Quandoquidem quo tempore profligatorum hominum audacia SS. Scripturarum auctoritatem magis convellere nitebatur, eo tempore insperatum ad eos refellendos nobis subsidium allatum est. Ne igitur harum investigationum fructu carerent sacrarum litterarum studiosi, exorandum mihi duxi virum horum studiorum peritissimum P. Josephum Brunengo, qui multa de hac re doctis hominibus probata perscripsit, ut ad nostræ hujus editionis utilitatem augendam, ea excerpere vellet quæ ad sensus Scripturarum vel interpretandos, vel confirmandos, vel expoliendos ex ejusmodi monumentis magis accommodata viderentur. Quod cum ille benignissime susceperit, futurum speramus ut ex hoc etiam titulo hæc nova editio vehementer omnibus probetur.

PRÆFATIO AUCTORIS

AD LECTOREM

Ut sacra Scriptura nihil utilius est homini christiano, nihil jucundius, nihil Theologo scitu magis necessarium; ita nihil quoque difficilius, nihil obscurius. Difficilem inter alia faciunt ipsa mysteriorum celsitudo et sublimitas, ut quæ fidem humanam, et captum naturalem plerumque excedunt, et fere sola Dei revelatione nobis innotescunt. Obscuram reddunt tum eadem illa mysteria miris tenebris involuta: tum phrases et modi loquendi, ut antiquitate, sic et singularitate sua nostris multum dissimiles. Idiotismi Hebraici, et Græcanici pene ubique obvii; parabolæ, adagia, tropi admodum insolentes: auxeses, ironiæ, metatheses, contradictiones in speciem frequentes: nomina propria personarum, urbium, regionum exsoleta: arbores, fructus, herbæ, aromata, gemmæ, lapides vix ullis auditi: denique instrumenta et lemmata geometrica, architectonica, astronomica, aliaque aliarum artium paucis explorata. Certe S. Augustinus (et qualis ille, quantusque Doctor!) « Publice, inquit, profiteor, tantam esse christianarum profunditatem litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere (1). » Unde alibi exclamat: « Mira profunditas eloquiorum tuorum! quorum ecce ante

(1) Epist. 3.

nos superficies blandiens parvulis; sed mira profunditas, Deus meus! mira profunditas. Horror est intendere in eam: horror honoris, et tremor amoris (1). » Similia habent Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Gregorius (2) et alii SS. Patres. Et velint, nolint, fateri coguntur ipsi quoque hæretici nostri, quoties ad rem venitur et pugnam: licet extra pulverem, inter aniculas et pocula subinde deblaterent, Scripturam per se apertissimam et clarissimam esse, ideoque etiam cerdonibus, et sartoribus, et sororibus in Christo non lectitandam modo, sed et enucleandam, ac dijudicandam. Sic passim clamitant, nempe, ne suas contristent delicias. Sed cum manus operi admovenda, mox aliter cantillant. Pro omnibus unum audiamus omnium antesignanum et principem Lutherum (3). Hic explicandos susceperat Psalmos Davidicos. Sed primo statim initio tam difficiles, tam obscuros expertus est, ut publice fateretur se suscepto operi parem non esse: atque inter alia « Nolim, inquit, ab ullo id de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit etiam sanctissimorum, et doctissimorum, id est, Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere, et docere. Sat est aliquos Psalmos, et eosdem ex parte intellexisse. Multa sibi reservavit Spiritus sanctus, quc nos semper discipulos habeat: multa solum ostendit, ut alliciat: multa tradit, ut afficiat. » Et infra: « Scio esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum a se in omnibus partibus intellectum. » Magistro subscribunt Brentius, Kemnitius, Centuriatores (4) et alii

(1) Lib. 12 Confess., c. 14.

(2) Orig. lib. 7 contra Celsum; Ambr. epist. 14 ad Constantium; Chrysostom. hom. 40 in Joannem; Hieron. præfat. in epist. ad Ephesios; Gregor. hom. 6 in Ezech.

(3) Præf. in Psalmos.

(4) Brent. in sua Confess. Witemb. cap. de S. Scriptur.; Kemnit. in Examin. 4 sess. Trid.; Magdeburg. cent. 1, lib. 2, cap. 4.

complures. Si hæc de singulis libris ex animi sententia, et merito pronuntiant; quid sensisse putandum de omnibus simul voluminibus?

Porro pellendæ huic obscuritati, et difficultatibus expediendis insudavit omnis omnium pastorum Ecclesiæ, omnibus seculis, tum in antiquo, tum in novo Testamento labor et industria: tot versiones Bibliorum, tot interpretationes, tot paraphrases, tot scholia, tot commentarii, tot homiliæ, tot volumina, tum SS. Patrum, tum Doctorum Ecclesiæ, uni illi rei, hoc est, tricis Scripturarum enodandis, inserviunt. Quin et Scholasticorum, quos vocant, studia conatusque omnes, an non huc potissimum tendunt, ut quæ in SS. Litteris obscura implexaque reperiunt, claris commentationibus illustrent et enodent, solidisque rationibus stabiliant? Et est profecto pretium operæ: nam (ut aliquid etiam de utilitate, necessitateque dicam) a S. Scriptura, ut fundamento, ut matrice, ut magistra pendent omnia, sine hac nec Philosophia constans, nec Theologia solida, nec aliæ scientiæ perfectæ: sine hac nec cathedræ stant, nec pulpita: sine hac, vaga et vana omnis disputatio, insulsa omnis concio, insipida de divinis colloquia; sine Scripturæ adminiculo nec tuto instruas proximum, nec sine periculo concurras cum hæreticis, cum politicis, cum Judæis, cum Mahometanis, cum atheis. Quin et in amicis confabulationibus, maxime cum personis generosis et cordatis quam probrosum Theologo non ad unguem callere S. Scripturam? Vidi ego non semel magno meo rubore cespitantes hæsitantesque etiam insignes Theologos, cum a viris gravibus super mensa, vel in rheda, vel navi rogitarentur varia ex Scripturis etiam sat obviis, nec quidquam responderent ad rem, v. g. ex Psalmis quis esset *ille draco, quem formavit* Deus *ad illudendum ei* (1), cujus *caput* con-

(1) Ps. 103, v. 27.

tribulavit et *confregit in aquis, deditque eum escam populis Æthiopum* (1)? Quid sibi velit, *Rex virtutum dilecti, dilecti: et speciei domus dividere spolia? Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri: dum discernit cœlestis reges super eam* (2). Ex Jeremia, quæ ista tam terribilis *columba*, a cujus *facie gladii* fugiendum (3). Quod *cornu filius olei*, Isaiæ, *in quo vinea fuit* sponsi (4)? Quæ *cornua*, qui *fabri*, quis *murus igneus*, quis *lapis stanneus* Zachariæ; et *duo filii olei; duæ spicæ olivarum juxta duo rostra aurea, in quibus suffusoria ex auro* (5)? Quis Jobi *Leviathan?* quis *Behemoth* (6)? Et possunt alia ejusmodi proferri millena ex Canticis, de *ferculo Salomonis ex lignis Libani, cujus columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, ascensus purpureus, media charitate constrata. Corona* sponsæ *de capite Amana, de vertice Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* De *quadrigis Aminadab:* de *equitatu in curribus Pharaonis.* De *acervo tritici*, de *cratere tornatili*, de *hinnulo capreæ*, de *turre eburnea*, de *piscinis Hesebon*, de *turre Libani respiciente Damascum*, de *purpura vincta canalibus;* et alia, quibus sponsæ *venter, umbilicus, ubera, collum, oculi, nasus* et *coma capitis* comparantur (7). Item ex aliis Scripturæ libris, quid *gomor, bin, satum, cabus, corus, ephi?* Quanti ponderis *siclus, mna, talentum, drachma, pondium, dipondium*, et alia quorum toties meminit liber Exodi et Levitici? Quis *tragelaphus, pygargus, oryx, camelopardalus, chœrogrillus, gryps, haliæetus, ixion, larus, porphyrion, onocrotalus, charadrius* in Deuteronomio (8)? Quod *musach sabbathi*, in libris Regum (9)? Qui Judæi *principes*

(1) Psal. 73, v. 13, 14.
(2) Ps. 67, v. 13, 14, 15.
(3) Jerem. 50, v. 16.
(4) Isaiæ 5, v. 1.
(5) Zach. 4, 3 et 4, vv. 10, 11 et 12.
(6) Job 3, v. 8, et c. 40, v. 10.
(7) Cant. 3, vv. 9 et 10; c. 4, v. 8; c. 6, v. 11; c. 1, v. 8; c. 7 usque ad v. 6.
(8) Deut. 11.
(9) 4 Reg. 26, v. 18.

in Moab quorum unus (ad instar Josue) *stare fecit* solem; alter *vir mendacii;* tertius *securus;* quartus *incedens*, in libris Paralipomenon (1)? Quæ *regina*, ibidem, tam fecunda, tam potens, ut *virum pepererit*, et quidem venustum, ac *decorum?* Quæ Danieli *filia feminarum* (2)? Quæ Sapienti *verba congregantis, filii vomentis?* Quis *acervus Mercurii?* Quæ *lingua morti contraria?* Qua lingua *prophetet corpus mortuum?* Quando *florebit amygdalus, impinguabitur locusta, dissipabitur capparis: rumpetur funiculus argenteus, recurret vitta aurea, conteretur hydria super fontem, et rota super cisternam* (3)? Quis impiorum *dulcis erit glareis Cocyti* (4)?

Et similia infinita: quæ nisi prompte, solideque dissolveris, sic sannis exploderis et sibilis. Levia tamen hæc. Grave, Theologum, animarum pastorem, verbi Dei præconem, ceteroqui fervidum, ac zelosum, cum hæreticis compositum, ad manum non habere quo blasphema illorum ex corruptis, vel mutilatis Scripturis deliria detegat, quibus cultum Dei, invocationem Sanctorum, venerationem imaginum, necessitatem bonorum operum, justificationem fidelium, usum tot Sacramentorum, liberum hominis arbitrium, Romani Pontificis primatum, sacrorum Conciliorum, Patrum, Doctorum Ecclesiæ auctoritatem, sacerdotum cælibatum, Religiosorum vota, regulas et instituta, denique mysteria omnia christianæ fidei convellere nituntur. Et quis non ingemiscat, in solemni pugna blateronem hæreticum audacissime quidvis effutire, catholico Doctori linguam hærere? Quis non indignetur, eumdem cum Judæis, cum Mahometanis in arenam delapsum, in limine cespitare, pallescere, balbutire et quasi prodere causam Dei; cum adversus illos, seu ex *sceptro Judæ*, seu ex

(1) 1 Par. 4, v. 22, et 7, v. 18. (2) Dan. 11, v. 17.
(3) Prov. 30, vers. 1; Prov. 26, v. 8; Eccli. 23, v. 15; Eccli. 48, v. 14; Eccles. ult.
(4) Job 21, v. 33.

septuaginta hebdomadibus Danielis, seu ex *quatuor monarchiis*, seu ex tot aliis antiqui Testamenti *mysteriis*, et *figuris* demonstrandum est, *Messiam* cælitus promissum *advenisse* jam pridem, et verum *Dei Filium esse*, et *Patri*, ac *Spiritui sancto consubstantialem* esse, aliaque fidei nostræ fundamenta ex aliis Scripturæ locis eruenda, firmanda, stabilienda sunt?

Ast, inquies hæc omnia jam olim eruderarunt, stabilierunt, demonstrarunt Origenes, Tertullianus, Hieronymus, Ambrosius, Basilius, uterque Gregorius Nazianzenus et Nyssenus, Chrysostomus, Irenæus, Cyrillus, Augustinus, Theodoretus, Gregorius Magnus, et tot alii sancti Patres, tot Doctores omnium seculorum: et nostris quoque temporibus pene infiniti: tum ex nostra Societate, tum ex aliis Religiosis Ordinibus, tum ex Clero seculari, doctrina et sanctitate perillustres viri, quorum Commentarii ad manum sunt. Sunt, fateor, ad manum, sed non cuivis: et ut essent, quoto cuique tantum otii est, quantum illis evolvendis necessarium est? quotus quisque, tanto tempore, tanta patientia (de opibus jam sileo) abundat, ut perlegere sustineat, v. g. Bened. Pererii in solam Genesim tomos in folio quatuor, et Alphonsi Tostati totidem in solum Pentateuchum, ejusdemque in unius Matthæi Evangelium alios tomos quatuor? Quis alterius Alphonsi Salmeronis in quatuor Evangelia et Acta tomos duodecim, Joannis Villalpandi in Ezechielem tres, Joannis Lorini in Librum Psalmorum duos, Franc. de Mendoza in octo prima capita libri primi Regum tomos item in folio duos? Quis denique Joannis de Pineda, Martini Delrionis, Lud. de Puente, et tot aliorum crassissima volumina evolvat, quo sensum genuinum hauriat unius, et non prolixi, Cantici Salomonis?

At non omnes ita luxuriantur, non omnes tam prolixe scribunt; Franc. Ribera, Ferd. de Salazar, Corn. a Lapide,

Nic. Serarius, Gaspar Sanctius, Jacobus Bonfrerius, et plures alii tum nostri, tum aliorum Ordinum, brevioribus commentariis majorem Scripturæ partem elucidarunt. Ita profecto est: atque, utinam iis qui adhuc supersunt, tamdiu vires suppetant, quoad opus perfectum dederint, totamque Scripturam similibus commentariis illustrarint! Verumtamen etiam hi ipsi commentarii, ut doctissimi, ut omni ex parte perfectissimi sint, plerisque occupatioribus (ut fere jam omnes sunt, in omni vitæ statu) nimis adhuc prolixi sunt. Et optant pene communibus votis alium longe breviorem Commentarium, qui, quoad fieri potest, accurate et perspicue, sed succincte, non omnes (nam multi sat faciles, sat obvii sunt) sed difficiliores locos S. Scripturæ tali modo et methodo enodet, ut a lectore, sine nausea, brevi temporis spatio, nec prolixiore quam ipse Scripturæ textus evolvi possit.

Hoc votum omnium, hoc commune desiderium, prima mihi causa fuit præsentis Commentarii, quem hic vides, de novo concinnandi, quem nihilo prolixiore spatio, quam ipsamet Biblia percurrere, Lector, possis, tantamque semestri uno, si binas ternasve quotidie horas impenderis, scientiam Scripturarum haurias, quanta vel ad hæreticos, et similes Ecclesiæ hostes refellendos, vel ad sciolos, etiam curiosissimos satiandos, vel ad plebem e pulpito, vel ad discipulos e cathedra instruendos, opus habueris. Et quanti est, tantam temporis jacturam prolixioribus commentariis evolvendis, fuisse hac brevitate redemptam? Sed accessit et altera causa, spesque alterius utilitatis, nihilo præcedente levioris. Nempe, si ad manum esset ejusmodi brevis et concinnus commentarius, fore, ut ad mensas Prælatorum ac Religiosorum, ubi ex antiquo usu, eoque laudatissimo, Biblia quotidie præleguntur, idem commentarius post singula capita Bibliorum, vel, ubi hæc prolixiora sunt, post dimidiata subnectatur. Hac enim

via (ut alia commoda taceam) nullo suo labore instruentur, etiam qui in SS. Litteris alioqui rudes prorsus sunt: cum enim audient a lectore mensæ, S. Scripturam sibi non modo prælegi, sed et explicari, sine molestia, sine temporis jactura, magna voluptate haurient una cum cibo, sensum et mysteria ejusdem Scripturæ; cum nudum alioqui textum nullo vel exiguo fructu sæpius et prælegi et relegi experientia doceat. Consuletur etiam otio aliorum, qui peritiores sunt, sed aliis occupationibus distenti, studio sacræ Scripturæ vacare non possunt; nam his saltem memoria renovabitur, novi utilesque conceptus suggerentur, et varia dubia subnascentia dissolventur. Omnibus denique occasio et materia dabitur, mox a mensa loco inutilium colloquiorum, de sacra Scriptura rebusque controversis agendi, disquirendi, et amice disceptandi.

Sed ad hæc sufficere forsan alicui videbuntur Notæ breviculæ, quas in universa Biblia subministrat Glossa Interlinearis, vel Ordinaria, vel Nic. a Lyra, vel Vatablus, vel Emmanuel Sa, vel Joan. Mariana, vel Franc. Haræus, vel Joan. Menochius, viri in omni scientia instructissimi.

Verum et hi quoque (fidenter dico) ut scopum quem sibi proposuerant, seu brevitatis affectandæ, seu fontium Hebræorum Græcorum obiter elucidandorum, seu sententiæ SS. Patrum orbi manifestandæ, probe consecuti sunt: sic quem nos hic ante oculos proponimus, satisfaciendi etiam curiosissimis ingeniis, instruendi omnibus necessariis armis pugiles fidei, idque non minus solide, quam succincte, et si placet, etiam inter epulas, non pari modo attingunt. Tentet, et periculum faciat cuicumque lubet. Ex prima pagella, ex prima linea discet, nostro huic instituto non æque convenire. Non placet, præsertim accumbentibus, nuda Grammatica, jejuna Syntaxis. Displicet auribus tertio quoque verbo inge-

minatum (idest, Scilicet, Quasi dicas) Sic legit Theodotion, sic Aquila, sic R. Kimchi, sic Onkelos, sic Græci, sic Chaldæus Paraphrastes, sic Augustinus, sic Chrysostomus, sic Basilius. Neque grata tot commata, tot sectiones. Et licet attenti lectori forsan capiantur, sitim tamen non restinguunt, sed acuunt: ab auditoribus vero, ut nimis incisa subinde et hiulca, nec si septies prælegantur, capi, aut intelligi possunt. Magis sapit illud commentandi genus, quod partim historicum, partim dialecticum sit, neque post pene singula verba disruptum: quodque uno quasi filo plures, mutuoque junctas sententias simul explanet. Hoc modo consulitur non minus audientium voluptati quam commodo.

His igitur ut faciam satis, atque imprimis ut obedientiæ nutibus obsequar, præsentem Commentarium concinnandum suscepi, non ex proprio sensu vel ingenio (absit in re tam sacra, tam sublimi) sed ex placitis SS. Patrum, et Doctorum Ecclesiæ, ex optimis, et probatissimis quibusque, tum veterum, tum recentiorum scriptis. Et licet non semper, neque ubique exprimam nomina singulorum (nam cui id bono?) quando tamen probatio non ex sola ratione, aut contextu, aut ex fontibus, aut ex locis similibus, sed etiam ab auctoritate petenda erit, saltem in re graviore, tum nomina Patrum, Doctorum, interpretum, e quibus hausi, exprimam: sed verba ipsa Auctorum, nisi (quod dici solet) *paucis obvia, multis necessaria* deprehenderim, non exprimam. Auctorum libros, et capita ad calcem adnotabo: sic tædium non pariam, et tamen fontes, unde hauserim, aperiam. Cum vero nudum Auctoris nomen adscribam, nullo notato libro, scias ipsum dixisse illud in commentariis suis ad eumdem locum: nam si alibi dixerit, in calce exponam. Stylo et phrasi (ne quid etiam inde molestiæ) utar vulgari. Verbis superfluis, et inani loquentia abstinebo. Quod uno dixi loco, alibi etsi recurrat, non repetam: quo

vero facilius reperiri possit quod uno loco dictum, pluribus, ubi recurrit, subservire debebit. Indicem Nominum, et Rerum ad calcem operis adjiciam, e quo statim primo inspectu quid quo loco expositum fuerit, deprehendi possit. Adjiciam et alium indicem Auctorum toto Commentario citatorum, qui, quales, quando vixerint, quantæ auctoritatis sint. Denique in gratiam Concionatorum, tota Biblia materiasque omnes, et utiliores conceptus in Commentario expositos, ad Evangelia totius anni revocabo, et ex iis alium Indicem concinnabo, cujus vel solius ductu poterunt ex hoc Commentario pluribus etiam continuis annis (ni desit ingenium) commode suas conciones colligere, et pro dignitate dicere non modo ad plebem, sed et ad doctos, et principes viros. Sed hæc per digressionem. Redeo ad Commentarium; in cujus decursu litteralem sensum, basim et fundamentum reliquorum, ac primario intentum a Spiritu sancto, ubique urgebo et pro viribus stabiliam; sic tamen ut et allegorica, et anagogica, subinde et moralia (saltem nobiliora) et historica, quin et controversa cum hæreticis, Mahometanis, Judæis denique et scholastica dubia perstringam ac dissolvam, breviter quidem, sed clare, sed solide, nihilque omittam vel necessariorum, vel instituto nostro utilium. Varias lectiones ex Hebræo, ex Chaldæo, ex Septuaginta, et aliorum interpretum Græco textu, et ex Rabbinis quoque, cum operæ pretium fuerit, attexam; ex historiis seu Ecclesiasticis, seu politicis, quæcumque ad rem facient, adnectam.

Quæstiones de Chronologia, de Genealogiis, de Ponderibus, de Mensuris, uti ad intelligentiam S. Scripturæ necessario enodandæ sunt, et lectoribus utilissimæ simul, ac gratissimæ; ita auditoribus, maxime super mensa, et inter epulas, ingratæ ac jejunæ esse solent. Hinc non inseram Commentario, sed præmittam. Præmittam quoque explicationem Idiotismorum, seu proprietatum Hebraicarum, Græcarumque, quæ pluribus

locis occurrunt, et textum sæpe obscurant. Pro Chronographia serviet ex parte *Tabula Terræ sanctæ*. Pro aliis regionibus videri possunt tabulæ Geographicæ Adrichomii, Ortelii, Mercatoris. Sensus mysticos, qui vel faciles et ultro obvii sunt, vel nimis abstrusi aut longe petiti, quod scopo nostro minus conveniant, vix attingam; attingam semper nobiliores, et si quando constabit (ut non raro fit) a Spiritu sancto intentos fuisse.

Denique sic brevitati studebo, ut claritati nusquam desim, et nauseam semper vitem, et numquam omittam, quod aliqua ex parte in rem nostram facturum deprehendam.

Porro in hoc Commentario concinnando, quam difficilem subeam provinciam, non ignoro. Neque tamen despero fore, cum bono Deo, ut faciam hoc in genere plerisque satis. Et quibus satis non fuerit, aut qui aliquod erratum deprehenderint, facile (scio) excusabunt, ignoscentque in opere tam prolixo, tam vario, tam molesto. Atque utinam qui scientia, viribus, eloquentia, stylo plus valent, suppleant quod defuerit, corrigant quod deviarit, quod nimis rude expoliant! Mihi non levi solatio fuerit, tale opus inchoasse. Fave quicumque es lector, et amico labore utere, fruere, et Deum, a quo omnia, pro me ora.

Quo auctore singuli libri conscripti sint, quo item tempore, qua occasione, et quid summatim complectantur in præfatione singulorum exponetur. Auctoritas etiam quorumdam, qui ab heterodoxis in dubium vocantur ibidem sublatis dubitandi causis, comprobabitur ac stabilietur. Denique quo tempore, quo ordine singula quæ his libris enarrantur gesta sint, Chronicon primis 37 capitibus edocebit. — *Censuræ Doctorum, et cum primis S. Rom. Ecclesiæ omnia subjecta volo.*

SACRÆ SCRIPTURÆ STUDIOSO

COMMODIS tuis ut consulam, brevis ero, nec tamen obscurus saltem assuetis simili studio. Sed tyronibus quid faciam? quid insuetis ejusmodi palæstræ? quibus tamen, utpote magis indiguis, consultum præ aliis velim. Equidem pro virili conabor, ut et his non inutilis sit labor, dummodo ipsi sua ex parte cum sciendi aviditate, et humili ad Deum prece debitam afferant in legendo diligentiam, in studendo sedulitatem, in modo ac methodo discretionem. Ne cursim, ne saltatim, ne captim ut canis e Nilo, ne perturbate, ne tumultuarie, ut vulpes Samsonis: sed sedato animo, sed tranquillo. sed serio, sed constanti rem aggrediantur: certam sibi horam quotidie unam alteramve præfigant, quibus liberi ab aliis studiis et curis, uni sacræ Scripturæ vacent. Ante omnia suadeo, Chronicon evolvi (quod idcirco infra posui), dein reliqua Prolegomena, eo ordine, quo scripta vides. Chronicon enim breve compendium est totius S. Scripturæ, et in eo digestam per tempora reperies totius mundi historiam, ab illo primum condito usque ad excisum a Tito templum, et urbem Jerosolymitanam, et extinctam Synagogam Judaicam: nam ad illa usque tempora sese extendit sacra Scriptura. Experientia vero disces, quantam lucem pariat concinna temporum digestio.

Quæ de Monetis, de Mensuris, de Dimensionibus notavi. in discursu sacræ Scripturæ passim usui erunt, et hoc adminiculo facile penetrabis, quæ alioquin impervia forent. Idiotismi Hebraici et Græci fundamenta fere continent totius

Commentarii: aperiunt quæ propria sunt illis linguis: explicant phrases et tropos, quibus Hierographi sua involvunt: modum etiam in genere docent, e tenebris eruendi genuinum Scripturæ sensum. Unde non raro deprehendes in decursu Commentarii te ad hæc consulenda remitti, tamquam ad capita, fontes et faces, e quibus optatam lucem haurias. Neque alias possibile esset, tam brevi Commentario, tam multas difficultates, et tricas non jam dico enodare, sed vel aperire, vel indicare.

Porro cum hæc utcumque callueris, ad textum accede, evolve sacram paginam, lege animo non minus pio et attento, quam sciendi avido. Ubi facilis est littera, nec latent sensus mystici, percurre, nec inhæreas. Ubi mysteria latent, vel littera obscura est, vel connexio difficilis, quære, si potes, tuo marte, cogita, recogita, volve, revolve, saltem tenta et conare. Si quid occurrat quod adlubescit, vel si post serium conatum nihil decurrat, adi Commentarium, consule quid hic censeat. Et si quidem tibi satisfecerit, acquiesce et manda memoriæ: sin minus conare meliora eruere. Non deerit suus conatui fructus, et facile erit inventis addere. Hoc conatu, ac animi contentione mirum, quantum plurimi profecerint. Proderit et cum alio eorumdem studiorum socio conferre fabulando, disputando, certando, apparentes antilogias, quæ sæpius in Scripturis occurrunt, in medium producendo, urgendo, conciliando, atque hunc in finem contexui quartum Indicem. Sed omnium maxime juverit, quæ legeris, alios docuisse, aliis exposuisse.

Unum moneo, ne proprio ingenio, quantumvis excellenti, nimium indulgeas. Corrupit illud plurimos tum veterum, tum recentiorum. Neque enim semper is genuinus sacræ Scripturæ sensus est, qui primum obvius, vel studio solertis ingenii deprehensus, vel ex sono verborum arte expressus est. Ad

scopum Hagiographi ante omnia collimandum: dein antecedentia et sequentia probe excutienda, et cum iis verborum sententiarumque connexio. Denique in dubiis ponderanda quoque auctoritas SS. Patrum et Doctorum pro te, vel contra te sentientium; quos eum in finem, saltem in rebus alicujus momenti, semper adnotabo. Quod si hæsitare contigerit, quis citandorum Patrum vel Doctorum præponi, quis cui præferri jure debeat, adi Indicem primum, quem Commentario subnectam; ibi singulorum et ætatem, qua vixerunt, et doctrinam, qua floruerunt, et sanctitatem, qua plerique excelluerunt, et ceteras qualitates, quæ auctoritati pondus faciunt, expressas reperies.

Atque hæc de modo, et methodo. Jam ad materiæ delectum quod attinet, quamvis cordatum virum, et cum primis Theologum deceat, omnia nosse quæ SS. Litteris continentur: ideoque maxime probem, ut ab initio ad calcem omnia ordine evolvantur: quia tamen non omnium iste animus, suadeo, ut quibus quisque vel eget, vel oblectatur, ea primum arripiat. Ordinibus sacris initiatus es? Horæ Canonicæ tibi quotidie legendæ? Psalmos ante omnia percurre. Pastor es animarum? ad concionandum sæpius Evangelia revolve, et Acta, et Epistolas Apostolicas: tum Prophetas Majores et Minores. Historiis oblectaris et Chronicis et bellis omne genus? habes Genesim, Exodum, Numeros, libros Josue, Judicum, Regum, Paralipomenon, Judith, Tobiæ, Esdræ, Danielis, Esther, et Machabæorum. Philosophus es? Philosophicis gaudes. Physicam reperies in Genesi, in Jobo, in Ecclesiaste; Ethicam et Politicam in Exodo, in Levitico, in Deuteronomio, in Proverbiis, in Sapientia, in Ecclesiaste, in Ecclesiastico; Metaphysicam in iisdem illis; sed maxime in Jobo et in Psalmis: Geometriam, Arithmeticam, et alias Mathematicæ partes sparsim hinc inde reperies; mystica et symbolica in Sapien-

tialibus passim, sed maxime in Cantico Canticorum, in Prophetis, in Apocalypsi.

Ultimum adjicio, ad solidiores fructus ex studio SS. Litterarum colligendos, expedire, quæcumque legis, ad praxim referas et ad instructionem, tui cum primis, dein et aliorum. Secundum lecta mores compone, ex iis ad vitia arguenda, ad virtutes commendandas pia monita hauri, ex iis meditationum, et concionum, et piorum colloquiorum puncta collige: subsidia ad profectum spiritualem, ad perfectionem adminicula quære, adnota, in manibus habe, tibi, tuis applica. Si res tibi cum hæreticis, in promptu sint, quibus seu te tuearis, seu illos feries. In hunc finem adornavi tertium Indicem, qui præcipua prodit Scripturæ loca, quibus Ecclesiæ dogmata cum hæreticis controversa stabiliuntur. Serviet ad eadem omnia jam dicta quintus quoque Index, quo sacra Scriptura revocatur ad Evangelia et mysteria, quæ toto Commentario explicantur. Nam hic scopus, hic finis est totius S. Scripturæ, sicut et totius Commentarii: *Omnis* enim *Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Hanc perfectionem tibi, studiose Lector, ex animo voveo, et me tuis precibus humillime commendo.

An sit aliquod verbum Dei scriptum, et quale illud sit, et quibus libris comprehensum, docebo in Indice Controversiarum in fine Tomi postremi, Controv. II, num. 1, 2, 3 et 4. Hic nobis sufficiat.

R. P. JACOBI TIRINI

ELOGIUM

EX BIBLIOTHECA SCRIPTORUM SOC. JESU p. 390

CUM OPPORTUNIS ACCESSIONIBUS

Jacobus Tirinus natione Belga patria Antuerpiensis natus anno salutis 1580 vicennis adscitus in Societatem, magna virtutis commendatione in eadem vixit. Sacram Scripturam tribus annis interpretatus est: totidem annis Antuerpiensi Collegio Vice-Rector præfuit; Domui vero professæ Præpositus toto novennio, et quadriennio Missioni Hollandicæ. Quatuor votorum professione se obstrinxit die 2 Julii 1614, atque anno mox insequenti Congregationi Generali septimæ satis juvenis interfuit. Postea iterum electus est a Congregatione Provinciali, ut suffragium ferret in Conventu Procuratorum Romæ anno 1622. Demum multis præclare perfunctus officiis, et laboribus, obiit Antuerpiæ die 14 (1) Julii 1636 (2). Edidit

Commentarium in totam Scripturam sacram Veteris ac Novi Testamenti tom. III, Antuerpiæ apud Martinum Nuntium 1632, in folio (3). Opus est calculis Chronologiæ diligentissime subductum, et variarum materiarum accuratis indicibus illustratum (4).

(1) Perperam Dupinius (*Bibl. Script. Eccl.* tom. XVII, Amstæled. edit. a. 1711, p. 132), et ex eo Morerii supplementa die notant 24.

(2) Calmet in *Bibliotheca sacra*, p. 17 Venetæ editionis an. 1726 (an suo, an typographi mendo, incertum) annum 1637 Tirini morti adscripsit.

(3) Duobus autem tomis, Biblico textu omisso, recusum est sæpius præclarissimum opus Antuerpiæ 1645, 1656, 1668 (quas editiones recenset P. Le Long *Biblioth. sacr.* tom. II, p. 990) et 1688 (Fabricius *Biblioth. Fabricianæ* tom. I, p. 264). Lugduni 1664, 1678, 1690, 1697, 1702. Venetiis sæpius, ut 1688, 1704, 1754. Augustæ Vindelicorum 1704 etc. Præterea tum in Bibliis *magnis*, tum in *maximis*, quæ Joannes de la Haye Parisiis edidit an. 1613 illa, hæc 1660 excusa videas Tirini Commentaria uti et in Bibliis, quæ *cum selectissimis litteralibus commentariis* Modestus Fentius Venetiis excudit. Tandem Chorographiam Terræ Sanctæ inde mutuatus est Jacobus Gordonius in sua Bibliorum editione (Parisiis 1632). Prolegomena autem reperies in Polyglottis Londinensibus.

(4) Multis isthæc Commentaria laudibus celebrant præter Calmetium et Dupinium citatis in locis Viri quique doctissimi, immo J. Frid. Mayer *Biblioth. Bibl.* p. 80, Tirinum ait facultate Scripturas tractandi tantum Cornelio a Lapide præstitisse, quantum illius commentarii ab hujus scriptis mole superantur. Vide etiam Koenig 411, Rich. Simon *Hist. crit. Veter. Testam. lib.* 3, *cap.* 11 *et de Commentat. in N. T., cap.* 44, et Crenium *Animadv. parte* 3, *p.* 201.

R. P. JACOBI TIRINI S. J.

IN UNIVERSAM SACRAM SCRIPTURAM

COMMENTARIUS

PROLEGOMENA

NUNC PRIMUM ADDITA.

CAPUT I.

DE VARIIS SACRÆ SCRIPTURÆ NOMINIBUS.

I. Scriptura sacra, quæ et absolute *Scriptura*, et Hebræis eodem sensu *Mikra* dicitur, quod maxime digna, ceterisque omnibus libris dignior sit, quæ scriptis mandetur. Aliis præterea nominibus appellari solet: modo enim *Biblia* sacra, modo *Testamentum*, aliquando *Verbum Dei*, aliisque vocabulis designatur.

II. *Biblia* sacra plurali numero vocantur, tamquam volumina sacram Doctrinam continentia. Est enim Græce βιβλίον, volumen, seu liber, a voce βυβλο quæ papyrum [1] significat arborem; sive etiam Codicem, hoc est tiliæ alteriusve arboris internum corticem, qui in tenuissimas longasque philyras seu membranas ductus chartæ usum veteribus præbebat. Qua igitur ratione *Codex* dictus est per excellentiam liber Imperialium Constitutionum, eadem ac multo potiori ratione, *Biblia* nullo addito vocantur divinæ Legis volumina, quod scilicet omnes alios libros dignitate et utilitate facile superent.

III. Dicitur *Testamentum*, forte, non tam acceptione illa usitatissima, qua testamentum definitur a Jurisconsultis mentis nostræ justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit [2]; quam pro fœdere ac pacto, seu pro instrumento, et contestatione fœderis, quod inter Deum et homines initum est: quo sensu a D. Paulo sumi, contra vulgarem opinionem singulari dissertatione ostendit amicus quondam noster Philippus Codurcus Nemausensis. Negat enim Hebraicum *Berith* Græcum Διαθήκη (quibus vocibus Scriptura sacra designatur), ullibi in sacris paginis pro testamento accipi, significatione illa in jure romano usurpata: cum nec ullus Hebræis testamentorum hujusmodi usus fuerit, sed vel cognationis jure vel donatione inter vivos, bona in proximos aut amicos apud eos transferrentur. Quæ sententia confirmari in primis videtur ex eo quod habetur in Exodo [3] de volumine et sanguine fœderis, quæ vox iisdem nominibus in Græco et Hebræo ibi exprimitur; licet aliis locis in vulgata editione vocabulo Testamenti ea nomina explicentur; ipsum etiam Hebraicum *Berith*, quod proprie *fœdus* sive *pactum* significat. Deducitur nempe a radice *Bara;* quæ accipitur tum pro eo quod est *eligere*, quam pro eo quod est *cædere* seu *mactare*. Eliguntur autem tum personæ inter quas, tum leges, et conditiones, quibus fœdus initur: et in pangendis fœderibus cædi victimæ solebant apud plerasque nationes; ut appareat ex eodem Exodi loco, atque ex Genesi [4], ubi agitur de Abrahami fœdere cum Deo.

(1) Suidas, Eustath.
(2) In l. 1 Dig. qui test. fac. poss.
(3) Cap. XXIV.
(4) Cap. XIV.

Hinc et fœdus *ferire*, et fœdus *icere* Romani quoque dixerunt; quia porca a fecialibus silice percussa cæsaque fœdera contrahebant: quem ritum tangit Suetonius [1], describit Livius [2] ac Virgilius [3]:

> Post iidem inter se, posito certamine, Reges
> Armati, Jovis ante aras, paterasque tenentes
> Stabant et cæsa jungebant Fœdera porca.

Hic itaque valebit aliquatenus Testamenti etymon a Servio Sulpicio jurisconsulto adductum, quum vult Testamentum dictum esse a testatione mentis, si generaliori ejus vocabuli acceptione pro solemni voluntatis et mutui consensus contestatione sumatur.

IV. Verum quod attinet ad Græcum nomen Διαθήκη, id sæpe a Rabinis pro vero morientis testamento usurpari non est quod ambigatur. Ita certe interpretantur Rab. David Cohen *de Lara*, et Buxtorfius in suo Lexico. Eaque nominis hujus usurpatio ex multis Talmudicorum locis colligi facile potest. Suggessit tamen mihi vir cl. Joannes Capellanus e Collegio Sorbonæ Theologus, et sacræ linguæ laudatissima professione collega noster, auctoritatem R. Davidis Kimchi, qui ad illud Samuelis, sive Regum II [4]: et *præcepit domui suæ*, notat, morem esse hominum, ut morti proximi liberis aut domesticis suis præcipiant, quid post mortem suam de rebus domus, et hereditatis suæ fieri debeat: et secundum hæc in Mischna memorari Mosem testamentum fecisse. Sed, ut inde evinci fateor, suprema morientium mandata, et mortis causa donationes Judæis haud incognitas fuisse; ita, nisi aliud quid proferatur, non satis certo, mea quidem sententia, conficitur, eis usu tritum fuisse illud testamentorum genus, quo hereditas aut inter liberos proximosve cognatos pro arbitrio testatoris dividitur inæquali partium rerumve assignatione, aut in extraneos etiam transcribitur. Etenim, præterquam quod Kimchium interpretari licet de moribus plurimarum gentium, inter quas degebant, deguntque adhuc Judæi: nomen præterea Διαθήκη non pro testamento tantum apud ipsos quoque accipitur, sed etiam modo pro donatione, ut cum dicunt *Diathiki Mathena* quod sonat *dispositionem donationis*, modo pro Mandato sive, quemadmodum Glossa Talmudica explicat pro *Litteris Præceptionis*. Quid vetat igitur, quominus *Diathiki* Mosis ad postrema ejus mandata pertineat; et quæcumque in eam rem adducuntur, de alia disponendarum rerum forma accipiatur, quam de testamentaria? Neque ex his confici omnino videtur dici Hebraicum, *Berith*, de testamento proprie accepto.

V. Communis tamen sententia, eorum nempe qui utrumque Fœdus, Mosaicum scilicet atque Evangelicum, nomine Testamenti proprie dicto censeri contendunt, ex D. Paulo valide confirmari videtur. Etenim in ep. *ad Hebr. cit.* [5] ubi de utroque Fœdere loquitur, veteris cum novo comparatione instituta, subjungit: *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet dum vivit qui testatus est.* Ex quibus apparet, sensisse Apostolum fœdus tum Christi, tum Mosis, verum fuisse testamentum Dei, illud ex persona Christi venturi, hoc in persona ejusdem præsentis, et pro nobis immolati. His Apostoli dictis lucem affert Lactantius Firmianus [6]. « Idcirco Moses, inquit, et iidem ipsi Prophetæ, Legem, quæ Judæis data erat, testamentum vocant, quia nisi testator mortuus fuerit, nec confirmari testamentum potest, nec sciri quid in eo scriptum sit: quia clausum, et obsignatum est. Itaque nisi Christus mortem suscepisset, aperiri testamentum, id est, revelari, et intelligi mysterium Dei non potuisset. Verum Scriptura omnis in duo Testamenta divisa est. Illud quod adventum Domini, passionemque antecessit, id est, Lex et Prophetæ, Vetus dicitur. Ea vero quæ post resurrectionem ejus scripta sunt, Novum Testamentum nominatur. Judæi Veteri utuntur, nos Novo, sed tamen diversa non sunt; quia Novum Veteris adimpletio est, et in utroque idem Testator est Christus; qui, pro nobis morte suscepta, nos heredes regni æterni fecit, abdicato et exheredato populo Judæorum; sicut Jeremias propheta testatur, cum loquitur talia: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo domum Israel, et domui Juda Testamentum Novum: non secundum*

(1) In Claust cap. 25.
(2) Lib. 1, cap. 14.
(3) Æneid. 8, vers. 639.
(4) Cap. XVII, 23.
(5) Cap. IX, 16 et 17.
(6) Divin. inst. lib. 4, cap. 20.

Testamentum, quod disposui patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti; quia ipsi non perseveraverunt in Testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus, et quæ apud eum sequuntur.

VI. Quidam *Theologiam positivam* nominant sacram Scripturam, quia doctrinam de Deo, rebusque divinis continet, et apertioribus verbis ponit ad Scholasticæ nempe discrimen, quæ obscuriores e Scripturis sententias per ratiocinationes philosophicas exponere ac dilucidare conatur.

Verbum autem *Dei* appellatur, quod a Deo instillata, atque infusa hominibus fuerit doctrina omnis, quæ in hisce Libris continetur. Deum sane sacræ Scripturæ auctorem esse, non Concilia modo, et Patres uno ore, sed ipsi quoque Apostoli testantur. Sic D. Petrus [1]. *Non enim,* inquit, *voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Ei concinit Gentium Apostolus [2]: *Omnis Scriptura divinitus inspirata,* etc. Eo etiam referendum est, quod apud Lucam [3] Zacharias ait: *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt, prophetarum ejus.* Idque ex eo patet, quod Prophetæ omnes identidem vaticiniis suis inserunt, *Hæc dicit Dominus:* hanc tamquam solemni clausula missionem seu legationem suam contestati.

CAPUT II.

DE DIVINARUM SCRIPTURARUM AUCTORITATE, AC DIFFICULTATIBUS IN GENERE.

I. Propheticorum atque Apostolicorum librorum præstantiam vel ipse divinarum Scripturarum titulus probat, eis ab omnibus attributus christianis; idque non immerito. Eorum quippe Scriptores divinus Spiritus ad scribendum movebat non eo pacto quo Arreptitii sive Energumeni ab immundis spiritibus impelluntur, in qua sententia fuere Montanistæ hæretici a D. Hieronymo et Epiphanio confutati; hoc enim vatum fuit Ethnicorum et Pythonissarum: qualis Pythias sacerdos Apollinis Delphici plurimos apud auctores memoratur, et qualis apud Poetam [4] Sibylla describitur:

Cui talia fanti
Ante fores subito non vultus, non color unus:
Non comptæ mansere comæ; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Jam propriore Dei;

sed a sancto Spiritu Prophetæ atque Apostoli incitabantur, incolumi semper liberi arbitrii usu. Neque enim divinæ præsentiæ convenit, ut quem sapientia impleat eum redigat ad furorem, et rationis usum auferat auctor rationis. Impellebat eos divinus Spiritus ad ea scribenda, vel quæ ipsi nondum satis nossent, vel quæ speciali revelatione intelligerent. Idque ita ut eis non modo res ipsas, sed et voces quasi dictaret, ut nonnulli censent: aut saltem exprimendi rationem interius suggereret ne in aliquo errarent, ut auctores sunt præ reliquis D. Augustinus et Gregorius Magnus. Illius quidem hæc sunt verba [5]: « Si in aliquo sacro libro vel minima falsitas reperiretur, totius libri certitudo periret: et nisi scriptor sacer peculiari Spiritus sancti assistentia dirigeretur, etiam in iis quæ vidit et novit facile per oblivionem aut affectum non purum in aliquam falsitatem incideret ut fit subinde apud historiographos. » Hic vero [6] de libro Job sic loquitur: « Quis hæc scripserit valde supervacue quæritur, cum tamen auctor Spiritus sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit qui hæc scribenda dictarit: ipse scripsit qui et illius operis inspirator extitit. Si magni cujusdam viri, susceptis epistolis, legeremus verba, eaque quo calamo fuissent scripta quæreremus: ridiculum profecto esset, si non epistolarum et auctorem scire et sensum cognoscere; sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare studeremus. Cum igitur rem cognoscimus, ejusque rei Spiritum sanctum auctorem tenemus: qui scriptorem quærimus, nihil aliud agimus, nisi legentes litteras de calamo perscrutamur. »

II. Advertendum tamen est cum sancto Hieronymo, Dei Spiritum ad eujusque scriptoris ingenium se accommodasse, unde Isaias in aulis versatus elegantiori stilo usus est. Amos rusticus, subrusticum

(1) Cap. II epist. Cath.
(2) II. ad Tim. III.
(3) Cap. II.
(4) Æneid. 6.
(5) In epist. 3 ad Hier.
(6) In procemio Moralium.

quoque dicendi genus est sequutus; et ita ceteri. Quapropter Dominus per Oseam [1]: *Locutus sum*, inquit, *super Prophetas, et ego visionem multiplicavi, et in manu Prophetarum assimilatus sum.* Maneat igitur quod D. Augustinus ait [2]: « De illa civitate unde peregrinamur venerunt hæ litteræ: ipsæ sunt Scripturæ quæ nos hortantur ut bene vivamus. » Hinc et [3] Joannes Baptista suam legationem confirmat Isaiæ verbis: *Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta:* et Christus ipse Prophetæ quoque testimonio utitur, ut missionem ac potestatem suam testetur atque confirmet: *Spiritus Domini super me eo quod unxerit me, etc.*

III. Sacræ Scripturæ auctoritatem, et venerationem ipsi exhibendam, rationibus quoque humanis stabilierunt Eusebius Cæsariensis [4], Augustinus [5], aliique Patres, qui pro Christiana fide ac religione scripserunt; quibus accessere, tum D. Thomas præclaro contra Gentes opere, tum posterioribus seculis Hieronymus Savonarola [6], Ludovicus Vives, Bellarminus [7] aliique. Quin et nonnulli heterodoxorum nostri temporis, ipseque etiam impius Socinus, cetera omnino damnandus auctor. Et vero, præterquam quod nullum extat opus Pentateucho Mosis antiquius, vixque ulla est homine digna cognitio, cujus non saltem semina in Libris utriusque Testamenti contineantur: veritas vaticiniorum, auctorum, qui eos libros variis locis, temporibus, linguis ediderunt, summa concordia, et velut conspiratio, miracula denique non pauca ad confirmandam ipsorum doctrinam a Deo patrata divinam eorum originem abunde testantur. Itaque nullus omnino liber est, cui probabilius, seclusa etiam revelatione, fides adhibenda videatur.

IV. Ex his statuendum est nobis Propheticos et Apostolicos Libros juxta mentem Ecclesiæ catholicæ intellectos, verum esse *Verbum Dei*, et stabilem *fidei Regulam*, ut tum in Concilio Carthaginensi III, tum in Tridentino [8] decisum est. Atque hanc Regulam cæteris omnibus anteferendam esse D. Augustinus ostendit [9].

V. Quod dixi, *juxta mentem Ecclesiæ catholicæ* Libros sacri Fœderis exponi debere, id ea causa est adjectum, secundum ejusdem Tridentinæ Synodi decretum, quod licet adeo vera sint ac certa quæcumque Scriptura sacra continentur, ut de constanti eorum veritate ne hæretici quidem dubitent, non tamen cujusvis sit (quidquid ipsorum nonnulli velint) verum ejus sensum per se percipere. Quapropter non adeo facile omnibus permittenda ejus interpretatio: *mare enim est* ex D. Ambrosio [10], *habens in se sensus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum.* Id a D. Hieronymo confirmatur [11]; itemque a D. Augustino [12] atque a D. Joanne Chrysostomo [13], qui vetat nos temerarios esse in scrutanda profunditate Scripturarum, cum in iis multa lateant difficilia. Idque ita esse quis neget, cum D. ipse Petrus [14] quædam fateatur esse *intellectu difficilia* in Epistolis B. Pauli, quæ indocti et instabiles depravent?

VI. Scripturæ autem obscuritas variis ex causis proficiscitur, quas recensent Clemens Alexandr. [15], D. Hieronymus [16], Irenæus [17] et alii. Præcipuæ causæ sunt: sublimitas rerum de quibus agitur, veluti Trinitatis, Incarnationis, Prædestinationis, Sacramentorum et similium quæ humanum captum superant: deinde vaticinatio de rebus futuris atque incognitis, eaque metro sæpe comprehensa: tum repugnantia quæ prima fronte apparet inter diversa loca, veluti inter illud Exodi XX: *Ego Deus zelotes visitans peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem*, et illud Ezech. XVIII: *Filius non portabit iniquitatem patris*, aliaque non pauca. Præterea quod multa sint in ea metaphorica et ambigua, ex quibus variæ oriuntur interpretationes. « In sacris Scripturis, ait Tertullianus [18], pleraque figurate portenduntur, et per ænigmata, et allegorias, et parabolas, aliter intelligenda quam scripta sunt. »

(1) Cap. XII.
(2) In Psalm. IX, concione 2.
(3) Joan. I.
(4) In lib. de Præparat. et Demonstr. Evang.
(5) De Civitate Dei et alibi.
(6) In triumpho Crucis.
(7) T. 2 controvers. (8) Sess. 4.
(9) Can. *Quis nesciat* et aliis dist. 9.
(10) Epist. 44.
(11) In præt. comment. supra epist. ad Ephes., et in epist. ad Paulin. epist. 3.
(12) Epist. 3 ad Volus.
(13) Hom. 40 in Joan., et hom. 18 ad cap. 3; epist. I. ad Timoth.
(14) Epist. II, cap. III. (15) Stromat. 6.
(16) Prol. in Prophet.
(17) Lib. 3 adversus Hæres.
(18) Lib. 3 ad Marcion.

Quin etiam, ut docet D. Hieronymus [1], « Sæpius in sacris litteris, præsertim Prophetis, dum aliud agitur, repente ad alios persona mutatur. » His addendus denique Hebraici Græcique textus idiotismus a Latina loquendi forma in multis discrepans; unde versionum instituendarum et percipiendarum difficultas oritur non mediocris.

Plura de nominibus et auctoritate sacrorum Codicum, habes apud Sixtum Senensem, Possevinum, Justinianum [2], et Melch. Canum [3] ex recentioribus præter ante laudatos.

Sequitur nunc ut toto veteris ac novi Testamenti corpore in suas partes diviso, singulos utriusque libros percurramus. Sed advertendum non statim omnes ubique Ecclesias in eumdem Librorum sacrorum numerum consensisse, et quamvis plerique sacrarum Scripturarum libri semper in Ecclesia recepti fuerint, de quibusdam tamen alibi probatis atque inter divina relatis, alibi aliquamdiu fuisse dubitatum. Quin etiam nonnullos, re accuratius perpensa, tandem communi consensu rejectos fuisse. Atque hinc orta est canonicorum ab apocryphis distinctio. Idcirco de utroque genere prius dicendum videtur.

CAPUT III.

DE LIBRIS CANONICIS ET APOCRYPHIS.

I. Canonici libri sunt in canonem, et syllabum sacrorum Codicum communi Ecclesiæ judicio relati. *Authentici* vocantur, vel (ut medio ævo loquebantur) *Auctorabiles*, quia Deo auctore per Prophetas, Apostolos, aliosque sanctitate insignes viros ejus spiritu impulsos conscripti, publicæ in Ecclesia *lectionis auctoritatem* meruerunt, ut eam loquendi formam in re sacra usurpemus, qua usus est Theodosius junior, cum selectorum Jurisconsultorum scriptis jus attribueret, ut in foro ad lites ambiguas decidendas laudari ac legi possent [4]. Et vero αὐθεντία græce idem est ac latine auctoritas.

II. *Apocryphi* generaliter appellantur (quasi absconditos dixeris) qui vel nullius, vel dubiæ saltem auctoritatis, publice non leguntur. Nomen deducitur a verbo græco ἀποκρυπτω, quod significat occulto, abdo, recondo. Ceterum Eusebius [5] ἀποκρυφα distinguit ab adulterinis; quod illa a quibusdam admittantur, spuria ab omnibus repudientur: quamquam ad hæc quoque porrigitur nonnumquam nomen Apocryphorum, veluti ad hæreticorum damnata opera. Sed proprie apocrypha censentur, quæ palam in Ecclesia non leguntur.

III. Horum autem plura genera nonnulli distinguunt. Aliorum et scriptor et veritas ignorantur, veluti *Libri de Infantia Salvatoris:* aliorum non auctor, sed veritas in dubium revocatur, sive ob suspectam auctoris fidem; sive ob falsa veris extrinsecus admixta; *ut in Libris Constitutionum Apostolicarum*, quæ Clementi Romano adscribuntur. Quorumdam et auctor nominatur et veritas habetur minus incerta, adeo ut a nonnullis inter canonicos aliquando numerati fuerint; sed tamen in eorum censum vulgo non sunt admissi. In exemplum adducitur *liber Enoch.* Quarta species eorum librorum, quorum certus scriptor, aut certa auctoritas initio non omnibus liquido perfecta fuit: verum quamvis multi alias dubitaverint, an inter divinos censendi essent, Ecclesia tamen illos in eorum numerum retulit: quales in veteri Testamento *Machabæorum duo* et *Sapientia;* in novo *Apocalypsis:* quos nunc præfracta pertinacia hæretici ex Librorum canonicorum albo expungunt. Revera enim hi nonnisi improprie admodum, immo nullatenus apocryphi dici possunt, sed alias dubii, Græcis Αντιλεγοστοι quibus nempe aliqui contradicebant, ut notat vir eruditus, nobis dum viveret amicus Henricus Valesius [6].

IV. Hinc fit ut canonicorum duæ classes constituantur: alii primi ordinis sunt, de quorum fide et auctoritate nulla unquam controversia extitit, sed ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, communi orthodoxorum suffragio, pro sacris ac divinis recepti fuerunt, ut *Quinque libri Mosis* in veteri, et *Quatuor Evangelia* in novo Testamento, etc.

V. Canonici autem secundi ordinis dicuntur, qui non statim ab omnibus, etiam Catholicis, inter canonicos habiti sunt; sed progressu temporis, melius explorata veritate, inter irrefragabilis auctoritatis

(1) In Nahum cap. II.
(2) Lib. de sacr. Script. part. 1, c. 2.
(3) Lib. 2 de locis Theol.
(4) L. un. eod. Theod. de resp. prud.
(5) Lib. 3 hist. cap. 31.
(6) Ad Eusebii lib. 6 hist. c. 14.

Scripturas, certo Ecclesiæ judicio sunt relati. Ejusmodi sunt inter veteris Fœderis volumina, libri *Esther* et *Judith*, liber *Tobiæ*, liber *Sapientiæ*, itemque *Machabæorum* libri: in voluminibus autem novi fœderis *Epistola* S. Pauli *ad Hebræos*, et quædam aliorum Apostolorum quæ catholicæ vocantur, ac S. Joannis *Apocalypsis;* et præterea pauca singularia quorumdam librorum loca.

Canonicos secundi ordinis libros, nulli priscorum Ecclesiæ Patrum apocryphis annumerarunt, sed dubiis; quod ambigerent an a scriptoribus, quorum nomen præferebant, aut an a divino Spiritu afflatis compositi essent: eos nihilominus cathecumenis legi permittebant, quasi canonicæ lectionis nondum capacibus, quemadmodum Athanasius [1] testatur. Deinde tamen omnibus fidelibus publice in Ecclesia recitari concesserunt, uti scribit Rufinus [2], sed ad docendum magis instruendumque populum quam ad confirmanda fidei dogmata. His porro ex hac publica lectione in Ecclesia inditum *Ecclesiasticorum* nomen.

VI. Cur de illorum auctoritate dubitatum sit tres præsertim generales causæ afferuntur, quarum duæ sola veteris Testamenti volumina respiciunt; tertia utriusque Fœderis codicibus objicitur. Prima est quod libri illi vel librorum particulæ, Hebraico sermone scriptæ non sint, quemadmodum reliquæ veteris Fœderis partes, sed Chaldaico vel Græco. Altera quod ea non sint a Judæis in catalogum divinarum Scripturarum relata. Tertia quod a priscis aliquibus, Græcæ præsertim Ecclesiæ, Patribus in Librorum sacrorum numerum recepti non fuisse videantur; nec in syllabo divinarum Scripturarum a plerisque priscorum Patrum Græcorum recenseantur.

VII. Verum primæ objectioni facile occurritur, si dicamus Libros illos partim tempore Babylonicæ captivitatis compositos fuisse lingua Chaldaica, quæ Judæorum cœperat esse vulgaris: partim Hebraice quidem conscriptos primum fuisse, sed deinde in Græcum sermonem transfusos, ac tractu temporis contigisse, ut Judæis inter Græcas nationes dispersis, autographa in hominum manibus esse desierint, versiones manserint eorum loco. Circa secundum, quamvis a Synagoga, numero litterarum Hebraicarum strictius inhærente, inter canonicos recepti non essent aliqui eorum librorum, quos pro canonicis amplectimur, eosdem tamen nec Judæis improbatos fuisse; et Ecclesiæ sufficere, quod ab Apostolis, aut ab Apostolorum discipulis testimonium habeant divinorum librorum. Judæi certe duo habuere Hagiographorum genera, teste Epiphanio [3], alia intra alia extra Arcam servari solita. Prioris generis Hagiographa canonicis procul dubio accensebantur, dicebanturque eo nomine, ut constitueretur aliquod inter illos libros, interque Historicos et Propheticos discrimen, clarioris scripturarum distinctionis causa: deque his agit sanctus Hieronymus in prologo Galeato. At vero, qui extra Arcam erant, de quibus idem Hieronymus loquitur in Tobiæ ac Judith præfatione, etsi a canonicis aliquatenus distinguerentur, magno tamen apud Judæos in pretio erant, ut qui servarentur, ut sic pro libris sacris omnino haberentur; quod et ipsum Hagiographorum Græcum nomen demonstrat. Ad tertium, quod nonnulli vetustiorum Patrum græcorum vetus Testamentum ex sola septuaginta interpretum editione æstimantium, de quorumdam voluminum auctoritate dubitarunt, dicendum est id veritati nihil detrahere. Etenim nec unquam tota Ecclesia eos revocavit in dubium, ut e numero canonicorum eraderet; prout suo loco fusius prosequemur, ubi dicendum erit de singulis utriusque Testamenti Libris, de quibus nunc inter Catholicos et Sectarios controversia est. Tandem quinto seculo eo decursum est, ut omnes et Patres, et Synodi, opera quæ hodie canonica in Ecclesia catholica habentur, cuncta probaverint, atque in sanctarum Scripturarum canonem ea omnia retulerint. Eorum sane numerus certo definitus est a totius Africanæ Diœceseos Antistibus, inque his a divo Augustino, in plenaria Synodo, quæ anno Christi 397 habita est [4]. Simili ratione paullo post Innocentius I summus Pontifex Librorum sacrorum numerum contexuit [5], circa annum scilicet 405. Nec aliter recensuit Gelasius Pontifex cum LXX. Episcopis in Synodo Romana anni 494. Eumdem quoque Catalogum deinde repetierunt, atque auctoritate sua firmarunt Concilia

(1) In Synopsi. (2) In Symbolo.
(3) Lib. de ponderib. et mensur.
(4) Conc. Carthag. III, can. 45.
(5) Epist. 3 ad Exuperium Tolosanum.

universalia duo Florentinum in Armenorum instructione, ac Tridentinum, sess. 4. Quibus sic constanter ante secula tredecim definitis, et ubique in Ecclesia receptis repugnare nonnisi hæreticorum est, Ecclesiæ traditam a Christo potestatem per contumaciam negantium; cum Catholici post Augustinum ne ullis quidem scripturis fidem habituri sint, nisi Ecclesiæ accederet auctoritas.

VIII. Sed hæc de canonicis secundi ordinis voluminibus accipienda sunt. Nam quidam sunt Libri, quos tertii ordinis vocant, qui sane eodem numero haberi non debent. Eo quippe nomine comprehenduntur apocryphi non improbati. Eos autem præter Gelasium memorant Athanasius [1], Eusebius [2], Innocentius Pontifex supra laudatus, sed ex his pauca nunc extant, *Oratio Manassæ Regis*, *Libri Esdræ Tertius et Quartus*, *Tertius* quoque et *Quartus Machabæorum*, *Psalmus 151*, *Appendix libri Job*, et Liber Hermæ, qui *Pastor* dicitur.

(1) In Synopsi.
(2) Lib. 3 hist., c. 25.

Ex his constat primis seculis diverso canone usas fuisse Ecclesias, et Scripturas sacras vel quæ pro sacris habitæ sunt, varie in classes fuisse divisas. Harum divisionum duæ præcipuæ fuere: 1. In duas tantum classes, in *Canonicas* nempe a Spiritu sancto dictatas, et *Apocryphas* quarum auctores soli homines. 2. In tres, nimirum in *Canonicas* quas γνησιας et ὁμολογουμένας Græci vocant, et ab omnibus receptas; in *Apocryphas* proprie dictas, quæ adulterinæ ac repudiandæ sunt, et in *Dubias*, quæ mediæ sunt inter genuinas, et nothas; cujusque generis plures sunt gradus, de quibus D. Augustinus [3], et Isidorus. Vide imprimis Joannem Bapt. Cotelerium [4].

Hæc ut clarius elucescant, operæ pretium facturus mihi videor, si collatis veterum aliquot Græcorum et Latinorum Catalogis Canonicorum librorum a dubiis aut apocryphis distinguendorum progressum ob oculos ponam.

(3) De Doctr. christ.
(4) In notis ad Barnabam.

SYLLABUS LIBRORUM CANONICORUM VETERIS TESTAMENTI

Secundum veteres Graecos

Ex Concilio Laodiceno, an. 314, can. 59, alias 60.	*S. Athanasius in Synopsi anno 395.*	*Ex Canone Apost. LXXXV.*
	LIBRI CANONICI	LIBRI MOSIS, QUINQUE
1. Genesis	1. Genesis	1. Genesis
2. Exodus	2. Exodus	2. Exodus
3. Leviticus	3. Leviticus	3. Leviticus
4. Numeri	4. Numeri	4. Numeri
5. Deuteronom.	5. Deuteronom.	5. Deuteronom.
6. Jesu Nave	6. Jesu Nave	6. Jesu filii Nave unus
7. Judices	7. Judices	7. Judicum
8. Ruth	8. Ruth	8. Ruth
9. Esther	25. Esther	17. Esther
10. Regnor. Primus et Secundus	9. Regum Primus et Secundus	9. Regnor. quatuor
11. Tertius et Quartus	10. Reg. Tertius et Quartus	10.
		11.
		12.
12. Paralipomenon Primus et Secundus	11. Paralipomenon Primus et Secundus	13. Paralipomenon duo
13. Esdræ Primus et Secundus	12. Esdras prior et posterior	14.
		15. Esdræ duo
		16.
	LIBRI CANONICI	LIBRI CANONICI
14. Liber Psalmum. 150	13. Psalter. Davidicum habens Psalm. num. 151	22. Psalterii unus
15. Parœmiæ Salomonis	14. Parœmiæ Salomonis	23. Salom. tres Proverbia
16. Ecclesiastes	15. Ecclesiastes, ejusdem	24. Ecclesiastes
17. Cant. Canticorum	16. Cant. Cantic. ejusdem	25. Cant. Canticorum.
18. Job	17. Job	21. Job
19. Duodec. Prophetæ	18. Duodec. Prophetæ Oseæ Amos Michæas Joel Abdias Jonas Nahum Ambacum Sophonias Aggæus Zacharias Malachias	26. Prophetarum duodecim
20. Isaias	19. Isaias	27. Isaiæ unus
21. Jeremias et Baruch Lamentationes et Epistolæ	20. Jeremias et Baruch	28. Jerem. unus
22. Jezechiel	21. Ezechiel	29. Jezechielis unus
23. Daniel	22. Daniel	30. Daniel. unus
		18. Machab. tres
		19.
		20.
	LIBRI NON CANONICI (*id est tunc adhuc dubii apud Ægyptios*)	
	23. Sapientia Salomonis	20.
	24. Sapientia Jesu filii Sirach	21.
	26. Judith	28. Judith
	27. Tobis seu Tobias	27. Tobias

Secundum Latinos

Ex Concilio Carthaginensi III, an. 397, can. 47.	*Ex Innocentio I, Decreto 27, anno 405.*	*Ex Concilio Tridentino, Sess. 4, anno 1546.*
1. Genesis	1. Genesis	1. Genesis
2. Exodus	2. Exodus	2. Exodus
3. Leviticus	3. Leviticus	3. Leviticus
4. Numeri	4. Numeri	4. Numeri
5. Deuteronom.	5. Deuteronom.	5. Deuteronom.
6. Jesu Nave	6. Jesu Nave	6. Josue
7. Judicum	7. Judicum	7. Judicum
8. Ruth		8. Ruth
29. Esther	21. Esther unus	19. Esther
9. Regum libri quatuor	8. Regnor. libri quatuor	9. Regum quatuor
10.	9.	10.
11.	10.	11.
12.	11.	12.
13. Paralipomenon libri duo	27. Paralipomenon duo	13. Paralipomenon duo
14.	28.	14.
30. Esdræ lib. duo	25. Esdræ duo	15. Esdr. Primus
31.	26.	16. Et Secundus
16. Psalter. Davidicum	18. Psalterium	21. Psalter. Davidicum 150 Psalmorum
17. Salomonis libri quinque	23. Salom. libri quinque	22. Proverbia
18.	14.	23. Ecclesiastes
19.	15.	
		24. Cant. Canticorum
15. Job	19. Job lib. unus	20. Job
22. Lib. duodec Prophetar.	12. Prophetarum lib. sexdecim	31. Duodec. Prophetæ min. 1. Osea 3. Amos 6. Michæas 2. Joel 4. Abdias 5. Jonas 7. Nahum 8. Abacuc 9. Sophonias 10. Aggæus 11. Zacharias 12. Malachias
23. Isaias	13.	27. Isaias
24.	14.	28. Jeremias cum Baruch
25. Ezechiel	15.	29. Ezechiel
26. Daniel	16.	30. Daniel
32. Machabæor. libri duo		32. Machabæor. duo Primus.
33.		33. Et Secundus
20.	16. Sapientia	
21.	17. Ecclesiastic.	
22. Judith unus	18. Judith	
20. Tobiæ unus	17. Tobias	

SYLLABUS LIBRORUM CANONICORUM NOVI TESTAMENTI

Secundum veteres Græcos

Ex Concilio Laodicæno, an. 314, can. 59 alias 60.	*Ex S. Athanasio in Synopsi anno 375.*	*Ex Canone Apost. LXXXV.*
	LIBRI CANONICI	
1. Evang. quatuor, secundum Matth.	1. Secundum Matthæum	1. Evang. quatuor, Matth.
2. Secundum Marcum	2. Secundum Marcum	2. Marci
3. Secundum Lucam	3. Secundum Lucam	3. Lucæ
4. Secundum Joannem	4. Secundum Joannem	4. Joannis
5. Actus Apostolorum	5. Acta Apostolorum	
6. Catholicæ Epistolæ septem: Jacobi una	6. Catholicæ Epistolæ Apostolor.: Jacobi una	24. Jacobi una
7. Petri duæ	7. Petri duæ prior et posterior	29. Petri Epist. duæ
8.	8.	26.
9. Joannis tres	9. Joannis tres	21. Joannis tres
10.	10.	22.
11.	11.	28.
		25.
12. Judæ una	12. Judæ una	9. Judæ una
	LIBRI CANONICI	
13. Epist. Pauli XIV, ad Romanos una	13. Pauli Apost. epist. XIV, ad Rom. una	5. Pauli Epist. quatuordec.
14. Ad Corinth. duæ	14. Ad Corinth. duæ prior et	6.
15.	15. posterior	7.
	16.	
16. Ad Gal. una	17. Ad Galatas	8.
17. Ad Eph. una	18. Ad Ephesios	9.
18. Ad Philippenses una	19. Ad Philippenses	10.
19. Ad Colossenses una	20. Ad Colossenses	11.
20. Ad Thessal. duæ	21. Prior ad Thessalonicenses	12.
21.	22. Ad Thessalonicenses secunda	13.
22. Ad Hebræos una	23. Ad Hebræos	14.
23. Ad Timoth. duæ	24. Ad Timoth. prior	15.
24.	25. Ad Timoth. posterior	16.
25. Ad Tit. una	26. Ad Titum	17.
26. Ad Philemonem una	27. Ad Philemonem	18.
	Inter Libros Canonicos a quibusdam accepta.	
	28. Apocalypsis Joan. Theologi	
		10. Clementis Epist. duæ

Secundum Latinos

Ex Concilio Carthaginensi III, an. 397, can. 47.	*Ex Innocentio I, Decreto 27, anno 405.*	*Ex Concilio Tridentino, Sess. 4, anno 1546.*
1. Evangel. libri quatuor	1. Evangel. libri quatuor	1. Quatuor Evang. secundum Matth.
2.	2.	2. Secundum Marcum
3.	3.	3. Secundum Lucam
4.	4.	4. Secundum Joannem
5. Actuum Apost. lib. unus	10. Actus Apostolorum	5. Actus Apostolorum
26. Jacobi una	25. Epist. Jacobi	25. Jacobi Apostoli una
28. Petri Epist. duæ	22. Epist. Petri duæ	20. Petri Apost. duæ
21.	23.	21.
22. Joannis Apostoli tres	19. Epist. Joannis tres	22. Joan. Apost. tres
23.	20.	23.
24.	21.	24.
25. Judæ Apost. una	4. Epist. Judæ	26. Judæ Apost. una
5. Pauli Epist. tredecim	5. Apost. Pauli Epist. XIV	6. Quatuordec. Epist. Pauli Apostoli, ad Romanos
7.	6.	
8.	7.	7. Ad Corinth. duæ
9.	8.	8.
10.	9.	9. Ad Galatas
11.	10.	10. Ad Ephesios
12.	11.	11. Ad Philippenses
13.	12.	12. Ad Colossenses
14.	13.	13. Ad Thessalonicenses
		14.
19. Ejusdem ad Hebr. una	14.	19. Ad Hebræos
15.	15.	15. Ad Timoth. duæ
16.	16.	16.
17.	17.	17. Ad Titum
18.	18.	18. Ad Philemonem
12. Apocalypsis Joannis lib. unus	12. Apocalypsis Joannis	27. Apocalypsis Joan. Apost.

CAPUT IV.

DE PARTIBUS SACRÆ SCRIPTURÆ, AC LIBRIS EJUS IN CLASSES DIVISIS.

I. *Scriptura sacra,* ut cunctis est notum, in duas primum partes distinguitur, *Vetus ac Novum Testamentum.* Priore ii continentur libri qui ad Mosaicam Legem et Synagogam spectant: Posteriore, qui ad Legem Christi Domini seu Evangelium, atque ad Ecclesiam pertinent. *Legis* porro nomine, licet proprie quinque Libri Mosis intelligantur, ea tamen appellatio ad universos porrigitur veteris Testamenti libros. Sic etiam *Evangelii* nomen, quod stricte de quatuor Evangelistarum libris dicitur, latiori tamen significatione totum complectitur novi Testamenti corpus: uti ex Gratiano [1] colligi potest.

II. Veteris Testamenti maxime recepta apud Hebræos divisio est in libros duos et viginti juxta numerum litterarum hebraici alphabeti: nimirum 1. Genesim; 2. Exodum; 3. Leviticum; 4. Numeros; 5. Deuteronomium; 6. Josue; 7. Judicum et Ruth; 8. Samuel (idest apud nos Regum primum et secundum); 9. Regum (quo nomine eos Regum Libros intelligunt qui nobis sunt tertius et quartus); 10. Isaiam; 11. Jeremiam; 12. Ezechielem; 13. Duodecim Prophetas minores; 14. Librum Psalmorum; 15. Proverbia; 16. Job; 17. Danielem; 18. Esdram; 19. Paralipomena; 20. Esther; 21 Ecclesiasten; 22. Canticum Canticorum. Aliquando in XXIV dividunt; Libro Ruth a libro Judicum, et Lamentationibus seu Threnis ab Jeremiæ prophetia sejunctis. Alias XXVII volumina numerant; non adjectis, sed adhuc separatis libris quatuor; Samuelis volumine in duo; Regum item posteriorum historia in duas partes divisa; Paralipomenon quoque opere in duos libros distributo; Esdræ denique distinctis duobus libris sub diversis titulis Esdræ et Nehemiæ.

III. D. Hieronymus [2], cum Josepho [3], et post utrumque Isidorus Hispalensis [4] primam illam agnoscunt veteris Testamenti ex Hebræorum mente divisionem in duos et viginti libros canonicos. Hos autem libros viginti duos D. Hieronym. [5] in tres dividit classes, in Legem nempe, libros Propheticos et Hagiographa. *Legis* nomine comprehendit quinque Mosis libros. *Propheticos* numerat octo, Josue, Judicum (adjuncto libro Ruth), Samuel, Regum; tres majores Prophetas, Isaiam Jeremiam, Ezechielem, ac Librum duodecim Prophetarum minorum, qui in unum volumen conferuntur. *Hagiographa,* sive sancta scripta, reconset novem, Job, Psalterium, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Danielem (qui non totus extat Hebraice), Paralipomenon seu Chronicorum, Esdram cum Nehemia, et Esther. Notat idem sanctus Doctor, aliquos fuisse, qui librum Ruth et librum Lamentationum a reliquis distinctos inter Hagiographa reponerent; ex quorum calculo efficiuntur XXIV libri apud Hebræos pro canonicis probati: unde fit ut illis Scriptura sacra dicatur *Hesrim Vearbaa* seu *viginti quatuor.* Ceterum *Tobiam* et *Judith,* quamvis hebraice extare asseveret B. Hieronymus, a Judæis nihilominus inter canonicos non numerari fatetur. Observat præterea, quemadmodum quinque sunt duplices apud Hebræos litteræ, quæ scilicet aliter in principio ac medio, dictionis, aliter in fine scribuntur; ito horum librorum quinque duplices essa eorum sententia, qui cum alphabeti Hebraici litteris sacrorum librorum numerum æquant, nimirum, Regum, Paralipomenon, Esdræ et Jeremiæ; sunt autem apud Hebræos litteræ duplices hæ:

Caph
Mem
Nun
Pe
Tsade

Eo exemplo Arabibus quoque litteræ quædam aliter in principio dictionum, aliter in medio, aliter in fine delineantur.

IV. Quod autem Propheticis libris, ut et Hagiographis historicorum nonnullos accenset Hieronymus: id mirum nemini videri debet, cum sacra omnia volumina divino impulsu conscripta Prophetas auctores habuisse dici possint. Hinc familiaris fuit apud Judæos veteris Testamenti divisio in *Legem et Prophetas,* Christo quoque ipsi usurpata: ita ut ad hæc duo summa capita cunctæ ipsius partes referri

(1) In Sum. dist. 1.
(2) Præfat. in lib. Reg.
(3) Contra Appion.
(4) Lib. 6 Etymol.
(5) In Prol. Galea et alibi.

solerent. Sic apud Matthæum: *Hæc est enim Lex et Prophetæ*[1]. *Ex his duobus universa Lex pendet et Prophetæ*[2]. Item apud Lucam[3]: *Lex et Prophetæ, usque ad Joannem.*

V. Recentiores Judæi suum *Hesrim vearbaa*, seu viginti quatuor libros Testamenti veteris, in quatuor partiuntur ordines, in *Thorab* sive *chamischa chomische. Thorab*, idest *quinque quinterniones*, idest quinque partes *Legis*, in Prophetas priores quatuor *Nevîim Risconim*, Josue nempe Judicum, Samuel, Regum, Prophetas posteriores *Nevîim Acharonim*, quatuor libris distinctos, nempe Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, et duodecim Prophetas minores, qui ipsis *There asser* idest duodecim: deinde Scripturas undecim libris comprehensas sub generali appellatione *chethuvim*; Psalterium, Proverbia, Job, Danielem, Esdram, Paralipomena, Ruth, Esther, Ecclesiasten, Cantica Canticorum, Lamentationes.

VI. Gregorius Theologus, cui a paterno *Nazianzi* Episcopatu cognomen, librorum canonicorum ordines tres constituit, quorum nomina versibus Græcis inclusit. Primus ordo complectitur *Historicos* duodecim, Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, Regum (duabus partibus distinctum), Paralipomena et Esdram. Secundus ordo quinque *Poeticos* seu carmine conscriptos continet Job, David, Proverbia, Ecclesiasten et Cantica. Tertius demum ordo totidem habet *Propheticos*, librum scilicet XII Prophetarum, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem ac Danielem.

VII. S. Augustinus[4] dividit in *Historicos* XXII et *Propheticos* totidem. Prioris generis sunt quinque *Libri Mosis, Josue, Judicum, Ruth, Regum* quatuor, *Paralipomenon* duo, *Job, Tobias, Esther, Judith, Esdræ* duo, *Machabæorum* duo; *Prophetici* autem *David, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias* cum Threnis, *Ezechiel, Daniel, Oseas*, et reliqui duodecim.

VIII. Sed veteris Testamenti Canon, seu librorum ab Ecclesia catholica receptorum ordo a recentioribus Latinis Scholasticis præsertim, in classes distinguitur quatuor. *Prima* continet libros *Legis* sive *legales*; altera *Historicos* seu *historiales: Propheticos* tertia; quarta denique *Paræneticos* vel *Sapientiales* sive *Morales.*

LEGALES sive *Lex* proprie dicta, et volumen Legis, Hebraice, ut diximus *Thorab*, Græce Πεντατευχος vocatur quasi dicas *quinque libros*, quoniam quinque libris constat, quibus lex Mosis universa continetur, *Genesi, Exodo, Levitico, libro Numerorum, Deuteronomio.*

HISTORICI numero sunt septemdecim, sub undecim titulis, videlicet liber *Josue*, seu *Jesu Nave, Judicum, Ruth, Regum* quatuor, quorum duo priores *Samuelis*, quoque appellantur; *Paralipomenon* duo, primus et secundus; *Esdræ* quoque duo, quorum secundus dicitur etiam, *Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job*, et duo *Machabæorum.*

PROPHETICI octodecim erunt, si Baruch a Jeremia sejungatur (cum quo ab aliquibus conjungitur). Hi sunt *Psalterium* Davidis, Prophetiæ *Isaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, Danielis*; qui quatuor Prophetæ *Majores* apud nos vocantur; deinde *Oseas*, et reliqui undecim, qui *Minores* Prophetæ dicuntur, et Baruch.

SAPIENTIALES qui ad morum doctrinam referuntur, non nisi quinque sunt, *Proverbia* nempe, seu *Parabolæ* Salomonis, *Ecclesiastes* ejusdem, *Canticum Canticorum*, etiam ejusdem, tum *Sapientia*, et *Ecclesiasticus.*

IX. NOVI autem TESTAMENTI libros sanctus Augustinus enumerat octo, *Evangeliorum Matthæi, Marci, Lucæ*, et *Joannis*, libros quatuor, *Epistolarum* quatuordecim *Pauli* librum unum; *Apostolicorum actuum* librum unum; *Catholicarum Epistolarum*, hoc est duarum *Petri*, trium *Joannis, Jacobi* unius, et *Judæ* unius librum unum, *Apocalypseos Joannis* Evangelistæ librum unum.

X. Eosdem quoque versibus incluserat, post Amphilochium Gregorius Nazianzenus, præter Apocalypsin, quam plerique Græcorum adhuc in dubium revocabant, quemadmodum Latinorum plerique Epistolam ad Hebræos.

XI. Apud recentiores recepta est novi æque ac veteris Fœderis divisio in sacrorum Librorum ordines quatuor; LEGALES libri, quatuor censentur Evangelia: *Historicus* unus, Acta scilicet Apostolorum: *Sapientiales* viginti et unus, omnes nempe Apostolorum Epistolæ: *Propheticus*

(1) Cap. VII et XI. (2) Cap. XX. (3) Cap. XVI. (4) Lib. 2 de Doctrina Christiana.

unus, videlicet Joannis Apostoli Apocalypsis.

XII. Libris sex et viginti veteris ac totidem novi Testamenti, quos Laodicenæ Synodi Patres, et alii plerique antiquorum Græcorum inter canonicos admittebant, alios septem adjiciunt ex mente Ecclesiæ Latinæ jam ante laudati Præsules Concilii Carthaginensis III, anno 397 habiti [1], et Innocentius I [2] sub finem Epistolæ ad Exuperium Tolosanum Episcopum, quos sequitur Augustinus [3] et Gelasius Pontifex in Concilio Romano LXX Episcoporum. Hi sunt, quod attinet ad TESTAMENTUM VETUS, libri sub Salomonis nomine duo, *Sapientia* et *Ecclesiasticus*: ac præterea *Tobias*, *Judith*, et *duo Machabæorum*; quod ad NOVUM TESTAMENTUM spectat, *Apocalypsis* Joannis: inde consurgunt veteris Testamenti volumina tria et triginta; *Novi* autem Fœderis libri septem supra viginti: et sic fiunt omnino libri catholici utriusque Scripturæ sexaginta qui enumerantur in Concilio Tridentino [4].

CAPUT V.

DE TEXTU HEBRAICO VETERIS TESTAMENTI.

I. Quoniam Scriptura sacra variis linguis composita est, atque edita, quarum maxima nobiles sunt, Hebraica, Græca et Latina, et Textus a versionibus et ipsæ inter se versiones distinguendæ sunt.

Hebraicum veteris Testamenti genuinum Textum integrum incorruptumque ad nos pervenisse non convenit inter omnes et qui de illius fide dubitant, in diversa abeunt sententias. Alii omnino corruptum esse contendunt, et in universum depravatum, quæ sententia est Jacobi de Valentia Christopolitani Episcopi [5], Melchioris Cani Episcopi Canariensis [6] et Leonis [7]. Sed huic sententiæ Catholici plerique omnes adversantur, in quibus Pius II Papa, Joannes Driedo Novariensis Doctor [8], Sixtus Senensis Dominicanus [9], Robertus Bellarminus [10]. Et revera Mahometanos aut Anabaptistas, qui post Manichæos hanc opinionem sectatoribus suis insinuarunt, ea sententia magis, quam Catholicos decet.

II. Alii Textum hebraicum, licet non omnino corruptum, a Judæis tamen censent esse depravatum, odio Christianæ Religionis: quo scilicet ejus mysteriis tenebras offunderent. Ita Alphonsus Salmeron Societatis Jesu Presbyter [11], Jacobus Gordonus ejusdem Societatis [12] aliique nonnulli ex recentioribus Theologis, inter quos Joannes etiam Morinus Blesensis, Oratorii Presbyter [13] eique adstipulati deinde Guido Michael le Jay [14] et Abrahamus Ecchellensis [15]. Sed Morino quidem contradixit Simeon de Muis, Linguæ sanctæ Professor regius [16]. Jaji vero et Abrahami Ecchellensis scriptis refellendis egregie operam dedit cl. vir collega quondam noster, Valerianus de Flavigny Doctor ac socius Sorbonicus regiorum Professorum Decanus [17], repugnante acriter Cappellano ex eadem Sorbona.

III. Alii deinde sunt, qui velint Textum Hebræum, non data quidem opera, sed temporum injuria et Rabbinorum atque amanuensium imperitia aut oscitantia, vitii quid contraxisse, maxime in apponendis punctis, quæ vocalium loco sunt apud Hebræos et in iis litteris, quæ aliquam inter se figuræ similitudinem, aut etiam soni cognationem habent, exscribendis; unde fit ut nullibi facilius quam in lingua Hebraica errores accidere possint. Etenim unius sive litteræ, sive puncti mutatione, quantumvis levissima, in diversissimos sensus eædem voces detorquentur. Exemplo sit illud Psalmi XXII, quod in vulgata versione sic legitur: *foderunt manus meas et pedes meos*, cujus si primum vocabulum Hebraice, ut debuit, scribatur *caro*, efficit *foderunt*; si ut hodie est in Hebræo, efformetur *cari erit*, *sicut leo*. Puncta autem vocalia initio nulla erant: sed quinto demum post Christum seculo, paullo post S. Hieronymi tempora, a Masoretis seu Judæis Doctoribus Tiberiade (quæ est urbs Palæsti-

(1) Can. 47.
(2) Decret. c. 27.
(3) Lib. de Doctrina christiana.
(4) Sess. 4.
(5) Præfatione in Psalmos.
(6) Lib. 2 de locis Theol., c. 13.
(7) In Apologetico.
(8) De Dogmatibus Ecclesiasticis lib. 2.
(9) Lib. 8 Bibliothecæ hæres. 2.
(10) Lib. 2 de verbo Dei, c. 2, t. 1 controvers.
(11) In Ev. hist. prol. 3.
(12) Controv. 1, c. 10.
(13) Præfat. in edit. LXX Interpretum et passim in suis exercit. Ecclesiast et Biblicis.
(14) In Præf. ad magna Biblia Parisiensis.
(15) In suis epist. apol.
(16) In suis assertionibus et cens.
(17) In suis adversus eos epist.

næ inventa esse notum est; idque ut constaret deinceps, de cujusque vocabuli lectione, quæ antea, deficientibus vocalibus, incerta videri poterat, præsertim linguæ sanctæ minus peritis. Hæc itaque sententia de Textu Hebraico nonnullis in locis ex ignorantia scribentium corrupto maxime recepta est; eamque post Hebræorum Doctorum primores tuentur ex recentioribus Driedo et Bellarminus [1], Amandus etiam Polanus [2], et Petrus Cevallerius [3]. Immo eo quoque revertitur ipse Morinus: qui tamen inde Textui Hebraico auctoritatem abrogat contra eorum opinionem, cum quibus sentit. Totum autem hoc argumentum pertractat Lud. Capellus Salmuriensis Professor heterodoxus integro volumine, cui titulus *Critica sacra*; contra quem scripsit Joannes Buxtorfius etiam heterodoxus Professor Basiliensis, et Flavignius ante memoratus [4]. Videndus Buxtorfii patris *Thesaurus Grammaticus*, et *Tiberias*, ac Buxtorfii filii tractatus varii eam in rem editi. Hi textum Hebraicum ad nos purum et integrum pervenisse contendunt post Irenæum [5], Origenem [6], Chrysostomum [7], Tertullianum [8], Hilarium [9], Hieronymum [10], Cajetanum Cardinalem, Augustinum Steuchum, Sanctem Pagninum et Benedictum Ariam Montanum [11].

IV. Si nostrarum esset partium judicium hic nostrum interponere, mediam viam tutissimam existimaremus; facileque in eorum iremus sententiam, qui Hebraicos libros maxima saltem ex parte incorruptos uti a Moyse, et antiquis olim Prophetis conscripti fuere, adhuc etiam extare putant; ac licet tempore captivitatis Babylonicæ, vastata civitate Temploque (ubi sacra volumina asservabantur) incenso absumptoque, publica hæc monumenta periisse dicantur, quæ vero apud privatos erant magna ex parte credantur abolita fuisse, ad Esdra tamen ea fuisse restaurata, non ita ut, Spiritu sancto iterum afflante, Esdras quinque viris per quadraginta dies scribentibus dictaret, ut refertur *lib. 4, cap. 14 Esdræ* (qui liber inter apocryphos censetur), sed ut, quemadmodum innuitur *cap. 8, lib. 2 ejusdem Esdræ* (qui inter canonicos est receptus) magna cura is ea scripta conquisiverit, et in ordinem redacta forte et collatis Codicibus propriaque industria, præeunte tamen Spiritu sancto, emendata cum populo communicaverint; ab illius deinde seculo ad nostra usque tempora, potuerint quidem menda aliqua in libros sacros irrepere, et revera irrepserint, librariorum præsertim errore, aut incuria: at illa a Masoretis non vulgari sagacitate animadversa, correctaque; aut siquid eorum supersit, non ita magni momenti credendum, ut ex eo detrahi sua sacro Textui auctoritas debeat. Quamvis igitur non eo declinem, ut cum iis sentiam, qui Hebraico textui plus æquo tribuentes, omnia ad ejus fidem, examinanda contendunt: in universum tamen illud Hieronymi amplectendum puto, quod B. Augustino perperam adscribitur [12] *ut veterum librorum fides* (hoc est veteris Testamenti) *de hebræis voluminibus examinanda sit.*

V. Chaldaica lingua sacrorum Codicum nonnulli scripti sunt, libri nempe Tobiæ ac Judith, et ex parte libri Esdræ, ac Danielis, ut docet S. Hieronymus [13].

Syriaca lingua, quæ ex Hebræorum Babylone in captivitate degentium cum Chaldæis permixtione orta putatur, nullus extat ab auctore suo scriptus veteris Testamenti liber; nisi forte tertius Machabæorum, et Ecclesiasticus, quorum utrumque se vidisse testatur B. Hieronymus [14]. Hebraica autem lingua vulgaris, diversa a veteri sic proprie dicta eadem est cum Syriaca. Inter novi Testamenti libros Evangelium S. Matthæi, et Epistola D. Pauli ad Hebræos Syriace scriptam esse, efficacissimis argumentis probari videtur.

VI. Textus Samaritanus duplex a Jo. Morino nuper editus, et magnorum Bibliorum Parisiensium editioni fuit insertus. Primus est Hebræo Samaritano, hoc est Hebræo quidem sermone, sed Samaritanis characteribus: et hunc purum Mosis Pentateuchon censet esse idem Morinus in suis *exercitationibus*; quem refellunt ex sancto Hieronymo præsertim

(1) Tom. 1 controv. l. 2, c. 1, 2, 3.
(2) In Syntagm. (3) In Grammat.
(4) In brevi et amica disquisit. ad Mart. Grandinum et in exercit. Theol.
(5) Lib. 3, c. 25. (6) Lib. 8 in Isa.
(7) Hom. 8 in ep. ad Hebræos.
(8) De habitu mulierum. (9) Præfat. in Psalm.
(10) In Prolog. Galeato.
(11) In Apparatu Biblico.
(12) In can. 5, dist. 9.
(13) In prolog. Tobiæ aliorum. suprad. libr.
(14) In prolog. Galeato et in prolog. Proverb.

Muisius [1] atque ex professo Valerianus Flavignius, de quo jam diximus [2].

Idque his præsertim argumentis, quod passim interpolatus sit ex editione Hebraica, vulgata versione Latina; et septuaginta seniorum Græca interpretatione; multis etiam additis ab homine imperito non minus quam audace, uti planum facit Ottingerus professor Basiliensis [3]. Secunda Samaritana editio versio quædam, seu potius Paraphrasis est Samaritano sermone et charactere; sed quam suo textu longe impuriorem esse, adeoque nullam fidem atque auctoritatem mereri, probare nititur idem Ottingerus.

VII. Quod ad characteres attinet; Samaritanis usos initio Hebræos fuisse ex eo apparet, quod Hieronymus [4] asserit, Esdram novas litteras Hebraicas invenisse, et Judæis tradidisse, antiquas reliquisse Samaritanis; novas autem eas esse quibus etiam nunc utimur, inde probari videtur, quod (ut idem Hieronymus [5] tradit) antiqui Hebræorum alphabeti postrema littera, Thau nimirum, similis erat T Græcorum et figuram crucis referebat, quoniam scilicet finis legis Christus est crucifixus. Nunc vero postrema Hebraici alphabeti littera ת eam crucis figuram non ita retinet. Sed hanc Hieronymi conjecturam non admittunt qui sciunt ex inspectione characterum Samaritanorum, nobis nuper a Morino in magnis Bibliis Parisiensibus exhibitorum, litteram Thau Samaritanam nullam habere cum littera T Græcorum similitudinem. Videndus tamen Waltonus de Numismatibus Hebraicis [6].

CAPUT VI.

DE GRÆCIS TRANSLATIONIBUS IN GENERE.

I. Græcæ Bibliorum editiones decem omnino circumferuntur, quas fere recensent Eusebius [7], Athanasius [8], Epiphanius [9] et quarum cum eodem Epiphanio [10] meminerunt etiam B. Augustinus [11] et Hieronymus [12].

Prima omnium numeratur septuaginta interpretum Translatio.

Secunda Aquilæ Pontici ex christiano Judæi, anno Hadriani imperatoris 12, Christi 124 conscripta.

Tertia Theodotionis, ex Catholico, ac deinde Marcionista hæretico proselyti Judæorum, sub Commodo circa annum Christi 180.

Quarta Symmachi, ex Samaritano aut hæretico Ebionita, in Judaismum regressi, sub Severo circa annum 208.

Quinta, quæ a nonnullis *Vulgata* dicta est inter Græcas, anonymi auctoris fuit, Jerichunte non procul Jerosolymis in doliis quibusdam inventa anno VII Antonini Caracallæ, Christi 117.

Sexta anonymi quoque, et dolio inclusa apud Nicopolim juxta Actium promontorium in Epiro, sub Alexandro Mamææ, circa Christi annum 230 reperta.

Septima Origenis, qui circa annum 245 interpretationem septuaginta seniorum emendavit: ita ut multa ex Theodotione forte et aliis ex versionibus addiderit, alia resecaverit: et ea quidem quæ suppleverat, asterisco, sive signo stellæ radiantis indicavit; superflua vero obelo, idest veru transfixit, quam editionem communem appellari solitam scribit hic Hieronymus [13].

Octava editio est S. Luciani Antiocheni Presbyteri et martyris, tempore Diocletiani, circa annum 300 conscripta, et in pariete sub Constantino deinde inventa, quæ emendatio quoque fuit editionis Septuaginta interpretum.

Nona Hesychii qui eamdem septuaginta seniorum versionem adhuc correxit, atque Ægypti Ecclesiis tradidit. De posterioribus his tribus editionibus sic Hieronymus loquitur [14]: « Alexandria et Ægyptus in septuaginta suis Hesychium laudat auctorem: Constantinopolis usque Antiochiam Luciani martyris exemplaria laudat: mediæ inter has provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgarunt. »

(1) In suis assert. et cens.
(2) In suis Epistolis et exercit. Theolog.
(3) In suis exercit. Antimorinianis Basileæ nuper editis.
(4) In prolog.
(5) In Ezech.
(6) Et Cl. P. Soucietus in Gallica pererudita dissertatione de *Nummis Hebraicis, primisque Hebræorum litteris.* Confer etiam Froelichii Prolegomena in *Annales Syriæ*, parte 5, cap. 1.
(7) Lib. 6 Hist. (8) In Synopsi.
(9) Lib. de mensur. et ponder.
(10) Hæresi 63. (11) Lib. 18 de Civit. Dei.
(12) Præfat. in Job et Isaiam atque alibi.
(13) Præf. in Isaiam.
(14) In Præf. in lib. Paralip.

Decima et postrema S. Hieronymi, nisi potius Sophronii fuit; nam B. Hieronymus, ut ipse auctor est [1], novum quidem Testamentum *Græcæ fidei* reddidit. Vetus autem ex Hebræo in Latinum transtulit, quod Græco idiomati statim reddidit Sophronius [2]. De hoc opere vide Augustinum [3].

II. Ex prioribus sex editionibus, illas, quæ dicebantur Tetrapla, Hexapla et Octapla Origenes concinnavit. Nam primo quidem singulas paginas divisit in quatuor columnas, quarum singulæ singulas continebant Græcas versiones, quatuor scilicet priores, sibi invicem respondentes. Deinde paginas suas distinxit in columnas sex; atque in prima columna descripsit Hebraicum textum characteribus Hebraicis; in 2ª eumdem Hebraicum textum Græcis litteris exaravit; in 3ª adjunxit Aquilæ interpretationem, in 4ª translationem Symmachi, in 5ª septuaginta seniorum, in 6ª Theodotionis. Atque hæc volumina propter sex columnas Hexapla dicebantur [4], ut priora a quatuor columnis Tetrapla. His deinde duas addidit columnas, in quibus quintam et sextam versiones Jerinchuntinam et Nicopolitanam inseruit, eaque volumina Octapla nominavit.

III. Sed cum ingentia illa volumina nonnisi magno pretio comparari possent, separatim septuaginta Interpretum translationem ita edidit, ut ejus textui sub asteriscis insereret, quæ textus Hebræus addebat; atque horum interpretationem e versione Theodotionis mutuatus erat, quod ipsius stilus et verba ad versionem Septuaginta proxime accederent. Obelo autem seu veru notaverat, quæ septuaginta Interpretes textui Hebræo adjiciebant. Quod non ideo ab eo factum, quasi illa deesse, hæc superesse arbitraretur; sed ut ostenderet, quid Judæi, cum quibus certandum erat, in christianorum textu deficere, aut abundare dicerent; uti ex ejus ad Jul. Africanum epistola refert B. Hieronymus [5]. Adhibuit etiam Origenes lemniscos, et hypolemniscos, quorum usum et formas tradit Epiphanius [6]. Vide Morinum *l.* 1 *exercit.* 4, *c.* 1 *de Hebr. et Græce text. sincerit.*

CAPUT VII.

DE SEPTUAGINTA INTERPRETUM VERSIONE.

I. Quoniam celeberrima omnium habetur septuaginta Seniorum Translatio, de ea paullo uberius, quam de ceteris est disserendum. Eam conscribi curavit ex communi sententia Ptolemæus Philadelphus II gentis Macedonicæ Rex Ægyptiorum; qui cum amplissimam Bibliothecam Alexandriæ instruxisset, eique Demetrium Phalereum præfecisset, ab hoc monitus extare apud Judæos multa Hebraice scripta volumina, quibus ejus populi leges atque instituta continerentur, quæ regia Bibliotheca et cognitione digna essent; inde eorum desiderio accensus Ptolemæus Eleazarum Hebræorum Pontificem scriptis litteris rogasse dicitur, ut ea monumenta ex Hebræo in Græcum sermonem transferri curaret. Hic autem senos per singulas tribus seniores delegit, tum in Scripturarum interpretatione maxime versatos, tum utriusque linguæ peritos, et probitate conspicuos, eosque ad Ptolemæum misit, ut apud eum huic operi incumberent.

II. Hos duos et septuaginta legis peritos Ptolemæus benigne suscepit: atque, ut testatur D. Augustinus [7], quo eorum fidem exploraret (suggerente divino Numine, ut majoris auctoritatis esset omnique suspicione careret eorum interpretatio) singulos singulis in cellulis apud insulam Pharon seorsim collocavit. Traditur porro tam stupendum planeque divinum in eorum verbis fuisse consensum, ut in nullo verbo quod idem significaret et tantumdem valeret, vel in verborum ordine quisquam discreparet; sed quasi unus esset interpres, ita quod omnes interpretati sunt unum erat. Ejus rei meminerunt Justinus Martyr [8], Cyrillus [9], Clemens Alexandrinus [10] et quodammodo Theodoretus [11], ac Justinianus imperator [12], qui unum in iis omnibus Septuaginta spi-

(1) Apol. 2 contr. Ruf.
(2) De his omnibus versionibus vide disserentem Fabricium Bibl. Græcæ t. 2 a pag. 332.
(3) Ep. 2 et l. 4 de Doctr. Christ., c. 19, ac l. 18 de Civ. Dei, c. 49.
(4) Hexapla Origenis, quorum specimen exstat t. 6 Polyglotton Londin. et t. 2 Biblioth. Græcæ Fabricii pag. 886. Cl. Montfauconius edidit Parisiis 1713 quæ scilicet reperire ipsi licuit.
(5) In Catal. Scriptor. Eccles. et Præf. in Dan.
(6) De pond. (7) Lib. 18 de Civit. Dei, c 19.
(8) In orat. exhortatoria.
(9) Cathechesi 4. (10) L. 5 Strom.
(11) Præfat. in Psalm. (12) Nov. 146.

ritum fuisse ait. Hujus quidem separationis nec Josephus [1] meminit, nec Aristeas qui reliquam historiam tradidit [2]: immo Hieronymus, non solum id in dubium revocat, sed falsitatis et mendacii arguit [3]: « et nescio, inquit, quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo construxerit, cum Aristeas ejusdem Ptolemæi ὑπερασπιστής et multo post tempore Josephus nihil tale retulerit; sed in una Basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse. » Verum quia id omitti ab iis potuit, ne quid fortasse libris Hebraicis detrahi videretur; et non tantum alii Patres sed et ipse Hieronymus [4] agnoscit septuaginta Seniores Spiritu sancto plenos, quæ vera fuerant transtulisse: non improbabilis ea omnis narratio videri potest. Hanc certe interpretationem tum antiquioribus, tum neotericis Judæis divinam prorsus haberi atque ita censuisse Talmudicos demonstrat Morinus [5].

III. Licet autem ab eis Pentateuchum dumtaxat in Græcam linguam versum innuere videatur idem Hieronymus [6]: tamen et ipse locis supra indicatis, et Patres reliqui, ab iis veteris Testamenti libros omnes translatos esse confirmant [7], idque fuse probant Leo de Castro [8], ac Baronius Cardinalis [9], ex eo liquere quod Apostoli, et Evangelistæ Prophetarum testimonia fere semper juxta eorumdem Septuaginta versionem citaverint eamque Ecclesiæ legendam tradiderint. Quamobrem sincera remansit, communis inter Græcos est habita tam christianos, quam Judæos, qui et Justiniano imperatore constitutionem impetrarunt, qua eam in Synagogis suis, ut prius factum fuerat, legi caveret ab iis, apud quos sacræ litteræ Græce recitarentur; sed quoniam, sive fraude sive incuria librariorum, corrupta in multis ea editio progressu temporis fuit, ideo sæpius expurgari debuit, ab Origene, Luciano, Esychio, Hieronymo; ac tandem Gregorii XIII et Sixti V Pontificum jussu; quorum hic vetuit ne quis in posterum quicquam ex illa, vel addendo vel demendo immutare auderet, quibus de rebus Spondanus quoque disserit [10].

IV. Instituta est hæc Translatio ex Epiphanio [11] anno Ptolemæi Philadelphi 17, qui est Olympiadis 128 anno 1, ante Christum natum circiter 265. Observat autem S. Hieronymus [12] nonnulla ad Trinitatis atque Incarnationis mysterium pertinentia, quæ Hebraico in codice legebantur, partim ab iis prætermissa, partim sub ænigmate translata; ne scilicet Ptolemæus in eam adduceretur opinionem, quasi plures Deos Hebræi colerent. Quod autem idem sanctus vir sacras Scripturas ex Hebræo in Latinum convertit, non, ut B. Augustinus suadebat [13], ex Græco septuaginta Interpretum, id non eorum odio aut contemptu a se factum Hieronymus prædicat [14]; sed quod ea versio pura omnino non inveniretur. Ea editio septuaginta dicitur Interpretum rotundioris numeri causa, cum sexies duodeni, id est duo et septuaginta Interpretes essent.

V. Josephus Scaliger [15] primus in dubium totam septuaginta Interpretum historiam revocavit, contenditque confictam a Judæis qui Alexandriæ commorabantur, et quos *Hellenistas* vulgo appellant, quoniam propter consuetudinem Græcorum Græce ut plurimum loquebantur et sic Hebraicam linguam dediscebant. Ab iis effectum putat, ut Lex in Græcum sermonem conversa fuerit per viros doctos, qui Alexandriæ degerent; atque ut auctoritas Græcæ huic translationi conciliaretur, eaque in Synagogas loco Hebraici textus insinuaretur, conscriptam ab iis Aristeæ nomine fabulosam epistolam, ex qua Josephus, Philo, ac ceteri deinde falsam illam narrationem hauserint. Id autem contigisse vult, invitis Palæstinis Judæis, qui Alexandrinos propter audax hoc facinus implacabili odio sint prosecuti.

VI. Hujus opinionis præcipuæ rationes ex eo petuntur, primo quod Demetrium Phalereum, qui hujus versionis instiga-

(1) Lib. 12 Ant., cap. 2 et l. 2 contr. Appionem
(2) In hist. de septuag. Interpr.
(3) Sua in Pentateuch. Præfat.
(4) Præf. in lib. Paral.
(5) Lib. 1 de Hebræi Græcique textus sinceritate, exercit. 8, c 1.
(6) In cap. II Micheæ.
(7) Adi sis Bibliothecam Græcam Fabricii, t. 2, pag. 321 seq.
(8) Disp. de transl. sacr. Script. c. 15 et 16.
(9) Tom. annal. 2 ad ann. Christi. 131.
(10) Ad an. 60 n. 19 atque ad an. 183, n. 5.
(11) In lib. de mensur.
(12) Ante memorata Præf. in Pentateuch. aliisque locis.
(13) Ep. 8.
(14) Præf. in Pentateuch. et Paralip. itemque Apolog. 1 contr. Ruff.
(15) In observ. Euseb. et in duab. epist. quæ exstant inter ceteras nuper editas.

tor fuisse fertur, scribit Diogenes Laertius non tantum in flagrantissima apud Ptolemæum Philadelphum gratia non fuisse, sed contra ipsi exosum, atque ab eo pulsum in exilium, cujus tædio mortem sibi consciverit. Deinde quod non extarent ea ætate duodecim tribus, ex quibus hi LXXII Seniores delecti memorantur: cum primo quidem decem tribus, ac postea duæ reliquæ in Mediam et Babyloniam diu ante illa tempora essent abductæ: earumque loco missi æternæ gentis homines, qui eam regionem incolerent, quique *Samaritani* dicti sunt: ut patet ex *lib. 4 Regum cap. 17 et 18*. Nec vero leguntur eæ tribus præter Leviticam, Judaicam et Benjaminiticam rediisse in Palæstinam, sed earum sedes a Samaritanis alienigenis semper occupatæ, uti videre est apud Josephum [1].

Tertio quod diversæ admodum sint Epistolæ, quæ tamquam a Ptolemæo ad Eleazarum Pontificem, et vice versa ab Eleazaro ad Ptolemæum, hinc apud Aristeam, inde apud Epiphanium hac de re scriptæ referuntur, quæ discrepantia videtur universam narrationem falsi convincere.

Denique quod Rabbinorum libri imprecationibus et maledictionibus pleni sint adversus Alexandrinos, tamquam ejus versionis auctores; tantusque hinc dolor a ceteris Judæis conceptus sit, ut in eorum calendario translationis ejus causa, tamquam rei nefandæ ac lugendæ, jejunium celebrari quotannis jubeatur; idque die 8 mensis Thevet, qui respondet nostro Decembri.

VII. Sed, quod ad primum attinet, responderi potest non deesse graves auctores qui Translationem hanc factam referant ad tempus primi Ptolemæi, qui Lagi filius dicitur; cui haud dubie in deliciis fuit Demetrius ille Phaleræus. Ita sane censet D. Irenæus [2]: Clemens autem Alexandrinus [3], et Anatolius [4] sub utroque Ptolemæo, filio nempe, in regni consortium a patre adhuc superstite adscito, id contigisse memorant. Præterea a probatis auctoribus confirmatur Phaleræum Philadelphi ipsius Bibliothecæ præpositum fuisse, in quibus sunt Cicero [5], Ælianus [6], Josephus [7], Philo Judæus [8]. Immo Hermippus apud Suidam in voce Δημήτριος, ex quo præcipuum eruitur contrariæ sententiæ adminiculum, non id præcise refert, quod vertit Latinus Interpres, missum fuisse Demetrium in exilium; sed ἀξιοθῆναι dignum scilicet visum fuisse, qui in exilium mitteretur, quia nimirum Ptolemæo patri auctor fuerat, ut non Ptolemæum Philadelphum ex Berenice genitum; sed ex priore uxore Eurydice procreatos filios in regnum cooptaret. Potuit autem post mortem Ptolemæi patris vel eo adhuc in vivis agente, virtutis ac litterarum nomine conciliari Philadelpho Demetrius.

Ad secundum argumentum reponi potest non solum, cum decem Tribus abducerentur, remansisse non paucos ex ignobilioribus Israelitis in Palæstina, ut patet ex *libro 4 Regum cap. 6*, et nonnullos ex Assyria progressu temporis in Palæstinam migrasse, commeatu inter utramque provinciam libero, ut colligere est ex *Tobiæ c. 10*, sed et cum Esdra rediisse aliarum tribuum, quam supra dictarum, Judæos, et cum aliis promiscue habitasse, ut perspicuum fiet Josephum legenti [9]. Quod etiam confirmatur ex *Lucæ c. 2*, ubi notatur Anna Prophetissa fuisse ex tribu Aser; itemque ex Tertulliani Apologetico, Joanne Chrysostomo [10] aliisque Patribus, qui Pharisæos existimant Christi ævo ex omnibus tribubus fuisse. Quin etiam si hæc cuncta negarentur (quod gratis et nulla certa ratione fieret) potuit Eleazarus ex Assyria et Babylonia peritos legis accersere, ex singulis decem tribubus, quos cum Palæstinis conjunctos in Ægyptum mitteret.

Tertium argumentum facile confutabitur, si dicamus vel plures scriptas fuisse epistolas, tam a Ptolemæo quam ab Eleazaro, quarum alias Aristeas, alias Epiphanius referant, vel Aristeam qui nunc extat supposititium esse, quod plerique existimant [11], et sic a vero diversum, quo unus fuerit Epiphanius.

Quantum ad jejunium die 8 mensis Thevet indictum, atque execrationes Judæorum; hæc aliis ex causis orto Palæstinorum in Alexandrinos odio imputari

(1) Lib. 11 orig. Judaic., c. 1, 4, 5 et 8.
(2) Lib. 2 advers. hæres., c. 25.
(3) L. 1 Strom. (4) In can. Paschal.
(5) Lib. 5 de finibus. (6) Lib. 3 var. hist.
(7) Lib. 12 orig. Judaic., c. 2.
(8) Lib. 2 de vita Mosis.
(9) Lib. 2 Judaic. antiq., c. 5.
(10) Hom. 25 in Matth.
(11) Adi Auctores a Fabricio citat., t. 2 Biblioth. Græc., p. 319.

possunt; cujus vestigia in Actibus etiam Apostolorum reperiuntur: et illud jejunium institutum a Rabbinis, præter quam quod universale non erat sed Orientalium Synagogarum proprium, et nullibi hodie a Judæis observatur, aut in eorum fastis deprehenditur, post Christi tempora cœpit in usu esse, non alia de causa, quam quod ad ejus fidem multi Judæi per Bibliorum græcorum lectionem transire crederentur; ut enim observat Genebrardus, Septuaginta Seniores a sensu Grammatico non raro discesserunt, quo allegoricum sequerentur, et evidentius, quæ de Christo erant pronunciata, patefacerent. Et vero Scaliger [1] ipse, et Buxtorfius [2] utrumque Talmud, ubi tractatus de illo jejunio continetur, pluribus post Christum sæculis emersisse tradunt, quod et ab aliis demonstratum est. Quia et Rabbi Azarias, qui ante octoginta aut nonaginta annos scripsit, incidisse se fatetur in manuscriptum ejus Tractatus Codicem, in quo nulla de hujusmodi jejunio mentio fieret: existimatque triduanas tenebras, quæ in prædicto tractatu memorantur, nihil fuisse aliud, quam voluntarias Judæorum afflictiones, quæ non hujus incœpti execratione susceptæ fuerint, sed ne infausti quid selectis illis septuaginta duobus Magistris contingeret; quæ vera ratio fuit indicendi jejunii, exemplo ejus, quod tempore Esther in summo Judææ gentis periculo indictum fuerat, atque ejus quod celebratum est, cum a Judæis Alexandrinis Philo Romam ad Caligulam genti suæ placandum legaretur. De hoc jejunio vide Hody [3], Morinum [4], apud quem multi sunt etiam inter Rabbinos, qui Septuaginta Seniorum versionem velut sanctam commendant [5]; atque omni veneratione prosequendam fatentur.

VIII. Volebat Jacobus Usserius Armachanus duas fuisse versiones LXX Interpretum, alteram veram et tempore Ptolemæi Philadelphi, alteram spuriam Alexandriæ elaboratam post annum 4 Ptolemæi Physconis. Dissentit Valesius noster [6] pluribusque eam sententiam refellit [7].

IX. Sunt nonnulli qui hanc Græcam Bibliorum interpretationem existiment non primam omnium fuisse: in his Clemens Alexandrinus [8], qui Pentateuchi saltem translationem ante Alexandrum Magnum, jam tempore Manasse Regis Juda, conscriptam asseverat, ejusque inde cognitionem ad Græcos sapientes pervenisse, Pythagoram, Platonem, et reliquos: unde a Numenio Pythagorico Plato dictus sit Moses Ἀττικίζων Attice loquens. Qua in sententia sunt Genebrardus [9], et Serarius [10]. Verior tamen videtur contraria opinio Baronii [11] et Vittakeri [12], ad Ptolemæi tempora primam in Græcum sermonem versionem referentium [13]. Si enim ante Ptolemæum Philadelphum Græca exititisset eorum librorum versio, nihil fuisset causæ, cur is tanta sollicitudine de nova instituenda laboraret. Græci autem philosophi Mosaicam sapientiam, non minus ex colloquio cum eruditioribus Judæorum in Ægypto degentium, ac Græcæ linguæ peritorum aut ex Hebraici sermonis cognitione ab ipsis accepta, quam ex aliqua Græca versione haurire potuerunt.

X. Verum hanc Translationem, quæ sub nomine LXX Interpretum ad nos pervenit, puram omnino non esse, sed alii, permixtam, maxime Theodotionis, docent post D. Hieronym. [14] Bellarminus [15], Baronius [16], Serarius [17], et Joan. Mariana [18], qui rem exemplis confirmant, petitis ex *Psalmo 44, vers. 11*, et *Psal. 75, vers. 9*, aliisque locis permultis. Certe vitiosam esse editionem, quam præ manibus habemus, cum alia multa suadent, tum illud Jonæ *cap. 3, vers. 4: Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur:* in ea quippe versione legitur *adhuc tres dies* contra Hebraicam et Chaldaicam fidem,

(1) Lib. 7 de emendatione temporum.
(2) In lib. de modo legendorum Rabbinorum.
(3) P. 221 de Bibliis original., ubi fabulosum illud esse ostendit.
(4) Lib. 1, exercit. 8, c. 3.
(5) Ceterum alia non pauca sunt, quæ narrationem hanc omnem in falsitatis suspicionem vocent. Confer Liberati Fassonit de LXX editione dissertationem, et Fabricium Bibl. Græcæ, t. 2, p. 320 sequent.
(6) Vide Fabricii Biblioth. Græc., t. 2, pag. 322 sequent.
(7) In diatr. ad calcem Euseb. Hist.
(8) L. 1 Strom.
(9) L. 2 Chron.
(10) In prolog. Bibl., cap. 1.
(11) Tom. 2 Annal.
(12) Controv. 1, q. 2, cap. 3.
(13) Consule eumdem Fabricium 1, c., pag. 316.
(14) Præs. in l. Paral. et Esdræ, atque alibi præsertim in ep. ad Suniam ac lib. de optimo genere interpretandi.
(15) Lib. 2 de verbo Dei, cap. 6.
(16) In Apparatu, n. 99.
(17) Q. 21, cap. 18 Proleg. Bibl.
(18) In Apol. pro vulg. edit., c. 23.

et contra auctoritatem tum Latinæ editionis vulgatæ, tum etiam Justini martyris [1]. Et vero in emendatioribus Græcis Codicibus scriptum fuisse *adhuc quadraginta tres dies*, verum errore librarii omisso numero quadragenario, ternarium tantum appositum esse observat Theodoretus [2] itemque S. Augustinus [3]. Depravatos sane Codices græcos esse Morinus ostendit [4]; sed cum variæ sint editiones translationis Septuaginta, earum proculdubio emendatissima est Romana, quam Sixtus V curavit, uti demonstrat idem Morinus [5]. De hac porro versione præter jam laudatos scripsere Vossius et Seldenus.

CAPUT VIII.

DE NOVI TESTAMENTI GRÆCO TEXTU, DEQUE SCRIPTURÆ LATINIS EDITIONIBUS IN UNIVERSUM.

I. Novum Testamentum, licet Græce fere scriptum sit [6], agnoscunt tamen Doctores, atque adductis aliquot exemplis probant, græcos Codices non esse usquequaque incorruptos. Bellarminus [7] inter cetera exempla adducit illud *I. ad Corinth. cap. 15*, ubi legendum est proculdubio, quemadmodum fert Latina editio *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis;* Græci tamen constanter legunt, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος Κύριος ἐξ οὐρανοῦ *Secundus homo Domini e cœlo*: quæ depravatio ex Marcionis corruptione remansit, ut indicat Tertullianus [8].

II. Latinas sacræ Scripturæ editiones prope innumeras olim fuisse testantur B. Augustinus [9] et B. Hieronymus [10]. « Qui ex Hebræa lingua, inquit ille, sacras Scripturas in Græcum verterunt, numerari possunt; Latini autem nullo modo: ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, et aliquantulum facultatis sibimet utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari. » Hujus autem hæc sunt verba: « Apud Latinos tot sunt exemplaria, quot Codices: cum unusquisque pro arbitrio, vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est. »

III. Attamen iidem Patres, tum Augustinus, tum Hieronymus [11], et cum illis Gregorius [12], docent *vulgatam* veterem, quam *Italam* vocant, magis communem fuisse ac ceteris anteponendam, utpote quæ, ut loquitur Augustinus, *verborum tenacior sit cum perspicuitate sententia* [13]. Vulgatam certe versionem trecentis fere in locis ex Evangeliorum et Actuum Apostolorum Codice Græco admirandæ vetustatis confirmari ostendit Jo. Morinus [14]. Quia tamen librariorum errore ac temeritate menda non pauca in eam irrepserant, D. Hieronymus ei admovendam manum putavit. Et Novum quidem Testamentum ex græco emendavit ut ipse profitetur [15]: Vetus autem Testamentum bis transtulit in latinam linguam: primo ex Græca versione Septuaginta quemadmodum intelligi potest ex libro ejus contra Rufinum, et præfatione in Job, atque ex Epistola 10[3] sancti Augustini; deinde iterum ex Hebræo, ut ipsemet testatur: extremo *de viris illustribus* libro, et in Præfationibus suis singulorum librorum quos Latinos fecit. Eaque interpretatio studio Damasi, ac sequentium Pontificum in Occidentali Ecclesia recepta est, et merito reliquis anteposita ex Isidoro Hispalensi [16], qui jam suo tempore omnes

(1) In Dial. cont. Triph.
(2) In Exam. hujus loci.
(3) Lib. 18 de Civit. Dei, cap. 14.
(4) Lib. 1 exercit.
(5) Exerc. 9.
(6) Paradoxarum Arduini nostri opinionum non ultima est, Novum Testamentum a sacris scriptoribus latina lingua universum fuisse conscriptum, una Apocalypsi dempta, quæ ab Joanne hebraice simul ac latine perscripta fuerit, Græcosque Codices non primogenium Apostolorum textum nobis exhibere, sed versionem a privatis hominibus factam, eamque sententias habentem plurimus sive a ratione, sive a fide Catholica abhorrentes. Quid? quod contendit Arduinus (vigilans ne, an somnians? non facile dixerim) Christum ipsum dominum latine Judæis evangelizasse in Templo, et in Synagoga, quæ ibi fuit. Hanc viri doctissimi sententiam qui adgredcretur refellere, non ineptam navaret operam; eo enim conjecturarum apparatu confirmata est, ut incautos fallere possit.
(7) L. 2 de verbo Dei, cap. 7.
(8) Lib. 5 in Marcionem.
(9) Lib. 2 de Doctr. Christ., cap. 11.
(10) Præfat. in Josue.
(11) In cap. 14 et 49 Isaiæ.
(12) Præf. in lib. Moral., cap. 5.
(13) Quæ Italiæ veteris vel in Patribus, vel in MS. Codicibus exstant fragmenta, ea diligentissime conquisivit illustravitque Sabaterius: quod speciatim attinet ad Evangeliorum versionem Sabaterii diligentiam etiam superavit P. Blanchinius in suo *Quadruplici Evangeliario*, Romæ edito 1749.
(14) Lib. 1 de Hebræi Græcique textus sincer. exerc. 2, c. 3.
(15) Epist. 89 quæ est inter epist. August. 7.
(16) Lib. 6 Etymol., c. 3, et l. 1 de off. Eccl, c. 12.

Ecclesias ea versione usas esse testatur quod *veracior esset in sententiis, et clarior in verbis.*

CAPUT IX.

DE VULGATA EDITIONE SPECIATIM, EJUSQUE AUCTORITATE.

I. Vulgatam sacræ Scripturæ editionem, quam nunc habemus a sancta Ecclesia Catholica approbatam, et quam Tridentina Synodus [1] authenticam pronunciavit, ex S. Hieron. interpretatione maximam partem esse, Augustini Eugubini, Joannis Pici Mirandulani, Bellarminii, doctissimorumque aliorum virorum communis sententia est. Eam tamen Sanctes Pagninus, aliique nonnulli ex prisca, et Hieronymiana mixtam contendunt.

II. Psalterium quidem editionis vulgatæ aliud est haud dubie ab eo, quod D. Hieronymus ex Hebræo transtulit, et quod inter ejus opera habetur, a vulgari non parum diversum, seu sensum spectes, seu verba; sed illud esse putant quod ex editione Græca S. Luciani martyris versum ab ignoto auctore Hieronymus emendavit. Hoc enim ut ecclesiasticis viris jam familiare et in sacro officio, cantuque per Occidentis Ecclesias dudum receptum, retinere satius est visum ipsi etiam Hieronymo.

III. De libris *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, et *Machabæorum* dubitant eruditi, an et ipsi sint ex Hieronymi versione, atque ex his Bellarminus [2] duabus potissimum de causis; quod scilicet ipse Hieronymus [3] eos libros inter apocryphos ab Hebræis censeri fateatur et quia præterea nullæ extant ipsius in hos libros præfatiunculæ, quales tamen in Epistola ad Augustinum singulis libris a se translatis se apposuisse affirmat. Verum dici potest, alios quoque rejectos ab Hebræis libros, ut Tobiæ, Esther, Judith, ab Hieron. versos esse. Præfationes autem, iis dumtaxat libris appositas, quos ex Hebræo transtulerit, non iis quos emendavit ex Græco, in quorum numero hi sunt habendi. His ac similibus rationibus permoti Liranus, Dionysius Carthusianus, Ximenius, Arias Montanus hos quoque libros ex Hieronymi interpretatione ad nos venisse existimant.

IV. Hujus autem *vulgatæ* editionis quanta sit auctoritas docent Joannes Driedo [4], Franciscus Titelmanus [5], Andreas Vega [6], Melchior Canus [7], aliique, Bellarminus præsertim [8], qui ostendunt in ea nihil omnino fidei aut moribus Christianis repugnans reperiri, omniaque ad salutem necessaria abunde tradi. Denique quoties illa ab Hebræa Græcave editionibus discedit, ita ut in concordiam cum iis adduci nequeat, illas plerumque ex hac potius corrigendas esse, quam hanc ex illis.

Hæc quantum ad Novum præsertim Testamentum plene confirmat Joannes Morinus superiori capite laudatus [9]. Porro admodum notatu dignum est, quod advertit vir cl. Claudius Capellanus Doctor ac Socius Sorbonicus, et nunc dignissimus sacrarum Litterarum post Flavignium Professor Regius [10], causam præcipuam cur Buxtorfius Ludovico Capello veterum diversas ab hodierno textu Hebraico lectiones in sacris Scripturis demonstranti anticriticam suam opposuerit, hanc fuisse, quod nihil ea demonstratione validius esse perviderit ad asserendam atque omnino comprobandam vulgatæ versionis auctoritatem, persuasumque haberet, admissis Capelli argumentis nullum in posterum superesse, vulgatam nostram (convincendis hæreticorum erroribus imprimis idoneam, atque ideo sibi ceterisque heterodoxis tantopere exosam) rejiciendi locum: sed eam a cunctis pro authentica, secundum Tridentinæ Synodi decretum, prorsus esse admittendam. Ac ne quis de hac Buxtorfii confessione dubitare possit, proferuntur hic ipsa ejus verba eam in rem scripta, quæ sane valde notanda sunt. « Sed hoc observet lector, inquit Buxtorfius, nullum unquam majorem patronum fuisse vulgatæ versionis, et qui fortius argumentum suppeditaverit ad ejus authentiam astruendam, quam male sanus iste criticus (Capellum intelligit). Quod si enim semel admittatur, ubi interpres ille aliter tulit quam Hebræa sonant, et aliqua mutatio, vel additio, vel detractio depre-

(1) Sess. 4.
(2) Lib. 2 de verbo Dei, cap. 9.
(3) In prolog. Galeat. et præfat. 1. pro tub.
(4) De Eccl. dogm., l. 2, c. 1.
(5) In Dial. Apologetici pro vulgata editione.
(6) In Conc. Trid., cap. 3.
(7) Lib. 2 de locis Theol., cap. 15.
(8) Lib. 2 de verbo Dei, c. 10 et seq.
(9) Exerc. Biblic. l. 1, exerc. 2, c. 3.
(10) In mari Rabbinico, parte 2, c. 1.

hendítur, neque librarii aliquod vitium intervenit, ibi non vitium esse ab interprete, sed ex varia lectione Codicis hebræi, quo usus est, speciosus habetur prætextus, omnes ejus errores non solum excusandi, et Codici illi hebraico imputandi, sed et authenticos faciendi, utpote qui ex Codice hebræo sunt orti et profecti; et sic vicerunt illi, qui statuunt, nullos esse in ea errores Interpretis. Qui de Tridentini Concilii auctoritate pro stabilienda authentia vulgatæ versionis gloriantur, jactabunt se vicisse; et non sine causa hanc dignitatem illi attributam esse: quippe quæ accurate ad Codicis hebræi archetypum, quo scilicet iste interpres usus est, sit confecta. Præferendum dicent Codicem illum hebraicum, quo usus est vulgatus Interpres, Codicibus nostris, qui Judaici, Rabinici Massoretici vulgo a critico audiunt, hoc est corrupti, depravati, mutati, et mutilati fuerunt. Hactenus ex Pontificiis ipsis, qui ad Codicem nostrum Hebræum exegerunt et exigendam judicarunt vulgatam versionem sicubi ab eo deflexit; illi jam vel sponte deserent hanc sententiam, et agnoscent Hebræum textum æque ex vulgata versione, aut forte multo magis, esse corrigendum, aut ni ultro id fecerint, ab aliis explodentur. »

Hæc Buxtorfio extorsit vis veritatis, ex quibus revera ipsorum adversariorum judicio confici apparet, quod antea indicavimus, vulgatam reliquis editionibus saltem non esse inferiorem.

APPENDIX

Ven. Card. ROBERTI BELLARMINI de editione latina vulgata quo sensu a CONCILIO TRIDENTINO definitum sit ut ea pro authentica habeatur.

DISSERTATIO

Ex veteri apographo.

Cl. P. Franciscus Xaverius Widenhofer olim amicus meus, atque in Romano Collegio contubernalis, nunc fato functus, an. 1749 Wirceburgi edidit *apographum ex Ms. autographo ven. Dei Servi Roberti Bellarmini e Soc. Jesu S. R. E. Cardinalis de editione Latina vulgata* etc. De eo quidem pauca diximus *T. 4, hist. litter. p. 188*, sed illa ex Trivultianorum Patrum litterariis monumentis hausimus Quamobrem quum hoece opusculum in nostris regionibus difficile haberi possit, succi præterea plenum sit, sanæque eruditionis, edere hic illud libet ex veteri apographo, quod nobiscum humanissime communicavit P. Thomas Silotti Bibliothecæ Romani collegii præfectus.

Fuit quidem Gallus anonymus, qui ementito *Romæ* nomine in Galliis anno 1753 libellum edidit prænotatum *la Vulgate authentique dans tout son texte*, etc. quo opusculum hocce aut Bellarmino suppositum, aut ab ipso rejectum conatus est ostendere. Sed fallitur plus æquo bonus vulgatæ vindex, ac nimirum levibus conjecturis utitur ad infirmandam egregii opusculi auctoritatem. Trivultiani Patres in Ephemeridibus ejusdem an. 1753, art. 93, 100 et 105 anonymum efficacissimis argumentis confutarunt. Nos quoque eamdem spartam ornavimus T. 2, *specimine critici hodiernæ exterarum gentium litteraturæ*. art. 7, § 2. Quamobrem nihil ea de re hic amplius addam; sed ipsum opusculum statim exhibebo, quale ex apographo apud me adservato describi illud curavi.

DE EDITIONE LATINA VULGATA.

QUO SENSU A CONCILIO TRIDENTINO DEFINITUM SIT, UT EA PRO AUTHENTICA HABEATUR.

Quotquot hactenus legere potui, ii videntur in eam sententiam descendere; ut editio vulgata censenda sit, nullum continere errorem fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium; et ipsa sola retinenda sit in publico usu templorum, et scholarum, quatenus alioquin suos errores habere possit.

1. Joannes Driedo lib. 2 de Eccl. script. et dogmat. c. 1, prop. 2: « Non oportet, inquit, editionem nostram latinam ex veris suis exemplaribus latinis bene castigatam, aut contemnere, aut passim rejiciendo, aut improbando contemptibilem in Ecclesia facere; sed honorare antiquitatem atque simplicitatem illius jam inveteratæ atque receptæ: ex cujus sive solæcismis, sive sententiis minus forsitan apte versis neque comprobatur, neque fovetur ulla hæresis; in qua fidei nostræ mysteria sufficienter declarantur; in qua neque est quidquam, quod præstet occasionem errandi perniciose: unde credimus, neque in Græcis, Hebraicisque exemplaribus esse ullum christianæ fidei mysterium, ullumque salutis humanæ

dogma necessarium, quod hactenus aut fugerit latinorum Ecclesiam, aut sit omissum, aut contrarie positum in dictione nostra latina: quamvis in ea sint loca nonnulla aut ambigue, aut obscure, aut minus congrue posita, quæ hactenus etiam eruditissimi Patres tolerarunt: non quod ignoraverint, aut approbaverint errores, sed quia viderint nihil periculi in fide, et moribus pendere ex hujusmodi locis, vel non prorsus a suo fonte deviis, vel etiam aut sic, aut aliter versis. »

2. Andreas Vega libro 15 in Concilio Tridentino, c. 9: « Synodus, inquit, non approbavit mendacia, quæ linguarum periti, et in sacris Litteris mediocriter versati in ea deprehendunt; approbavit dumtaxat vulgatam editionem repurgatam a mendaciis, quæ vitio scriptorum, vel chalcographorum in ea obrepserunt, nec eam tamquam a cælo delapsam adorari voluit: interpretem illius, quisque ille fuerit, sciebat, non fuisse Prophetam, nec nos meruisse hactenus quemquam, qui eodem in omnibus Spiritu sacras Litteras a propria et nativa lingua in alienam linguam transfuderit, ac proinde nec cohibuit, nec cohibere voluit studiosorum linguarum industriam, qui aliquando docent, melius potuisse aliqua *verti*; » et infra: « Atque eatenus voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam defœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide, et moribus colligi posset, atque ideo adjecit, *ne quis illam quovis prætextu negare auderet.*» Ibidem allegat testimonium Cardinalis Sanctæ Crucis, qui præfuit tunc Concilio Tridentino; et tandem ita concludit: « Itaque nec quispiam alius propter hanc approbationem vulgatæ editionis impeditur, quominus ubi hæsitaverit, ad fontes recurrat, et in medium proferat, quicquid habere potuerit, quo juventur, et locupletentur latini, et vulgatam editionem ab erroribus repurgent, et quæ sensui Spiritus sancti, et ipsis fontibus sunt magis consentanea assequantur. »

3. Lindanus lib. 3 de optimo genere interpretandi, c. 1: « Proinde, inquit, quod ad latinam hanc vulgarem attinet translationem, haud sane illam omnibus absolutam ducimus numeris; tantum abest, ut id aut asserere, aut defendere sit animus, ideoque initio præfati sumus, nos non plenum, immo vix semiplenum ejus in præsentia suscepisse patrocinium; sed cum in ea sint plures pericopæ, sive capitula æquo obscurius, et involutius reddita, immo quædam *Acyrologicos*, quædam *Cathachresticos*, quædam denique minus plene, adeoque minus bene, ac vere transfusa, quod paullo post erit exemplis illustrandum, non hic de interpretis nostri illius simplicis, aut vitiis aut virtutibus, quæ non sunt nullæ, agitur. » Et cap. 2 dicit, quædam in vulgata editione esse, « interpretis, si non ignorantia, certe oscitantia a plano sensu ac genuino deturbata. »

4. Melchior Canus libro 2 de locis theologicis capite 13, ponit initio hanc conclusionem: « Editionem hanc veterem, atque vulgatam, quam post tempora sancti Hieronymi latina Ecclesia usurpavit, fidelibus esse retinendam, in his omnibus, quæ ad fidem et mores spectabunt, » ac deinceps in 2 conclusione, in 3 et in 4 semper repetit *quoad fidem, et mores attinet*, probatam esse ab Ecclesia editionem vulgatam.

5. Sixtus Senensis lib. 8 Bibl. sanctæ in ultima pag.: « De erroribus, inquit, quos Hieronymus in veteri translatione annotavit, et recentiores in hac nova editione pariter annotarunt, ingenue fatemur et nos, multos errores emendatos a Hieronymo in veteri traductione, et similiter in hac nostra nova editione nonnullas inveniri mendas, solæcysmos, barbarismos, hyperbata, et multa parum accommodate versa, et minus latine expressa, obscure, et ambigue interpretata, itemque nonnulla superaddita, aliqua omissa, quædam transposita, immutata, ac vitio scriptorum depravata, quæ Sanctes Pagninus, Thomas, Cajetanus, Franciscus Forerius, et Hieronymus Oleaster interpretationibus, et explanationibus suis indicarunt. Non tamen ex his sequitur, Ecclesiam usque in hanc diem non habuisse veram, sinceram, integram, ac fidelem novi Testamenti *ditionem*, etc. » In summa docet, nos habere Scripturam integram, et puram in editione vulgata, quod attinet ad fidem, et mores, et hoc tantum significari in decreto Concilii Tridentini.

6. Jodocus Tiletanus in Apologia pro Concilio Tridentino, pag. 90, in editione Lovaniensi anno 1568: « Non vetant, inquit, Patres Concilii Tridentini, ut vetus, et vulgata latina editio diligenter

ab explanatoribus cum fontibus conferatur, et si quid certa ratione comperiatur cum fontibus non satis quadrare, id commodius, ac magis proprie, aut etiam magis vere explanare, et transferre. Sed hoc solum est, quod Synodus constituit, ut vetus, ut vulgata editio latina, quæ per multa secula reverentia et honore usitata est in omnibus Ecclesiis, nullo prætextu rejiciatur, qua constitutione reprimere conantur arrogantiam nostri præsertim temporis hominum inani scientiæ persuasione inflatorum, et linguarum mediocrem fortasse peritiam consecutorum insolentissimam temeritatem, qui quia vident in vulgata illa, et antiquissima illa editione, et in Ecclesiis tantopere usitata inesse quædam, aut minus proprie, et commode posita, aut etiam incuria librariorum mendam aliquam irrepsisse, aut denique interpretes alicubi Christi, et Apostolorum sensum non satis assequutos, mox eam totam rejiciunt, et de gradu suo ejicere conantur, et suas versiones, aut aliorum hominum hæreticorum obtrudere. »

7. Melchior Zangerus in coll. cath. c. 2, ubi disputat de editione vulgata, sequitur Tiletanum, et ejus verba supracitata repetit.

8. Didacus Payna in apologia pro Concilio Tridentino lib. 4 primum acriter defendit integritatem editionis Hebraicæ, deinde aperte profitetur, se de auctoritate editionis latinæ vulgatæ idem sentire, quod Joannes Driedo, cujus loca quædam adducit, et sunt illa ipsa, quæ nos supra retulimus. Denique prope finem ejus libri ita loquitur: « Ne vero ita a nobis vulgatum interpretem defensum, et collaudatum, quis esse putet, ut illum extra omnis reprehensionis aleam positum esse velim, et labes, quibus mortalium omnium lucubrationes aspergi solent, in eo minime agnoscam, illis non quidem audeo repugnare, qui cum ejus in vertendo fidem, et integritatem admirentur, non possunt non diligentiam in eo nonnunquam, perspicuitatemque requirere. Nam dum vel Græcorum dicendi rationi nimium adhærescit, vel in latinis, græcisque vocibus expendendis est parum diligens, obscurior nonnumquam fit, neque sententiarum vim satis exprimit. »

9. Franciscus Forerius præfatione commentariorum in Isaiam ad Patres Concilii Tridentini: « Ob eam, inquit, causam rursus Hebræa in latinum sermonem converti, ut verbum pro verbo reddens, quoad ejus fieri potuit, ostenderem in commentario sententiam, quam vulgatus interpres reddidit, ab hebraicis verbis non abhorrere; non tamen eo inficias, esse aliquot locos, qui ab eo fortasse magis commode converti potuerint. » Hæc ille Tridenti scripsit ad Patres Tridentinos, post decretum jam factum, ut ipse ibidem testatur, de editione vulgata pro authentica habenda.

10. Hieronymus Oleaster, qui scripsit sua commentaria in Pentateuchum tempore Pauli IV, ut ipse testatur in præfatione, ac proinde post decretum Concilii Tridentini de editione vulgata, in præfatione commentariorum suorum. « Scito, inquit, nostri instituti esse, non aliquem interpretum, qui an litteræ mentem in omnibus sint assecuti nescio, sed contextum ipsum hebraicum, quantum mihi possibile fuerit, explicare, » et infra docet, vulgatam editionem latinam in pluribus locis dissentire ab hebraico textu, et in ejusmodi corrigendam esse latinam ex hebraica, non contra; quod videlicet non hebraica, sed latina sit censenda corrupta.

11. Gilibertus Genebrardus in præfat. Psalmor. ad Greg. XIII pont. ita loquitur de LXX Interpretibus, quos in psalmis sequimur: « Ut, inquit, fortassis concesserim, nonnulla quædam in eis reperiri, quæ fidelius, facilius, commodius, addam etiam rectius, ab ipsis quidem, vel forsan ab aliis reddi potuerint, ut nihil est omni ex parte beatum atque perfectum, maxime in tanta sacrorum oraculorum profunditate, et altitudine: at si conferam cum celeberrimis, et maximis aliorum, præsertim recentiorum interpretum, erratis, paucissima continent vel menda, vel peccata, eaque non tanti facienda, quin debeant superiorum loco semper existere. »

Potest autem hæc sententia his rationibus confirmari.

Prima ratio. Concilia non solent divinare more Prophetarum, sed ex verbo Dei scripto, vel tradito, aut certe ex aliis certis principiis, deducunt suas conclusiones novis erroribus contrarias. Vulgatam autem editionem latinam debere esse authenticam, non potest colligi ex alio principio, quam ex longo usu Ecclesiæ, ut etiam Patres Concilii satis aperte in-

dicant; porro ex hoc longo usu certissime colligitur, eam debere esse authenticam in hoc sensu, ut nullo prætextu rejiciatur ex publico usu templorum et scholarum; et ut fidem certam faciat in iis, quæ ad fidem et mores pertinent. Non enim fieri potest, ut Ecclesia tam longo tempore erraverit in mysteriis fidei, aut in præceptis morum. At non colligitur ex longo isto usu, ut debeat anteponi textui Græco, vel Hebræo, idest fontibus, neque ut nullum errorem interpretis continere credenda sit, immo contrarium plane colligitur; siquidem ita longo tempore Ecclesia usa est hac editione, ut tamen errores nonnullos in ea deprehenderit, eosque vel correxerit recurrendo ad fontes, vel toleraverit, ne populus turbaret; nam editio vulgata Psalmorum, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, et totius novi Testamenti, non est a sancto Hieronymo facta, sed antiquissima, ut omnes norunt; et tamen S. Damasus imperavit S. Hieronymo, ut hanc editionem Testamenti novi ad græcos Codices emendaret, ut patet ex ejus præfatione in Evangelia. Idem etiam Hieronymus in Epistola ad Suniam et Fretellam notat plurimos errores editionis vulgatæ Psalmorum, qua nunc etiam utimur. Præterea S. Hilarius sæpius in commentariis Psalmorum reprehendit ignorantiam interpretis latini ejus editionis, quæ nobis est vulgata. In Psalmum 118 *omnis consummationis vidi finem;* « alia, inquit, vis hujus dicti est græce enuntiati; » et in Psalmum 138, *quia dicitis in cogitatione,* « latina, inquit, translatio, dum virtutem dicti ignorat, magnam intulit obscuritatem. » Marius Victorinus, *lib. 2, contra Arianos,* dicit latinum interpretem, qui vertit apud Lucam, *panem nostrum quotidianum,* non intellexisse vocem græcam ἐπιουσιον. S. Hieronymus *in Commentario Epistolæ ad Gal. cap. 4,* disputans de voce ανομος quam noster interpres varie expressit *Marci 15,* et *1. Cor. 9.* « Qui, inquit, hic bene interpretatus est, potuit idem verbum et ibi similiter interpretari, nisi eum ambiguitas fefellisset, » et infra exponens cap. 5, Κατηργήθητε ἀπὸ του Χριστου « non ut in latino male interpretatum est, evacuati estis a Christo, sed in Christi opere cessastis, magis intelligitur, » et *in cap. 1 ad Titum,* « latinus, inquit, interpres verbi ambiguitate deceptus pro pudico prudente transtulit. » Similia apud Hieronymum passim occurrunt. Sanctus Augustinus *in Epist. 59 ad Paulinum, quæst. 5* citans illud 1. Tim. 2: *Obsecro itaque primum fieri obsecrationes,* etc. « secundum Græcum, inquit, eloquium discernenda sunt; nam nostri interpretes vix reperiuntur, qui ea diligenter, et scienter transferre curaverint. » Hæc igitur, et similia loca Patrum satis aperte indicant, traditionem ecclesiasticam id habuisse, ut interpretis vulgati errores notari, et emendari possent ex fontibus; neque est ullo modo credibile, Tridentinum Concilium decernere voluisse aliquid contra sanctorum Patrum sententiam.

2. Ratio. Concilia non solent definire, nisi ea, quæ sunt necessaria ad fidem conservandam, et errores damnandos, vel certe ad pericula cavenda. At abunde sufficiebat ad ista omnia, definire vulgatam editionem non continere ullum errorem fidei, aut moribus contrarium, et ideo retinendam, nec ullam aliam in communi, et publico usu recipiendam. Quod tamen non sit necessarium ad fidem definire, esse aliquam versionem in omnibus sententiis fideliter respondentem suo fonti; patet: primo quia per mille annos, et eo amplius sine ullo fidei præjudicio creditum est, etiam a sanctis Patribus, vulgatum interpretem in quibusdam errasse. Immo S. Augustinus *in Epist. 19 ad Hieronymum,* pro regula ponit, « ut cum aliquid in sacris Litteris videatur absurdum, dicamus, aut mendosum esse Codicem, aut interpretem non esse assecutum mentem scriptoris, aut nos non intelligere: » 2. quia cum in multis locis magna sit Codicum vulgatæ editionis varietas, non potest sciri, quæ sit in iis locis vera lectio vulgata, proinde nec potest sciri, quod sit vera lectio absolute. Quare decretum Concilii si tale esset, quod in omnibus partibus vulgatam editionem approbasset etiam citra periculum fidei et morum, plane inutile esset.

3. Ratio. Editio Hebraica et Græca in iis, quæ ab ipsis sacris scriptoribus Hebraice, vel Græce scripta sunt, non minus sunt authentica, quam vulgata latina editio, immo magis, cum illæ sint fontes, ista rivus: ergo vulgata latina editio non sic existimanda est approbata a Concilio, ut ubicumque dissentit a fontibus, sit illis anteponenda; proinde non in omnibus est authentica, sed tantum in iis quæ ad

fidem et mores pertinent, in quibus optime conveniunt Hebræa, Græca et Latina. Probatur antecedens primo ex verbis Concilii: *Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, ut hac ipsa vulgata*, etc. in quibus verbis nulla fit mentio Hebrææ et Græcæ editionis, sed solum de aliis latinis. At, inquiunt, Latina declaratur authentica, Hebræa et Græca non declarantur authentica. Igitur illa anteponitur. Respondeo, Hebræam et Græcam, cum sint ipsi fontes, per se esse authenticas, neque egere Concilii approbatione; Latinam, quia est versio, approbatione indiguisse; præterea, vulgatam latinam ideo authenticam fieri debuisse, ut discerneretur ab aliis innumeris versionibus latinis. Hebræam et Græcam, quia unicæ sunt, non eguisse tali signo discretivo. 2. Sancti Patres communi consensu semper anteposuerunt fontes versionibus, et id ipsum habetur in Jure canonico apud Gratianum *dist.* 6. Non igitur credibile est, Concilium Tridentinum contrarium statuere voluisse. Concilia enim secundum Patres, non contra Patres definire solent. At, inquiunt, post tempora Patrum fontes corrupti sunt; ideo debuit tunc anteponi vulgata ipsis fontibus. Respondeo, gratis omnino id dici, cum videamus Biblia hebræa et græca in omnibus convenire cum antiquis. Errores autem, qui notantur a quibusdam in Codice hebræo, erant etiam tempore Patrum, et maxima ex parte non sunt errores, et habentur iidem in editione vulgata, ut patet de locis, qui dicuntur mutati per *Tikum Sopherim* idest per correctionem scribarum. Præterea certum est, post tempora Gratiani non fuisse corrupta Hebræa et Græca; Gratianus autem ex patribus docet, Latina esse emendanda ad fontes Hebræos et Græcos, et Ecclesia semper admisit hos canones Gratiani. Præterea esto sint in Codicibus Hebræis et Græcis aliqui errores, undecumque obrepserint, certe sine dubio multo plures sunt in latinis vulgatis. Testatur tamen Nicolaus Cardinalis apud Bessarionem in *Commentario super illa verba, sic enim volo manere*, se scrutatum plurima armaria: et invenisse tantam Codicum latinorum vulgatæ editionis varietatem ut pene tot essent exemplaria, quot Codices. Cum autem veritas non possit esse nisi una, certum esse, in tanta varietate plurimos contineri errores. 3. Ecclesia Catholica, non solum est apud Latinos, sed etiam apud Syros, Armenos, Arabos, Græcos, etc. ergo non debet solum Scriptura authentica esse apud Latinos, sed etiam apud alias nationes, et maxime apud illas, quæ utuntur fontibus. Quis igitur credat, Concilium Tridentinum ita voluisse solam latinam editionem esse authenticam, ut simul asseveret Ecclesiam Græcam et Syriacam non habere, nec habuisse a multis annorum Centuriis authenticam Scripturam? 4. In actis Concilii Tridentini legitur, Hebræam et Græcam editionem relictas fuisse cum illa omni auctoritate, quam habebant ante ipsum Concilium, quod conforme est ei responso, quod scribit Vegas, se accepisse a Præside Concilii Marcello tunc Cardinale, postea Papa. Vide Vegam *Lib. 15, in Concil. Trident. cap. 9.* 5. Præcipuus thesaurus Ecclesiæ est Scriptura divina; at maxima ex parte hic thesaurus perit, si dicamus, ipsos fontes divinarum Scripturarum nullam fidem jam mereri, et ut corruptos et depravatos rejici posse; nihil autem superesse, nisi versionem unam, eamque tam variam, ut vix duo Codices inveniantur, qui in omnibus conveniant. Profecto valde male merentur de Ecclesia, qui tam insignem thesaurum illi eripiunt, quique de scriptis originalibus Apostolorum, et Prophetarum tam contemptibiliter loquuntur, ut ea authentica esse negare non vereantur.

4. Ratio ex absurdis. Nam si nostra vulgata editio latina in omnibus est authentica, idest etiam in iis, quæ ad fidem et mores non pertinent; sequitur primo, in Ecclesia ante tempora Hieronymi non fuisse Scripturam authenticam, nam versio Hieronymi, quæ nobis est editio vulgata in toto Testamento veteri, exceptis Psalmis, Sapientia, Ecclesiastico, Machabæis, multum dissensit ab editione latina antiqua, ut notum est: interdum etiam ab ipso Hebræo et Græco ita discrepat, ut cum iis conciliari nequeat. Sequitur 2. in officio Ecclesiastico nonnullas Scripturas legi ex editione non authentica. Nam in Ecclesia S. Petri canitur psalterium quoddam antiquissimum, et valde diversum a Psalterio editionis vulgatæ.

In tota autem Ecclesia ad initium nocturnorum legitur psalm. 94 *venite exultemus* ex Romano psalterio. In festo autem Epiphaniæ legitur idem psalmus ex editione vulgata, et sunt notabiles differentiæ inter has duas editiones in eodem psalmo. Deest enim in editione vulgata totum illud: *Quia non repellet Dominus plebem suam*, et pro illo. *Quadraginta annis proximus fui* habetur: *Quadraginta annis offensus fui*. Rursus editio vulgata Abacuc III, 2 habet: *in medio annorum vivifica* illud; in missa autem de festo circumcisionis legitur ex antiqua versione, *in medio duorum animalium cognosceris*. Multa hujusmodi notari possent. Sequitur 3. eos solos libros ex antiqua editione esse incorruptos, et fidelissime versos, ita ut authentici in omnibus sententiis dici mereantur, quos S. Hieronymus neglexit, et inemendatos dimisit, ut apocryphos. Nam satis constat, libros Sapientiæ, Ecclesiastici et Machabæorum nos habere ex antiqua versione. Hieronymus enim hos libros nec vertere, nec emendare dignatus est, cum eos apocryphos esse censeret: quis autem id credere possit, hos libros ob id solum meruisse fieri authenticos, quia Hieronymus eos non attigit. Nam certe si eos vertisset, aut emendasset, sine dubio ex Hieronymi versione, vel emendatione eos nunc legeremus, et antiqua illa versio exolevisset, ut factum est in ceteris, excepto Psalterio. Rursus Psalterium vulgatæ editionis non est illud, quod Hieronymus vertit ex hebræo, neque illud, quod ipse emendavit, sed illud antiquum, et commune, cujus corruptiones ipse notat *in ep. ad Suniam et Fretellam*. Ecclesia autem non recepit Psalterium versum, vel emendatum a Hieronymo, quia noluit turbare populos, qui tanto tempore assueverant antiquo illi, quod quotidie per omnes Ecclesias canebatur, quod ita esse faciendum, idest tolerandos errores, ne populi turbarentur, monuit idem Hieronymus in Epistola citata. Quis igitur credat Psalterium antiquum ob id solum debere esse, nunc authenticum, quia est inemendatum? aut versionem Hieronymi in solo Psalterio non mereri nomen authenticæ editionis? num in solo Psalterio vertendo deseruit Hieronym. Spiritus sanctus? 4. denique sequitur, Ecclesiam non solum versionem Hieronymi, sed etiam paraphrases et explicationes fecisse authenticas; nam versio Hieronymi præsertim in Ecclesiaste et Proverbiis ut plurimum non tam versio, quam paraphrasis et explicatio dici debet. Sæpe enim addit integras sententias, interdum etiam multa verba hebræa omittit, sæpissime autem non tam reddit, quam exponit. Et hoc non temere dico, sed quia his diebus diligenter perlegi Ecclesiasten, Cantica, Proverbia, et alia quædam hebraice, et consuli cum latina versione, et quamquam fateor Hieronymum videri ut plurimum assequutum mentem Scriptoris, is tamen non levi periculo se exposuit, et cum libri illi hebraice sint obscurissimi ob verborum paucitatem, ut sæpe divinare opus sit siquis eos intelligere velit, quis nos certos reddet, Hieronymum numquam lapsum esse in iis, non dico vertendis, sed explicandis? At, inquies, Ecclesia in Concilio Generali approbavit, nosque certos reddidit; sed de hoc est quæstio, quousque se extendat illa Ecclesiæ approbatio. Nam certe valde durum videtur, non solum versionem, sed etiam explicationem Hieronymi authenticam esse factam.

5. Ratio sumitur ex variis locis, quæ obiter notavi inter legendum quæ non videntur posse excusari ab errore, præsertim, si quis deposito affectu rem consideret.

Gen. VIII, num. 21, ubi vulgata habet, *et ait ad eum* in Hebr. est *et ait in corde suo* בלבו in Græco *recogitans*, nec est ulla ratio, cur sit corruptus textus originalis, præsertim cum Septuaginta ita verterint, ut in ipso habetur; restat igitur ut corruptio sit in latino. Forte irrepsit ex margine ilud *ad eum*, forte etiam dictum est *eum pro se ad se*. Sed quidquid sit, semper ambiguitas remanet, quæ non est in originali, et nulla hic est Codicum latinorum varietas. Omnia enim habent *ad eum*, etiam antiquissima manu scripta [1].

Gen. XVII, num. ultim. sic habet vulgata: *Et omnes viri domus illius tam vernaculi*, quam *emptitii alienigenæ pariter circumcisi sunt* [2], Hebr., Græc., Chald. concorditer habent, *quam emptitiis alienigenis;* et ratio favet huic posteriori lectioni: nam non habuit Abraham tunc in familia sua, nisi servos, excepta

(1) In Clementis vulgata omissum est *ad eum*. Kempe Bellarminus ante recognita jussu Clementis VIII Biblia hæc scripsit.

(2) Nunc nostra vulgata habet *et alienigenæ*.

Sara uxore, ut ex ipsa sacra Genesi colligitur. Lot enim, qui solus ex familia ejus cum ipso venerat in Mesopotamiam jam ab illo discesserat. Qui sunt igitur isti *alienigenæ* in domo Abrahæ, præter servos emptos, vel natos? Si dicat, vocem *alienigenæ* non esse tertium genus hominum, sed debere adjungi cum secundo genere, idest cum emptitiis, ut sensus sit, *circumcisi sunt omnes viri tam vernaculi, quam emptitii et alienigenæ.* Contra. Nam etiam vernaculi erant *alienigenæ*, quamquam non empti ab alienigenis, sed dominati. Cur igitur soli emptitii dicuntur *alienigenæ?* denique quæ causa esse potest, cur hoc loco originalia scripta censeantur corrupta, potius quam versio?

Gen. XXIV, num. 32, *dedit aquam ad lavandos pedes camelorum et virorum, qui venerant cum ipso.* Hebr., Græc., Chald. concorditer habent, *dedit aquam ad lavandos pedes ejus* רגליו *et virorum, qui venerant cum ipso.* Et ratio favet huic posteriori lectioni. Non enim hospites dare solent aquam ad lavandos pedes bestiarum; et cur non potius daretur aqua ad lavandos pedes viri, qui camelos duxerat, quam camelorum? Denique nulla est ratio, cur hoc loco censeri possint corrupti Codices hebraici, cum nullum hic sit mysterium, et omnes Codices conveniant [1].

Gen. XXX, num. 35, *cunctum autem gregem unicolorem tradidit in manu filiorum suorum.* Hæc lectio non solum repugnat Hebræo, Chaldæo et Græco, sed ipsi etiam textui vulgatæ editionis, et manifestæ rationi; nam convenerat inter Laban et Jacob, ut acciperet Jacob pascendos greges ipsius Laban, qui essent unius coloris, et pro mercede haberet fœtus varios et maculosos, quos sperabat Laban fore paucissimos cum ex unicoloribus unicolores nasci soleant, sed deceptus est a Jacob, qui artificio quodam frondium decorticatarum effecit, ut greges unicolores gignerent fœtus maculosos. Jam igitur juxta pactum hoc debuit Laban dare filiis suis pascendos greges varios et maculosos, Jacob autem genero suo tradere pascendos greges unicolores, ut habent Codex hebraicus, græcus, et chaldæus; vulgata autem lectio contra dicit, *cunctum gregem unicolorem dedisse Laban in manu filiorum suorum.* Quod vero quidam mihi aliquando ad hoc respondit illud *in manu filiorum suorum* significare posse, *in manu filiorum Jacob,* qui cum essent nepotes Laban, poterant etiam filii ejus dici; non enim insolitum est, nepotes appellari filios: nihil valet, tum quia statim in sequenti verbo Scriptura subjungit, *reliquos gregas datos fuisse pascendos ipsi Jacob;* tum quia filii Jacob tunc erant infantes duorum, triumve annorum, aut ad summum septem. Adde quod apparet clare in textu hebraico, unde potuerit nasci deceptio; proinde velle defendere hoc loco lectionem vulgatam, nihil videtur esse aliud, nisi sponte velle errare, nisi forte ratione librariorum aut scioli alicujus omissum sit *non,* cum legeretur, *non unicolorem per manus filiorum* [2].

Gen. XXXI, num. 48. *Idcirco appellatum est nomen ejus Galaad, idest, tumulus Testis, et adjecit Laban: intueatur, et judicet Dominus etc.* In Hebræo, cui concorditer Chaldæus et Græcus, ad verbum sic legimus: *Idcirco appellatum est nomen ejus Galaad, et Maspha: quoniam dixit, intueatur Dominus.* Ubi nota debere hic necessario legi *Maspha,* quod vulgatus interpres omisit, et pro eo posuit, *et adjecit Laban* [3]. Nam in Scriptura fit allusio nominis ad verbum. Nam *Sapha* significat *Speculari,* et *intueri,* et inde fit nomen *maspha* quod significat *speculam,* sive *visionem.* Dicit igitur Scriptura, acervum illum lapidum vocatum esse *Galaad in tumulum Testem, quia Deum testem adhibeant fœderis inter se initi, et rursum vocatum esse maspha in speculam, quia dixit Laban: speculetur Dominus, et judicet.* Unde etiam in Scriptura frequenter nominatur *Maspha,* locus, quo conveniebant olim Judæi ad orandum.

Gen. XXXVIII, n. 12. *Mortua est Sua uxor Judæi.* Sic legunt omnes codices impressi, et tamen est manifestus error. Nam *Sua* erat vir, non mulier ut patet ex initio illius capitis. Unde in Hebræo habetur; mortua est בת שוע filia *Suæ* [4]. Et quidem hic error librariorum tamen ita communis, ut mirum sit; vix enim

(1) In vulgata Clementis ita locus hic corrigitur: *et aquam ad lavandos pedes ejus, et virorum qui venerant cum eo.*

(2) Vulgata Clementis addit glossema *unicolorem id est albi, et nigri velleris.*

(3) In vulgata Clementis omissa sunt illa *et adjecit Laban.*

(4) Et sic emendatum in Bibliis Clementinis.

post longam inquisitionem inventi sunt quidam Codices manuscripti, qui habeant *filia*. Antequam invenirentur isti Codices manuscripti, quid quæso faciendum erat, si non possumus suspicari errorem, quando in unam lectionem conveniunt Codices vulgati?

Gen. L, num. 19. *Nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati?* Ex hoc loco datur occasio iis, qui dicunt, Deum esse causam mali; videtur enim Joseph excusare scelus fratrum suorum, quod fecerint, id est, quod fecerunt coacti a Deo. At in Hebræo, et Græco habetur hoc modo: *Nolite timere; nam sub Deo sum ego;* id est *nolite timere, quia ego cum subjectus Deo sim, nihil faciam, nisi quod Deo placere video*, et quamvis in hunc sensum possit etiam trahi lectio latina; tamen negari non potest, quin interpres nimis libere sit versatus in vertendo et explicando verba hebraica [1].

Exod. XXI, num. 10. *Quod si alteram acceperit uxorem, providebit puellæ*, nimirum ancillæ ductæ in uxorem, *nuptias, et vestimenta, et pretium pudicitiæ non negabit. Si autem hæc tria non fecerit, dimittet eam gratis sine pecunia* [2]. Hæc versio non solum repugnat Hebræo, Græco et Chaldæo; sed etiam manifestæ rationi: nam plus est providere puellæ, quæ repudiatur, nuptias, vestimenta, et pretium ablatæ pudicitiæ solvere, quam gratis liberam dimittere; cum tamen hoc posterius ponatur, tamquam pœnalis conditio iis, quæ non servant priora. At in Hebræo, Chaldæo et Græco longe alius est sensus, nimirum iste, *qui servæ puellæ ductæ in uxorem superduxerit aliam, non minuet priori victum, et vestitum, et debitum conjugale non negabit; quod si hæc non fecerit, dimittet liberam gratis.*

Num. XXXIII, n. 3. *Profecti de Ramesse quinta decima die mensis primi fecerunt altera die Phase.* In Hebræo non est illud *fecerunt* [3], et vere nullo modo potest ibi esse; nam alioquin fuisset phase die 14 mensis primi, et sic semper debet fieri. Verum est, hunc etiam esse errorem librariorum, sed ideo eum notari, quia habetur in omnibus Codicibus impressis, et solum magna diligentia inventi sunt pauci manuscripti, qui recte haberent, idest sine illo *fecerunt*.

I. Reg. XIV, num. 14, in media parte jugeri, *quam par boum in die arare consuevit;* omnes Codices latini sic habent, et tamen legendum esset, *quod*, non *quam;* nam par boum in die integrum jugerum arare consuevit. In Hebræo, et Græco non est aliquid tale, est enim hæc additio Interpretis [4].

Sap. VIII, num. 17, *immortalis est in cogitatione sapientia,* at in græco ἀθανασία *immortalitas est in cognatione* συγγενεσία *sapientiæ:* videtur error librariorum, positum *cogitatione* pro *cognatione* [5].

III. Reg. VII, num. 9, ponitur *intrinsecus* in omnibus latinis Codicibus etiam manuscriptis cum tamen in Hebræo, Chaldæo, Græco constanter habetur *extrinsecus*, nec ulla sit causa corruptionis in his editionibus [6].

Esther VI, num. 4: *Intraverat autem Aman interius atrium.* In Hebræo habetur contrarium, idest atrium חיצונה *exterius*, non *interius*, et quod habetur in editione vulgata, repugnat Scripturæ. Nam cap. 4 dicitur, nemini licuisse intrare atrium interius injussu Regis. Certum autem est, non venisse tunc Aman jussu Regis; nam Rex ignorabat quis esset in atrio, et ille venerat, ut peteret mortem Mardochæi. Videtur hic etiam error librariorum, nam facile est mutare *exterius* in *interius*. Tamen nulla est hic varietas in editione vulgata, sed omnes Codices consentiunt in errore [7].

Psalmo LXI, numero 5, *cucurri in siti.* Hebræus Codex habet in plurali. רצו *cucurrerunt.* Græcus est ambiguus. ἔδραμον quod *cucurri* et *cucurrerunt*, significare potest. Latinus hac ambiguitate deceptus est; nam alioquin contextus requirit numerum multitudinis, ut habent cetera verba ejusdem loci, *pretium meum cogitaverunt repellere, ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.* In Hebræo nulla potest fingi ratio ambiguitatis.

(1) Retinuit tamen vulgata Clementis versiculum hic a Bellarmino reprehensum.
(2) Paullo aliter est in nostra Vulgata.
(3) Omissum est etiam in Clementis VIII editione vulgata.
(4) Retenta tamen editione Clementis.
(5) Legitur tamen *in cogitatione* etiam in Clementis vulgata.
(6) Emendavit Clemens.
(7) Qui etiamnum legitur in vulgata, ut et sequentes a Bellarmino notati.

Ecclesiastis VII, num. 19. *Sustenta justum*, hic est etiam manifestus error librariorum, sed communis omnibus Codicibus latinis. In Hebræo est *sustenta istum*, ut etiam in Græco, et hoc requirit contextus. Sic enim sequitur, *sed et ab illo ne subtrahas manum*, ubi monemur sustentare *istum*, et *illum*, idest, non *unum* sustentare, *alium* deserere. Fuit autem facile ex *isto* facere *justum*. At in Hebræo et Græco non potuit contingere iste error.

Ecclesiastici LI: *Exaltasti super terram habitationem meam, et pro morte defluente deprecatus sum.* In Græco longe intelligibilius legitur. *Exaltavi super terram orationem meam, et pro liberatione a morte deprecatus sum.*

Act. IX, num. 29. Loquebatur quoque gentibus, et disputabat cum Græcis: Non habetur in græco illud, *gentibus*, sed ita legitur; *loquebatur*, et *disputabat cum Græcis*, et videtur omnino debere abesse illud, *gentibus*, nam primus, qui ausus est loqui gentibus de mysteriis fidei, fuit Petrus, ut ipse dicit Act. XV, immo adeo novum visum hoc fuit, ut Act. II. Petrus de hac re a fratribus reprehenderetur, quod gentibus evangelium prædicasset, id autem fecit Petrus Act. X, ex peculiari instinctu, et revelatione Dei. Non igitur credibile est, Paulum in ipsa Jerosolyma loquutum esse gentibus, longo tempore antequam Petrus ostium prædicandi gentibus aperuisset; et confirmatur, quia nemo miratus est de prædicatione Pauli, neque eum fratres reprehenderunt. Porro Græci, cum quibus disputavit, erant Judæi nati in Græcia, non autem *Gentes*. Adde quod Chrysostomus, Œcumenius et Beda legunt, *loquebatur, et disputabat cum Græcis*.

In libris Paralipomenon magna est confusio nominum propriorum, ut siquis recte inspiciat, facile suspicare possit, editionem vulgatam esse nunc ita corruptam ut suo tempore fuisse testatur Hieronymus in secunda præfatione in hos libros; ac, ut omittam cetera, *lib. 1, cap. 4, n. 22*, legimus in vulgata: *Et qui stare fecit solem*, pro quo in Hebræo non est, nisi una vox יוקים in Græco *Joachim*, nec apparet, unde irrepserint in latinum Codicem illa verba, quæ miraculum tam stupendum continent, neque est mentio eo loco Josue, sed textitur genealogia filiorum Selæ filii Judæ, de cujus tribu non erat Josue.

(1) De hac Pagnini versione ita sentit cl. Genebrardus (*Præf. in Orig. opera*): *Minus diligens, nimis ambitiosa, nimis curiosa, nimis grammatica, nimis grammaticarum minutiarum æmula, quæque recentium præceptionum subtilitate noxam sinceritati et sententiarum et verum sæpiuscule afferebat; unde nec satis interdum cohæret cum veterum Hebræorum doctrina, nec cum fidei Catholicæ mysteriis.* Confer Richardum Simonium in hist. critica Veteris Testamenti (Parisiis 1681), l. 2, c. 20, pag. 109 seqq. et P. Le Long. *Biblioth. Sacræ*, t. 1 edit. Parisiis 1723, p. 286 seq.

CAPUT X.

DE RECENTIORUM VERSIONIBUS.

I. Recentiores interpretationes Latinæ Catholicorum ex Hebræo plures sunt: in iis eminent editiones Sanctis Pagnini, Benedicti Ariæ Montani, Francisci Vatabli, Tigurina et Isidori Clari.

II. *Sanctes Pagninus* Lucensis, Ordinis Prædicatorum, vetus Testamentum ex Hebræo, Novum ex Græco de verbo ad verbum transtulit circa annum Christi 1530, et opus suum Clementi VII Pontifici dicavit.

III. Verum quoniam non omnia exacte [1] ab eo translata videbantur, *Benedictus Arias Montanus* Hispalensis, adhibitis variis ejus editionibus partim ex ipsius interpretatione, partim ex diligenti hebraicæ locutionis observatione, novam quodammodo confecit, quæ Hebraicis Græcisque vocibus Latinas interlineares superponit, et quæ ab ipso immutata fuerant, ab iis quæ Pagnini erant, diverso charactere distinguit [2].

IV. Alteram interpretationem eodem fere tempore Parisiis edidit, vel dictavit potius Regius Linguæ sanctæ Professor *Franciscus Vatablus* [3] ex Hebræo et Græco; quam et scholiis locupletavit, ex Rabbinorum maxime penu depromptis. Sed cum ea non paucis erroribus a Roberto Stephano typographo aspersa diceretur, Catholicorum Theologorum diligentia et

(2) Vide citatos Simonium p. 111, et Le Long p. 293.

(3) Perperam hæc Vatabli editio dicitur, quum ipsa Tigurina sit, de qua infra, scholiis illustrata: unde autem factum sit, ut Vatablo tribueretur, docet Kortoltus pag. 265 *Tract. de variis Script. editione. Hæc autem editio*, inquit ille, *citari solet sub nomine Vatabli, non ratione translationis, sic enim Vatablus eam non agnovit, sed respectu adnotationum, quæ ei publicis ejus prælectionibus excerptæ sunt, ut refert ipse Stephanus in præfat. Biblior. Latin.* anni 1557. Confer P. Le Long, p. 290.

pietate, in Hispania purgata est, ac Salmanticæ anno 1584 correctius edita [1].

V. Tigurina [2] sic dicta est quod Clero Tigurino in Helvetia dicata fuerit, a Leone ejus urbis præsule [3] primum suscepta, deinde a Theodoro *Bibliandro* et Conrado *Pellicano*, quod attinet ad vetus Testamentum; ab Erasmo quantum ad Novum, adjunctis ab eorum unoquoque annotationibus, perfecta.

VI. Novum deinde Testamentum Petrus *Cholinus*, et Robertus *Gualterius* cum veritate Græca contulerunt, et mendis expurgarunt: sed hæc versio, nonnisi editionis primæ, a Catholicis probatur, posteriores ab hæreticis corruptæ sunt.

VII. Isidorus *Clarus* Brixiensis, ex Cassinensi monacho Fulginensis Episcopus, aliam adornavit, quæ cum ejusdem annotationibus Venetiis apud Juntas prodiit, et a viris doctis plurimi fit [4].

VIII. Quantum ad has privatorum translationes servanda est hæc Regula, ut admittantur ad majorem vulgatæ, Textuum hebraici, et græci, veterumque versionum dilucidationem, non ut quidquam ipsis detrahere possint.

IX. Heterodoxorum recentiorum Latinæ versiones multæ prodierunt: in pretio apud suos sunt imprimis, tum quam Franciscus Junius et Emmanuel Tremellius concinnarunt, tamquam quæ ad fidem textus hebraici maxime accedat [5]: tum quam elaboravit Castalio tamquam purissimæ latinitatis [6].

X. Nec minori numero sunt quæ vulgaribus Linguis circumferuntur, in quibus id a catholicis Prælatis observari solet, ut earum versionum lectionem iis permittant, qui ex ea non damnum sed fidei ac pietatis augmentum capere possunt. Cur autem non omnibus passim ab Ecclesia Romana concedatur ipsarum usus, causam non unam tradit Bellarminus *lib. 2 de verbo Dei* [7]. Inter Gallicas Lovaniensem probabant Patres nostri: nunc elucubrata a viro cl. Isaaco Magistro, alias de Sacy, elegantiæ palmam haud dubie apud eruditos feret [8].

CAPUT XI.

DE VARIIS VETERIS ET NOVI TESTAMENTI VERSIONIBUS, ET PARAPHRASIBUS CHALDAICIS, SYRIACIS, ARABICIS.

I. Universa Scriptura sacra ex hebræo sermone in chaldaicum Paraphrastice versa est, ut post alios fuse tradit Franciscus Lucas Brugensis [9]. Pentateuchum, itemque Prophetas priores, Josue, Judicum, Regumque libros transtulit Rabbi Aquila seu potius Onkelos, qui a Judæis vixisse dicitur paullo post Christum. Posteriores autem Prophetas Rabbi Jonathan filius Urielis, quem in Synagoga veteri ante Christum natum floruisse volunt: *Hagiographa*, id est Psalmos, Job, Ruth, Esther et Salomonis opera, vertit Josephus cæcus, ex magis recepta opinione: *Historicos* Anonymus. Hæ Paraphrasticæ translationes vulgo *Targumin*, idest *interpretationes* dictæ, quia apud Hebræos magnæ sunt auctoritatis, et Judæis convincendis inservire possunt, nobis quoque utiles sunt. Ceterum ab Ecclesia non tanti fiunt, ut ex iis irrefragabile aliquod argumentum inter christianos duci possit. Et sane si Pentateuchi paraphrasim excipias, Judaicis fabulis, et Talmudistarum nugis pleræque aspersæ, alicubi contrarium, sæpe diversum longe et ab Hebræo textu et a Græcis Latinisque versionibus sensum exhibent. Pentateuchi quidem plures extant hujusmodi Paraphrases etiam Jonathanis et Jerosolymitana; verum ea prævalet, quam *Onkelos* composuit, quæque absolute Pa-

(1) Notas paucissimas in ea Salmaticensi editione immutatas fuisse observat Richardus Simonius *Disquisit. Criticar.*, c. 23, p. 189.

(2) Lapsus est Doujatius Catholicorum versionibus Tigurinam hanc adcenses a Leone Judæ Zvingliano homine susceptam.

(3) Immo hæretico *Pastore*, ut vocant, et *ministro*. Vide Simonium in *Hist. crit. vet. Test.*, lib. 2, p. 118. Et Le Long t. 1, *Bibl. Sac.*, p. 289.

(4) Confer Le Long. tom. 1, pag. 258 et Simonium in *Hist. crit. vet. Testam.*, p. 115

(5) De hac Tremellii et Junii versione agit Simonius, pag. 120 et Le Long, pag. 294.

(6) Vide citatos Simonium, pag. 119 et Le Long., pag. 291 seq.

(7) Cap. XV et XVI.

(8) Eam tamen ut non satis ad vulgatæ fidem expressam non uno loco carpit Benedictinus Martin in *explanatione* Gallica *plurium difficillorum sacræ Scripturæ locorum*. Alia sunt etiam reprehensione digniora. Confer dictionarium Librorum Jansenianorum, t. 4, p. 69. Nec nobis Italis versiones desunt sacræ Scripturæ in nostrum idioma. Recensent illa Le Long. *Biblioth. sacræ*, pag. 373 seq. et cl. Marchio Maffejus in aureo libello inscripto *Traduttori Italiani*, p. 21 seqq. Præcipuæ sunt Biblia Italica Nicolai de Malermiis, Antonii Brucioli et Sanctis Marmochini; nam quæ Itala versio Sixto V tribuitur, fictitia est, ut ostendit citatus Le Long, p 357 et Auctor Gallicæ epistolæ, cujus synopsim dedi tom. 4 *Hist. litter. Italicæ*, p. 247.

(9) In Tract. de Chaldaicis script. paraphras.

raphraseos chaldaicæ in Pentateuchum nomen meruit.

II. Sed Jonathanis paraphrasim in legem æra christiana, et quidem pluribus seculis posteriorem, vel ex eo in primis demonstrat Morinus [1] quod *Misne* meminerit, sive *Misnajoth*, libri nimirum in quo Judæorum omnes *Traditiones* continentur, et quem fatentur ipsi nonnisi ducentis post Jesum natum annis compositum; Morinus in Justiniani tempora rejicit [2]. Præterea Constantinopolim memorat, et Turcas, quæ nomina tardius, vel nata, vel cognita. Idem Morinus novitatem Paraphraseos Jonathanis in Prophetas priores et posteriores multis argumentis probat: et Paraphrasim Chaldaicam in *Hagiographa* recentiorem adhuc, et post Talmud natam demonstrat [3]; utpote quæ ejus non semel meminerit.

III. *Talmud* autem *Misna* recentius necessario est; cum nihil aliud sit quam glossa amplissima, sive Commentarius in *Misnajoth*, quod Judæorum jus universum, tam civile, quam sacrum, eorumque omnem Theologiam complectitur.

IV. Porro *Talmud* duplex est, Babylonicum et Jerosolymitanum, illud anno circiter 420, aut etiam 240, ut volunt, inchoatum, atque ob Persarum cum Arabibus bella interruptum, anno demum Christi 707 perfectum fuisse evidenter conficit Morinus sæpius laudatus [4]. Ex ejus in publicum editione ortum schisma Judæos in duas sectas divisit, *Rabanistarum* Talmudi, et *Karaitarum* Scripturæ inhærentium [5].

V. Antiquius paullo fuit *Talmud Jerosolymitanum*, quod *Rabbi Jochanan* dialecto ex diversis linguis conflata composuit circa annum Christi 370, si R. *Seriæ*, vel 372 si *Mosis Ægyptii* calculum sequamur; non ante 600, si audiamus *Morinum*, id ex propriis locorum, et nationum nominibus in eo memoratis conjicientem, *Burgi* nempe, *Carthaginæ*, *Turcarum* [6].

VI. Quod attinet ad aliam Paraphrasim Chaldaicam quæ auctori *Onkelos* assignatur, quæque pressius sacrum textum sine fabularum admixta farragine interpretatur; ejus scriptori, quem proselytum fuisse constat, miram nobilitatem affingunt Judæi, adeo ut Titi imperatoris filium pronuntiare non dubitent. Alii sororis ejusdem nepotem dicunt, quem et cum Aquila Pontico antiquissimo interprete Græco confundunt. Revera tamen longe diversi, et tempore et lingua fuerunt: nec hujus Onkelos mentio nisi apud Talmudistas, post Talmud scilicet Babylonicum occurrit.

VII. Paraphrastes quoque Jerosolymitanus (cujus et nomen et tempus ipsis Judæis incognita sunt) certa legis loca illustrare conatur. Is vix ante annum Christi 600 scripsisse videtur, cum non modo *Francorum* sed *Turcarum* quoque nominibus utatur, ut ratiocinatur Morinus [7] sæpe dictus. Inter utrumque *Targum* discrimen non mediocre agnoscit Elias Levita, quod Jerosolymitanum ex pluribus linguis, Babylonica, Græca, Romana et Persica sit compositum; quæ linguarum varietas non apparet in Targum Babylonico.

VIII. Syriaca vero totius fere veteris Testamenti versio, ut et Arabica, cum Latina Gabrielis Sionitæ translatione extat in magna Bibliorum editione Parisiensi, quam Guido Michael le Jay maxima cura et impensa vere regia adornavit. Ejus Paraphrasis antiquitatem commendat idem Sionita in Epistola ad lectorem præfixa libro Psalmorum, hac lingua ab eo Parisiis edito. Affirmat enim ex antiquissimo libro Soadedi Episcopi Habethensis, veteri charactere, in membranis exarato, sacrorum voluminum eam translationem quantum ad Pentateuchum, Josue, Judices, Ruth, Samuel, David, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum et Job, scriptam esse tempore Salomonis, precibus Hiram Regis Tyrii. Reliquos vero libros veteris pariter ac novi Testamenti tempore Abagari Regis Syriæ, cura Thaddæi aliorumque Apostolorum in Syriacum sermonem translatos. Qua de re licet dubitari jure possit, atque in primis de priori parte, id tamen confirmare nititur ex eo, quod sanctus Paulus usus videatur hac Syriaca versione, cum Davidem *Psalmo 68* citans, ita ejus verba refert, *ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* [8]. Nam is versus

(1) Lib. 2, exercit. 8, cap. 2.
(2) Exercit. 6, cap. 2.
(3) Cap. 5, exercit. 8, lib. 2.
(4) Lib. 2, exercit. 6, cap. 4 et 5.
(5) Lib. 2, exercit. 7, cap. 1.
(6) Lib. 2, exercit. 7, cap. 1.
(7) Exerc., cap. 6.
(8) Ep. ad Eph. c. IV.

in ceterarum linguarum editionibus, Hebræa scilicet ac Latina, habet, *accepisti dona in hominibus*. Sola autem Syriaca versio eum sensum exhibet, *Dedisti dona hominibus*. Verum alii nec ita forsan immerito, eumdem sensum textui Hebraico tribuunt, ubi vertunt, *accepisti dona pro hominibus*, non autem *accepisti donâ in hominibus*. Ut ut sit, hæ versiones non exigui momenti sunt habendæ cum antiquas esse constet, nec raro etiam vulgatæ sensum exprimant, et sic eam confirment [1].

CAPUT XII.

DE SACRÆ SCRIPTURÆ VARIIS SENSIBUS, EJUSQUE INTERPRETANDÆ REGULIS.

I. Sensus Scripturæ sacræ ex communi Catholicorum sententia duplex est in genere, *Litteralis* sive historicus, et *Spiritualis* sive mysticus: qui duo sensus exprimi putantur per librum scriptum intus et foris apud Ezechielem [2] et Joannem [3], ita ut *exterior* scriptura litteram indicet, *interior* mysterium.

II. Mysticum deinde sensum triplicem adhuc faciunt B. Thomas [4], Nicolaus Liranus [5], ac reliqui doctores, *Allegoricum*, *Tropologicum* et *Anagogicum*. *Allegoricus* ad ea refertur, quæ in nova lege credenda proponuntur a Græca voce ἀλληγορία quæ *inversionem* significat, qua aliud verbis exprimitur, aliud sensu intelligitur. *Tropologicus* sive Moralis (τρόπος enim Græce *Mores* significat) ad ea quæ sunt agenda pertinet. *Anagogicus* vero refertur ad ea quæ speramus, seu ad æternam alterius vitæ felicitatem, deducto nomine a Græca voce ἀναγωγὴ quæ excelsam, sive subtilem, intelligentiam, et erectionem animi ad sublimia denotat, atque apud priscum sub Dionysii nomine scriptorem, pro recondito oraculorum sensu accipitur, æque ac θεωρία. Hi tres sensus una cum Litterali hoc vulgari Disticho indicantur.

Littera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

Exemplum Beda [6] profert in voce JERUSALEM, quæ ad Litteram significat Judææ *civitatem*, secundum sensum Moralem sumitur pro *Anima* fideli, ut apud Isaiam [7], *Excutere de pulvere, consurge, sede Jerusalem, solve vincla colli tui, captiva filia Sion:* in sensu allegorico pro *Ecclesia* militante accipitur, ut apud Joannem [8], *Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo, a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo:* secundum Analogiam pro *Ecclesia triumphante*. De hac sane sic loquitur Paulus [9]: *Illa autem quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra.*

III. Beatus quidem Hieronymus [10] triplicem omnino facit sensum, *Historicum*, *Tropologicum* et *Spiritualem:* sed ex ejus mente *Spiritualis* allegoricum simul et anagogicum complectitur, a morali vero distinguitur.

IV. Ita sanctus quoque Augustinus [11], *Historiam*, *Allegoriam*, *Analogiam* et *Æthiologiam* ponit pro variis Scripturæ interpretandæ modis. Verum non re, sed verbis tantum a recentioribus discrepat. Allegoriæ quippe nomine sensus spiritualis tria genera comprehendit: historiam, Æthiologiam et Analogiam ad sensem litteralem refert, cujus Æthiologia causas exquirit (enim αἰτία causa est sive occasio). Analogia plura loca Scripturæ inter se comparat, atque ad concordiam reducit. Nam ἀναλογία similitudo est, sive proportio; et quam Stoici *Analogiam*, Cicero *convenientiam* appellat.

V. Addunt nonnulli sensum minus principalem: eumque *accommodatitium* vocant, quo Scripturæ verba per quamdam extensionem ad rem aliam producuntur, et applicantur, quam sacer scriptor, nec historico, nec allegorico sensu intellexisse videtur; ut cum bella et persecutiones populi Israelitici, et civitatis Jerosolymitanæ, ac templi vastationes trahuntur ad persecutiones, quas ab hæreticis et tyrannis passa est Ecclesia; et quæ de Sapientia dicta sunt in libris Salomonis, B. Virgini accommodantur. Sed hic sensus videtur ad allegoricum referri posse.

(1) De his versionibus consule Simonium in *Hist. critica vet. Test.*, lib. 2, cap 15. Jo. Christoph. Wolfii *Biblioth. Hebr.*, part. 2, pag. 1147. Le Long, pag. 303.
(2) Ezech. II.
(3) Apoc. v.
(4) 1 parte, q. 1.
(5) In prœm. postil.
(6) Lib. de tropic. sacr. Script.
(7) Cap. LII.
(8) Apoc. XXI.
(9) Cap. II ad Gal.
(10) Ep. 150 ad Heliod.
(11) De Gen. ad litteram lib. imperf. alias de utilitate credendi, cap. 2.

VI. Observandum autem est ex sancto Augustino [1] et S. Thoma [2] aliisque doctoribus, multiplicem esse posse sacræ Scripturæ sensum etiam litteralem: exempli causa, illud Psalmi 2, *Ego hodie genui te;* quamquam intelligitur plerumque de æterna Verbi divini generatione, explicatur tamen a S. Paulo [3] de Christi Domini resurrectione.

VII. Ad litteralem refertur etiam a S. Thoma paullo ante citato parabolicus, quo aliud dicitur, aliud per comparationem quamdam intelligitur, ut cum *brachium* Dei pro ipsius potestate usurpatur. Verum, sive unus sit, sive multiplex litteralis sensus, certum est, eum ad explicandum divinum sermonem, atque ad dogmata fidei confirmanda sufficere. Nam ut Hieronymus advertit [4], nunquam parabolæ, et obscura ænigmatum intelligentia ad probationem dogmatum proficere potest.

VIII. Quod vero dicitur ab Apostolo [5]: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat,* quo impii abutuntur, ut verbum omne scriptum, tamquam mortis causam respuendum esse concludant, idque solum pro verbo Dei habendum, quod Spiritus sanctus in corde cujusque loquitur: id varie exponitur a Patribus: et siquidem per *litteram* intelligitur Scriptura, *litteræ* appellatio de iis tantum sumi debet, quæ figurate dicta sunt, quæque secundum propriam verborum significationem accipi non possunt. Sed quoniam non ea de re agere videtur eo loco Apostolus, satius erit, si ex mente sancti Joannis Chrysostomi, Theodoreti et aliorum, de Lege veteri id interpretemur, quæ non gravia modo, sed et sæpe levia capitali supplicio puniret; verbi gratia, si quis sabbato ligna collegisset [6]; cum gratia, quæ ibi *Spiritus* nomine eo casu intelligenda erit, etiam sceleratissimos quosque per lavacrum regenerationis aut per verbum reconciliationis absolvat. Vel dicendum potius erit cum S. Augustino [7], accipi *Litteræ* vocabulum pro Lege ipsa, quæ sine gratia impleri non potest, et prohibitione concupiscentiam auget, ut testatur idem Paulus [8].

IX. Ad superandas, quæ in legendis Scripturis occurrunt difficultates, certæ regulæ traduntur, collectæ partim a sanctis Patribus ut a B. Augustino [9], et Eucherio Lugdunensi Episcopo [10]; partim a recentioribus, in quibus præcipui Franciscus Ruisius Hispanus monachus, Sanctes Pagninus Lucensis Ordinis Prædicatorum [11], Benedictus Arias Montanus [12], et Martinus Martinez [13].

X. Hac in re præter virtutum christianarum fundamenta, vimque enixæ ac frequentis ad Deum orationis, qua una creditur S. Thomas ad sacræ scientiæ culmen evectus, hæ sunt præcipuæ regulæ observandæ.

Primo, non omnes illi quatuor sensus, de quibus locuti sumus, in singulis Scripturæ locis investigandi sunt; sed in multis litteralis dumtaxat inspiciendus, quod observarunt SS. Augustin. [14], Thomas [15] aliique. Plurima enim loca occurrunt quæ mystice explicari non debent, ut præcepta charitatis, Juris naturalis principia, adhortationes ad virtutem, in quibus spiritualis sensus ab historico non differt.

Deinde perpendendum est, an voces, quas legimus, et de quibus dubitatio incidit, sumi possint ac debeant in propria significatione, an secundum metaphoricam et figuratam locutionem. Licet enim quantum fieri potest, propria significatio servanda sit, et ex sententia B. Basilii [16], quoties *fœnum* audimus, *fœnum* sit intelligendum: sæpe tamen is sensus est, quem figurata significatio ostendit. Unde quæ figurate dicuntur, non prout verba sonant, accipienda sunt, et secundum litteram: sed eo sensu quem in illa figurata locutione reddunt. Quemadmodum ergo ubicumque congruus sensus ex proprietate verborum elici potest, eum sequi oportet: ita cavendum est, ne, quod figurate in Scriptura dicitur, juxta litteræ proprietatem, perperam sumatur. Quapropter Origenes haud dubie lapsus est, cum quæ de Paradiso secundum litteram proprie dicuntur, ad mysticos sensus detorsit; et Lactantius aliique cum annos, quibus regnaturi cum Christo Sancti

(1) Lib. 3 de doctr. Christ. c. 37.
(2) Parte 7, q. 1, art. 10.
(3) Epist. ad Hebr., cap. I.
(4) In cap. III Matth. (5) II. ad Cor. III.
(6) Num. XV.
(7) De spiritu et littera, c. 4.
(8) Epist. ad Rom. cap. IV et VII.
(9) Septem lib. locut. SS.
(10) Lib. de spiritual. formulis.
(11) In Isagoge ad sacr. Litter.
(12) In Apparatu ad sacra Biblia regia.
(13) In lib. Hypotoposeon Theol.
(14) Lib. 17 de Civit. Dei.
(15) Quodlib. 7. (16) In Hexam. homil.

dicuntur super terram, quod figurate accipiendum est, secundum litteram interpretatur. Figurata autem significatio, in visionibus Danielis maxime, ceterorumque Prophetarum, in Parabolis Salomonis, in Cantico Canticorum, in libro Apocalypsis, ut plurimum accipi debet: immo et alibi non raro: exempli causa ubicumque Deo membra, et affectus humani tribuuntur; et ubicumque ex propria significatione aperte falsum quid, aut absurdum, rationive contrarium sequitur; ut in illis verbis Christi de Joanne Baptista [1]: *Ipse est Elias*. Inde S. Augustinus [2] sic concludit: « Quidquid in sermone divino neque admodum honestum, id est, ad diligendum Deum vel proximum, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuras esse cognosces. Quod si perspicue dicitur, non est ad aliud referendum, quasi figurate dictum. » Observanda igitur sunt schemata, seu figuratæ, ac tropicæ loquendi formæ, quia ut observat sive Beda, sive Cassiodorus [3], « in Scripturis sacris causa decoris, aliter quam vulgaris via docendi habet, figuratus ordo verborum solet inveniri. »

Illud in primis omnino tenendum, ut quoties de iis agitur quæ ad fidem spectant, id in sacris Litteris interpretandis sequamur, quod ab Apostolis traditum Catholica a primis usque seculis Ecclesia docuit. Inhærere quippe Apostoli doctrinæ oportet quotquot Christi nomine gloriamur, et ex ejus mente, in *captivitatem redigere intellectum in obsequium Christi* [4], tunc etiam cum ejusmodi proponuntur articuli, qui rationi repugnare videntur, et a naturæ ordine omnino recedunt: sed a Deo, cui nihil impossibile, revelata pro certissimis habenda sunt. Qua in re excusationem non merentur, qui verba Christi Eucharistiæ Sacramentum instituentis pro modulo mentis humanæ metiuntur, et per metaphoram dicta volunt, quæ prout sonant accipi debent; figuram tantum corporis et sanguinis Domini pro vero corpore et sanguine, contra indubitatam et ab Apostolorum temporibus per undecim ferme secula ubique sine controversia receptam Ecclesiæ fidem, obtrudentes: quorum si futiles rationes valerent, ex consequentibus ductæ, quæ ipsi absurda putant, iisdem aut non disparibus argumentis æque subverti possent sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis mysteria.

Tertio advertendum est, scriptores sacros, ac præsertim Prophetas sæpe uti mutatione temporum, personarum, numeri, affectuum: quoniam Spiritu sancto afflati, modo animum convertebant ad præterita, modo ad futura aut præsentia, modo ad Deum, modo ad creaturas easque diversas. Quamobrem ad percipiendam eorum mentem non semper, etiam in eodem capite, aut Psalmo, ad easdem res ac personas, aut ad eadem tempora cogitatio dirigenda est.

Quarto diligenter præterea notandæ sunt phrases, seu idiotismi Hebrææ linguæ, qua scripta est veteris Testamenti pars longe maxima: itemque manifesta Hebraici sermonis etiam in Græco novi Fœderis textu vestigia. Etenim teste Augustino [5], « Habet omnis lingua sua propria genera locutionum, quæ cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda. » Sic Hebræi loquendi formas a nostris alienas usurpant.

1. Sæpe cum duo substantiva conjunctim ponuntur, alterum vim habet adjectivi, ut *ignis et sulfur*, pro igne sulfureo; *facite justitiam et judicium*, id est justum judicium.

2. Idem accidit cum duorum substantivorum unum in recto seu nominandi casu, alterum in obliquo ponitur, sive in generandi casu sine præpositione, sive adjecta præpositione. Ita *vir desideriorum*, est homo admodum desideratus, vel plenus desideriis; *Urbs sanctitatis*, est urbs sancta, nempe Jerusalem; *Spiritus sanctificationis*, similiter pro Spiritu sanctificante sumitur; *Deus justitiæ meæ*, idem aliis est, ac nostro loquendi more, *Deus meus justus*. Dicunt et *beatitudines viri*, pro viro beato: sic *homo pacis meæ*, idem est ac *homo qui mecum pacifice vivit, aut alias vivebat*: *honor Regis*, pro Rege honorato: et apud Paulum *datur sermo sapientiæ*, id est sermo sapiens: *et Spiritus promissionis* pro Spiritu promisso: idem *liberari cupit a corpore mortis hujus*, id est ab hoc corpore mortali. Quin et *Circumcisionis* nomine Judæos, nomine *præputii* Gentiles designat. In hanc quoque sententiam dicitur *filius doloris, vel lacrymarum* pro sum-

(1) Matth. xi. (2) L. 3 de Doctr. christ., c. 3.
(3) In præf. de tropis SS.
(4) II. ad Cor. x, 5.
(5) De vera Relig., cap. 94.

mopere mœsto ac lugente; *filius perditionis* pro homine valde perdito, vel ad perdendos alios nato. Cum præpositione autem substantivum pro adjectivo est, in his loquendi formis, *custodia in nocte* pro custodia nocturna, *aper de silva* pro apro silvestri. Nomen quoque substantivum cum præpositione pro adverbio usurpant: in *latitudine*, id est late, largiter, ample: *in festinatione*, id est, festinanter, propere; apud nos quoque dixerimus *cum festinatione*. Præterea, cum comparativo et superlativo gradu careat Hebraicus sermo, pluribus modis excellentiam rerum et præstantiam significant. Comparationem exprimunt per positivum, vel interjecta præpositione *Super*; ut: *bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti*; vel sine præpositione subjecta particula *quam*; ut: *bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*; et apud Matthæum, *bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam*. Superlativum supplet nominis ejusdem repetitio in genitivo, ut *cœlum cœli*, vel *cœli cœlorum* pro summo cælo, quale creditur Empyreum; *canticum canticorum* pro excellenti cantico, sive poemate; nisi velis plurium Canticorum syntagmata denotari. Eodem pertinet quod sublimia quæque Deo attribuuntur, ut cum dicunt *montes Dei*, et *cedros Dei*, pro celsissimis montibus, aut arboribus. *Primogenitum* quoque appellant quidquid in suo genere excellit; ut: *primogenitum ponam illum*, quæ verba explicantur per sequentia illa, *excelsum præ Regibus terræ*. Sed et in malam partem sumitur nonnunquam *primogenitum*, pro eo quod est in suo genere pessimum. *Adipem* quoque et pinguedinem designandæ bonitati atque excellentiæ adhibent, ut quid pro optimo commendent: Sic *pinguedinem terræ* dicunt, ut in illo psalmographi, *sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea*. Deinde, quia neutro genere carent Hebræi, femininum ejus loco in usu habent, ut: *unam petii a Domino, hanc requiram*, idest, unum, sive rem unam petii: item *hæc facta est mihi*, pro hæc mihi contigit. Illud quoque non omittendum multa nomina extra proprium sensum ad nobis incognitos usus sæpenumero trahi, v. g. *Davar*, hoc est *verbum*, non tantum pro sermone dicitur, sed etiam pro re, negotio, facto, casu; ut *verba delictorum meorum*, hoc est res, in quibus deliqui; *verba dierum* pro Chronicis, quibus continetur narratio rerum gestarum: *donec veniret verbum ejus* (Josephi), idest, quod ipsi destinatum erat: et in Evangelio: *non est impossibile apud Deum omne verbum*, id est, nihil Deo est impossibile. Ita *Porta* pro judicio, et alia hujusmodi sexcenta. Præterea in verbis tempus unum pro alio frequenter usurpant, futurum imprimis loco præsentis, quo carent; ut *aures habent et non audient*, id est, non audiunt: *Et cum hominibus non flagellabuntur*; hoc est, non affliguntur, sicut ceteri homines. Quin et modus alius pro alio apud eos in usu est; verbi gratia imperativus pro futuro indicativi: hoc fac *et vive*, idest *vives*. Diversum etiam a nobis usurpant verborum regimen; atque ut Arabes plerumque, et post eos Hispani, cumque his Vascones, dandi casum activis attribuunt, qui apud Latinos accusativum postulant: ut apud Psalmographum *in tribulatione dilatasti mihi*, pro ex angustia in laxitatem sive in libertatem eduxisti me. Item *judicare pupillo et inopi*, pro pupillum et inopem judicare; quæ loquendi forma priscis Latinis non incognita fuit. Gallice non male reddideris, *faire ou rendre justice au pupille*. Contra invenies *nocentes me*, pro eo, quod essent *nocentes mihi*. Dicunt iidem *animam habere in manibus*, pro eo quod est versari in vitæ discrimine; et *ædificare domum*, pro nuptias contrahere, ac rem familiarem augere. Sic etiam *loqui ad cor* pro consolari. Sunt et aliæ loquendi formæ circa hominum actiones, habitus, situs, gestus et affectus corporum atque animorum, quæ proprias significationes habent, et quibus quasi symbolis utuntur, ut sunt *operire caput*, quod caput erat damnatorum indicium: *demittere* aut *tollere caput*, quorum illud est mœstitiæ, hoc lætitiæ, et gaudii signum. Denique non pauca ex Orientalium moribus interpretari oportet, qui alii ab Occidentalium usu. Sic illa Isaiæ *butyrum et mel comedet*, in litterali sensu significant perventurum ad annos maturi judicii, quo quis discernere incipit bonum a malo: quia nonnisi grandioribus jam pueris edendum mel cum butyro porrigitur. Illud præsertim notandum particulam *Ki*, Latine *quia*, in sacris Codicibus non modo reddendæ dictorum rationis

causa non semper adhiberi; non modo sumi pro particula mere enuntiativa, quæ Græcis ὅτι, Latinis *quod:* sed etiam non rare vacare omnino: nisi quod aliquam dictis emphasim addit, ita ut aliquatenus accedat ad vim vocabuli *utique*, ad Græcorum ἄν, Italorum *pure*, eamdemque ferme vim habeat cum usitata Occitanis nostris vicinisque Vasconibus particula *que;* cui et quasi euphoniæ causa præponitur nonnumquam vocula *pu*, ex Italico, ut videtur, derivata. Sed de locutionibus Scripturæ, V. Augustinum.

De his omnibus ad Scripturæ sacræ criticam spectantibus plura dabunt præter memoratos, Salomon Glassius in *Philologia sacra* et Brianus Waltonus in suo *Apparatu Biblico;* sed ambo a Catholica communione ac fide alieni, atque ideo caute legendi [1].

Idiotismos et proprietates linguæ Hebraicæ et Græcæ, quæ sæpius in Scripturis occurrunt, fusius notavit atque explicuit Jacobus Tirinus e Societate Jesu, in Prolegomenis sui ad vetus et novum Testamentum Commentarii.

CAPUT XIII.

DE LIBRORUM CANONICORUM DIVISIONIBUS IN CAPITA ET VERSUS, ALIASVE SECTIONES APUD HEBRÆOS, GRÆCOS ET LATINOS.

I. Ut profani Auctores, ita et sacri, sua scripta uno fere ductu, et sine capitum versuumque immo plerique sine Librorum distinctione exarabant. Id de Pentateucho affirmant Cabalistæ apud Eliam Levitam, totam nempe Legem fuisse tamquam vocem unam, præter nomina Dei.

II. Sed quamquam Moses opus suum non diviserit; tamen credibile admodum est, eum Generationum ac Rerum gestarum narrationes posteriores a prioribus, interposito aliquo Scripturæ intervallo adjectave alia nota, sic separasse, ut inde occasionem habuerint Judæi totum opus in quinque libros, forte et in sectiones quasdam, distinguendi. In Prophetarum quoque scriptis ipsa rerum diversarum argumenta, et variæ visiones, variisque temporibus a Deo infusa, ideoque necessario distinguenda vaticinia, sectiones in certa capita, certosve articulos haud dubie induxerunt. Notat certe Chrysostomus [2] Prophetas omnia sua oracula uno eodemque tempore non edidisse, sed variis a Spiritu divino afflatos temporibus, sectiones quasdam enuntiasse, quæ in unum postea volumen redactæ integrum composuerint librum. Observat idem sanctus Antistes [3] Christi Genealogiam apud Matthæum a reliquo Evangelio esse distinctam.

III. Verum hæ sacrorum utriusque Fœderis librorum distinctiones, non statim, eadem ubique ratione, sed paullatim introductæ, et progressu temporis apertius, certiusque institutæ ac receptæ fuerunt, et quod ad legem Mosis ceteraque attinet veteris Testamenti volumina tradunt Joannes Crojus [4] et Josephus de Voisin [5] post Buxtorfium [6], tria fuisse sectionum genera, quibus varie distinguebantur. Sectio hujusmodi *Parascia* dicitur a Judæis, hoc est *Expositio*, quia solebant singulæ a Sacerdotibus aut Senioribus in Synagogis explanari. Harum aliæ majores sunt, aliæ minores, quædam mediæ. *Majores* dicuntur in quas ita divisi sunt libri Mosis, ut earum una singulis Sabbatis ex Mosis ipsius instituto per Esdram instaurato legatur, teste Philone apud Eusebium [7] et Josepho [8]. Idque eo consilio, ut Judæorum nemo præceptorum legis ignorantiam prætexere posset. Cujus quidem usus meminit Paulus *in Actibus Apostolorum*. Quare Pentateuchum diviserant in tot hujus generis sectiones, quot erant in anno Sabbata: sed quia ultimo Sabbato legebatur cum postrema Deuteronomii sectione prima etiam Geneseos, quatuor et quinquaginta numerabantur. *Minores* sectiones a Mose ipso institutas fuisse Judæi credunt, ideoque eas in libro Legis, quo utuntur in Synagogis, religiose notant, atque observant: easque distinguunt in *Apertas* et *Clausas*. Primum Libri Geneseos caput sex complectitur sectiones *Apertas*: prior includit quinque priores versus, altera tres; tertia quatuor, quarta sex; quinta quatuor; sexta vero octo. Prior

(1) Ex Catholicis citari poterant Bonfrerius in *Prælogiis* et Tirinus quem Waltonus exscripsit.
(2) Enarrat. in cap. II Isa.
(3) Hom. 2 in Matth.
(4) Sacræ in nov. Fœd. observ., cap. 2.
(5) Lib. de Leg. divin., cap. 26 et seq.
(6) De abbreviat. et Comment. Masoretico.
(7) Lib. 8 de præpar. Ev., cap. 7.
(8) Lib. 2 Antiq. Jud.

sectio *Clausa* complectitur versus septem et viginti, a versu 4 capitis 2, ad versum 16 capitis 3. Altera complectitur versus 16. Tertia vero versus 4 sequentes. Moses Maimonides [1] has omnes sectiones recenset. Genesis habet sectiones Apertas 43, Clausas vero 48. Denique quinque Legis libri habent sectiones *Apertas* 290; *Clausas* 369. Hæ sectiones in *Periodos* quoque dividuntur ex instituto etiam Mosis, ut putant, quales a Masorethis in tota Lege numerantur 845.

Sectiones aliæ, *Medii generis* dici possunt. Nam medium quasi locum tenent inter utrasque jam indicatas: sunt enim breviores prioribus, posterioribus longiores, qualos in Genesi quinquaginta numerantur; atque hæ magis respondent nostræ in capita divisioni.

IV. Masorethæ præterea Legem distinguunt in alia capita quæ *Sedarim* vocant, sive distinctiones strictius sumptas, et quasi ordines, quarum Genesis 42 continet; tota vero Lex 153. Hæc divisio in eorum usum instituta videtur, qui totam Legem nonnisi intra triennium legebant. *Pesuchim* seu versus numerant in Pentateucho 5830.

V. *Masorethæ* autem dicuntur Doctores Hebræi, qui quinto fere post Christum seculo *Masoram* composuerunt, opus ex traditione compositum ut indicat origo: est enim *Massar* Hebraice idem quod *Tradidit*. Ab his inventa ratio punctorum, quibus nunc vocales significantur, aliaque ad Grammaticam, et scrupulosas vocum, quæ in sacris Litteris habentur, observationes pertinentia [2].

VI. Græcum vetus Testamentum magna saltem ex parte Judæi Alexandriæ in Ægypto, atque in aliis civitatibus Græcis agentes divisum in sectiones quasdam exemplo Hebræorum haud dubie habuerunt, cum singulis Sabbatis legem Mosaicam in Synagogis suis legerent.

Prisci vero Ecclesiæ Patres Græci sacros Codices jam olim in sectiones divisos habebant, quas vocabant περικοπας quod ideo institutum videtur, ut haberet lector ubi quiesceret subinde, et represso nimio legendi ardore subsisteret, atque ex iis quæ legerat attenta meditatione apud se repetitis, dignum colligeret sanctæ lectionis fructum. Harum περικοπῶν seu sectionum meminere Clemens Alexandrinus [3], Basilius [4], Athanasius [5], Chrysostomus [6], aliique [7]. Hieronymus [8] etiam qui Paralipomenon libros a se in versuum cola digestos et Ezechielis translationem suam per *cola et commata* scriptam testatur. Origenes [9] ἀναγνωσμα, id est, *Lectionem* dixit pro *Sectione*. Usi quoque sunt Græci perinde ac Judæi variis sectionum seu distinctionum generibus tum majoribus, tum minoribus. Pericopæ majores *Tituli* nomine notabantur, quorum partes capitula, horum vero particulæ versus dicebantur. Notat Suidas [10] titulum a capitulo differre, atque apud eum Matthæus habet *titulos* 68, *capitula* vero 355. Marcus *titulos* 48, *capitula* 236 (sic enim legendum). Lucas *titulos* 83, *capitula* 348. Joannes *titulos* 18, *capitula* 232.

VII. Constat itaque ex dictis a priorum seculorum Patribus exemplo librorum veteris Testamenti introductam fuisse in libris quoque Novi Fœderis capitum distinctionem, tum eam ob causam quam paullo ante indicavimus, tum ut lectorum memoria juvaretur, atque ut Scripturæ loca facilius laudare, et commodius interpretari liceret. Non absimilem itaque distinctionum rationem Latini secuti sunt, nec in *capita* modo diviserunt utriusque sacræ Scripturæ volumina; sed capita ipsa in *commata* quæ sunt partes capitum minores, sive sententiæ quibus plures versus continentur, itemque in *cola* sive membra quæ alio nomine στίχοι Græcis Latinis *versus* seu versiculi vocantur; quamquam hæc vocabula sæpenumero promiscue accipiuntur. Et στίχου quidem meminerunt inter ceteros Athanasius [11] et Gregorius Nyssenus [12], dum locos ex psalterio allegant. Versus quoque et versiculos memorat imprimis B. Hieronymus [13] non uno loco, qui et *Incisi* et alios nominibus has breviores sectiones designant. Atque harum observationum adeo studiosi fuere primis seculis christiani, ut, si non syllabarum et elementorum, ut Masorethæ, saltem versuum

(1) Tract. de Philact. et lib. legis, c. 8.
(2) Consule Volfii Biblioth. Hebr., p. 2, lib. 3.
(3) 7 Stromatum.
(4) Lib. 2 de Baptismo, q. 4.
(5) Orat. 3 contra Arian.
(6) Concione 3 de Lazaro.
(7) Vide Tentzelium *de ritu lect. sac.* a num. 5
(8) Lib. 2 adversus Jov
(9) Lib. 3 contra Celsum.
(10) In voce. (11) Ut in c. IX Isa.
(12) De Theodoro martyre.
(13) Ut in ç. IX Isa.

cujusque libri numerum inirent, atque in fine sacrorum Codicum annotarent.

Hi Catalogi *Stichometriæ* dicebantur: quarum exempla extant complura. Græcum e Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani Chronographia descripsit Anastasius [1] Bibliothecarius, ubi numerus, ordo et versus librorum utriusque Testamenti recensentur, nec eorum modo qui in recepto ubique sacræ Scripturæ Canone numerantur, sed et quorumdam etiam qui communi Ecclesiæ judicio expuncti jam tum ex eo numero erant: Latinum a Morino [2] refertur ex antiquissimo Apostolicarum B. Pauli Epistolarum codice qui fuit apud clarissimos viros Puteanos fratres. Hunc catalogum perinde, ac Græcum illum ante mille ac centum annos scriptum fuisse ex eo conjicitur, quod in eo quoque cum Libris canonicis numerantur nonnulli qui jam eo tempore nullibi in Ecclesia Latina pro authenticis habebantur, contra vero quidam ex iis qui pro canonicis jam tum probati erant omittuntur. Huic non absimilem stichometriam edidit ex Cod. MS. Regiæ Bibliothecæ v. cl. et eruditissimus Joannes Baptista Cotelerius [3] Doctor Sorbonicus et noster ex Regia professione collega dignissimus. Morinianum collatis cum Nicephoriano numeris, qui admodum diversi reperiuntur, hoc loco lectorum oculis subjicere, operæ pretium duxi. Differunt et in ordine, ac numero Librorum hi duo catalogi.

VERSUS SCRIPTURARUM SS.

EX STICHOMETRIIS DUABUS

Latina apud Morinum		*Græca apud Anastasium*
Genesis	4500	MCCC
Exodus	3700	MMDCCC
Leviticum	2800	MMDCC
Numeri	3656	MDXXX
Deuteronomium	3300	MMMC
Jesu Nave	2000	MMC
Judicum	2000	MMCCCCL
Ruth	250	
Regnorum		
Primus Liber	2500	MCCXL
Secundus Liber	2000	
Tertius Liber	2600	MMLIX
Quartus	240	

(1) Post Syncellum in edit. Regia.

(2) De Hebr. et Græc. text. sincer., l. 2, exerc. 17, c. 1.

(3) In notis ad ep. S. Barnabæ.

Excidisse hic videntur Libri Paralipomenon seu Chronicorum quibus assignantur a Nicephoro, versus VMD.

Psalmi Davidici	5000	VMC
Proverbia	1600	MDCC
Ecclesiastes	600	MMD
Cantica Canticor.	300	CCLXXX
Sapientia (Salom.)	1000	MC
Sapientia Jesu (Ecclesiasticus)	2500	MMDCCC
Duodecim Proph.	3010	MMM
Osee	530	
Amos	410	
Michæas	310	
Joel	90	
Abdiadas	70	
Jonas	150	
Naum	140	
Abacum	160	
Sophonias	160	
Aggæus	110	
Zacharias	160	
Malachias	200	
Isaias	3600	MMMDCCC
Jeremias	4700	MMMM
Ezechiel	3600	MMMM
Daniel	1600	MM
Machabæorum		
Liber Primus	2300	tres MMCCC
Liber Secundus	2300	
Liber Quartus	1000	
Judith	1300	MDCC
Esdras I. et II.	1500	VMD
Esther	1000	MMMM
Job	1600	MDCCC
Tobias	1000	VMC
Evangelia quatuor		
Matthæus	2600	MMD
Joannes	2000	MMCCC
Marcus	1660	MM
Lucas	2900	MMDC
Epistolæ Pauli		Quatuordecim VMCCC
Ad Romanos	1040	
Ad Corinthios I.	1060	
Ad Corinthios II.	70	Numerus mancus forte 770
Ad Galatas	350	
Ad Ephesios	375	
Ad Timotheum I.	208	
Ad Timotheum II.	288	
Ad Titum	140	
Ad Colossenses	251	
Ad Philemonem	50	

Omissæ sunt ex Scriptoris sine dubio incogitantia Epistolæ duæ ad Thessalonicenses, Epistola ad Philippenses et Epistola ad Hebræos.

Ad Petrum I.	200	7 Epist. Cathol.
Ad Petrum II.	140	Duæ Petri
Jacobi	220	Una Jacobi
Joannis Epist. I.	220	
Joannis Epist. II.	20	Tres Joannis
Joannis Epist. III.	20	
Judæ Epistola	70	Una Judæ
Barnabæ Epistola	950	
Joannis Revelatio	1200	
Actus Apostolorum	1600	MMDCCC
Pastoris	4000	
Actus Pauli	3509	
Revelatio Petri	270	

VIII. Hæc utraque versuum distinctio admodum diversa est a Masorethica. Juxta Latinam sunt in Pentateucho versus 17950, secundum Græcam 9530, at ex Masoretharum computatione non numerantur 5248. In Psalterio numerant Masorethæ 2527 versus, Catalogus Græcus 5100, Latinus 5000. In reliquis libris similis occurrit differentia [1].

IX. Ex hac numerorum diversitate ambiguum fit quid *versuum* nomine significent veteres, utrum versiculum et comma, sive incisum textus librorum utriusque Fœderis; an potius lineas, quæ pro modo foliorum, vel majorum, vel minorum, in quibus scripti sunt Codices, possint vel longiores esse, vel breviores. Hoc dubium solvit Crojus [2]. Observat enim sacrum Textum olim a librariis duobus maxime modis describi solitum: ab aliis continua serie, et sine interductu; ab aliis vero per quamdam partium aut etiam particularum distinctionem. Priores solebant majusculis, vel miniatis aut cæruleis litteris versus eorumque cola sive membra distinguere: posteriores autem interjecto quodam spatio ac tenui discrimine, versus separabant. Ceterum utrique versus non ex periodorum longitudine aut brevitate, neque ex integris sententiis metiebantur; sed ratione sensus varie pro commatum aut membrorum numero dividebant: ut totidem in singulis periodis versus distinguerent, quot erant earum membra. Exemplum esto in illis *Jobi* cap. 3, versu 3: *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est conceptus est homo.* Ea unico versu continentur apud Hebræos, ut et in vulgata editione; eadem a Græcis veteribus in duos versus dividebantur, ut patet ex Codice libri Job, qui S. Theclæ manu exaratus creditur, et quem Patricius Junius edidit. In eodem Codice versus nobis sextus ejusdem capitis in tria membra distinguitur. Jam in eodem libro Job capitis quinti versus, qui nobis tertius est, apud Hebræos dividitur in octo commata. Pari ratione variatum est in scribendis novi Testamenti libris: verbi gratia illa apud Matthæum, *Et mittens illos in Bethleem dixit, Ite et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum*: quæ verba unicum apud nos versum constituunt, octavum scilicet capitis 2, a librariis olim in quatuor versiculos sic dividebatur: *Et mittens illos in Bethleem dixit:—Ite et interrogate diligenter de puero:—Et cum inveneritis, renunciate mihi, — ut et ego veniens adorem eum.* Hinc etiam fit ut caput primum Evangelii secundum Joannem, quod hodie versibus tantum quinquaginta et uno constet, in versiculos sive commata novem et octoginta distinctum inveniatur in quibusdam antiquis codicibus, qualem se litteris majusculis, partim minio, partim cæruleo colore singulos versiculos notantem ac dividentem, se habuisse idem Crojus testatur. Quæ cum ita sint, mirum videri non debet, si tanta sit τῶν στιχομετρῶν varietas. Veteres quippe, ac præsertim Græci, periodos in plures στίχους, sive minores sectiones et membra dividebant, quæ modo majora, modo minora constituebant, sive pro rei argumento, sive pro scribentis fere arbitrio. Hieronymus, cum librum Paralipomenon, et Isaiæ Prophetæ Oracula, novo scribendi genere descripsit, atque in versuum cola distinxit, an Hebræis codicibus in sua distinctione adhæserit, an Græcorum morem in dividendis sententiis et periodis secutus fuerit, minus certum videtur.

X. Conjicit idem Crojus ab eo versus tenuibus intervallis distinctos et vix diversos fuisse ab iis, quibus nunc utimur. Eam in rem adducit Pericopen illam capitis 3 Epistolæ *ad Rom.*, in qua Apostolus pluribus sacræ Scripturæ testimoniis Judæos et Græcos peccato obnoxios esse probat. Illa autem Pericope eodem fere versiculorum numero hodie apud nos constat illis, qui a B. Hieronymo [3] indicantur. Loquitur Hieronymus de octo versibus, qui in Ecclesiis leguntur ex Psalmo 13, et in Hebraico non habentur, ab Apostolo usurpatis. Hi versus in vulgata Latina secundum vulgatam Græcorum, quæ κοινὴ dicebatur, sic exprimuntur: *Sepulcrum patens est guttur eorum.—Linguis suis dolose agebant.—Venenum aspidum sub labiis eorum. — Quorum os maledictione et amaritudine plenum est. — Ve-*

(1) Vide et nostram Biblioth. Pistoriens., p. 4. Peregrini Canones ibidem editos, p. 68, et *Sacrorum Bibliorum veteres tituli*, t. 1. Operum Card. Thomasii curante doctissimo Vezzosio, Romæ 1747. iterum excusorum.

(2) Sacrarum observ., cap. 11.

(3) Præf. in l. 16 Com. in Isa.

loces pedes eorum ad effundendum sanguinem. — Contritio et infelicitas in viis eorum. — Et viam pacis non cognoverunt.—Non est timor Dei ante oculos eorum. Subjungit deinde, se animadvertisse, « sicut omnis pene ad Romanos Epistola de veteri structa est instrumento, ita hoc testimonium de Psalmis et Isaia esse contextum. Nam duo primi versus, *sepulcrum patens est guttur eorum. Linguis suis dolose agebant* quinti Psalmi sunt. Illud autem, quod sequitur, *venenum aspidum sub labiis eorum*, centesimi tricesimi noni Psalmi est. Rursumque quod dicitur *quorum os maledictione et amaritudine plenum est*, de nono Psalmo sumptum est. Tres autem versiculi qui sequuntur: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt*, in Isaia propheta reperi, quos in decimo sexto explanationis ejus libro, quem nunc dictare cupio, expositurus sum. Ultimus autem versus, id est, octavus, *non est timor Dei ante oculos eorum*, in tricesimi quinti Psalmi principio est. »

Per hæc et confirmatur auctoritas verborum quæ ex communi Græcorum editione habentur in vulgata Latina, versu 3, Psalmi 13, et facile colligitur exiguum in plerisque esse discrimen inter versus quos Hieronymus in codicibus sacris annotatos habuit, et eos quibus hodie utimur. Inde quoque patet id quod contendimus, in στιχομετρία Græca et Latina *versus*; non de lineis, sed de versiculis, sive membris, aut incisis orationis et periodorum esse intelligendos.

XI. Illud quoque observandum est antiquitus, tam apud Græcos, quam apud Latinos variasse admodum divisiones utriusque Testamenti librorum. Et plerumque Latini in principio cujusque libri titulos ipsius, et titulorum Breviaria describebant; ut Hieronymi [1], Cassiodori [2] et Isidori [3] auctoritate demonstrari potest. Non pauci uno ductu, omissis forte per incuriam distinctionibus, libros aut certe capita tota exarabant.

XII. Tandem vero sacrorum Librorum in capita, et versus distinctionem, quæ nunc apud Latinos ubique recepta est, instituit *Hugo a Sancto Caro*, gente Burgundus, ex Dominicanorum familia, qui primus ex ejus Ordinis Fratribus Cardinalis dignitate ornatus est, idque ab Innocentio IV, anno Christi 1244, ut ex Antonino referunt Sixtus Senensis [4] et Genebrardus [5]. Atque hæc diversitas primas utriusque Fœderis editiones, Græcas et Latinas, typis etiam in eadem officina exaratas, inter se comparantibus apparebit; aliæ quippe ab Erasmo eodem, et ab eodem Aldo Manucio, iisdemque Roberto et Henrico Stephanis editæ, distinctionibus carent; aliæ capitum, pleræque versuum, aliæ ad marginem adscriptis, vel adjectis textui titulis capitum, distinctiones habent. Ceterum numeros singulis versiculis vix ante hoc seculum additos reperio.

(1) Ep. ad Damasum et init. Comment. in Ev.
(2) l. 2. et 5. (3) L. 6 Orig., c. 14.
(4) Biblioth. l. 3.
(5) Ad ann. Chr. 1244.

CHRONICON SACRUM

A MUNDO CONDITO

USQUE AD EXCISAM URBEM ET TEMPLUM JEROSOLYMITANUM PER TITUM

Sacræ enim historiæ, quæ Bibliis continentur, illustrandæ potissimum intendere decrevi : neque alia quæ ad historiam profanarum gentium pertinent, attingam, nisi obiter vel per transennam, aut quando sacræ chronologiæ stabiliendæ necessaria vel utilia deprehendero.

Χρόνου *Cronu* seu temporis partes, quarum præcipuus et perpetuus usus est, sunt *dies*, *horæ*, *septimanæ*, *menses*, *anni*, et quæ ex pluribus annis componuntur, *periodi* variæ.

CAPUT I.

DE DIE.

Dies alius est *naturalis*, alius *civilis* seu astronomicus [1]. *Naturalis* est tempus ab exoriente sole usque ad solis occasum. Cujus contrarium tempus est *nox*, ab occasu solis ad ortum ejusdem.

Civilis dies est tempus quod ex uno cæli circumactu resultat, quo die *naturalis* simul et *nox* continentur : νυχθήμερον, *nycthemeron*, Græci vocant.

Civiles dies æquales fere inter se sunt perpetuo, et ubique locorum. *Naturales* variis modis inæquales inter se sunt : nam crescunt perpetuo a brumali solstitio in solstitium æstivum : ab hoc rursus decrescunt usque ad brumale, idque eo magis quo ad polos propius accedis ; minus, quo ad æquatorem. Sub æquatore solo tota hæc inæqualitas tollitur, ubi dies *naturales* non minus inter se æquales sunt, quam *civiles*. Eademque *noctium* naturalium est ratio.

Porro *naturales* dies omnibus hominibus incipiunt ab ortu solis, desinunt cum occasu. *Civiles* non item. Nam *Hebræi*, insistentes primæ rerum creationi, qua *tenebræ* præcesserunt *lucem*, inchoabant diem civilem cum *occasu* solis [2]. Et hos secuti sunt ex Græcis *Athenienses*, et plures alii. Contra *Babylonii* inchoabant illum ab *ortu* solis. Veteres *Umbri* a meridie : *Romani* a media nocte. Et Romanos fere sequuntur jam omnes aliæ gentes.

Est vero et alia *Dierum* divisio, in *sacros* seu *festos*, et in *communes* seu *profanos* dies. Illi *rebus divinis*, hi *politicis* seu *civilibus* curandis destinati erant.

Festi dies apud Hebræos erant omnia sabbata, et post egressum ex Ægypto, Pascha, Pentecoste, Scenopegia, dies tubarum, dies expiationis, et Neomeniæ. Progressu temporis, etiam Encænia, et quidem triplicia, prima templi a Salomone

(1) Ita Censorinus in libello de die natali Urbis.
(2) Gen. I, vers. 2, 3, 5.

constructi : secunda per Esdram instaurati : tertia per Judam Machabæum repurgati. Item festum memoriæ filiæ Jephte, Judithæ, Estheræ, et devicti Nicanoris, et quædam alia, de quibus seorsim suis locis agemus. De festis Gentilium vide Macrobium [1], Censorinum [2], Varronem [3], Ovidium [4] et alios.

CAPUT II.

DE HORIS.

Vicenæquaternæ partes unius diei civilis *horæ* vocantur. Quarum *prima* a diversis gentibus diversimode inchoatur, prout singulæ diem civilem diversimode inchoant, ut supra dixi. Moderni Romani a solis occasu primam inchoant, et vigesimamquartam cum sequenti solis occasu finiunt. Germani, Galli, Hispani, ceterique Europæi in duas horarum *duodenas* diem dispescunt, quarum unam *a media nocte*, alteram *a meridie*, semper inchoant. Sed horæ omnes sunt ubique et perpetuo æquales. Olim tamen apud plerasque nationes horæ erant perpetuo inæquales, prout dies naturales, quos in duodecim partes secabant, uti et singulas noctes, inæquales esse contingebat : nam æstivo tempore diurnæ duodecim horæ erant longissimæ, nocturnæ duodecim brevissimæ : hiemali contra. Et his horis inæqualibus, quas καιρικὰς, Kæricas Græci vocabant, usa fere omnis vetustas, non in Græcia modo et Italia, sed et in Ægypto, Asia, et toto Oriente, atque in primis in Judæa. Deque his intelligendæ *horæ* in sacris Litteris passim memoratæ. Earum prima diei incipiebat a solis ortu : sexta finiebatur cum meridie, duodecima cum solis occasu. Prima noctis incipiebat a solis occasu : sexta finiebatur cum medio noctis, duodecima cum ortu solis.

Sed erat apud Hebræos potissimum alia quoque civilis diei distributio, puta in partes octo, quarum quatuor erant diei, et aliæ quatuor noctis ; eæque nunc breviores, nunc longiores, prout dies naturalis et nox, brevior vel longior erat. Et noctis quidem partes illæ *vigiliæ* dicebantur, nomine a vigilibus mutuato. Diei vero proprie *horæ* vocabantur.

Vigilia *prima* incipiebat cum solis occubitu : *secunda* desinebat cum nocte media : et ab eadem deinde initium sumebat *tertia : quarta* cum solis seu diei ortu expirabat.

Horarum diurnarum *prima* principium ducebat ab ortu solis, complectebaturque horas καιρικὰς, Kæricas, communes tres. *Secunda* totidem καιρικὰς, Kæricas complexa inchoabatur cum fine καιρικῆς, Kærikis, tertiæ, vocabaturque hora *tertia*, et finiebatur cum meridie. Quæ deinde sequebatur totidem καιρικὰς, Kæricas, continens, quia incipiebat a meridie, in qua καιρικὴ, Kærici, sexta numerabatur, *sexta* et ipsa *hora* vocabatur. Ultima denique, quod inchoaretur a καιρικῆ, Kærici, seu communi nona finiente, *nona* hora dicebatur, durabatque usque ad finem duodecimæ communis, seu usque ad solis occasum. Ita Censorinus [5], Jansenius [6], Maldonatus [7], Baronius [8], etc. Et secundum hunc calculum dicit S. Marcus [9] Christum Dominum crucifixum fuisse *hora tertia*, quem Joannes [10] dicit *hora quasi sexta* a Pilato damnatum fuisse ad crucem. Nempe necdum effluxerat *tertia*, cum pene instaret *sexta* hora [11].

(1) L. 1 Saturnal. (2) L. de Die nat. (3) L. 1 de re rustica. c. 37.
(4) In l. Fastor. (5) Sub c. 23. (6) Concord. in Evang.
(7) In Evang. (8) Anno 34 Christi n. 163. (9) Marc. 15, v. 25.
(10) Joan. 19, v. 14.
(11) Atque ita cum Baronio docti viri non pauci Maldonatus, Jansenius Gandavensis, Sandinius in *hist. fam. Sac.*, pag. 164. Stephanus Morinus in diss. *de hora passionis Christi*, ait, Marcum sic uti vocabulis *horæ tertiæ*, ut iis non crucifixionis, sed juridici processus initium indicet. Alii aliter nodum solvunt. Vide Bernardum Lamium in *Harm. in 4 Evang.*, p. 590 edit. Paris, Samuelis Reyeri *de Cruc. Jesu Titul. et hora Crucif.*, dissertationem, item dissert. Gustavi Georgii Zeltneri *de horologio Joannis*, Calmetium ad Evang. Matth. XXVII, 45, Synopsim Criticorum ad Marci Evang. cap. XV.

CAPUT III.

DE HEBDOMADE.

Ἑβδομάς, Hebdomas, latine *septimana*, systema seu compositio est dierum septem perpetuo in orbem recurrens. Cujus usus ab ipso Deo, sub prima mundi exordia institutus, ab Hebræis sancte semper observatus, a multis etiam aliis gentibus, in Oriente præsertim receptus : cum christianismo vero per universum pene orbem propagatus, festivitate sabbati in sequentem diem translata. Ejus dies *feriæ* dici consueverunt, hoc ordine, *prima, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, septima feria*. Quæ a gentibus vocabantur *dies Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni*. Ab Hebræis subinde *sabbata* dicebantur, v. gr. *una sabbatorum*, Marci 16, vers. 2. Subinde hebdomas ipsa *sabbatum* vocabatur ; hinc *una sabbati, prima sabbati, jejuno bis in sabbato* [1].

CAPUT IV.

DE MENSE.

Et jam *mensium*, inquit Censorinus [2], alii *naturales* seu *cœlestes* sunt, alii *civiles* seu forenses. Naturalium species duæ : nam quidam *solares* sunt, quidam *lunares* menses. *Solaris* fit mensis dum sol unumquodque in Zodiaco signum percurrit, estque pars anni solaris duodecima, et fit nunc 30, nunc 31 diebus, prout sol signa Zodiaci quædam citius, quædam serius permeat. *Lunaris* mensis est temporis spatium ab uno novilunio ad alterum novilunium, seu (ut alii loquuntur) a synodo seu congressu cum sole ad synodum, quod fit 29 diebus cum medio, plus minus. *Civiles* menses vocantur numeri dierum, quos quæque gens, immo quæque civitas pro placito vel ex veteri instituto observabat, v. g. Romani ab unis Kalendis suis ad alias Kalendas, Græci a suis Neomeniis civilibus seu fixis ad similes Neomenias. De his, quia singularum gentium, immo pene singularum civitatum, proprii fuerunt, et pro ratione variorum temporum varii, frustra hic dissererem. De solis ergo *naturalibus* agam, qui ut antiquissimi, sic omnium gentium communes sunt. Et quidem *lunarium* præcipuus usus apud omnes fuit, quorum hæc nomina, et hic ordo,

(1) Luc. 24, v. 1; Joan. 20, v. 1; Marc. 16, v. 9; Luc. 18, v. 12.
(2) Loc. cit.

	Hebræos ante captivitatem Babylonicam	Hebræos post captivitatem	Syros veteres	Chaldæos et Ægyptios	Atticos seu Athenienses	Macedones et alios Græcos, quorum usus est in lib. Machabæorum et tota Syria	Arabes et nunc quoque Turcas, etc.	Romanos
Hi tres primi menses respondent veri	Primus, qui et Abib, *Exod.* XIII, 4	Nisan	Nisan	Phanemoth	Ἐλαφηβολιών	Ξανθικὸς	Muharram	Martius
	Secundus, qui et Zius, III. *Reg.* VI, 1 et 37	Iiar	Iiar	Pharmuthi	Μουνυχιών	Ἀρτεμίσιος	Sephar	Aprilis
	Tertius	Sivan	Haziran	Pachan	Θαργηλιών	Δεσιος	Rabic prior	Majus
Hi tres æstati	Quartus	Tamuz	Tamuz	Payni	Σκιρροφοριών	Πάνεμος	Rabic posterior	Junius
	Quintus	Ab (non Abib)	Ab	Epiphi	Ἑκατομβαιων *Joseph.* l. 12 *Antiq.*, cap. 7	Λῶιος	Giumedi prior	Quintilis postea Julius
	Sextus	Elul	Iiul	Mesori	Μεταγειτνιών	Γορπιαῖος	Giumedi posterior	Sextilis post. Augustus
Hi autumno	Septimus, qui et Ethanim, III. *Reg.* VIII, 3	Thisri	Thisrin prior	Thoth	Βοηδρομιών	Ὑπερβερεταῖος	Regab	September
	Octavus, qui et Bul, III. *Reg.* VI, 37	Marchesuan	Thisrin posterior	Paophi	Πυανεψιών	Δῖος	Schaben	October
	Nonus	Casleu	Conun prior	Athyr	Μαιμακτεριών	Απελλαῖος	Ramadhan	November
Isti hiemi	Decimus	Thebeth	Conun posterior	Chojac	Ποσειδεών	Αυδυναῖος	Shevval	Decembor
	Undecimus	Sebeth	Aschbat	Tybi	Γαμηλιών	Περίτιος	Dulkaida	Januarius
	Duodecimus	Adar	Adar	Mechir	Ανθεστηριών	Δῦστρος *	Dulchagia	Februarius

* Qui II. Mach. XI, 21. *Dioscorus*, græce διοσκορίνθιος vocari videtur. Hunc mensem respondere Hebræo Adar affirmat Josephus l. 12 Antiq., c. 17. Sic et Nisan Xanthico, etc. idem docet lib. 1 Antiq., c. 4; l. 2, c. 5; l. 3, c. 10, etc.

Constabant porro menses isti lunares fere alternis nunc 29 diebus, nunc 30, universim omnes duodecim simul 354 diebus.

Mensium solarium fere eadem erant nomina apud easdem gentes: nisi quod apud Græcos subinde sortirentur nomina duodecim signorum Zodiaci, quæ sunt:

Κριών Aries.	Καρκινών Cancer.	Ζυγιών Libra	Αιγών Caper.
Ταυρών Taurus.	Λεοντών Leo.	Σκορπιών Scorpius.	Υδρών Amphora
Διδυμών Gemini.	Παρθενών Virgo.	Τοξών Arcitenens.	Ιχθυών Pisces.

Et jam fere soli in usu sunt menses solares. Qui quia paullo pluribus diebus constant, quam lunares, puta vel 30 diebus, vel 31 singuli: simul vero omnes duodecim constant diebus 365, atque ita duodecim menses solares totis undecim diebus longiores sunt lunaribus; hinc veteres, ut suum annum lunarem, et Neomenias, et Kalendas aliquo modo ordinarent cum cursu solis, adhibebant nunc secundo, nunc tertio quoque anno ἐμβολισμὸν, seu intercalationem unius mensis, et is annus inde ἐμβολιμαῖος, seu intercalaris dicebatur, eratque tredecim mensium lunarium. Porro decimus tertius illius anni mensis apud Hebræos vocabatur *Adar secundus*, vel *posterior*, vel *Veadar*, vel *Adar repetitus*. Quotus vero annus deberet esse embolismaticus, ex hoc Hebræorum canone colligi poterat: *Ter, ter, bis, ter, ter, ter, bis.* Idest intercalandus est decimus tertius mensis anno 3, 6, 8, 11, 14, 17, 19. Ergo annis novemdecim inserebantur septem menses intercalares. Et simili aliqua intercalatione utebantur etiam aliæ Nationes, ut annum *lunarem* cum *solari* aliquando æquarent. Et utuntur etiamnum *Sinenses* teste Maffejo [1] et Trigautio [2]. Et vero nisi fieret similis aliqua intercalatio, paullatim Pascha, et Pentecostes, et cetera festa æstiva in mediam hiemem demigrarent.

Ceterum, quia hæc intercalatio, et consequenter mensium *lunarium* cum *solaribus* æquatio talis qualis non fiebat nisi secundo, vel tertio quoque anno; hinc menses *lunares* non poterant adamussim adaptari *solaribus*, v. g. mensis *Nisan*, qui primus erat Hebræorum, etsi responderet Martio Romano antiquo lunari, ut supra dixi, tamen non poterat respondere per omnia moderno nostro mensi solari Martio, seu in quem semper incidit æquinoctium vernum: quia luna illa, cujus plenilunium afferebat Pascha, nunc majore sui parte, incurrebat in Aprilem, nunc in Martium: ut etiamnum incurrit. Unde menses singuli lunares duabus fere partibus duorum mensium solarium perpetuo respondebant, uti etiamnum respondent. Vide hæc accurate pertractata apud Chrystophorum Clavium [3], Josephum Scaligerum [4], et alios Mathematicos [5].

CAPUT V.

DE ANNO ET MULTIPLICI ÆRA ANNORUM.

Ut jam vidimus, alius est *lunaris* annus, alius *solaris*. Annus *lunaris* est duratio qua luna menses cælestes seu naturales duodecim conficit; id est duodecies cum sole congreditur. Annus *solaris*, qui et *Tropicus* dicitur, est temporis spatium, quo sol totum Zodiacum permeat.

Quatuor constat punctis notabilioribus: æquinoctio verno: solstitio æstivo: æquinoctio autumnali: solstitio hiemali. A quibus punctis, *ver*, *ætas*, *autumnus*, et *hiems* secundum Philosophos inchoantur. Neque in his est ulla controversia.

Solum notandum, apud diversas nationes a diversis anni punctis annum inchoari solere. Apud Hebræos, qui veris mundi natalibus inhærebant, uti et nos in hoc Chronico, saltem usque ad incarnatum Filium Dei, inhærere decrevimus, annus inchoabatur ab æquinoctio verno. Et secundum hunc calculum processerunt omnes anni a condito mundo usque ad ingressum Hebræorum in Ægyptum. In Ægypto vero vi-

(1) L. 6 Hist. Indicar.
(2) In hist. Indica.
(3) De correct. Kalendarii.
(4) De Emendat. tempor.
(5) Præsertim Petavium *de doctrina temporum*; Ricciolum in *Chronol. reformata*; Julium Pontederam in *Antiquit. latinar. græcar. enarrationibus* Patavii 1740 et Corsinium *Fast. Attic.*, tom. 2, diss. 14.

dentur sese accommodasse calculo Ægyptiorum, qui annum suum inchoabant una cum Chaldæis a mense *Thoth*, qui licet (ut dicam c. 34.) vagus esset, et paullatim per totum annum discurreret (ob neglectam intercalationem unius diei quarto quoque anno more nostri bixestilis) tamen cum Hebræi in Ægypto degerent, tum temporis respondebat mensi septimo Hebræorum, et fere nostro Septembri. Sed simulatque Ægypto egressi sunt, jussit Deus Hebræis, ut caput anni sui rursus a vere accerserent, Exodi 12, v. 2: *Mensis iste* Nisan *vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Quod intellige de *anno sacro:* secundum quem festa anni et Neomeniæ et sacra omnia componi debebant. Nam *civilis* Hebræorum *annus* non minus post, quam ante egressum ex Ægypto, semper a *Thisri*, seu septimo mense inchoari consuevit, ut colligitur Exodi 23, v. 16, ubi festum Tabernaculorum dicitur celebrandum *in exitu anni* puta *civilis:* vel *redeunte anni tempore*, cap. 34, v. 22. Porro juxta calculum hunc anni civilis omnes civiles contractus ac politica negotia dirigebantur. Immo et *Sabbaticus* annus, et *Jubilæus*, etsi sacri, quia tamen etiam multos contractus civiles venditionis, elocationis, mutui, et alios similes tangebant, a mense Thisri seu septimo inchoabantur, teste Josepho [1], Philone [2], et aliis Rabbinis. Et de Jubilæo id expresse decernit Deus Levitici 25, v. 9 et 10. De Sabbatico autem eadem est ratio. Et sane, si a vere inchoati fuissent isti anni, cum abstinendum tunc esset ab omni satione et messe, debuissent semper duobus continuis annis Hebræi sua messe carere. Nam inchoato anno Sabbatico a vere, non potuisset messis jam adulta demeti, sed in agris relinquenda fuisset: proximo quoque autumno abstinendum erat a satione, atque ita sperari non poterat proxima seu æstate seu vere ulla messis. Quid si tunc sequenti anno Jubilæus seu quinquagesimus annus supervenisset aut biennio Sabbaticum prævenisset, ut subinde fiebat? nonne toto quadriennio Hebræi messe caruissent? At incipiendo ab autumno, una sementis, et una solummodo messis peribat, nunquam vero duæ, nisi quando Sabbaticus annus anno Jubilæo proxime jungebatur. Sed isti casui prospiciebat tum Deus inusitata fertilitate et proventu anni præcedentis. Et hæc de initio anni Hebræorum.

Anni Romanorum inchoabantur a Kalendis Januarii, ex quo tempore Numa Romuli successor duos istos menses, Januarium et Februarium anno inseruit. Nam ante videntur solum decem menses, sed prolixiores, fuisse in anno Romano, ut facile colligere est ex nominibus mensium *Quintilis* et *Sextilis:* item *September* et *December*. Nisi dicas, undecimum mensem tum vocatum fuisse *Undecembrem*, et duodecimum *Duodecembrem:* quæ nomina Numa in *Januarium* et *Februarium* commutarit. Quo casu saltem fatendum esset, annum Romanum ante Numæ tempora non post *Decembrem*, sed post *Duodecembrem*, puta a Martio, inchoatum fuisse. Nam alioqui nomina *Quintilis* et *Sextilis* in Julium et Augustum non quadrassent. A tempore ergo Numæ caput anni Romani a primo die Januarii subduci cœptum. A quo eodem et anni Juliani exordium sumpserunt tempore quarti consulatus Julii Cæsaris, quo Kalendarium Romanum jussu ipsius reformatum est, ut dicam c. 44. Ab eodem die cœperunt et anni *Æræ* Augusti *Hispanicæ:* quæ fluere cœpit ab anno Juliano octavo Appio Claudio, et C. Norbano Coss. Cujus æræ sæpe meminerunt sacra Concilia in Hispaniis celebrata, et illustrissimus Cæsar Cardinalis Baronius, et Chronologi passim, de qua agam eodem c. 44. Ab eodem die inchoati sunt quoque anni, qui dicebantur *Augustorum*, cum Augusto VII et Agrippa III Coss. Octavianus Imper. primum nomine Augusti decoratus est, anno Juliano 19, ut dicam eodem c. 44. Ab eodem incipiunt etiam Cycli solis et lunæ, et Epactæ. Ab eodem die placuit etiam Ecclesiæ Romanæ exordium Æræ vulgaris seu Dionysianæ Christi, et *Indictionis* Pontificiæ desumere. Et hanc sequitur jam orbis pene universus.

Anni *regni Græcorum* seu *Seleucidarum*, qui cœperunt duodecim annis et aliquot mensibus post mortem *Alexandri Magni*, qui et *Alexandræi* subinde dicuntur, quorum frequens mentio in lib. I. Machabæorum, initium sumunt ab æquinoctio verno, forte quia tunc, devicto Antigono rege Minoris Asiæ, Seleucus totius Syriæ imperium obtinuit. Vide c. 40. Ab autumnali æquinoctio inchoabantur anni *Antiocheni* (de quibus in eodem c. 40), qui post tredecim annos et 8 menses a morte

(1) L. 1 Antiq., c. 3.
(2) L. de Mundi opificio et l. de Decalogo.

Alexandri Magni cœperunt, nempe sesquianno serius quam anni Græcorum Alexandrei: et a Ptolemæo [1] vocantur anni *Chaldaici* vel *Chaldæorum:* et illis utitur auctor lib. II. Machabæorum, qui fere semper sesquianno posterior est auctore libri primi: nam hic, ut dixi, sequitur calculum Alexandrinorum, ille Antiochenorum et Chaldæorum.

Simili modo anni *Hebdomadum Danielis,* de quibus c. 38, inchoantur ab æquinoctio autumnali. A quo etiam inchoantur anni *Indictionis* Romanæ, seu Constantinianæ, vel Imperatoriæ. Quæ Pontificiam Indictionem toto semper trimestri et aliquot diebus præcurrit.

Initio mensis Octobris inchoantur anni imperii Domus Austriacæ, quod illa primum adepta est anno Christi 1273.

Anni conditæ primum urbis Romæ, si quando secundum illos calculi subducuntur, incipiunt a 21 die Aprilis, quando Palilia urbis a Romulo primum fixa fuere. Quod contigit secundum Varonem, Olympiadis sextæ anno tertio exeunte. Vide infra cap. 32.

Anni Iphiti, et Olympiadum incipiebant a solstitio æstivo, quo celebrabantur ludi Olympici. Porro prima Olympias cœpit anno mundi 3250, ut dicam infra c. 31.

Initium annorum quartæ et ultimæ *monarchiæ*, puta *Romanorum*, est 29 Augusti, quando e vivis sublato Antonio cum Cleopatra, Augustus plenam nactus de reliquiis Græcorum victoriam, quam anno præcedenti ad Actium inchoarat, florentissimam olim monarchiam Græcorum transtulit ad Romanos, anno 16 Juliano, Augusto IV et Crasso Coss.; tum enim cœpit Augustus solus rerum potiri, et monarcha esse, ut dicam c. 44. Idem dies 29 Augusti dedit initium annis *Æræ Martyrum* seu *Diocletianææ:* quæ cœpit anno vulgaris æræ Christi 284. Plura de his qui volet, adeat supra citatos, Ptolemæum, Censorinum, Macrobium, Scaligerum, Christophorum Clavium, et alios Mathematicos.

Porro hæc diversa diversorum annorum a diversis anni punctis inchoatio facile dissolvit nodos Chronologorum alioqui inextricabiles, dum unus uno anno, alter altero, tertius tertio unam eamdemque rem consignat; vere tamen omnes, sed diverso respectu, ut videre est in anno conditæ urbis Romæ, infra c. 32.

CAPUT VI.

DE PERIODIS ANNORUM.

Periodi vocantur certi annorum numeri, qui in orbem redeunt. Quos idcirco excogitavit antiquitas, ut certius de tempore rerum gestarum posteris constaret. In Græcia, erant famosæ, τετραετηρίδες, tetraeterides et in his celeberrimæ *olympiades* Elidenses, de quibus vide infra cap. 31. Erat et ἐννεαδεκαετηρίς, enneadexaeteris, annos complexa 19 solares, quam Metoni ascribunt; sed est Metone vetustior. Qua etiamnum Ecclesia Romana utitur, et vocat *cyclum decemnovenalem lunæ*, vel *aurei numeri*. Cujus usus explicatur tum apud supradictos Auctores: tum initio Breviarii, et Martyrologii Romani, uti et *cicli solaris 28* annorum: et *Indictionis* Constantinianæ, ac Pontificiæ: et *Epactarum*, et plurium aliarum periodorum, quibus tamquam fidis custodibus intacta servatur temporum series.

Apud Hebræos duæ erant præ cæteris notabiles, de quibus infra cap. 21; una quæ ἑβδομάς, hebdomadas *annalis* dici poterat, eratque circulus septem annorum, quorum ultimus erat *annus sabbaticus*, quo terra ab omni cultura quiescere jubebatur. Altera *Jobel* hebraice vel *jubilæum*, vocabatur, eratque circulus 50 annorum, quorum ultimus annus erat *jubilæus*, quo non solum terra a cultura quiescebat, sed insuper etiam æs alienum remitti, et servi dimitti debebant, de quibus vide Exodi c. 23 et Levitici c. 25. Utraque periodus cœpit ab eodem capite, nempe ab autumnali puncto primi anni, quo Hebræi terram Chanaan duce Josue obtentam primum colere cœperunt, id est anno mundi 2584, ut dicam eodem cap. 21.

(1) L. 11 Almagesti, c. 7.

Et si hæ periodi constanter a Judæis observatæ, atque in historiis annotatæ fuissent, ut annotatæ sunt pauculæ, de quibus infra in fine c. 21 maximam chronologiæ veteri lucem afferrent. Sed cum vix umquam illarum fiat mentio, et Prophetæ nonnumquam redarguant Hebræos, quod Sabbaticos annos negligerent; verisimile est, non nimis religiose, potissimum sub impiis regibus ac pontificibus quibusdam, prædictas periodos observatas fuisse.

De Romano *lustro*, *sæculo*, et *ludis sæcularibus*, aliisque ejusmodi etiam aliarum gentium *periodis*, vide supradictos Auctores.

CAPUT VII.

DE SEX ÆTATIBUS MUNDI.

Sic tempus omne distinguo, quod a condito mundo effluxit, effluetque ad ultimum usque mundi diem.

Prima ætas mundi cœpit ab *Adamo*, et duravit usque ad *finem diluvii*	annis 1656
Secunda cœpit a *fine diluvii*, et duravit usque ad *egressum Hebræorum ex Ægypto*	annis 887
Tertia cœpit *ab egressu Hebræorum* ex Ægypto, et duravit usque ad *quartum annum* regni *Salomonis, quo condi cœptum templum*	annis 480
Quarta cœpit a *quinto anno* regni *Salomonis*, seu secundo anno ab inchoato templo, et duravit usque ad destructum, et exustum idem templum, vel potius usque ad *finem captivitatis Babylonicæ*	annis 452
Quinta cœpit a *relaxata captivitate* Judæorum, et *initio monarchiæ Persicæ*, et duravit usque ad *Messiæ adventum*, seu incarnatum Filium Dei	annis 525
	4000

Sexta cœpit a *primo Christi adventu*, durabitque usque ad *secundum* illius *adventum* ad judicium, et interitum Universi. De quo die nemo scit.

Septima non jam in *mundo*, sed in *cœlo* inchoabitur ætas a die extremi judicii, duratura usque in perpetuas *æternitates*.

CAPUT VIII.

PRIMA MUNDI ÆTAS

Ab Adamo ad finem diluvii: per annos 1656.

Adam	genuit	cum vixisset annis totis	130	Post supervixerunt aliis annis	800	Ergo universim vixerunt annis, ut patet ex cap. 5 Genes.	930	Ante finem an. primi Adæ natus illi Cain, et soror ejus Calmana.
Seth			105		807		912	Anno 30 natus ei Abel cum sorore Delbora.
Enos			90		815		905	Anno 99 vitæ suæ exacto occisus Abel a Cain.
Cainan			70		840		910	Anno 115 Enochia civitas a Cain condita. Ita Salianus, sed citius conditam volunt quidem Hebræi; Christianus Maffæus et Scultetus.
Malaleel			65		830		895	
Jared			162		800		962	
Henoch			65		300		365	* Henoch vivus etiamnum superest in paradiso: vide Gen. v, 24.
Mathusala			187		782		969	Anno mundi 1556 forte contigit bellum Atlanticum, Platonis. Nempe 100 annis ante diluvium graviter queritur Deus de malitia mortalium, Gen. vi.
Lamech			182		595		777	

Mortui sunt ergo an. finien. a condito mundo		
930		
1042		
1140		
1235		
1290		
1422		
Translatus in paradisum.	987 *	
1656	septem diebus ante diluvium	
1651		

Noe, annum vitæ suæ 600um egit in arca, Gen. vii, 11 et viii, 13 et 14.

1656 (1)

Sem primogenitus Noe nascitur anno Noe 503 et Cham et Japhet deinceps. Colligitur ex Gen. xi, 10, collato cum Gen. x, 21, ubi Sem frater major Japhet dicitur 100 annorum fuisse, quando biennio post diluvium genuit Arphaxad. Ita passim interpretes chronologi excepto Mariano, Scoto et Chronico Alexandrino (2).

---

(1) Ita ad textum Hebræum, quem nostra vulgata exhibet. Ad Samaritanum Pentateuchum a. 1307, versio autem LXX Interpretum annos omnino 2262 a mundi creatione ad diluvium recenset. Ludovicus Capellus, Ricciolius, Tourneminius in appendice ad Menochii Commentarios a se iterum editos atque Anonymus apud Trivultianos 1743 *Apr.* art. 30, *Jun.* art. 43, quem doctissimus Alphonsus Nicolai noster probat in egregiis, quas Florentiæ divulgare cœpit, dissertationibus, ac lectionibus in sacram Scripturam, *part.* I, *diss.* 4, varios ingeniose excogitarunt modos Hebræi textus cum LXX Interpretum chronologia conciliandi; nam quod ad Samaritanum exemplar attinet, næ illud tantæ auctoritatis non est, quantam illi Morinus, atque Angli historiæ universæ Scriptores tribuunt. Verum ut horum conatus magni faciam, laudemque, iis libentius adsentior, qui a LXX Interpretibus discedunt, ac textum Hebræum omnino amplectuntur. Hos inter Dominicani Le Quien in libro inscripto *Defense du texte Hebreu* et Natalis Alexander *in pr. mundi æt.* diss. 8. Confer etiam Schuckfordium *Hist. Orbis sacræ et profanæ*, t. I, pag. 48 seqq.

(2) Atqui hinc potius manifesto colligitur, Japhet fuisse Noe primogenitum, ut recte ostendit Natalis Alexander, diss. I *in sec. mundi ætatem*. Si enim *Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio post diluvium*, anno sc. mundi 1658, Noe 602 (cœptum est enim diluvium a Noe 600), non potuit ipse primogenitus esse. Noe enim quum *quingentorum esset annorum*, seu centum ante diluvium annis, generare cœpit; ergo Sem centenarius fuisset ineunte diluvio contra quam Moyses diserte testatur dicens, centenarium illum fuisse *biennio post diluvium*. Porro Cham natu minimus fuit e filiis Noe. Igitur restat, Japhet a Noe 500 natum fuisse, atque adeo illum primogenitum fuisse sanctissimi Patriarchæ. Quod vero Gen. x, 21 legimus: de *Sem quoque nati sunt..... fratre Japhet majore*, vel ad dignitatem referendum est, qua Sem fratre Japhet major fuit vel ad textus Hebraici ambiguitatem, in quo legitur *Haggadol* indeclinabile; hoc autem sicuti in ablativo casu accipi potest, et ad Sem referri, ita et in genitivo, et ad Japhet referri, quemadmodum in Græca editione LXX Interpretes, qui reddiderunt αδελφω Ιαφεθ του μειζονος, *fratri Japhet majoris*, et Targum Onkelos: *Et de Sem nati sunt ipso quoque Patre omnium filiorum Heber, fratre Japhet majoris*. Quid? quod Anonymus apud Trivultianos in Ephemeridibus a 1743, Apr. mense, art. xxx, observat, unum id verbis illis *fratre Japhet majore* significari, Sem fuisse majorem inter fratres Japhet, seu secundogenitum.

CAPUT IX.

QUO ANNI TEMPORE MUNDUS CREATUS EST? AUTUMNALINE ÆQUINOCTIO, AN VERNO?

Nam de his solis duobus punctis est quæstio. Hiemis nemo meminit, Gerardus Mercator initium mundi refert in id tempus quo sol est in Leone, nempe adulta ætate, sed huic sententiæ (quod sciam) nemo suffragatur, neque ulla est ratio, qua stabiliri possit, ergo de solis duobus æquinoctiis superest dubitatio: et quidem comparatione nostri, et habitationis Adami, et Palæstinæ: cujus præcipuam rationem a Deo esse habitam in mundi creatione, prorsus verisimile est, tum quia potior pars orbis habitabilis futura erat cis Æquatorem, circa illam plagam: tum quia sedem istic fixura erat Hebræorum Synagoga, tunc Ecclesia et populus Dei: tum quia mysteria redemptionis nostræ istic peragenda erant: tum denique quia Palæstina in medio cogniti tunc orbis (quando Moyses scripsit) collocata est, juxta illud Ps. 73, v. 12: *Deus autem rex noster operatus est salutem in medio terræ.* Et Ezech. 5, v. 5: *Ista est Jerusalem: in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terræ.* Alioqui comparatione eorum qui trans Æquatorem habitant, omnia inverso modo se habent, nempe autumnus illis est quando nobis ver est, et contra. Ergo respectu nostri hemisphærii, mundum in autumnali æquinoctio primum conditum fuisse docet Josephus [1] et quidam alii Rabbini: quos mordicus sequitur Josephus Scaliger [2], Ubbo Emmius Temporarius, Calvisius [3], et reliqui fere Novatores. Et probant: Primo, quia, quando conditus est mundus, arbores erant plenæ fructibus jam maturis. Secundo, Patriarchæ omnes ante ingressum Jacobi in Ægyptum inchoarunt annum suum ab autumno. Cur enim alioqui post egressum jussi essent a Deo ad ver recurrere? Exodi 12. v. 2. Tertio, verisimile est, diluvium priore ac difficiliore sui parte occupasse tempus hibernum, pluviis et inundationibus aptum. Quarto, ramum virentis olivæ attulit columba in arcam undecimo mense, Gen. 8, v. 5 et seqq. Atqui mense januario, qui undecimus esset si a vere annus inchoaretur, non virent olivæ: ergo.

Sed his non obstantibus, dico, mundum conditum fuisse in æquinoctio verno. Primo, quia tempus vernum amœnius est, et æstas subsequens longe magis conveniebat orbis primordio, quam autumnus et hiems horrida paullo post consecutura. Magis quoque conveniebat orbi æstas post diluvium immediate subsequens, ut aeris serenitas, et herbæ fructusque in hominum et bestiarum alimenta de novo succrescere possent. Atqui diluvium finitum est cum initio anni, ut omnes admittunt, et patet Gen. 8, v. 13: ergo. Secundo, quia verisimile est, sub idem temporis punctum, primo conditum fuisse Adamum, quo postea Christus, secundus Adamus. Item, creatum primo mundum, quo fuit postea recreatus et redemptus per Christum. Atqui constat, Christum incarnatum, et mortuum esse, et resurrexisse in æquinoctio verno: ergo. Et ut auctoribus auctores opponam; tertio, hæc est sententia fere omnium SS. Patrum, quos viginti numero citat Torniellus [4], vigintiquinque Ascanius Martinengus [5]. Longe plures Molina [6], Genebrardus, Clavius [7], Delrio, a Lapide, et Salianus. Quin et in Synodo Palæstina congregata a Theophilo Episcopo Cæsariensi, mandato Victoris Papæ, consensu omnium declaratum est, verno tempore mundum conditum fuisse, teste venerabili Beda [8]. Quin et Gentiles idem sensisse, patet ex l. 2 Georgicorum Virgilii. Denique Rabbinis aliis oppono Rabbinum Josue, et illius sequaces, qui mundi exordium adscribunt mensi *Nisan*, id est veri.

Rationes quas afferunt pro altera sententia, quædam nihil probant, quædam potius nostræ favent sententiæ. Nam quod ad primam in bene temperatis regionibus Orientis, ubi paradisum plerique constituunt, plurimæ arbores toto anno fructibus graves sunt, aliis incipientibus, aliis maturescentibus, aliis omnino maturis, ut etiam videre est in Italia, Hispania, Gallia, et pluribus etiam Europæ regnis. Ex iis vero quæ fructibus aliquando spoliantur, in Asia, totoque Oriente plures sunt quæ

(1) L. 1 Antiq., c. 3. (2) L. 5 Emend. et sup. cap. de cond. mundi.
(3) In Chronicis. (4) Torniell., Genebrard., Salian. initio suæ Chronologiæ.
(5) Ascan., Delrio, a Lapide in Geneseos initium. (6) In cap. II Ephes.
(7) In opere sex dierum. (8) Initio lib. de sex ætatibus et Epistola de Paschatis celebratione.

in verno, quam quæ in autumnali æquinoctio maturos fructus habeant, ut experientia docet; nam ante finem æstatis pene omnes fructibus spoliatæ, et nudæ sunt.

Ad secundam jam respondi cap. 5 sub initium, rem prorsus aliter habuisse [1].

Tertia ratio in generali totius orbis diluvio nulla prorsus est, nulliusque momenti: siquidem cum per totum mundum plueret, necesse est etiam pluisse iis in locis, ubi æstas erat: ob idque, sive hieme, sive æstate diluvium acciderit iis qui versus Arcticum polum habitabant, eodem res redibat, cum pluviis in omni terræ regione decidentibus, necesse esset, ubique pari modo inundationem crescere. Ut fileam, non esse difficile Deo, si velit, æstatem in hibernas pluvias commutare. Et forsan id quoque hic ideo fecit Deus ut manifestius divina punitio elucesceret.

Ad quartam. Oliva hieme quoque media, adeoque toto anno viret, ut ad oculum patet. Teneriores vero illius ramusculi, qualem columba decerpsisse videtur in calidioribus illis regionibus, exeunte potius hieme, quam æstate succrescunt.

CAPUT X.

AN HI OMNES ANNI FUERINT SOLARES, ET PLENI.

Solares fuisse, et duodecim mensium, docebo Gen. 5, vers. 5. Plenos semper fuisse quidam negant, quod putent non fuisse perpetuo integrum illum annum, quo quisque filium suum genuisse describitur. Sed unde probant? Verisimile est, inquiunt. Atqui longe verisimilius, immo certum est, integre semper (aut pene semper) completos fuisse annos quos Scriptura commemorat. Et si quid forsan uni deesset, alteri superesset, id vicissim compensatum fuisse, ut de certo aliquo annorum numero posteris constare posset. Alioqui si liceat, hac prima mundi ætate, ab integris quos Scriptura exprimit annis aliquid pro libito decerpere, idem sequentibus omnibus ætatibus licebit: atque ita erunt incertæ omnes omnium Patriarcharum, Judicum et Regum chronologiæ. Dixi, *pene semper:* nam ubi manifesta ratio aliud exigit, id libens concesserim, v. g. in *Mathusala,* qui Gen. 5, v. 26 dicitur, *postquam genuit Lamech, vixisse* 782 *annis,* et v. 27, *omnes vitæ ipsius dies fuisse* 969 *annos.* Atqui tot præcise, nec pauciores sunt anni, a nato Mathusala, sicut sunt præcise 782 anni a nato Lamech, usque ad finem diluvii. Cum ergo constet, Mathusalam in arca non fuisse, sed, ut tradunt Hebræi, septimo die ante initium diluvii vita excessisse; cogimur fateri, ultimum annum vitæ Mathusalæ, non completum fuisse, sed inchoatum tantum. In reliquis reliquorum annis nulla est vel levissima causa tale quid suspicandi [2].

CAPUT XI.

QUOTO DIE QUOTI MENSIS CŒPERIT DILUVIUM? QUOTO FINIERIT?

Ex Genesis 7, v. 11 constat, cœpisse *anno vitæ Noe sexcentesimo* (qui idem erat annus mundi millesimus sexcentesimus quinquagesimus sextus) *mense secundo septimodecimo die mensis.* Tunc enim ingressus est Noe in arcam cum suis filiis, et cœpit pluere. Deinde cap. 8, v. 14 *arefacta* jam *terra,* dicitur *Noe egressus ex arca anno sexcentesimo primo, mense secundo, septimo et vigesimo die mensis.* Ergo duravit diluvium, et Noe in arca conclusus mansit totis *duodecim mensibus,* seu lunationibus, et insuper *diebus decem.* Et hic finitur prima ætas mundi, et incipit secunda. Incipit, inquam, non ab egressu Noe ex arca, sub finem secundi mensis: sed a *primo die primi mensis anni sexcentesimi primi,* quo *die* dicuntur v. 13, *aquæ imminutæ* fuisse *super terram,* seu terra aquis plene liberata fuisse. Tunc enim proprie desiit diluvium, quod vero Noe toto pene bimestri adhuc expectarit in arca, non ob aliud factum fuit, quam quod terræ superficies adhuc humido limo oppleta, necdum pedibus calcari, aut manibus coli posset.

(1) Sed etiam Petavius *Ration. Temp.,* p. 2, l. 2, c. 1, aliique non pauci viri etiam inter Catholicos doctissimi.

(2) Confer P. Schwarz *Colleg. Histor.,* tom. 1, quæst. 1 Chronol., § 3, p. 134. Causas tam longævæ vitæ excutiunt Pererius et Natalis Alexander in *pr. mundi ætatem,* diss. 9. Consule etiam Schuckfordium t. 1 *hist. Orbis sacr. et prof.,* p. 31 seqq., qui tamen in *Prolog. ad eumdem,* tom. 1, contendit, annos ante diluvii annos fuisse dierum tantum 360.

SECUNDA MUNDI ÆTAS

A principio sexcentesimi primi anni Noe, usque ad egressum Hebræorum ex Ægypto, duravit annis 887.

	genuit cum vixisset annis		post superv. aliis annis	Ergo, ut ex iisdem locis patet, vixerunt universim annis	Mortui sunt ergo anno conditi mundi finiente	a diluvio	
Sem, primogenitus Noe	2	post diluvium Gen. XI, 10, 12	500 Gen. XI, 11	600	2158	502	Anno mundi 1862, diluvii 206. Saturnus qui et Chus, filius Chus alterius, qui primogenitus fuit Cham, Gen. X, 6, etc., inchoavit regnum Assyriorum. Sed filius ejus Nemrod, qui et Belus et Jupiter, inchoavit monarchiam Syriacam, seu dominatum supra alias vicinas gentes, anno mundi 1932, diluvii 276. Cujus monarchiæ anno 43 inchoante natus est Abraham. Vide Eusebium in Chronico.
Arphaxad	35		303, v. 13	338	1996	340	
Cainan	30	ita 70, Gen. XI et I. Paral. I, 18					
Sale	30	Gen. XI, 14	403, v. 15	433	2156	500	
Heber	34	Ibidem 16	430, v. 17	464	2217	561	
Phaleg	30	18	209, v. 19	239	2026	370	
Reu	32	20	207, v. 21	239	2056	400	
Sarug	30	22	200, v. 23	230	2079	423	Auctore Nemrod, seu Jove, cœpta est turris Babel, initio regni ejus, quod totis 14 annis prius fuit monarchia ejusdem. Porro in turre construenda dicit Cedrenus occupatos fuisse annos 43 ut ad altitudinem unius leucæ illam eveherent. Igitur dissipatio operarum, et divisio linguarum contigit 14 annis ante ortum Abrahæ.
Nachor	29	24	119, v. 25	148	2027	371	
Thare	130	vide quæ dicam cap. XIV hic.	75, v. ul.	205	2113	457	
Abram	100	Gen. XXI, 5	75, Gen. XXV, 7	175	2213	557	
Isaac	60	Gen. XXV, 26	120, XXV v. 28	180	2318	662	
Jacob erat annorum	130	cum sisteretur regi Pharaoni	17, Gen. XLVII, 28	147 ibid.	2315	689	
Joseph tunc erat annorum 39, nam novennio ante, erat annorum 30 cum primum et ipse staret in conspectu regis Pharaonis, Gen. XLI, 46, ex quo lapsi sunt deinde septem anni fertilitatis, ibidem vers. 47, et duo anni sterilitatis, cap. XLV, 11. Mortuus est autem Joseph cum esset 110 annor., Gen. L, 22 et ult. Ergo postquam statuit patrem suum Jacobum regi Pharaoni, supervixit Joseph annis 71.							
Ergo Josepho adduntur	71	anni usque ad mortem ipsius in Ægypto		110	2399	743	
A morte Josephi usque ad nativitatem Moysis fluxisse annos	64	docebo cap. XVII. Ergo natus est Moyses			2463	807	
Moyses erat annorum	80	in egressu Hebræor. ex Ægypto, Exodi VII, 7			2543		Hoc enim anno mundi finito, egressi sunt Hebræi ex Ægypto.
	887						
His adde primæ ætatis annos	1656						
reperies annos	2543	quot fluxerunt ante egressum Hebræorum ex Ægypto (1).					

(1) Demptis ergo Cainani junioris annis 30 (hunc enim Cainan infra probabo expungendum) fluxerunt anni 2513, quot recentiores Chronologi huic secundæ ætati tribuere solent.

CAPUT XIII.

AN GENESIS CAP. XI, VERS. 12, INTER ARPHAXAD ET SALE INTERSERI DEBEAT CAINAN?

Omittunt illum Hebræa et Chaldæa Biblia, et Chronologiæ Judaicæ, quæ secuti sunt Josephus, Beda, Ado, Isidorus, Eugubinus, Cajetanus, Sixtus Senensis, Genebrardus, Driedo, Abulensis, Lucianus, et pene omnes sectarii [1], inter quos Beza Cainan sustulit ex Evangelio S. Lucæ, et tolli vult Capellus, sed constanter illum interserunt Septuaginta Interpretes tum hoc, tum præcedente cap. Geneseos, item 1. Paralip. 1, v. 18 et 24 hoc modo: *Arphaxad 35 annorum genuit Cainan: Cainan 30 annorum genuit Sale* [2]. Et hos constanter sequitur S. Evangelista Lucas c. 3, v. 36 et SS. Patres Ambrosius, Nicephorus Constantinopolitanus, et in eum Contius. Item Cajetanus, Lipomanus, Canus, Toletus, Bellarminus, Salmeron, Barradius, Ribera, Gordonus, Samerius, Delrio, Raderus, Mariana, Salianus [3], Bonfrerius, qui etiam ostendit S. Epiphanium, et S. Hieronymum (de quibus id aliqui negant) *Cainan* interseruisse [4]. Cur vero in Hebræo et Latino textu Geneseos et Paralipomenon omissum fuerit, causa esse videtur, quod nollet Moyses a Noe usque ad Abram plures quam decem generationes recensere, sicut non nisi decem recensuerat ab Adamo ad Noe. Simili modo S. Matthæus, cum vellet in tres quaternianas generationes Christi genealogiam distribuere, omisit in secunda tres reges Ochoziam, Joas et Amasiam; quos tamen constat ex Regum et Paralipomenon libris, inserendos esse [5]. Quod cum de *Cainan* quoque constaret ex antiqua et certa traditione, et publicis tabulis, et spiritu prophetico suggerente, Septuaginta Interpretes suæ illum editioni, et S. Lucas suo Evangelio inseruerunt: ut dubium ea de re nulli jam esse possit, maxime cum Tridentinum Concilium [6] sub anathemate definierit, suscipiendos pro

(1) Quos inter numerari omnino debent Usserius in diss. *de Cainan*, Spandemius in *Dubiis Evangelicis*. Schuckfordius t. 1 *Hist. Orbis sacr. et prof.*, p. 275. Cave tamen credas hanc esse sectariorum sententiam: immo illi subscribunt plerique doctiores Catholici, Cornelius a Lapide, Petavius, *de doctr. temp.* Possinus in *Diallactico*, Tourneminius, Daude e nostra omnes Societate clarissimi viri, abbas Lenglet, Dupinius, Prassenius et Dominicani Le Quien in libro, quem adversus Petronium scripsit, prænotavitque *Defense du texte Hebreu*, ac Natalis Alexander in *sec. Mundi ætatem*, diss. 4.

(2) Euseb. *in Chron.*; Aug. l. 16 *de Civit.* c. 3 et 10; Epiph. *in Ancorato et Christi 68.*

(3) Vide etiam alios citatos a Saliano ad annum mundi 1691 et in *præf. tomi 3 Annalium.*

(4) Hæc paucis tene, quæ a nuper citatis Auctoribus fuse pertractantur;

I. Non in omnibus Novi Testamenti Codicibus, qui adhuc supersunt haberi Cainan (hujusmodi est Cantabrigiensis vetustissimus a Theodoro Beza citatus; neque quod hic auctor divinam ejuraverit fidem, nulla apud homines dignus est, ut P. Brietius, *Annal.* M. T. 1, *proleg.* pag. 21, scripsit satis mea quidem sententia inconsiderate, ne dicam ridicule); nec primitivæ Ecclesiæ temporibus in Luca lectum fuisse, ut colligitur ex Irenæi lib. 3, c. 33 ubi ait, Lucam ostendere, Christi genealogiam *usque ad Adam* LXXII *generationes habere*; si enim Cainan inseratur, reperientur LXXIII.

II. Longe verisimilius esse, ne in ipsis quidem LXX Interpretibus primitus fuisse. Nam qui Græce scripsit, et LXX sequi solet, Josephus eum non admittit (*Antiq.* lib. 6. c. 6). Quin Philo, Eusebius et Africanus non adnumerant, quum tamen sequantur Epilogismum τῶν Septuaginta; ut neque Theophilus Antiochenus, lib. 3 *ad Autol.*, quamvis in numero annorum Græcos sequatur: neque Epiphanius, h. 55 *contra Melchisedecianos*, neque B. Hieronymus in *Traditionibus Hebraicis*, quamquam de dissensu codicum Hebræorum et Græcorum expresse disserat.

III. Etiamnum non in omnibus Græcis codicibus legi *in 1. Paral.* Abest certe ab editione Romana et Parisiensi, quæ omnium castigatissimæ sunt.

(5) Harduinus in *Chronologia Vet. Testamenti*, pag. m. 20, caussam aliam commentus est, cur qui a Moyse omissus est Cainan, a Luca additus fuerit. "Cainan, inquit, hoc loco Moyses prætermisit, Lucas inseruit. Voluit ille, opinor, Arphaxadi et Cainanis incontinentiam latere Hebræis suis, quorum alter anno 18, alter anno 17 contra ceterorum Patriarcharum morem filium procreasset. Id autem sane scite occultatur, alterutrius suppresso nomine; nullo (ut vir doctissimus Genebrardus vidit) historiæ et chronologiæ detrimento. Dici enim vere potuit, anno Arphaxadi 35 genitum esse Sale, Cainane prætermisso. Nam et more loquendi sacris litteris non inusitate, genuisse nepotem avus vere dicitur. Potuit autem Lucas Cainanem appellare; quippe quum historicum ageret, neque commemoraret, quo quisque parentum anno liberos genuisset." Hæc ille: quæ pia commenta quod Schuckfordius, t. 1, p. 274, ut levissima non admiserit facilis indulgeo: at quod ea Catholicis omnibus tribuerit, atque heterodoxis aliquid commodi accedere ex illis posse jactaverit, audacter et imperite fecit. Nam et Catholici plures, quos antea recensui, Cainanem expungunt, et qui retinendum illum censent, longe alias caussas adferunt, cur fuerit a Moyse prætermissus, ut vel unus Tirinus abunde testificatur.

(6) Sess. 4.

sacris et canonicis omnes libros Bibliorum, integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata editione Latina habentur [1]. Atqui Lucæ 3, v. 36 habetur *Cainan:* ergo.

CAPUT XIV.

QUOTO ANNO THARE NATUS SIT ABRAHAM?

Seder Olam, Josephus et alii Rabbini, Genebrardus, Abulensis, Pererius, Delrio, a Lapide, Sa, Lorinus [2], Petavius [3], et quidam alii ex c. 11 Genes. v. 26, ubi dicitur, *Vixit Thare 70 annis et genuit Abram, et Nachor, et Aran:* putant, Abram natum anno Thare vel 70 vel 71. Sed ex hoc loco nihil aliud colligi potest, quam tres istos filios, ex Thare genitos fuisse post septuagesimum ætatis illius annum: quoto vero anno singuli nati sint, et quis primo, quis secundo, quis tertio loco natus sit, inde colligi non potest. Sicut ex illo Genesis 5, v. ult.: *Noe cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Japhet,* non colligitur, tres illos filios uno eodemque anno genitos, sed neque vel unum quidem illorum præcise anno 500 vel 501 patris genitum esse: nam constat ex c. 11, v. 10 *Sem*, qui [4] primogenitus erat, nonnisi biennio post 500 parentis annum in lucem editum fuisse [5]. Et sunt argumenta alia, quibus convinci videtur, Abram multis post id tempus annis natum fuisse, nempe anno Thare 130, neque primogenitum fuisse Thare, sed tertiogenitum, licet a Moyse ob dignitatem personæ primo loco nominetur, utpote cujus unius genus, prosapiam et præclara gesta prosequi Moyses decreverat: Revera autem primogenitum fuisse Aran, natum anno Thare circiter 70, secundogenitum Nachor, natum sub annum 100 Thare.

Sunt vero hæc argumenta. Primum, tam Nachor, quam Abram duxit in uxorem filiam Aran, iste Saram (quæ ante vocabatur Jescha, Gen. 11, v. 29, et affirmat Josephus [6], S. Augustinus [7], S. Thomas, Abulensis, Pererius, et communiter Interpretes), ille Melcham [8]. Neque tamen Abram senior fuit Sara quam decennio, ut dicitur Gen. 17, v. 17. Ergo Aran pater Saræ debuit senior fuisse Abramo, nisi forte quis velit cum Genebrardo dicere, Aran anno vitæ suæ octavo genuisse Lot, nono Saram. Sed hoc ridiculum, cum neminem legamus isto ævo ante annum 29 vel 30 genuisse.

Secundum, quo probatur, Abram non tantum seniorem fuisse Aran, sed totis 60 annis seniorem fuisse, adeoque natum anno Thare 130 vel 131 colligitur ex Gen. 11, vv. 31 et 32, ubi Abram dicitur cum patre suo Thare egressus de Ur Chaldæorum habitasse in Haran vel Charan. Et cum istic habitasset usque ad mortem Thare, dicitur c. 12, v. 4, monente Deo egressus ex Haran anno vitæ suæ 75. Neque dici potest, inde egressus esse vivo adhuc patre, quia id repugnat S. Stephano, qui Actorum 7, v. 4, diserte affirmat, Abrahamum ex Charan translatum *postquam mortuus est pater ejus.* Atqui pater vixit 205 annis, ut habetur Gen. 11, v. ult. Si ergo moriente patre non erat Abraham nisi 75 annorum, non potuit alio anno natus fuisse, quam 130 Thare, vel circiter: nam ab illo solo anno, usque ad 205 intersunt anni 75. Si enim natus fuisset anno 70 Thare, jam moriente Thare, quando egressus est de Charan, fuisset non 75 sed 135 annorum.

Dices, Et isto et illo anno, id est bis, egressus est Abraham ex Charan. Et de prima vice agitur Gen. 12, v. 4, de secunda Actor. 7, v. 7. Atque ita totis 60 annis peregrinatus est in Chanaan, relicto patre adhuc vivo in Charan, quo mortuo vel moribundo, rediit ad ipsum in Charan, et mox divisa cum fratre hereditate paterna, in solidum concessit in Chanaan.

(1) Etiam Harduinus hanc Tridentini Concilii sanctionem urget; sed parum opportune. Non ait Tridentinum *particulas*, dixit *partes*, ut intelligeremus, non ipsum de singulis Vulgatæ apicibus loqui, sed de illis sacrorum librorum *partibus*, de quibus nos inter et Protestantes contentio est; cujusmodi sunt Danielis aliquot capita, etc. Vide Bellarminum (Lib. 1 *de Verbo Dei*, cap. 7).

(2) In Act. 7, v. 7. (3) Lib. 9 de doct. Temp., cap. 18. (4) Gen. 10, v. 21.

(5) Vide quæ notavimus ad caput 8, not. 2. (6) L. 1 Antiq., c. 6.

(7) L. 25 q. in Gen. et l. 22 contr. Faustum, cap. 35. (8) Gen. 11, v. 29.

Respond. Repugnat Scriptura, tum Gen. 11, v. 31, ubi dicit, Abramum cum Thare simul habitasse in Haran, nec meminit nisi unius egressus ex Haran, nempe post mortem Thare: tum Actor 7, v. 7, ubi expresse dicit, translatum Abram ex Charan, postquam mortuus est pater ejus: ergo illo vivente translatus non fuerat. Tum denique eodem Actorum loco v. 5, ubi dicit, Abramo ex Charan in Chanaan translato factam eam promissionem a Deo, quæ Genes. 12, vv. 2, 4 et 7 ei jam 75 annum agenti facta narratur, et addit, eam illi factam, *cum nondum haberet filium*. Ergo tam Stephanus, quam Moyses agunt de una eademque egressione Abrahæ ex Charan, post mortem parentis, cum necdum haberet filium, sed solum esset 75 annorum.

Confirmantur hæc; et simul fit tertium argumentum. Si Abram moriente patre suo, et Deo terram Chanaan illi promittente (nam tot habuisse oportuit, si natus est anno 70, ejus qui vixit 205 annis), ergo jam genuerat Ismaelem et Isaacum (nam priorem genuit an. 86, posteriorem anno 100 vitæ suæ teste Script.), at S. Stephanus, Act. 7, v. 4, dicit eum *translatum in terram* Chanaan, eique promissionem terræ illius factam *cum nondum haberet filium*.

Accedat quartum argum. Si Abram moriente patre suo fuit 135 annorum cum acceperit præceptum circumcisionis anno 100 vitæ suæ, cur parentem, qui totis 35 annis supervixit, non etiam circumcidit? cur nulla saltem mentio illius fit? cur nulla quoque benedictionis mentio ab avo impertitæ nepotibus Ismaeli et Isaaco? Rursum si Abram jam 135 annorum, denuo rediit in Charan, quid ni tunc Rebeccam vel aliam cognatam suam inde filio suo Isaaco jam 35 annorum viro, uxorem desumpsit, potius quam post quinque annos magnis impendiis eo suum œconomum ea de causa ablegaret? cur œconomus ille de rebus Abrahami, de ejus opibus, de filio ex Sara suscepto, quasi de rebus ignotis loquitur, Genes. 24, v. 35, si ante quinquennium Abram illos inviserat, et hereditatem cum ipsis paternam diviserat? Denique quomodo in fine c. 22 dicitur, nuntiatum Abrahæ de filiis quos Nachor susceperat, si ipse Abraham eos recens adierat, et præsens omnia inspexerat?

Porro Auctoribus contrariæ sententiæ supra citatis, ne suo pondere vim nobis faciant, præter Moysem et S. Stephanum jam citatos oppono Theodoretum [1], Procopium, Lyranum, Naclavium [2], Cajetanum [3], Lipoman. [4], Pontacum [5], Marzillam [6], Chronicon Alexandrinum, Torniellum, et e nostra Societate P. Joan. Ferdinandum [7], Salianum [8], Delrionem, Bonfrerium [9], et alios [10]: ut omittam sectarios ejusdem nostræ sententiæ assertores Calvinum [11], Codomanum [12], Beroaldum, Temporarium, Treudelium [13], Capellum, Bruchtomum, et alios [14].

CAPUT XV.

DISTRIBUTIO ANNORUM ABRAHÆ.

	ANNO		
	a nato Abramo	a mundo condito	a diluvio
Natus est Abram anno monarchiæ Beli seu Jovis seu Nemrod 42 finiente.		2038	382
Ex Ur Chaldæorum cum patre suo Thare monitu Dei egressus in Haran, Judith 5, v. 9, et Actor, 7, v. 2, jam septuage-			

(1) In qq. sup. Gen. (2) De Arcanis Christi et de tertia ætate mundi.
(3) Cajet. et Beda in 12 Gen., v. 4. (4) In catena. (5) In Chron. Eusebii.
(6) I. Paraphr. in Pentath.
(7) In Thesauro divin. Script. lib. 1, cap. 16, § 2. (8) Ann. mundi 1979, 2039.
(9) In c. 11 Gen. 26.
(10) Natalem Alexandrum in *II mundi ætatem*, diss. 6. Harduinum in *Chronol. Vet. Test.*, pag. 23. Lancellotum *in epitome Chronologiæ sacræ Usserianæ*. Schwarzium t. 1 *Colleg. histor.*, q. 12, p. 236 seq. P. Daude in *apparatu Chronologico ad Historiam universalem Romani imperii*, etc., p. 28 seqq. Remondinianæ editionis.
(11) Calv. in Catena Mar. Coran. (12) Codo. Et alii in Chronicis. (13) In Gen. 11.
(14) Usserium *Chronol. Sacra*, Scheckfordium t. 1 *Hist. Orbis Sacræ et Prof.*, p. 269 seqq.

	ANNO		
	a nato Abramo	a mundo condito	a diluvio
narius, ubi quinquennio substitisse videtur, nam Gen. 12, v. 5, dicitur *habitasse in Haran et ibi substantiam possedisse et fecisse animas.* Et Judith 5, v. 6, in Græco: *habitasse dies multos.*			
Mortuo parente, ex Haran egressus monente iterum Deo in Chanaan, cum et promissio cælitus illi facta est de Chanaanitide posteris ipsius donanda, Gen. 12, v. 2, 4, 7, etc. anno vitæ suæ finiente (ut ibid. v. 4 dicitur)	75	2113	457
Et ab hoc anno, quo facta est Abrahæ ista promissio, subducendi sunt anni 430, usque ad legem in Sinai Hebræis latam a Deo, Galat. 3, v. 17, et Exodi 12, v. 40. Non vero quinquennio ante, ut vult Bonfrerius. Nam etsi tunc jussus fuerit a Deo egredi e Mesopotamia, seu Ur Chaldæorum; non accepit tamen tunc promissionem de semine, et de Chanaanitide. Quia hæc promissio tum demum illi facta est, cum egressus e Chaaran (ubi propter senium, forsan et morbum, decrepiti patris subsistit toto quinquennio) a morte patris migrasset in Chanaan, ut dicitur Genes. 12, vv. 6 et 7, et Act. 7, vers. 4 et 5. Ab ista vero promissione, et non ante, inchoandos esse supradictos annos 430, patet tum ex iisdem locis, tum diserte ex S. Paulo ad Galatas 3, vv. 16 et 17 [1].			
Mox ab hac promissione descendit Abram (finiente anno vitæ suæ 76.) in Ægyptum, ubi Sara transfertur in domum Pharaonis, Genes. 12, vv. 10 et seqq.			
Lot nepos Abrahæ, ob nimias utriusque opes, ab eo sejungitur, Genes 13, et Sodomam petit, vers. 10.			
Abram cum 318 vernaculis suis cædit quatuor reges, et liberat Lot, et decimas dat Melchisedecho, Gen. 14.			
Iterat Deus promissionem de semine Abrahæ, et Chanaanitide illi danda, sed prius peregrinaturum et affligendum prædicit totis 400 annis in aliena terra. Quorum 400 annorum meminit etiam S. Stephanus Actor. 7, v. 6. Incepit vero hæc seminis Abrahæ peregrinatio simul atque promissum Abrahæ semen, puta Isaac, extare cœpit. A cujus ortu usque ad egressum ex Ægypto præcise fluxerunt anni 405, ut ait S. Aug. q. 47 in Exod. At afflictio potest dici aliquo modo cœpisse præcise ab anno 5 Isaaci, cum is ablactatus a lacte affligeretur vexareturque ab Ismaele: unde et Ismael domo Abrahami expulsus est Deo jubente, Genes. 21, vv. 8, 9 et seq. Proprie enim cœpit cum servitute Ægyptiaca, nec duravit nisi 92 annis, ut dicam c. 17.			
Porro hæc jam iterata promissio, et prædictio peregrinaturi seminis contigit anno uno ante natum Ismaelem.			
Nascitur Abramo Ismael ex Agar, anno 11 habitationis in Chanaan, cum Abram esset annorum	86	2124	468
Genes. 16, vv. 3 et 16.			
Abram nomen vertitur in Abraham, et Sarai in Saram, Genes. 17, vv. 5 et 15. Eodem anno circumcisio instituitur, vv. 10 et 24. Promittitur Isaac, v. 19, et c. 18, v. 10. Paullo			

(1) P. Abrahamus contra hanc sententiam acriter pugnat *in Pharo Veteris Testamenti.* Ceterum video in eam ivisse recentiores magno numero Chronologos Usserium *in Chronol. Sacra*, Schwarzium t. 1 *Colleg. hist.*, quæst. 13. Daude *in Apparatu Chronologico*, p. 30 seqq. Schuckfordium 2, pag. 415

	ANNO		
	a nato Abramo	a mundo condito	a diluvio
post Sodoma evertitur, c. 18, vv. 14 et 16, et c. 19, cum Abraham explevisset ann. 00	99	2137	481
Nascitur Isaac, Genes. 21, v. 5, et circumciditur octavo die, v. 4. Eodem anno, sed sub initium, sublata fuerat Sara in domum Abimelech regis Geraræ, Genes. 20. Nati sub finem Moab et Ammon, ex filiabus Lot, Genes. 19, in fine.	100	2138	482
Anno 5 finiente ablactatus est Isaac. Ita Hebræi apud sanctum Hieronymum in Quæstionibus Hebraicis, et Pererius, et Delrio, et Salianus; erat enim tunc, ut vita, sic et infantia, longior. Nam et post 1600 annos, cum multo contractior esset ætas hominum, tempore Machabæorum, ablactationis tempus triennio tamen definiebatur, 2. Machab. 7, v. 17. Et sane non potuit in minorem quinquennio quadrare lusus seu pugna Ismaelis, Genes. 21, v. 9. Quæ causa fuit expulsionis ejusdem ex domo paterna, paullo post ablactationem Isaaci, vv. 10 et seqq.	105	2143	487
Moritur Sem Abrahæ anno	120	2158	502
Jubetur Isaac immolari, cum esset 25 annorum, inquit Josephus, Genes. 22.	125	2163	507
Sara uxor Abrahami moritur, cum esset 127 annorum, Genes. 23, v. 1, et sepelitur in Hebron, v. 19.	137	2175	519
Rebecca nubit Isaaco, Gen. 24 et 25, v. 20 cum Isaac esset 40 annorum, Abraham	140	2178	522
Abraham accipit Cethuram in conjugem secundariam, quæ peperit ei sex filios, Genes. 25. v. 1 et 2.	142	2180	524
Ex Isaac et Rebecca nascuntur gemini Esau et Jacob: cum Isaac esset 60 annorum, v. 26.	160	2198	542
Abraham moritur, cum esset 175 annorum, Gen. 25, v. 7, et sepelitur in Hebron, v. 9.	175	2213	557

CAPUT XVI.

DISTRIBUTIO ANNORUM JACOB ET JOSEPHI.

	a nato Jacob		
Anni Isaaci includuntur partim annis Abrahæ, uti nunc vidimus, partim annis Jacob, ut jam videbimus.			
Natus est Jacob cum Esau, inchoante imperium suum Balaneo, Assyriorum septimo monarcha.	1	2198	542
Et sicut sepelivit Abrahamum 15 vitæ suæ anno, ita quadriennio post luxit mortem Heber septimi avi sui.	19	2217	561
Anno vitæ Jacob, et suo 40 Esau binas ducit uxores, Judith et Basemath, Genes. 26, v. 34.	40	2238	582
Fratri suo Esau præripit benedictionem paternam, et mox fugit in Mesopotamiam anno vitæ pene exacto Isaaci 137. suæ	77	2275	619
Id colligitur ex annis Josephi, hoc modo: Cum Jacob ingressus Ægyptum sisteretur Pharaoni, Joseph erat 39 annorum, ut dixi cap. 12, § Joseph. Eodem tempore Jacob erat 130 annorum, ut dicitur Genes. 47, v. 9. Hos ergo 39 annos Josephi si demas ex 130. Jacobi, invenies Josephum natum anno 91 Jacobi. Si deinde 14 anni demantur, quibus Jacob in Mesopotamia pro duabus uxoribus suis servivit avunculo suo Labano (nam post natum Josephum, exactis jam 14 annis quibus se Labano obstrinxerat, voluit in patriam reverti, Genes. 30, v. 26), remanebunt præcise 77 anni; quot jam			

		ANNO finiente an. vitæ Jacob	ANNO a mundo condito	ANNO a diluvio
dixi fuisse Jacobum cum secederet in Mesopotamiam. Porro Jacob natus erat anno Isaaci 60, ergo cum Jacob secederet in Mesopotamiam, et esset 77 annorum, Isaac erat 137 annorum: nam 60 et 77 faciunt 137.				
Jacob cum septennio pro Rachele serviisset Labano, obtruditur illi Lia, Genes. 29, vv. 14, 18 et seqq., sed septimo post Liæ nuptias die, copulatur etiam illi Rachel pro futuro servitio alterius septennii, vv. 27 et 28 circa Octobrem nascitur etc.		84	2282	626
Nuptiarum anno vertente ex Lia nascitur Ruben primogenitus Jacobi. Vixit annis	124 Ita Hebræi in Seder-olam.	85	2283	627
Sequenti anno sub finem æstatis ex eadem nascitur Simeon: qui, iisdem Hebræis testibus, vixit annis	120	86	2284	628
Tertio Levi, finiente media æstate. Vide Genes. 29, v. 32 usque ad finem, vixit annis	137. Exod. 6, 16.	87	2285	629
Quarto anno natus est Dan ex Bala ancilla Rachelis, vixit annis	127			
Ita Seder-olam, et libellus de Vita Patriarcharum.				
Ex eadem, sed anno sequenti, natus est Nephtali: qui, iisdem testibus, vixit annis	132	88	2286	630
Et ex Lia Judas sub initium ejusdem anni, vixit annis	119			
Sub finem quinti servitutis anni pro Rachele, nascitur Gad ex Zelpha ancilla Liæ, Genes 30, v. 9 et seqq. Hic in testamento Prophetarum dicitur mortuus anno vitæ suæ 100. Sed si sic esset obiisset ante Josephum: quod tamen negat Seder-olam ulli fratrum contigisse. Quare malo dicere, ipsum pene cum Nephtali, ut natum, sic et mortuum, et consequenter vixisse annis	132	89	2287	631
Sexto anno finita æstate ex Selysa nascitur Aser, v. 13. Testibus iisdem Hebræis, vixit annis	125	90	2288	632
Et ex Lia, eodem anno nascitur Issachar, Gen. 30, v. 18, vixit annis	122			
Septimo sub vernum tempus ex Rachele nascitur Joseph, vers. 24. Qui, ut dicitur Genes. ult. v. 25, vixit annis	110	91	2289	633
Eodem anno ex Lia nascitur sextus ipsi filius, Zabulon, Genes. 30, v. 20, vixit annis	124			
Completis bis septem annis, quibus pro duabus uxoribus suis Jacob servierat Labano, petit ab eo missionem, et reditum in patriam: sed Laban novo pacto cum Jacob inito, detinet illum penes se altero				

	ANNO finiente an. vitæ Jacob	a mundo condito	a diluvio
sexennio: sub cujus initium nascitur ex Lia filia Dina, Genes. 30, v. 21, et 25 et seqq.	92	2290	634
Expleto sexennio redit e Mesopotamia in Chanaan. Accipit nomen Israel, Genes. 31, v. 38 et 41, et c. 32, v. 28. Pacifice excipitur e fratre suo Esau, Gen. 33, v. 4, cujus vitæ annus inchoabatur.	97	2295	639
Post sesquianni habitationem in Socoth (ita Hebræi in Seder-olam c. 2. Genebrardus, Lyranus, etc.) Genes. 33, v. 17, transit in Salem, urbem Sichimorum, ubi habitat octo annos cum medio, v. 18. Alexander Polyhistor apud Eusebium, Tostatus et alii.	98		
Finiente decennio violatur Dina cum ageret annum 16. Ob hoc stuprum cæduntur Sichemenses, Genes. 34. Euseb. *de præpar. Evang.* Eodem anno migrat inde Jacob in Bethel, Genes. 35, v. 6. Moritur Debora, v. 8. Item Rachel, v. 19. emisso prius in lucem Benjamino, v. 17, qui vixit annis 111, Seder-olam. Eodem anno contigit et Rubeni cum Bala flagitium, v. 22. Et Jacob invisit patrem suum Isaac in Hebron, v. 27, cum 6 mensibus habitasset in Bethel, teste Seder-olam et Genebrardo. Venditur quoque Joseph, cum esset sedecim annorum, Genes. 27, vers. 2 et seq. Quod de completis annis intelligo. Ita S. Augustinus, Josephus, Eusebius, Marianus Scotus, Gordonus, Samerius et alii. Denique Judas ducit uxorem, Genes. 38, v. 1, finiente anno.	107	2305	649
Josephus post 11 annorum fidele servitium Putiphari præstitum, dolo uxoris ejusdem compingitur in carcerem, ubi tribus annis hæsit.	118	2316	660
Moritur Isaac cum esset 180 annorum, et sepelitur ab Esau et Jacob, Gen. 35, v. 28. Eodem anno secedit Esau a Jacob, ob nimias utriusque opes, Genes. 36, v. 6.	120	2318	662
Josephus, a rege Pharaone eductus e carcere, fit princeps totius Ægypti, Genes. 41, v. 1, et 46.	121	2319	663
Primo anno fertilitatis ducit uxorem, v. 45 et 47. Secundo, nascitur ipsi Manasses, vers. 51. Tertio, vel quarto. Ephraim, v. 50 et 52. Quarto anno, Her primogenitus Judæ, jam 17 annorum accipit uxorem Thamar, anno vitæ Judæ 38, Genes. 38, v. 6. Quinto Thamar, occiso Her, nubit fratri ejus Onan, v. 8. Quo et ipso mortuo mansit toto biennio vidua, nempe 6 et 7 annis fertilitatis, v. 11 et 12.			
Primo anno famis, Thamar per fraudem ex Juda socero suo, v. 18, concipit.	129	2327	671
Secundo anno parit Phares et Zaram, v. 29 et 30. Et sub finem anni Joseph innotescit fratribus, et Jacob cum omnibus suis satrapis et anno sequenti descendit in Ægyptum, Gen. 45, 46 et 47, v. 9.	130	2328	672
Job eodem anno nascitur, juxta Hebræos in Seder-olam, Genebrardum et Salianum, Pererium, Pinedam, Torniellum et alios. Vixitque 210 annos. Vide quæ dixi initio Commentarii in Job.			
Eodem anno ut summum (secundum Chronicon Alexandrinum), natus erat Caath, anno Levi patris sui 43, et vixit 133 annis. Exodi 6, v. 18. Hic fuit avus paternus Moysis, ibid. et vers. 20. Hoc porro ut summum anno natum Caath, constat ex Genes. 46, v. 11, ubi simul cum Levi patre suo dicitur de-			

	ANNO finiente an. vitæ Jacob	a mundo condito	a diluvio
scendisse in Ægyptum: ergo serius nasci non potuit, etiamsi diceremus, Merari fratrem ejus, in matris utero conclusum, in Ægyptum ingressum esse, ibid. et v. 8: Dixi, ut summum; quia mallem cum S. Epiphanio et Saliano dicere natum Caath anno Levi 34, et jam decimum egisse annum cum in Ægyptum demigraret.			
Decem et septem post annis in Ægypto moritur Jacob, Genes. 47, v. 28.	147	2345	689
Job 30 jam annorum in terra Hus uxorem ducit quam LXX vocant Bosorram, genere Arabissam, ex qua sequentibus annis suscepit ordine septem filios, et tres filias, Job 1. Forsan hoc tempore cœpit Job, defuncto Balac, sive Bela, filio Beor, Genes. 36, v. 32, regnare in Idumæa, ut habetur v. 33, et apud LXX in fine libri Job.		2358	702
Ex Caath, anno vitæ ejus (secundum S. Epiphanium) 69, secundum Chronicon Alexandrinum 60, nascitur Amram pater Moysis, 14 annis ante mortem Josephi, inquit Demetrius apud Eusebium *de Præparat.* l. 9, c. ult., Salianus et alii.		2384	728
Septuaginta annorum erat Job, cum finiretur ipsius cum dæmone lucta et tentatio. Quam S. Jo. Chrys. hom. 5 ad populum Antiochenum, non toto anno circumscribit, uti et commentarius qui inscribitur Origeni in Job, eamque sententiam confirmat ex illis Jobi verbis c. 7, v. 3: *Et menses vacuos habui.* Alii innominati, quos idem auctor ibidem refutat, ad tres annos cum medio extendunt. Cyrillus Alexandr., Olympiodorus, Suidas, et quidam alii, quos citant et sequi videntur Pineda, Torniellus, Pererius et Salianus, toto septennio durasse volunt. Sed probabilius videtur, non nisi paucis mensibus durasse, ut dicam c. ult. Jobi v. 10. Eligat tamen lector sententiam quam volet, dummodo septuagesimum annum faciat ultimum luctæ et tentationis. Cum enim post tentationem omnia acceperit Job duplicia, ergo etiam annos vitæ: neque tamen vixerit nisi 210 annis, Job ult., non potuit tentatio post 70 annum vitæ ejus extendi, quia major septuagenario numerus bis reperiri non potest in minore numero quam 140. Quot soli anni supersunt post 70 annum vitæ Jobi usque ad 210.		2398	742
Joseph sequenti anno moritur, nempe 54 annis post mortem Jacobi, 80 ab inchoato principatu Ægypti: 71 a descensu Jacobi in Ægyptum: cum vixisset annis 110. Genes. ult. Ita Chronicon Alexandrinum, Eusebius et Salianus.		2399	743

CAPUT XVII.

DISTRIBUTIO ANNORUM A MORTE JOSEPHI USQUE AD FINEM SERVITUTIS ÆGYPTIACÆ: ET QUO ANNO HÆC CŒPERIT ET QUAMDIU DURARIT.

Eusebius statim a morte Josephi illam servitutem incœpisse autumat: et hunc sequitur Chronicon Alexandrinum, Marianus Scotus, Freculphus, Ado, et quicumque servituti Hebræorum 144 annos attribuunt. Sed hos refellit Scriptura, Exodi 1, v. 6, quæ servitutem illam inchoatam dicit, non mortuo præcise Josepho, sed *et universis fratribus ejus, et omni cognatione illa.* Ut sentit etiam S. August. l. 16 *de Civit.* c. 43, et l. 18, c. 7. Atqui tradunt Hebræi in Seder-olam, Josephum primum omnium fratrem, qui pluribus post illum annis vixerunt, e vivis excessisse: et ex Scriptura constat, Exodi 6, v. 16, Levi, qui non nisi quadriennio senior erat Josepho, vitam tamen pro-

traxisse ad 137 annos: et consequenter 23 annis supervixisse Josepho. Jam vero et aliud aliquod temporis spatium fluxisse oportuit, quo reliqua quoque cognatio interiret, et ipsius Josephi memoria, benefactaque omnia oblivioni traderentur, surgeretque rex novus qui non nosset Joseph: et filii Israel in tantum multiplicarentur, ut fortiores dici possent Ægyptiis, Exodi 1, v. 9. Quibus omnibus puto vix sufficere alios 30 annos. Unde cum Saliano, et iis quos ipse citat, statuo, servitutem Hebræorum non cœpisse nisi 52 anno a morte Josephi: neque puto, repertum iri qui solide id refellat.

Jam tempora distribuamus.

	ANNO		
	a morte Josephi	a mundo condito	a diluvio
Ephraimitarum familia a prædonibus Gethæis pene extincta est, anno a morte Josephi	2	2401	745
1. Paralip. 7. Ita Abulensis ibi, et Serarius initio Commentarii in Josue.			
Simeon moritur, cum esset annorum 120.	5	2404	748
Judas, cum esset 119 annorum sub initium	6	2405	749
Ruben, annorum 124.	8	2407	751
Issachar, annorum 122.	11	2410	754
Dan filius Balæ ancillæ Rachelis, cum esset annorum 127.	13	2412	56
Zabulon, annorum 124; Aser, annorum 125; Forsan et Dina, annorum 123, nam dies obitus nusquam traditur.	14	2413	757
Benjamin, annorum 111.	17	2416	760
Nephthali, annorum 132.	19	2418	762
Gad, annorum, ut videtur, etiam 132.	20	2419	763
Levi, annorum 137. Exodi 6, v. 16.	23	2422	766
Ephraim et Manasse, filii Josephi, quamdiu vixerint, incertum. Si, ut vult Salianus, mortui sunt	29	2428	772
Ephraim fuerit circiter 106, et Manasse 107 annorum.			
Caath juxta calculum Epiphanii, moritur, cum esset 133 annorum. Exodi 6, v. 18.	52	2451	795
Incipit dura servitus Hebræorum in Ægypto, quæ tenuit annos 92. Vide Salianum, a Lapide, Bonfrerium et alios. Initio instar mancipiorum coacti sunt partim lateres coquere, publica privataque ædificia struere: partim Nilum in plures fossas diducere, et aggeres comportare, quibus inundationes fluminis arcerentur: partim mœnia exædificare, adeoque et urbes, inquit Josephus lib. 2, Antiq. c. 5; Philo in vita Moysis, et affirmat etiam Moyses Exodi 1, v. 11. Addunt Hebræi, quod Lyranus, Abulensis, Lorinus et Salianus notarunt, coactos fuisse miseros, fæces ac stercora ex urbibus everrere, et cophinis imposita, suis humeris exportare, ut insinuatur, v. 13: *Affligebant illudentes eis.* Et Psalm. 80: *Divertit ab oneribus dorsum ejus, manus ejus in cophino servierunt.* Quod non de solo Josepho, sed de omnibus Israelitis, exponit S. August. et Lorinus in eum locum.	53	2452	796
Amram levita filius Caath in uxorem accipit Jochabetham, Exodi 6. v. 20, ubi vocatur patruelis seu cognata germana Amram, nempe filia patrui illius Geronis vel Merarii. Quod ergo Numerorum 26. v. 59 vocatur *filia* Levi, mediate exponendum est, sicut Ephraim et Manasse dicuntur filii Jacob, Gen. 48, v. 5, et Christus vocatur filius David, Matth. 1, v. 1. Hoc eodem anno, nempe 91 ante egressum Hebræorum ex Ægypto, dicit auctor libri Testamenti Patriarcharum, et insinuat Josephus lib. 2, Antiq. c. 4, filios Israel ossa Patriarcharum (exceptis Josephi, quæ in publico adservabantur) ex Ægypto detulisse in Hebron: nempe occulte, et sine strepitu			

	ANNO		
	a morte Josephi	a mundo condito	a diluvio
vel apparatu. Quod verisimile est curasse Hebræos, inchoante jam afflictione, ne quid probri ab Ægyptiis inferretur sacris lipsanis. Ossa vero Josephi cum simul omnes cum Moyse ex Ægypto migrarunt, secum extulisse constat Exodi cap. 13, v. 19.	54	2453	797
Pharao rex (Amenophin fuisse vult Eusebius, et Josephus ex Africano) jam, toto quadriennio expertus, Hebræos tot laboribus et servitiis non minui numero, sed crescere, Exodi 1, v. 12, compendiosiore via ad eorum interitum progredi statuit: et vocatis duabus primariis obstetricibus Ægyptiis Sephora et Phua, jubet masculos omnes Hebræorum in ipso matrum partu suffocari vel strangulari; v. 16.	57	2456	800
Sequenti anno nata est Maria soror Moysis, septennio senior Moyse, ut volunt Hebræi. Et sane non potuit septennali junior esse, cum reginam Ægypti de nutriendo infantulo Moyse tanta dexteritate interpellaret, Exodi 2, v. 7.			
Quadriennio post Mariam, Aaron nascitur, triennio senior Moyse, Exodi 7, v. 7, cum Amram parens ejus esset 72 annorum, ut est in Chronico Alexand. et Nicephoro Constantinop. Porro non subiit Aaron demersionis in flumen periculum, sicut Moyses subiit, quia ipso nascente necdum latum erat ferale illud edictum, inquit Lyranus: quod promulgatum fuisse ait Chronicon Alexandrinum eo ipso anno quo natus est Moyses, vel paullo ante, ut alii eodem anno finiente.	61	2460	804
Pharao delusus ab obstetricibus, jubet publico edicto masculos omnes Hebræorum in Nilum demergi, Exodi 1, v. ult.	62	2461	805
Moyses nascitur, anno vitæ Amrami patris sui 80, conjugii 10, Exodi 2, v. 2 et seq.	64	2463	807
Anno Moysis 28 nascitur Josue, qui vixit totis 110 annis, Josue ultim. v. 31, et Judicum 2, v. 8.	91	2490	834
Moyses, jam quadragenarius, cum a Pharaone quæreretur ad mortem, fugit in Madian, Exodi 1, vers. 15. Ubi ducta in uxorem Sephora filia Raguelis, filios ex ea suscipit Gersam et Eliezer, vers. 21 et 22.	104	2503	847
Caleb nascitur 39 annis ante egressum Hebræorum ex Ægypto. Josue 14, v. 7, vixit usque ad 85 annum, quando in sortitione terræ sanctæ accepit montem Hebron, v. 10, 13, etc.			
Quamdiu post id tempus supervixerit, incertum.	105	2504	848
Ad annum Moysis 52 videtur referendum diluvium Deucalionis in Thessalia, quod omnia perdidit, præter pauculos homines qui navigiis evaserunt in montem Parnassum, quos benigne excepit Deucalion.; vide Orosium lib. 1, c. 9.	116	2515	859
Sequenti anno fuit incendium Phæthontis, id est, tantus æstus, ut fere mundus aresceret.			
Anno vitæ Moysis 75, secundum Hebræos et alios c. præc. ad annum Jacobi 130 citatos, moritur Job.	139	2538	882
Moyses anno vitæ suæ 80 jubente Deo ex Madianitide redit in Ægyptum, et a Pharaone missionem populo postulat. Repulsam passus decem plagis flagellat Ægyptios: quæ duos posteriores anni menses occuparunt. Quibus exactis egrediuntur omnes Hebræi ex Ægypto, et finem accipit servitus 92 annorum. Exodi 3, usque ad cap. 13, eratque hic annus a descensu Jacobi in Ægyptum 215.	144	2543	887

Petes, quare non fuerunt 430 anni a descensu Jacobi, usque ad egressum filiorum ejus ex Ægypto, cum Exodi 12, v. 40 expresse dicatur: *Habitatio filiorum Israel qua manserunt in Ægypto, fuit 430 annorum?*

Respondeo, quia illi 430 anni non sumunt suum initium a descensu Jacobi in Ægyptum, sed ab initio peregrinationis Abrahæ partim in Ægypto, partim in Chanaanitide, ut dixi hic initio cap. 15, et dicam in Commentario istius loci Exodi. Confirmatur primo, quia S. Paulus ad Galatas 3, v. 17 dicit, legem, quæ tertio mense post egressum ex Ægypto data fuit Hebræis, datam esse post 430 annos a promissione facta Abrahæ cum esset 75 annorum, Gen. 12. usque v. 7. Confirmatur secundo, quia impossibile est tot reperire annos a descensu Jacobi in Ægyptum, etsi consuetos limites naturæ transilire vellemus. Nam constat, Moysen, cum egressus est cum reliquis Israelitis ex Ægypto, non fuisse nisi 80 annorum. Ponamus illum natum fuisse ult. anno vitæ Amram patris sui (licet contrarium ostenderim supra in nativitate Moysis), non reperiemus nisi 137 annos, quibus Amram vixit, Exodi 6, v. 20. Ponamus et Amramum natum ult. anno vitæ Caath patris sui (sed aliud docui cap. præced. sub finem), non habebimus nisi 133 annos, quibus Caath vixit, Exodi 6, vers. 18. Jam, conjunge hos tres numeros, 80, 137, 133, non invenies universim nisi 350. Unde ergo habebis reliquos 80? Nam ultra Caath prosilire non licet, quem constat natum esse ante descensum Jacobi in Ægyptum, Gen. 46, v. 11, ubi dicitur, una cum Levi parente, et Jacob avo suo descendisse in Ægyptum etiam Caath. Cum ergo numerus iste 430 annorum repugnet calculo Scripturæ, necessario ab eo deflectendum, illique insistendum quem supra proposui, et ex certis testatisque Scripturæ calculis stabilivi.

CAPUT XVIII.

TERTIA MUNDI ÆTAS.

Ab egressu filiorum Israel ex Ægypto usque ad annum primum, quo condi cœpit templum a Salomone. Duravit annis 480 ut dicitur 3. Reg. 6, v. 1.

Et ita habent omnia exemplaria sacra, Latina, Græca, Hebraica: et omnes loci illius interpretes, qui uno consensu dicunt cum sacro textu, Salomonem cœpisse suum templum anno 480 ab egressu Hebræorum ex Ægypto [1]. Neque adversus tam multos quidquam valet auctoritas unius Josephi [2], et qui hunc secutus est, Sabellici [3] et Melchioris Cani [4], qui ponunt annos 502, vel Nicolai Serarii [5], qui ponit 680 [6]. Quia sententiam hanc suam stabilire non possunt, nisi devient a certo claroque Scripturæ asserto, quo longe pauciores effluxisse constat, nempe 480, ut jam dixi, nempe [7]:

		Ab egressu ex Ægypto	a mundo condito	a diluvio
Moyses, ab egressu filiorum Israel ex Ægypto usque ad mortem præfuit totis annis,	40	40	2583	927
Deuteron. 31, v. 1. et cap. 34, v. 7.		Mortuus est	M. est	M. est
Josue, ut cap. 20 demonstrabo,	17	57	2600	944
	57			

(1) Vide Usserium *in Chronol. Sacra* et Daudium *in Apparatu Chronol.*, p. 31, seq.
(2) Lib. 8 Antiq., cap. 2, et lib. 10, cap. 11.
(3) Enneadis 1, lib. 9.
(4) Lib. 11 Locor. Theolog., cap. 5.
(5) In 3. Reg. 7, proposit. 2.
(6) Schwarzius t. 1 *Coll. hist.*, quæst. 14, annos ponit 418; Petavius 520; Gravesonius 606.
(7) Tirini calculos omnino probat Harduinus, p. 40. Daude, p. 35, fere totidem annos numerat inter Protestantes Lightfootus in *Chron. Temp.*, t. 1, p 43. Nescio enimvero quid doctissimo viro P. Khell in erudita diss. *de epocha historiæ Ruth* in mentem venerit, dum ait, si annis 299 a morte Josue ad Heli adjicias annos 40 *Moysis, Josue* 14 (immo 17), *seniorum* 10 (hi plane omittendi, spectant enim ad 40 Othonielis, ut bene Tirinus), *Heli* 40, *Samuelis* et *Saulis* 40, *totidem Davidis, denique* 4 *Salomonis, non plures* prodituros *ab exitu ex Ægypto, quam* 447, *quare desideratum iri, adhuc* 33 *ad annum* 480. Nam certe juxta has rationes prodibunt anni 487 non 447, ex quibus si demas 10 seniorum, erunt 477, his porro tres si addas Josue, quem non 14, sed 17 rexisse populum annis diximus, 480 annos habebimus.

		Ab egressu ex Ægypto	a mundo condito	a diluvio
	57			
Othoniel, Judic. 3, v. 11, in cujus principatu includuntur anni 8 servitutis, v. 8, sub rege Mesopotamiæ, ut probabo c. 23, item tempora Seniorum, qui Judicum 2, v. 7 dicuntur longo tempore post Josue vixisse. Sed inter eos erant etiam Othoniel et Aod. Neque enim tribuit Scriptura Senioribus aliis seu distinctis a Judicibus ullum certum tempus aut intervallum, quo ipsi præfuerint Israeli.	40	Mortuus est 97	M. est 2640	M. est 984
Aod, computatis annis 18 servitutis quæ contigit sub rege Moabitarum, Judic. 3, v. 14, item annis Judicis Samgar, v. 30 et 31. Nam is etiam Josepho teste [1], vix anno ult. Aod vertente vitam finiit,	80	177	2720	1064
Barac et Debora, Judicum 5, v. ult.	40	217	2760	1104
Sed his includuntur 20 anni servitutis regi Chanaan, Judic. 4, v. 3.				
Gedeon, Judic. 8, v. 28, cum interregno 7 annorum sub Madianitis, Judic. 6, v. 1	40	257	2800	1144
Abimelech tyrannus, Judicum 9, v. 22.	3	260	2803	1147
Thola, Judicum 10, v. 22,	23	283	2826	1170
Jair, Judic. 10. v. 3. Cujus annis Cedrenus includit 18 annos servitutis sub Philisthæis et Ammonitis, Judic, 10, v. 8. Seder-olam c. 12 duos postremos producit ad tempora Jephte.	22	305	2848	1192
Jephte, Judicum 12, v. 7.	6	311	2854	1198
Abesan, Judicum 12, v. 9.	7	318	2861	1205
Ahialon vel Helon, Judicum 12. v. 11.	10	328	2871	1215
Abdon, Judicum 12, v. 14.	8	336	2879	1223
Samson, Judic. 15, v. ult. ubi etiam additur in diebus Philisthiim judicasse Israelem	20	356	2899	1243
Id est, eo tempore quo Philisthæi dominabantur Israelitis. Item patet ex v. 11, et ex c. 14, v. 4. Unde 40 anni servitutis Philisthæis, Judic. 13, v. 1 includuntur annis Samsonis, et quorumdam præcedentium Judicum, et etiam ipsius Heli, qui secutus est Samsonem, ita Masius et alii. Quæ forte causa est, cur LXX interpretes, teste Euseb. in Chronico, tantum 20 annos dent Heli.				
Heli, 1. Reg. 4, v. 18.	40	396	2939	1283
Samuel et Saul simul, Actor. 13, v. 18.	40	436	2979	1323
David, v. 3. Reg. 5, v. 4.	40	476	3019	1363
Salomon usque ad initia templi, quæ jecit quarto anno regni sui, 3. Reg. 6, v. 1.	4	480	3022	1367
	480			

(1) Lib. 5, cap. 5.

CAPUT XIX.

DISTRIBUTIO ULTIMORUM QUADRAGINTA ANNORUM MOYSIS,
SEU PEREGRINATIONIS HEBRÆORUM IN DESERTO.
UBI DE 42 MANSIONIBUS IN DESERTO: ET 14 MURMURATIONIBUS POPULI.

1° anno	1° mense	Nisan die primo instituit Deus sacrificium agni paschalis decimo die parandum, et 14 ad vesperam immolandum, Exodi 12, vv. 3 et 6.
		Die 15 (qui incidit in feriam 6, teste Seder-olam c. 5, et Genebrardo, ibid.) media nocte occisa sunt omnia primogenita Ægyptiorum, Exodi 12, v. 29. Primo diluculo cum spoliis Ægypti exeunt omnes Israelitæ de Ramesse in Socoth, v. 37, quæ fuit prima mansio, primo azymorum die.
		Die 17, Dominico, tertio azymorum transierunt in Etham secundam mansionem. Exodi 13, v. 20.
		20, Feria 4, sexto azymorum reversi castrametati sunt ad Phihahiroth juxta mare rubrum, Exodi 14, v. 2, et assequitur eos Pharao, v. 9. Et primum murmurant Hebræi, v. 11, in tertia mansione.
		21, Feria 5, septimo azymorum, nocte transierunt Hebræi siccis pedibus mare rubrum, v. 22. Matutino tempore subsecuti eos Ægyptii, undis maris involvuntur, v. 23. Ita Seder-olam c. 5, etsi Synodus Cæsariensis apud V. Bedam [1] dicat Hebræos die Dominico mare transiisse. In solitudine Etham fuit quarta mansio.
		24, Dominico, venerunt in Mara, Exodi 15, v. 23, et Num. 33, v. 8. Ibi propter amaras aquas fuit secunda murmuratio, sed illis dulcoratis cessavit. Hæc fuit quinta mansio.
		30, Sabbatum istic egerunt. Nota. Plenus erat primus hic mensis, id est 30 dierum. Ut et alterni reliqui quinque: nam 2, 4, 6, 8, 10, 12, tantum erant 29 dierum. Ita Seder-olam et alii.
	2° mense	Iiar die 1, Dominico, e Mara venerunt in Elim, Exodi 15, v. ultim., et Numer. 33, v. 9. Quæ fuit sexta mansio.
		Die 12, feria 5, transierunt ad mare rubrum, Num. 33, v. 10, in locum a S. Hieronymo [2] vocatum Jam-suph: ubi septima fuit mansio.
		15, Dominico, venerunt ad octavam mansionem in deserto Siu, Exodi 15, v. 1; Num. 33, v. 11. Ubi tertia murmuratio sedata est coturnicibus sub vesperam missis, et manna die sequenti, Exodi 16, v. 13. Nam hactenus subcinericiis panibus victitarant per 30 dies, teste Seder-olam c. 5, et c. 10, et Josepho [3].
		16, Feria 2, primum manna pluit, quo usi sunt totis 40 annis. Ita Joseph., Hieron., Torniellus et Salianus: etsi Origenes, Ambrosius et Augustinus crediderint id die Dominica præc. accidisse.
		17, Feria 3, reservatum manna in crastinum computruit, et vermibus scatere cœpit. Exodi 16, v. 20. Non ita
		20, Parasceve seu feria 6, qua propter Sabbatum sequens colligebant duplicem mensuram, v. 22 et seqq.
		29 et ult. 2 mensis Dominico, progressi sunt in Daphca locum nonæ mansionis, Num. 33, v. 12.

(1) Epist. de celebrat. Paschæ.
(2) Epist. 127 ad Fabiolam de 42 mansionis in 7 et 8.
(3) Lib. 3 Antiq., cap. 1.

3° mense	Sivan die 1, feria 2, e Daphca venerunt in Alus, v. 13, ubi decima mansio.
	Die 2, feria 3, de Alus in Raphidim, undecimam mansionem, v. 14, et Exodi 17, v. 1. Ubi ob sitim murmuratum est quarto: sed aqua ex petra Horeb producta sedatum murmur, v. 6.
	3, Feria 4, pugnatum contra Amalecitas, a mane ad vesperam, Exodi 17, vv. 10 et seqq.
	4, Feria 5, itum in vicinum Sinai, duodecimam mansionem. Exodi 19, v. 1; Num. 33, v. 15. Quo die Moyses bis montem ascendit jubeturque populus sanctificari in diem 3, ut legem accipiat, Exodi 19, vv. 10, 14.
	6, Sabbato Pentecoste: dies datæ legis. Exodi 19, v. 16, et c. 20, v. 1. Idem dies vocabatur Solemnitas hebdomadarum, Exodi 34, v. 22, et Dies primitivorum, Num. 28, v. 26, et Levit. 23, v. 16. A prandio Deus Moysi, et Moyses populo explicat præcepta, quæ c. 21, 22, 23 Exodi continentur.
	7, Dominico, ædificato altari sacrificatur, et fœdus Deum inter et Judæos sancitur, Exodi 24, v. 4. A prandio quartum ascendit Moyses in montem, Aarone, filiis et 70 senioribus comitantibus, v. 9.
	8, Feria 2, Moyses quintum in montem ascendit cum Josue, et sex diebus ibi manent, vv. 13 et 16.
	14, Dominico, septimo die ab ascensu cum Josue in montem, evocatur Moyses in caliginem, v. 16, mansitque ibi jejunus totis 40 diebus, vers. ultim. Hic accipit mandata de tabernaculo erigendo et aliis quæ habentur Exodi 25 usque 32.
4° mense	Tammuz die 14, feria 3, videns populus longam Moysis in monte moram, adit Aaronem, petens sibi fieri deos itineris duces. Sed Aaron cunctatur ad aliquot dies, Exod. 32, v. 1.
	Die 17, Parasceve, impatientes moræ urgent Aaronem, seditione concitata. Et hæc dici potest quinta murmuratio contra Dominum. Porro Aaron poscit inaures, v. 2.
	23, Feria 5, conflato et expolito vitulo aureo, et erecto altari, indicitur voce præconis solemnitas in sequentem diem, v. 5.
	24, Parasceve, hostiæ offeruntur idolo, v. 6. Id Moysi revelat Deus, v. 8, qui descendens de monte confringit tabulas, conterit vitulum, corripit Aaronem, et 23000 idololatrarum occidit, v. 19 usque 30.
	25, Sabbato, redarguit Moyses populum: rursusque ascendit in montem deprecaturus pro populo, v. 30. Sed populus pestilentia punitur a Deo, vers. ult. Alios 35 dies impendit Moyses partim tabernaculo e castris efferendo, Exodi 33, 7; partim populo castigando, partim ad montem sæpius redeundo, vv. 4, 5, etc., partim novas tabulas dolando, c. 34, v. 1. Videt etiam tum tergum Domini, c. 33, v. ult.
5° mense	Ab, die 30, seu ultimo Parasceve, cum novis tabulis ascendit in montem, Exodi 34, vv. 1 et 4. Ibique mansit aliis 40 diebus jejunus, v. 28.
6° mensem	Elul totum transegit in monte cum Deo.
7° mense	Tisri die 10, peracta 2 quadragesima, descendit de monte cum novis tabulis, obtenta jam plene venia populo, facie rutilante, etc. Exodi 34, v. 29. Vide quæ dicam in Comment. Ex. 40, v. 2.
	Die 11, feria 4, congregato populo denuntiat Moyses, quæ a Deo præcepta acceperat, Exodi 35, nominatim de fabricando tabernaculo: ad quod sequent. diebus contribuit undique populus. Et fabricat illud Beseleel, etc. c. 36 usque 40. Et huic operi illaboratur usque ad initium anni seq.

8° mense | Marchesuan, die 2, feria 4, videtur Jethro Moysen generum suum invisisse, illiusque uxorem et filios e Madianitide (quo Moyses eos ex itinere remiserat) adduxisse. Videturque cum Moyse mansisse usque ad migrationem e Sinai. Interim docuit eum institutionem judicum subalternorum, Exodi 18.

12° mense | Adar, die 23, feria 3, perfecto jam opere sanctuarii, Exodi 39, v. ult. mandatum accipit de eodem erigendo prima die proximi anni, Exodi 40, v. 1.

2° anno | 1° mense | Die 1, feria 3, erectum est tabernaculum, Exodi 40, Num. 7, et dedicatum; et Aaron et filii consecrati sacerdotes, per septiduum, Exodi 29, vv. 35 et seqq.

Die 8, Aaron celebrat primitias suas, quæ igne cælitus in victimas demisso comprobantur, Levit. 9. Sed filii ejus Nadab et Abiu, quia profano usi sunt igne, cælesti igne extincti sunt, Lev. 10.

14. Ad vesperam phase celebrarunt Judæi cum septiduo azymorum, Num. 9. Blasphemus paucis post diebus lapidatur, Levitici 24.

2° mense | Die 14, ad vesperam jubentur pascha suum celebrare, qui priore mense legitime impediti fuerant, ib. v. 10. Sed ut

Die 1, jussus fuerat totus populus numerari ab anno 20, et postea etiam Levitæ ab anno 30, ita factum his duabus hebdomadis, Num. 1 et 3.

20. Elevante se columna nubis profecti sunt de Sinai, ubi toto pene anno manserant [1]. Redit Jethro in Madianitidem, sed filius ejus Hobab manet cum Moyse, Num. 10, vv. 11 et 19. Post 3 dierum peregrinationem

23. Ventum ad Sepulcra concupiscentiæ, decimamtertiam mansionem, versus desertum Pharan, v. 12, ubi sexto murmuratum est, ob laborem itineris, Num. 11, v. 1. Sed cælesti igne murmur sopitum, ibid. Paullo post septimum murmur exortum, sed coturnicibus sedatum, quas integro mense esitarunt, v. 20. Et seniores 70 instituti, qui Moysi etiam in spiritualibus adessent, v. 24, qui initium fecerunt Synedrii Judæorum. Loco vero nomen inditum Sepulcra concupiscentiæ, quia concupiscentes carnem istic occisi a Deo et sepulti fuerunt, v. ult.

3° mense | Die 26, inquit Torniellus, inde migratum, et quarto post die ad decimamquartam stationem ventum in Haseroth, v. ult., et Num. 33, v. 17.

4° mense | Die 1, Maria et Aaron propter uxorem Moysis Ethiopissam murmurant, Num. 12, v. 1, sed Maria septiduo lepra punitur, v. 10 usque finem. Qua sanata, pergunt porro Hebræi ad decimam quintam mansionem.

Die 8, in Rethma, Num. 33, v. 18, quæ (ut et pleræque sequentium mansionum) pars erat immensæ solitudinis Pharan, c. 13, 1, qui locus etiam Cadesbarne vocatur, Deut. 1, vv. 2, 20, etc., quia Rethma non procul aberat ab urbe Cadesbarne. Unde missi exploratores, 40 post dies revertuntur, et falsis criminationibus detrahentes terræ Chanaan, populum ad seditionem commovent, Num. 13 et 14, frustra obnitentibus Calebo et Josue. Et hæc dici potest 10 murmuratio, Num. 14, v. 22, si præcedentibus adnumeres eam quæ ante egressionem ex Ægypto coorta est, cum gravius affligerentur a Pharaone, ob petitam missionem per Moysen, Exod. 5, 21, et rursus alteram, qua ex diffidentia servarunt manna in sequentem diem, et ipsum quoque colligere voluerunt in Sabbato, Exodi 16, vv. 20, 27 et seq.

(1) Exod. 18, v. ult.

	5° mense	Die 19, cum injussu Dei pugnent contra Amalecitas, cæduntur Hebræi, et revertuntur in solitudinem Pharan. Paullo post, tendentes versus mare rubrum, Num. 14, v. 40, et Deut. 1, v. 40, damnati ad exilium a terra sancta fere ad 40 ann. Incertum ergo quo mense pervenerint ad decimam sextam mansionem, in Remmomphares: ubi violator Sabbati jussus est lapidari, Num. 15, v. 32.
3° anno	sequenti	Incertum quibus mensibus, itum ad decimam septimam mansionem, in Lebna, Num, 33, v. 20, inde ad XVIII in Ressa, v. 21.
4° anno		Ad decimam nonam mansionem, in Ceelatha, v. 22, ubi seditio Core, Dathan et Abiron novas de cælo plagas accersivit, Num. 16, et Aaronis virga floruit, c. 17, occasione duodecimæ murmurationis, cap. 16, v. 41.
		De reliquis annis 35 altum in Scriptura silentium, nisi quod interea temporis mansionem decies ter mutarint, nempe a 19 usque 32, quæ describuntur Num. 33, a v. 23 usque 36.
40° anno	1° mensis	Nisan seu Xanthici Macedonici, inquit Josephus, luna prima moritur Moysis soror Maria, in deserto Sin, vel Sem, in loco dicto Cades, Num. 20, v. 1, et c. 33, v. 36. Hæc est mansio trigesima tertia. Et erat tum Maria annorum 126 completorum. Addit Josephus [1] sepultam ibidem magnifice sumptu publico, et menstruum in ejus morte luctum fuisse.
	2° mense	Fuit decimatertia (quantum quidem ex Scripturis colligi potest) Hebræorum murmuratio ad Aquas contradictionis, Num. 20, v. 2, etc. Ubi et Aaron cespitavit, et etiam ipse Moyses, v. 12. Ex eadem in Cades mansione miserat hoc eodem anno Moyses legationem ad regem Edom, ut liceret Hebræis per medias terras illius impune transire: sed repulsam passus, per Moabitidem profectus est, terminis tantum Idumææ rasis, v. 14, et Deuter. 2, v. 4. Nempe moverunt castra versus montem Hor, in extremis finibus terræ Edom, cap. 33, v. 37. Et hæc fuit mansio trigesimaquarta. In qua
	5° mense	Die 1, mortuus est Aaron, Numer. 33, v. 38, cum esset annorum 123. Vide etiam Deuter. 10, v. 6, et Num. 20, v. 24, et Eleazar filius ejus ei suffectus in pontificatu, ibidem, et luxit eum omnis populus dies 30, v. ult.
	6° mense	Relata insignis victoria de Arad, uno e Chananæis regibus, Numer. 21, v. 1. Mox itum ad trigesimam quintam mansionem, in Salmona, Numer. 33, v. 41, inde ad XXXVI in Phunon, v. 42, ubi XIV murmuratio populi ex fastidio mannæ, et tædio peregrinationis. Sed ignitis serpentibus et interitu plurimorum compescuit eam Deus, Num. 21, v. 4. Inde perrexerunt ad trigesimam septimam mansionem, in Oboth, v. 10. Mox egressi fines Idumæorum, fixere tentoria in Ieabarim, in finibus Moabitarum, v. 11, et c. 33, v. 44, ubi fuit trigesima octava mansio; trigesima nona fuit in Dibongad, transito torrente et valle Zared, Num. 33, v. 45, et c. 21, v. 12, e regione seu juxta fluvium Arnon, in iisdem finibus Moabitarum, v. 13. Quadragesima in Helmondeblathaim, Num. 33, v. 46, juxta eumdem fluvium Arnon, Num. 21, v. 13. Quo trajecto Deuter. 2, v. 24, missa legatio ad Sehon regem Amorrhæum; sed, illo transitum negante, vi occupatæ terræ illius, uti mox etiam Og regis Basan, Num. 21, v. 21 usque finem; quadragesima prima mansio fuit juxta montes Abarim, e regione urbis Nebo, sic dictæ a vicino monte Nebo, cujus vertex vocabatur Phasga, Num. 33, v. 47. Unde delapsi in subjectam his montibus regionem cam-

(1) Lib. 4 Antiq., cap. 3.

pestrem, dictam Campestria Moab, v. 48, et c. 22, v. 1, fixerunt istic ultimam, id est quadragesimam secundam mansionem, in qua hæserunt toto reliquo hujus anni, donec duce Josue transirent Jordanem. Huc advolat Balac rex Moabitarum cum Balaam ariolo, ut malediceret Israeli, Num. 22 usque 25. Hic fornicati sunt Israelitæ cum filiabus Moab, et adoraverunt Beelphegor. Et confossus est Zambri a Phinees, c. 25. Numeratus de novo populus, c. 26, ut constaret, cui tribui major terræ portio deberetur. Moysi mors sua denuntiatur, c. 27, v. 12; Josue dux populi inauguratur, v. 18, et eo duce Madianitæ cæduntur, c. 31, et inter illos Balaam, v. 8. Tribubus Ruben et Gad, et dimidiæ Manassæ datur regio cis Jordanem in possessione, c. 32.

11° mense Die 1, Moyses jubente Deo exponit populo Deuteronomium, c. 1, v. 3, toto mensis illius decursu. Civitates refugii decernit, c. 4, v. 41. Leges futuro aliquando regi præscribit, cap. 17, v. 14. Fœdus Deum inter et populum renovat, c. 29, v. 10. Deuteronomii librum in arcæ latere reponi jubet, c. 31, v. 26, et septimo quoque seu Sabbatico anno recurrente, prælegi populo jubet in solemnitate Tabernaculorum, v. 10. Dein cantico recitato, c. 32, et benedictione tribubus singulis impertita, c. 33. Terra sancta desuper e vertice Phasga angelo demonstrante conspecta, c. 34, v. 1, felicissime ibidem moritur, et ab eodem angelo sepelitur, v. 6, cum esset annorum 120. Hebræi omnes habent mortuum illum mense 12 Adar, et quidem Josephus [1] 1 die mensis, sed R. Moyses [2] et Seder-olam, septimam signant diem. Luctus vero Moysis tenuit populum 30 dies, Deut. ult., v. 8.

CAPUT XX.

DISTRIBUTIO ANNORUM ET GESTORUM JOSUE

	a. egressus Hebr. ex Ægypto	anno principatus Josue	a condito mundo
Moyse die 7, mensis 12 vita functo, principatum populi capessit Josue, et exploratores mittit eodem mense in urbem Jericho, Josue 2.	40		2583
Quibus sub initium sequentis mensis in castra reversis, finito jam luctu, septima die mensis 1 jubetur populus parare in triduum cibaria, ut Jordanem trajiciant. Triduo exacto transeunt Jordanem sicco vestigio, decima die mensis primi, Josue 4, v. 19, et c. 3 toto.	41	1	2584
11 die circumciditur populus in Galgalis, ubi primum castrametabatur, Josue 5, v. 2 usque 10.			
14 ad vesperam comederunt ibidem phase, v. 10. Cumque jam fruges terræ sufficerent populo, desiit exinceps manna pluere, v. 12.			
15 præcipitur Josue, jubeat circuiri urbem Jericho septem continuis diebus, Josue 6.			
22 corruentibus muris Jericho expugnatur, v. 20, et flammis absumitur in perpetuum anathema, v. 24, Rahab cum omni sua familia salvatur, v. 25, quæ nubit Salmoni filio Na-			

(1) Lib. 4 Antiq., c. 10.
(2) Procemio in Misna.

	a. egressus Hebr. ex Ægypto	anno principatus Josue	a condito mundo
hasson principi in tribu Juda, Matth. 1, vv. 4 et 5, unde genitus Booz.			
Paucis post diebus progreditur Josue ad urbem Hai debellandam, c. 7, v. 2, sed infelici successu, v. 5, propter sacrilegium Achan, v. 11 et seqq. Quo lapidato, v. 25, expugnatur Hai, c. 8.			
Sub finem mensis 2 nova facta per Josue promulgatio legis, et benedictionum in observatores, maledictionum in violatores super montibus Hebal et Garizim, Josue 8, v. 30 et seq.			
Mense 3 Gabaonitæ imponunt Hebræis, Josue 9, v. 3.			
Die 21 putat Salianus contigisse solstitium Josue, et cædem quinque regum, Josue 10. Secutæ dein expugnationes urbium Maceda, v. 28, Lebna, v. 30, Lachis, v. 32, et aliarum urbium, ibidem. A qua expeditione, cæsis in ea 12 regibus, post paullo reversus est in Galgala, v. ult., nempe finita jam æstate, et ingruente hieme bellis gerendis perincommoda.			
Initio veris alia suscepta expeditio adversus Jabin et confœderatos illi reges, et immensos exercitus, Josue 11.	42	2	2585
Proximo triennio confectæ bellorum reliquiæ, c. 16 usque finem, et c. 12 toto.			
Sequenti anno facta terræ divisio per sortes, a c. 13 usque 18, eaque facta castris adhuc in Galgalis consistentibus. Sed hæc partitio ultra tres tribus, Juda, Ephraim et dimidiam Manasse, effectum sortita non fuit, ob causas quas attuli in Commentario Josue 13.	46	6	2589
Itaque rursus conventum fuit super eodem negotio, ut videtur anno sequenti, translatis castris in Silo, Josue 18, v. 1, ubi etiam reliquis 7 tribubus factum satis, c. 18 usque 20, et designatæ urbes refugii, c. 20, et Leviticæ urbes, cap. 21. Tum remissi sunt ad suos trans Jordanem tribus Ruben, Gad et dimidia Manasse, c. 22.	47	7	2590
Denique convocatis senioribus populi, c. 23, et capitibus tribuum, c. 24, in urbem Sichem, renovat Josue fœdus inter populum et Deum, v. 25, jubetque abjicere deos alienos, v. 23, et dimissis illis, v. 28, felicissime moritur, v. 29, cum esset annorum 110. Ibidem.	57	17	2600
Porro 17 annos, nec plures, nec pauciores egisse Josue in suo principatu fuse docent Salianus, Torniellus [1] et alii contra Josephum [2], Melchiorem Canum [3], qui dant illi annos 25, et Eusebium [4], qui 27, et Masium [5], qui 26, et Cajetanum [6], qui solum 10 annos illi tribuit. Sed de 17 annis multo verosimilior est sententia: et huic subscribit etiam ven. Beda, Adrichomius, Arias Montanus, Joannes Lucidus [7], Hugo Bruchtonus [8], et plerique Novatorum. Et secundum hanc sententiam fuisset Josue 53 annorum, quando militiæ primum præfectus fuit a Moyse, Exodi 17, v. 10. Neque verisimile est juniorem ætate tanto muneri adhibitum fuisse.			

(1) In Annalib. (2) L. 5 Antiq., c. 1. (3) L. 11 loc. theol. c. 5.
(4) In Chronico. (5) In Josue ult., v. 31.
(6) In Act. 13. (7) L. 2 de Emend. temp., cap. 3.
(8) In suo Concentu.

CAPUT XXI.

UNDE SUMPSERINT INITIUM ANNI SABBATICI ET ANNI JUBILÆI: DE QUIBUS EXODI 23, v. 11, ET LEVITICI 25, vv. 2 ET SEQ.

Quæritur primo, de anno. Josephus Scaliger [1], Ebbo Emmius, Leonardus Kreintzheim [2], et alii nonnulli volunt, tam primi Jubilæi seu quinquagenarii, quam primi sabbati seu septenarii annorum initium desumi a septimo anno Josue, seu a partitione terræ sanctæ tum plene perfecta. Quidam etiam a 14 anno.

Sed longe probabilior videtur sententia eorum, quos pro se citat Jacobus Salianus, qui exordium illud sumunt ab autumno primi anni Josue, quo Hebræi in terram sanctam ingressi sunt. Nam Levitici 25, v. 2 manifeste exprimitur tempus ingressus: *Loquere filiis Israel* (inquit Deus Moysi), *quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatizes sabbatum Domino. Sex annis seres agrum tuum; septimo autem anno sabbatum erit terræ.* Et hæc de anno Sabbatico. Mox de Jubilæo, v. 8: *Numerabis tibi* (utique ab eodem primo in terram ingressu) *septem hebdomadas annorum, id est septies septem, quæ simul faciunt annos 49.* Quibus finitis *clanges buccina mense septimo* (qui respondet fere nostro Septembri) *decima die mensis in universa terra vestra, sanctificabisque annum quinquagesimum: ipse est enim jubilæus.* Et vero nulla erat ratio diutius rem differendi. Nam prima ab ingressu æstate devicti jam erant a Josue et excisi Chananæi: nam 12 reges regnis et agris et vita cum suis omnibus exuti fuerant, et recensentur Josue 9 et 10. Et terras illorum jam occuparant Hebræi, utique et colebant, agros conserebant, vites putabant, saltem iis locis in quibus suas tam cis, quam trans Jordanem colonias collocarant cum uxoribus, liberis et servis, per quos poterant hæc commode præstare dum reliqui bellum armati prosequerentur. Alioquin unde victum sibi parassent, cessante jam manna? Josue 5, v. 12. Neque obstabat, quod indivisæ adhuc essent terræ, nam saltem in commune possidebant, colebant, inhabitabant terras, agros, vineas, pagos, urbes. Confirmatur porro hæc sententia ex eo quod multæ aliæ cæremoniæ, quæ hactenus dilatæ fuerant, cœperint obligare cum primo ingressu in Chanaanitidem et transitu Jordanis, ut certum est de circumcisione, de Paschate, etc., ex c. 5 Josue.

Quæritur secundo, de mense. Sed de hoc dubitare non sinunt tum citata jam verba Levitici 25, v. 9: *Clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore*, id est ipso festo Expiationis, quod incidebat in 10 diem mensis 7 Tisri, tum quæ supra dixi, c. 5, de distinctione anni sacri Judæorum a civili. Ex quibus facile refelles Abulensem [3], qui solus, quod sciam, contendit, hos annos a verno æquinoctio exordium sumpsisse.

Quæritur tertio, de die. Jacobus Salianus [4] putat a prima die mensis Tisri inchoatos fuisse. Alii quidam a 23. Sed quorsum ille clangor buccinæ die decima mensis, ipso Expiationis festo? Neque enim recurrente quotannis illo festo, sed solum post 49 annos exactos indicitur ille clangor illo die: utique ut signum detur inchoati tunc *Jubilæi*. Et licet pro Sabbatico quoque anno non adhiberetur idem clangor (quod sciam saltem hic non præscribitur): quia tamen eadem pro illo, quæ pro Jubilæo, die 10 inchoando ratio militabat, verisimilius est, eadem illa 10 die etiam Sabbaticum annum inchoari consuevisse. Ratio autem hæc erat, quod usque ad 10 diem vel circiter, adhuc occuparentur in vindemia, et arborum fructibus colligendis. Unde etiam festum Scenopegiæ, quod in gratiarum actionem pro collectis fructibus quotannis celebrabatur, non nisi medio mense institutum fuit, nempe quia sub illud demum tempus absolvi consuerat vindemia, ut jam dixi. Ita Serarius [5], Bonfrerius [6], et alii.

Quæritur quarto, an annus Jubilæus concurrerit semper cum 7 Sabbatico anno, seu cum 49, an vero cum 50. Priorem partem mordicus tuentur Gerardus Mercator [7],

(1) Lib. 5 de Emend. temp. (2) In Chronicis. (3) In Levit. 25.
(4) Ad ann. mundi 2544. (5) In Josue 13 (6) In Lev. 25, v. 9.
(7) In Chronologia.

Hugo Cardinalis [1], Scaliger [2], et qui hunc sequuntur Calvisius [3], Emmius, ceteriquc Novatores. Sed verba Scripturæ supra citata exprimunt diserte annum qui sequitur 49 annos, nempe *quinquagesimum*, uti vocat: et hunc dicit esse *Jubilæum*, Levit. 25, vers. 8 usque 12. Et ita affirmat Josephus [4], qui praxim vidit: et confirmant Eusebius [5], Beda, Ribera [6], Azor [7], Torniellus [8], Salianus [9], Serarius [10], Bonfrerius [11], et alii ab his citati. Uti et Leonardus Kreintzheim [12], et alii quidam Novatores.

De privilegiis et ritibus anni Sabbatici et Jubilæi vide quæ dixi Exodi 23, et Levitici 25.

Nota ex Scripturis colligi, Sabbaticos annos fuisse 13 Ezechiæ regis Juda, et 4 et 11 regis Sedeciæ. Cum enim Isaias initio cap. 36, dixisset, annum adventus Sennacherib regis Assyriorum in Judæam fuisse 14 regis Ezechiæ, mox cap. sequenti 37, v. 30 vocat annum illum, *primum*, sequentem, *secundum*, subsequentem, *tertium*, nempe hebdomadis Sabbaticæ: quia erat ann. 1, 2 et 3 a Sabbatico præcedente, qui fuerat finitus sub initio autumni anni 13 ejusdem Ezechiæ. Sic Jeremiæ 28, v. 1, primus annus regni Sedeciæ vocatur *Quartus*, nempe hebdomadis Sabbaticæ: ergo anno 4 ejusdem Sedeciæ finiebatur cum initio autumni annus 7 seu Sabbaticus. Item anno 11, ut evidens est, ita Vatablus et Corn. a Lapide ad versum 1, cap. 28 Jeremiæ, et Scaliger. Qui etiam inde colligit et recte, ab initio regni Ezechiæ, usque ad excidium templi fluxisse præcise 138 annos absolutos, ut 139 sit annus excidii: ut patebit ex dicendis infra, cap. 29. Sed insuper inde colligo nostrum hunc de initio annorum Sabbaticorum calculum probum et justum esse: nam ab autumno anni 1 Josue, mundi 2584, usque ad autumnum anni 13 Ezechiæ, mundi 3320 exclusi, reperies præcise 107 hebdomadas annorum, et usque ad 11 Sedeciæ, mundi 3446, hebdomadas 125.

CAPUT XXII.

UNDE EXORDIUM SUMPSERINT ANNI 450, QUOS S. PAULUS ACTORUM 13, v. 20 TERMINATOS DICIT CUM SORTITIONE TERRÆ CHANAAN PER JOSUE FACTA ANNO 6 AB INGRESSU IN TERRAM SANCTAM, UT SUPRA DIXI CAP. 20, AD ANNUM 6 PRINCIPATUS JOSUE.

Respondeo, exordium sumpserunt a nativitate Isaaci, ut docent Nicolaus Lyranus, Jacobus Salianus et alii. Nam calculi exacte respondent, uno solum anno excedente numerum Paulinum. Sed idcirco addit S. Paulus voculam, *Quasi;* ac si diceret, *Distributam* Israelitis *terram*, *quasi*, id est præter propter, *post 450 annos*; nam fuerunt 451 [13].

Dices, Græcus textus Actorum 13 inchoat illos annos ab ipsa sortitione terræ sanctæ, finitque cum Samuele propheta.

Respondeo, vel inde patet, textum Græcum mendis non carere: et Concilium Tridentinum [14] merito decrevisse, inhærendum Latinæ veteri Vulgatæ editioni: nam etiam secundum ipsum Græcum textum, 3. Regum 6, v. 1 patet, templum Salomonis inchoatum 480 anno ab egressu filiorum Israel ex Ægypto: quo igitur modo fieri potest, ut a divisa terra sancta fluxerint 450 anni usque ad Samuelem; cum ab egressu Israelitarum ex Ægypto usque ad divisionem terræ effluxerint ut minimum 46 anni: et a Samuelis morte fere totidem alii anni? Quibus detractis ex summa 480 annorum, non supererunt nisi 388 anni; qui numerus procul abest a 450. Alii aliter respondent,

(1) In Lev. 25. (2) L. 5 de Emend. temp. (3) In Chron.
(4) L. 3 Antiq., c. 10. (5) In Chron. (6) L. 5 de Templo, cap. 24.
(7) L. 6 Moral., c. 21. (8) Ad an. mundi 2584. (9) Ad an. mundi 2544.
(10) In Josue 13, q. 14. (11) In Levit. 25, 12. (12) In Chronicis.
(13) Confer annotata ad cap. 4, partis libri 2 Rationarii Temporum Petaviani p. 96 seq. Ven. edit. 1736.
(14) Sess. IV.

et dicunt, in Græco mendose positos annos 450, debuisse poni 350. Ita Cajetanus [1], Mercator [2], Lutherus [3], et Joannes Funccius [4]. Tot enim præcise anni fluxerunt a 6 Josue usque ad 1 Samuelis.

Alii dicunt, nullum esse mendum, sed Apostolum ex vulgi opinione locutum esse, et summas annorum, prout in libro Josue, Judicum, et libris Regum proponuntur, coacervasse, nulla facta disquisitione, an servitutum anni comprehenderentur annis Judicum; de quo agam capite sequenti: atque ita ab Othoniele inchoando, et cum initio Samuelis finiendo collegisse 450 annos. Nam sic numerando deprehendes Judicum annos 339, et servitutum 111 annos, qui juncti prioribus faciunt simul 450 annos. Ita ven. Beda [5], et Leonardus Kreintzheim [6], et quidam alii. Sed verius est, quod primo loco posui.

CAPUT XXIII.

AN SERVITUTUM ANNI 111, QUORUM MENTIO EST IN LIBRO JUDICUM, COMPREHENDANTUR IN ANNIS JUDICUM, AN SEORSIM SUBDUCENDI SINT?

	Anni servitutum
Sunt autem isti. Tempore Othonielis, 3. Judicum v. 8, sub rege Mesopotamiæ	8
Sub tempora Aod, ibid. v. 14, sub Eglon rege Moab	18
Sub tempora Barac, Judic. 4, v. 3, sub Jabin rege Chanaan, et Sisara	20
Sub Gedeone, Judic. 6, v. 1, sub Madianitis	7
Sub Jair et Jephte, Judic. 10, v. 8, sub Philisthæis et Ammonitis	18
Tempore Samsonis et Heli, Judic. 13, v. 1, sub Philisthæis	40
	111

S. Hieronymus [7], S. Augustinus [8], Sulpitius [9], Nicephorus Constantinopolitanus [10], Cedren. [11], Philastrius [12], et ex recentioribus Sigonius [13], Canus [14], et Serar. [15] volunt seorsim ab annis Judicum subduci annos servitutum. Sed hanc suam sententiam tueri non possunt, nisi exemplaria omnia Hebraica, Græca, Latina 3. Reg. 6, v. 1, ubi Salomon dicitur templum suum inchoasse anno 480 ab egressu filiorum Israel ex Ægypto, corrupta esse affirment, ut dixi initio cap. 18. Unde puto certum esse, annos illos servitutum comprehendi in annis Judicum. Et S. Scriptura hinc inde id ipsum insinuat, nam Judicum 4, cum v. 3 dixisset, *Jabin regem Chanaan vehementer* Judæos *oppressisse per viginti annos*; mox v. 4, subdit: *In illo tempore* (nempe 20 istorum annorum servitutis) *Debora Prophetes judicabat populum*, seu judicem agebat in Israele. Ergo 20 illi anni servitutis includuntur 40 annis quibus ipsa judicem egit. Rursum cap. 15 in fine, dicitur *Samson judicasse* quidem *Israel viginti annis*, sed *in diebus Philisthiim*, id est quando Philisthæi dominabantur Israelitis, ut paullo ante expressum fuerat v. 11, ubi Israelitæ dicunt Samsoni, *Nescis quod Philisthiim imperent nobis?* Et imperarunt sane usque ad mortem Samsonis, ut res gesta loquitur. Ergo 20 annis quibus judicavit Samson Israelem, non sunt distincti ab annis servitutis, qua Israelitæ tum temporis serviebant Philisthæis. Idem porro de reliquis quoque servitutum annis censendum, docet ex

(1) In eum loc.
(2) Ad ann. mundo 2501.
(3) In Act. 13 Germ. versio.
(4) In sua Chronol.
(5) In Act. 13. v. 22.
(6) In suis observ. Chron., l. 1, c. 11.
(7) Epist 132 ad Vitalem.
(8) L. 15 de Civit., c. 13.
(9) In textu et apud Sigonium.
(10) Cap. 4.
(11) In Chronic.
(12) 3 p. Hæresi 63.
(13) In Sulpitium.
(14) Loc. Theol. lib. 11, cap. 5 ad 12.
(15) In 3. Reg. 7.

Hebræorum traditione Eusebius[1], Comestor, Lyranus, et ex Philone, Beda et Isidoro Naclantus [2], Hugo Cardinalis, Carthusianus, Abulensis [3], Genebrardus, Torniellus [4], Salianus et alii [5].

CAPUT XXIV.

QUO SENSU DIXERIT JEPHTE, JUDIC. 11, VERS. 26, ISRAELITAS TERRAM CHANAAN PER 300 ANNOS POSSEDISSE, CUM AB ULTIMO ANNO VITÆ MOYSIS, QUO PRIMUM ILLAM CŒPERUNT INVADERE, USQUE AD 1 ANNUM DUCATUS JEPHTE, NON INTERCESSERINT NISI 266 VEL 267 ANNIS?

Respondeo, Jephte per modum amplificationis utitur numero perfecto pro imperfecto; et quidem in rem suam potius 300 annos numerat quam 200, quia verus numerus 267 annorum propinquior erat numero 300, quam 200. Sensus ergo est, Israelitas terram Chanaam possedisse fere 300 annis. Nisi malis dicere, Jephte exordium istorum annorum non accersivisse a tempore quo Israelitæ actu invaserunt Chanaanitidem, quod cœptum fuit ultimo anno vitæ Moysis: sed a tempore quo Deus eam ipsis donavit, et invadere jussit, et ipsi invadere quoque cœperunt missis exploratoribus, Num. 13, v. 3, quod fuit secundo anno ab egressu ex Ægypto. Nam ex tunc potest dici dominium terræ Chanaan a Deo translatum in Israelitas (de quo dominio hic agit Jephte v. 24): et per accidens fuisse quod tempore peregrinationis per desertum illo dominio usi non sint: sic enim distulerunt tantum illo uti, sed non amiserunt illud.

CAPUT XXV.

QUO TEMPORE CONTIGERIT HISTORIÆ MICHA, JUDICUM 17, ET EXPUGNATIO LAIS, CAP. 18, EXCIDIUM PENE INTEGRÆ TRIBUS BENJAMIN OB CONSTUPRATAM UXOREM LÆVITÆ, CAP. 19, 20, 21, QUO ITEM TEMPORE HISTORIA RUTH? CAP. 1, ETC.

Dixi in commentario eorumdem capitum.

(1) In Chronic. (2) L. Arcanor. Christi.
(3) Comestor, Lyran., Carthus., Abul. et Hugo in Judic. 3 et 5. et in 3. Reg. 6, 1.
(4) Ad ann. mundi 2591.
(5) Sunt qui cum Usserio et P. Khell in diss. *de Epocha historiæ Ruth*, p. 9 velint, annos aliquot servitutum cum Judicum annis commisceri posse, non tamen annos priorum quatuor servitutum. Sed ut bene notant P. Schwarz t. 1 *Colleg. hist.*, p. 257 et P. Daude p. 33, nihil adferri potest, cur aliquæ servitutes Judicum annis comprehendantur, non item aliæ. Nam quod objicit P. Khell, p. 9, Jud. 3, 8, dici: *servieruntque ei* (Chusano) *octo annis;* subjici vero v. 11, *Et quievit terra quadraginta annis et mortuus est Othoniel*, nihil illum juvat; quievisse enim terra cum dicitur, sententia est, ab obitu Josue usque ad obitum Othonielis, præter unam illam incursionem hostium, quæ fuit sane gravis, sed tamen unius forte mensis (quot spatium inquit Harduinus, satis est ad tributum injungendum, imponendaque præsidia vel stationes militum in locis munitis) bellis externis omnino caruisse Israel. Hæc multo clariora sunt, et ab omni sacri textus violentia remotiora, quam quod excogitavit Usserius ceteroqui doctissimus (si tamen excogitavit ille; nam idem reperio apud Riberam nostrum l. 1 *de Templo*, c. 1). Hebræos monet cardinalibus pro ordinalibus uti; quare *quievit terra octoginta annis* idem ipsi est, atque octogesimo post pacem ab Othoniele partam *cœpit terra quiescere*, ut initium non duratio quietis denotetur. Verum huic opinioni obstat, quod legitur, Judic. 8, 28, *quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit;* ubi aperte designatur numerus cardinalis, quia post partam victoriam Gedeon dicitur præfuisse 40 annis, ac totidem annis terra quievisse: dein inter quietem per *Othonielem* datam, et alteram per *Aod* acceptam non intercesserunt anni 80; nam Othoniel post relatam victoriam ad summum vixit adhuc 40 annis. Vide P. Khell p. 10 cit. diss. *de Epocha historiæ Ruth.*

CAPUT XXVI.

DE ANNIS SAMUELIS ET SAULIS.

Josephus [1] dicit Saulem vivente adhuc Samuele regnasse 18 annos, et eo mortuo 20, id est simul 38 annos. Legionensis [2] 39, S. Augustinus [3], Quintus Julius Hilarion [4], Salmeron [5], et Serarius [6] 40 annos. Samuelem vero ante Saulem aliis totidem annis, vel certe paucioribus judicem egisse admittunt: et sane ut admittant, Scriptura cogit.

Alii communiter dicunt, ex principatu Samuelis, et regno Saulis non nisi 40 annos simul conflari. Et Salianus quidem 22 annos dat Samueli, Sauli 18, Gaspar Sanctius 38 Samueli, Sauli non nisi duos: alii spatium totum utrique ex æquo dividunt. Mihi quid videatur, paucis conclusionibus exponam.

I. Conclusio. Certum est, Samuelem non tantum 20, aut 22, sed minimum 38 annis, judicem egisse, priusquam Saul regno admoveretur. Patet, quia ab ætate juvenili, immo ab adolescentia sua, cœpit judicem agere, ut docet ipsemet 1. Reg. 12, v. 2, ubi cum vitam suam excutiendam traderet populo, vitam, inquam, ex quo judex esse cœperat in Israel (nam mox illa crimina a se repellit, quæ non nisi a superioribus adversus inferiores admitti solent, ut violentam extorsionem, tyrannicam oppressionem, munerum acceptionem); sic loquitur ad populum: *Conversatus coram vobis ab adolescentia mea, usque ad hanc diem, ecce præsto sum.* Ex quo loco, Abulensis et Dionysius et alii plerique, constare dicunt, Samuelem ab adolescentia sua gubernasse Israelem. Quod etiam colligitur ex cap. 7, v. 3, ubi Samuel 20 anno a morte Heli legitur judicem egisse, populum convocasse, instruxisse, ad pugnam direxisse, etc. quasi jam pridem munere judicis fungi assuetus. Item ex vers. 15, ibid. ubi Scriptura dicit, *Samuelem cunctis diebus vitæ suæ judicasse Israelem:* ergo saltem a juventute.

Dices, per illam ætatem ineptus erat imperio. Nam si Josepho [7] et aliis Hebræis [8], quos sequitur Abul. et alii, fides habenda, Samuel cum primum afflari cœpit spiritu prophetico, 1. Reg. 3, v. 11, non erat nisi 12 annorum.

Respondeo, sed id accidit aliquot annis ante mortem Heli: nam mox v. 19, subditur, *crevisse* ex eo tempore *Samuelem*, et aliis prophetis paullatim innotuisse toti Israeli. Unde constat, inter istud primum Samuelis vaticinium, et vastitatem domus Heli, quæ c. 4, subsecuta narratur, aliquot annorum spatium intercessisse, non tamen tam multorum, quin adhuc Samuel intra terminos adolescentiæ hæreret, ut supra dixi. Ponamus ergo ad 12 annos, 8, 9, vel 10, alios accessisse, jam moriente Heli fuerit 20, vel 22 annorum qua ætate non potest dici ineptus vel immaturus fuisse imperio. Quamquam ut paullo immaturior fuisset, adhibitum tamen nemo facile mirabitur, qui quo in pretio Samuel etiam ante mortem Heli, apud omnes palam esset, expenderit: nam ut eodem cap. 3, v. 20, dicitur: *Cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini.* Ut maxima quæque merito de illo sperari possent. Unde mirum non est, extincto Heli Samuelem etsi adolescentem, votis totius populi in judicem delectum fuisse. Jam pergo, et sic subsumo: atqui Samuel, prius quam Saul regno admoveretur, jam senuerat et incanuerat, ut dicitur 1. Regum 3, v. 1 et 5, item c. 12, v. 2, et senio fatigatus, duos filios suos sibi substituerat judices, ut eodem cap. 8 narratur. Ergo prius quam Saul regno admoveretur, non tantum 20, aut 22, sed 38 annis judicem egerat: quia canus, et senex, immo fatigatus senio dici non posset qui nondum esset 60, sed summum 40, vel 44 annorum. Tot enim, nec plures invenies, si anno ipsius 20, vel 22, totidem, nec plures alios adjeceris. Accedit, quod post vigesimum annum

(1) Lib. 6 Antiq. in fine.
(2) In cap. 2 ad Gal.
(3) L. 18 de Civ., c. 20 et l. 17, c. 7.
(4) De mundi dura. in Append. Bibliothecæ.
(5) Proleg. 14, formula 17.
(6) In 3. Reg. 7.
(7) L. 4 Antiq., cap. 14.
(8) In Seder-olam, cap. 14.

a morte Heli: c. 7, v. 2, cum jam totis 20 annis Samuel judex fuisset, dicitur post illud tempus, vers. 16, *per singulos annos circuivisse Bethel, et Galgala, et Masphath, et Ramatha, et judicasse Israelem in supradictis locis*; idque *cunctis diebus vitæ suæ*. Quæ omnia insinuant, post illos Samuelis priores 20 annos ipsum aliud notabile spatium annorum in eodem munere judicis exegisse.

II. Conclusio. Certum item est, Saulem non regnasse 40 annis.

Primo, quia plures alioquin anni, quam 480 effluxissent ab egressu filiorum Israel ex Ægypto, usque ad fabricam templi Salomonici, ut patet ex dictis supra c. 18. Atque ita mentiretur Scriptura 3. Regum 6, v. 1, quæ dicit anno 480 condi cœptum templum. Secundo, quia David unctus est in regem a Samuele simulac reprobatus est Saul, 1. Reg. 15, v. 23 et 28, et c. 16, v. 13. Id vero ex communi sententia contigit secundo anno regni Saulis (ego puto contigisse primo anno), ergo 38 annis ante mortem Saulis: ergo unctus est David in regem totis 8 annis antequam natus esset: nam in morte Saulis cum David regnum capesseret, non erat nisi 30 annorum, 2. Regum 5, v. 4. Rursum Saul cum regnare cœpit, non potuit esse quinquagenario minor, cum filium tunc habuerit tam robustum, tam prudentem, ut præfici posset mille viris, et propria manu sternere plurimos hostium, 1. Regum 13, v. 2 et 3, et c. 14, v. 14. Ergo fuisset 90 annorum Saul cum moreretur. Atqui Scriptura de Saule etiam jam morituro loquitur ut de viro adhuc robusto, ut qui pridie mortis tantum tamque periculosum bellum per se administrarit, et iter admodum longum pedes confecerit, 1. Regum 28, v. 8 et 25. Quod in nonagenarium non cadit: nam David eodem seculo, Saule viribus nihilo inferior, tamen cum vix esset septuagenarius, jam tum erat inutilis bello, et indutus vestibus non poterat calefieri, 3. Reg. 1, v. 1.

III. Conclusio. Sed neque 20, neque 18 annis regnasse Saulem verisimilius est. Tum propter rationes pene easdem quibus 2^am^ conclusionem jam stabilivi. Tum quia vel sic nimis diu dilatum fuisset supplicium Saulis, quod illi per Samuelem inflixit Deus, nempe spoliationem regni, 1. Reg. 13, v. 14, et cap. 15, v. 28. Immo quid supplicii subiisset, si jam septuagenario sublatum esset onus regni, cum Samuel vix sexagenarius illi ferendo non esset? Denique quia David alioqui tantum fuisset 12 annorum, quando a Samuele unctus fuit in regem, ut patet ex 2^a^ ratione 2^ae^ conclusionis. Quod sane videtur non esse credibile.

Dices, cum ungeretur David 1. Reg. 16, v. 11, vocatur *Parvulus*.

Respondeo, sed comparative respectu fratrum reliquorum, ut dixi in Commentario. Nam eodem cap. v. 18, vocatur etiam tum *Vir*, et quidem *bellicosus, et fortissimus robore, et prudens*. Quæ in duodennem vel quindicennem non cadunt. Unde Hebræi in Seder-olam c. 13, dicunt Davidem, cum ungeretur primo Saulis anno in regem, egisse tunc ætatis suæ annum 22. Ego puto egisse 28. Pro quo sit

IV. Conclusio. Verisimillimum videtur, Saulem non nisi duobus integris annis regnum tenuisse. Ita Hebræi in Seder-olam c. 53; Rabbi Abraham in historia Cabala; Gerardus Mercator [1], Arias Montanus [2], Adrichomius [3], et Sanctius [4]. Et probatur, 1. Reg. 13, v. 1, *Filius unius anni* (ita Hebræi loquuntur, omissa nota similitudinis, pro eo quod dicerent, *Sicut filius unius anni*, simplex et rectus) *erat Saul cum regnare cœpisset, et duobus annis regnavit super Israel*. Quibus verbis nescio quid clarius esse possit. Et hoc est, quod Samuel statim ab inauguratione Saulis palam comminatus fuerat, versu immediate præcedenti, nempe ultimo cap. 12, *Quod si perseveraveritis in malitia, et vos, et rex vester peribitis*. Mox enim subdit, se nimis verum fuisse vatem, nam, licet Saul instar pueri unius anni innocens et purus regnum iniisset, non diu tamen in innocentia perstitisse, ac proinde non nisi biennio regnum tenuisse [5].

(1) In Chronico.
(2) Lib. de seculis et in Acta Apostolorum.
(3) Anno mundi 2850.
(4) In 1. Reg 13, 2.
(5) Fatcor tamen cum Usserio, Harduino p. 45, Schwarzio t. 1 *Colleg. hist.*, Daudio p. 36, me haud posse intelligere, qui duobus annis ea Saul gesserit, quæ tamen ab ipso fuisse gesta Scriptura testatur. Itaque textus illius secundam partem æque tropologice explicari posse censeo, ac primam Tirinus exposuit: scilicet cum regnare cœpit Saul, sic erat innocens ut puer unius anni et duobus annis, ut puer unius anni hic in eadem innocentia perseveravit. Sed et sensum litteralem eumque planissimum habet utraque illius commatis pars. Alium exhibent notæ Parisinæ apud Biaccam lib. 1, c. 28, alium

Dices, tot prœlia a Saule pugnata non potuerunt confici spatio biennali.

Respondeo, potuisse, et quidem percommode, ut in commentario declaravi.

Dices secundo, occiso Sauli suffectus est filius ejus Isboseth jam quadragenarius, 1. Reg. 2, v. 10. Si ergo Saul non regnavit nisi biennio, ergo erat pene sexagenarius cum ad regnum vocatus est: id est, ejusdem ætatis cum Samuele, qui tamen propter senium censebatur impar oneri illi diutius ferendo.

Respondeo, prorsus fuisse tantæ ætatis. Sed in paribus annis impares sunt sæpe vires: et Saul, ut proceritate corporis, sic et viribus præcellebat pene omnibus. Quamquam in supremo duce non tam vires et lacerti, quam prudentia, consilium et auctoritas quærantur, quæ in tali ætate plus vigent. Certum vero esse, provectioris ætatis Saulem fuisse cum in regem ungeretur, patet ex filio ejus Jonatha jam tum viro, ut dixi in 3ª ratione, conclusionis 2ªe.

Dices tertio. S. Paulus Actorum 13, v. 20, dicit: *Post hæc dedit* Deus *judices usque ad Samuel prophetam. Et exinde postulaverunt regem, et dedit illis Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta.*

Respondeo illi anni 40, tam Samuelem respiciunt, quam Saulem, cujus utriusque præfecturæ tempora S. Paulus conjungit, neutri seorsim certos annos tribuens, sed utriusque simul imperii tempus ad 40 annos extendens. Neque posse uni Sauli totos 40 annos concedi, præterquam quod repugnet communi Interpretum et Chronologorum sententiæ, notius est ex conclusionibus jam supra stabilitis, quam ut ab ullo cordato negari possit.

CAPUT XXVII.

DISTRIBUTIO ANNORUM SAMUELIS ET SAULIS.

Pro filio Samuele suscipiendo orat Anna, 1. Reg. 1, v. 11, sub tempus, ut puto, paschale. Nascitur Samuel eodem anno jam finiente, vers. 20. Et sub idem tempus etiam Saul natus est, ut patet ex dictis cap. præced.	Judicis Heli anno 19
Tribus post annis ablactatus Samuel infans, vers. 23, offertur Domino in tabernaculo Silo, vers. 24.	22
Monetur Heli per populi communem clamorem, de sacrilegiis filiorum suorum Ophni et Phinees cap. 2, v. 22. Monetque eosdem, sed languide, v. 23.	26
Monetur rursum per Prophetam cum minis severissimis, v. 27.	29
Per Samuelem quoque jam duodennem, cap. 3, v. 11 et 18. Et hoc primum tempore cœpit Samuel afflari spiritu prophetico, v. 7. Ita Josephus, Hebræi, Abulensis, et alii citati c. 26 præced. in object. contra primam conclusionem.	31
Bis cæduntur a Philisthæis Hebræi, c. 4, v. 2 et 10, Arca capitur, v. 11, cæsis Ophni et Phinees. Heli 98 annorum fractis cervicibus moritur, v. 15 et 18.	40
In tanta rerum perturbatione Samuel, utpote notus jam pridem Propheta, c. 3 in fine, eligitur in judicem loco Heli jam mortui. Et hic est annus ipsius principatus.	Samuelis 1
Ita Abulensis, Lyranus, Cajetanus, et fere alii in 1. Regum 7. Postquam Arca fuisset apud Philisthæos 7 mensibus, 1. Reg. 6,	

Harduinus, alios Duhamel in Comm. ad eum locum *Regum*. Mihi is maxime placet: annus unus effluxerat a cæsis per Samuelem Philisthæis quum Saul regnare cœpit; per duos autem annos incomitatus processit: his elapsis *elegit* (v. 2) *sibi Saul tria millia de Israel* veluti Prætorianos, qui latus regium stiparent: quamobrem secunda primi versiculi pars ad sequens comma referri debet. Damus autem Sauli aut 16 cum Harduino annos, aut 18 cum Usserio.

vers. 1, redditur Israelitis in Bethsames tempore messis triticeæ, v. 13, id est circa Pentecosten. Unde colligimus captam Arcam, et cæsos Hebræos 9 mense anni præcedentis, qui fere respondet nostro Novembri: nam inde numerando, deprehendes tertium anni Hebræorum mensem, qui cum nostro fere Majo concurrit, septimum esse.

Anno eodem ex Bethsames translata est Arca in Cariathiarim, ubi fuit pene 20 annis, 1. Reg. 7, v. 1 et 2.

Anno 10 Samuelis nascitur David, ut patebit ex sequentibus.

Anno 20 retulit Samuel insignem victoriam de Philisthæis, et oppida omnia nuper ablata recuperavit, a v. 10 usque 15.

Samuele jam senescente, utpote 58 annorum, difficillimis reipublicæ temporibus transactorum, viribusque forsan et morbis fracto, filii ejus judices subalterni, et parenti subsidio futuri constituuntur, 1. Reg. 8, v. 1. Sed male fungebantur officio suo, v. 3. Hæc causa fuit Hebræis petendi regem, v. 5.

Saul rex constituitur, cap. 9 et 10, initio anni. Post mensem unum cæsis Ammonitis liberat urbem Jabes Galaad, c. 11, et rursus inauguratur, ibid. in fine, et c. 12 toto. Mox remissis Israelitis, sed rursus, occasione cæsæ stationis Philisthæorum per Jonatham, c. 13, v. 3, omnibus ad arma revocatis, v. 4, movet bellum Philisthæis, v. 5. Cumque Israelitæ metu paullatim dilaberentur, v. 6 et 11 Saul contra Samuelis imperium offert holocaustum Deo, v. 9. Quare a Samuele reprehenditur, et sceptro privato dicitur, quod alteri (puta David) donatum jam sit a Deo, v. 14. Urgent interim bellum Philisthæi, v. 5, sed mutuis vulneribus intereunt, c. 14, v. 20, cum Jonathas propter degustatum mel, adit vitæ periculum, v. 43. Cumque jam paratas haberet copias et promptas, cecidit eadem æstate Ammonitas, Moabitas aliosque vicinos Judæis hostes, qui Saulem recens creatum regem conabantur ipso statim initio, priusquam invalesceret, opprimere, sed ipsi ab illo oppressi sunt, v. 47. Æstate declinante, jussus a Samuele invasit quoque et exscidit Amalecitas, ibid., et cap. 15 usque v. 8. Sed hic secundo impingit, contra expressum Dei mandatum parcens optimis quibusque spoliis, v. 9, 23 et 28. Unde et secundo reprobatur, et a regno repellitur, ibid. Et sub idem tempus David in regem inungitur, c. 16, v. 13. Fit dein psaltes et armiger Saulis, v. 21 et 23.

Initio 2 anni Saulis David cædit Goliath philisthæum, cap. 17, et Jonathæ fit carissimus, c. 18, v. 1. Sed hæc invidiæ et odii in Davidem occasio facta est Sauli, v. 8. Qui submovit illum ex oculis, et tribunum constituit, v. 15. Subtracta Merob majore natu filia Saulis, v. 19, datur ei uxor Michol minor natu, v. 27, quæ maritum morti subtrahit, c. 19, v. 12. David fugit in Najoth, v. 18. Inde in Nobe, c. 21, ubi ab Achimelecho pontifice accipit gladium Goliath et panes sacros, v. 6 et 9, fugitque inde ad Achis regem Geth, v. 10. Ubi cum tuto hærere non posset, v. 12, fugit in speluncam Odollam, c. 22, v. 1. Inde ad regem Moab, v. 3, ubi relictis parentibus, redit in saltum Haret terram Juda, v. 5. Interea Saul ex Doeg cognito quod Achimelech faveret Davidi, v. 9, jubet eum occidi cum omni sua familia, v. 17, solo Abiathar fuga ad Davidem elapso, v. 20. David nihilominus, tempore messis, c. 23, v. 1, Philisthæos magna clade affectos cogit ab obsidione urbis Ceilæ facessere, v. 5, non instructus nisi 600 viris, v. 13. Ubi cum Saul pararet obsidere Davidem, v. 7, ipse urbe excedit, v. 13, et in montem solitudinis Ziph secedit, v. 14. Hic fœdus innovat cum Jonatha, v. 16. Sed proditur Sauli a Ziphæis, v. 19. Quorum indicio prosecutus Davidem Saul, cum jam in modum coronæ cinctum teneret, v. 26, subito nuntio evocatur, ut

Samuelis		Saul
	10	
	20	
	38	
	39	1

	Samuelis	Saul
Philisthæis in Judæam irrumpentibus occurrat, v. 27. Quibus fugatis revertitur Saul cum tribus millibus, ut Davidem opprimat jam in Engaddi latitantem, cap. 24, v. 1, sed præcisa chlamydis suæ sola lacinia, cum potuisset jugulari, v. 5, placatus Davidi, domum regressus est, vers. 19 et 23. Sub finem æstatis, quatuor mensibus ante mortem Saulis, ut Hebræi traduut in Seder-olam c. 13, mortuus est Samuel, c. 25, v. 1. Sub idem tempus contigit mors Nabal, cujus uxor nupsit dein Davidi, v. 42. Item Achinoam, et ipsa uxor Davidis, v. 43. Prima uxore ejus Michol tradita alteri viro, v. 44. Rursum Saul persequitur Davidem sub idem illud tempus, c. 26, v. 1. Et rursum placatur Davidi, quem vidit sublata sola hasta et scypho regio, pepercisse vitæ suæ, v. 21 et 25. Sed David metuens sibi ab inconstantia Saulis, recipit se ad Achis regem Geth, c. 27, v. 2, ubi hæsit per 4 menses, v. 7, nempe usque ad mortem Saulis, quæ contigit vel ultimo mense hujus anni, vel primo sequentis anni, c. 28 et 31. Quæ sic ordine digesta, clare designant, omnia Saulis acta posse spatio biennii, ut cap. præcedenti dixi; commodissime circumscribi [1].	40	2

CAPUT XXVIII.

DISTRIBUTIO ANNORUM REGNI DAVIDIS.

	Davidis an.
Cæso Saule, Jonatha, et pene tota regia stirpe, 1. Reg. ult. v. 2, David a cæde Amalecitarum, c. 30, reversus in Siceleg, 2. Reg. 1, v. 1, jussu Dei venit in Hebron, c. 2, v. 1. Ubi in regem ungitur super tribum Juda, v. 4, cum esset jam 30 annorum, c. 5, v. 7. Isboseth vero filius Saul jam quadragenarius, c. 2 v. 10, imperavit reliquis tribubus, v. 9. Fuitque bellum inter Isboseth et David totis 7 annis cum medio, c. 5, v. 5. Quibus elapsis,	1
Curante Abner, c. 3, v. 9, et sublato Isboseth, c. 4, v. 7, etiam reliquæ tribus omnes se subdunt Davidi, c. 5, v. 1. Et tertio ungitur in regem, v. 3. Eodemque tempore ductis Jerosolymam copiis expugnat arcem Sion, v. 7, pulso inde Jebuseo, v. 8.	8
Sequentis anni initio movent adversum Davidem Philisthæi, c. 5, v. 17. Sed cæduntur in Baal-Pharasim, v. 20, rursumque secundo ex adverso pyrorum, v. 23, quando tres fortes Davidis aquam de cisterna Bethlehem, præsidio Philisthæorum tunc infessæ, per medios hostes detulerunt ad Davidem, 2. Reg. 23, et 1. Paralip. 11. Ita Josephus [2], Adrichomius [3], Serarius [4] et Salianus [5].	9
Ducit exinceps varias uxores David, c. 5, v. 13. Construit sibi palatium, v. 11. Transfert arcam e Cariathiarim, c. 6. Et ob cæsum a Deo Ozam, v. 7, non ausus est David illam domi excipere, sed deposuit in domo Obededom, v. 10. Post	

(1) Aliter hi anni distribuendi sunt juxta ea quæ ad superius caput notabamus.
(2) Lib. 7 Antiq., cap. 10.
(3) In sua Chronol.
(4) In 2. Reg. 23.
(5) Anno mundi 2988.

Davidis an.

trimestre tamen, v. 11, transtulit eam inde in tabernaculum domi suæ ad id instructum, v. 12, licet tabernaculum Mosaicum remaneret in Gabaon, ut dicam 1. Reg. 21, v. 7. 10

Mox cogitat de templo Jerosolymis construendo, c. 7, v. 2. Sed Deus jubet hoc reservari Salomoni, v. 12. Et eodem tempore putat Abulensis [1], Pineda [2], et Salianus [3], perfectam futuræ fabricæ descriptionem cælitus Davidi submissam, 1. Paralip. 28, v. 11. 11

Eripit Philisthæis nova clade cæsis urbem Geth Frænum tributi, c. 8, v. 1. 12

Incursionibus irritatus Moabitarum, ut suspicatur Abulensis [4], etiam illos cædit et tributarios facit, v. 2. Tunc Banajas cecidit duos leones Moab, 2. Reg. 23, v. 20, et 1. Paralip. 11, v. 22. 13

Syriam quoque tum Soba, tum Damasci subjugavit, 1. Reg. 8, vv. 3 et 6. 14

Amalecitas quoque vers. 12, et Idumæos, vv. 13 et 14. Quod bellum duce Abisai gestum videtur, ex 1. Paralip. 18, vers. 12, et ita sentit Josephus [5], licet etiam Davidi, 2. Reg. 8, v. 13, tamquam supremo Imp. et Joabo ut principi militiæ adscribatur, 3. Reg. 11, vers. 16. Hoc anno (si non citius) adscribit familiæ suæ Miphibosethum filium Jonathæ, 2. Reg. 9, v. 12, ubi filium habuisse dicitur nomine Micham: ergo minimum erat 20 tunc annorum. Atqui 2. Reg. 4, v. 4, dicitur quinquennis fuisse Miphiboseth moriente patre ejus Jonatha, et avo Saule, id est inchoante Davide regnum suum. Hoc ergo quinquennio detrahe 20 annis parentis, reperies 15 annum regni Davidis. 15

Legatio mittitur a Davide ad Hanon regem Ammonitarum, ut eum soletur super patris interitu, c. 10, v. 2. Sed legati probrose excipiuntur, v. 4. Unde novum bellum, cui conficiendo mittitur Joab, v. 7. David vero adversus Syros, qui Ammonitis se junxerant, proficiscitur, v. 17, qui ineunt pacem cum Davide: desertis Ammonitis, v. ult. 16

Initio sequentis anni ad conficiendas Ammonitarum reliquias, et expugnandam urbem Rabbath mittitur Joab, c. 11, v. 1. David adulterium committit cum Bethsabee, v. 4. Jubet occidi maritum ejus Uriam, v. 15. Accersitus a Joab occupat urbem Rabbath, c. 12, v. 29, et crudelissime sævit in Ammonitas, v. 31. Reverso regi parit filiorum jam uxor ejus Bethsabee, c. 11, v. 27. Ac tum demum monitus a Nathan, pœnitet factorum, c. 12 usque v. 14, moriturque filiolus, v. 18. 17

Initio sequentis anni concipitur Salomon, ibid. v. 24, et nascitur eodem anno, ibid. Abul. [6], Maffæus [7], et Torniellus [8], triennio citius natum dicunt, anno Davidis 15. Pineda [9] uno anno serius, nempe an. 19 regni Davidis; Salianus [10] anno 20, vel 21. Mecum fere sentiunt Lyranus [11], et Sanctius [12] et alii. Post Salomonem genuit eadem Bethsabee Davidi tres alios filios, de quibus 1. Pa-

(1) In 2. Paral. 3, q. 8.
(2) In suo Salomone l. 5, c. 5, num. 31.
(3) Anno mundi 2990, num. 75.
(4) In 2. Reg. 8, q. 4.
(5) L. 7 Antiq., c. 6.
(6) In 3. Reg. 3, q. 5.
(7) L. 6 Chronic.
(8) An. Davidis 15.
(9) L. 3 et 8 de Salomone.
(10) An. mundi 2998 n. 2, 2999 n. 28 et 2989 n. 5.
(11) In 3. Reg. 11.
(12) In 3. Reg. 3, 1.

	Davidis an.	
ral. 3, v. 5, et 2. Reg. 5, v. 14, licet inverso ordine istic enumerati videantur. Nam Salomonem, qui quarto demum loco numeratur, primogenitum fuisse, clarissime patet ex 2. Reg. 12, v. 24, et docent auctores citati a Saliano, Pineda et aliis supra recensitis.	18	
Anno Davidis 20, vel sequenti videtur fames illa triennalis Judæam afflixisse, cujus mentio est 2. Reg. 21, v. 1, cui medendæ crucibus affigi debuerunt septem Saulis nepotes, v. 6.	20	
Bellum novum contra Philisthæos, ibid. v. 15.	24	
Alia item tria adversus eosdem, ib. a vers. 18 usque finem capitis, anno Davidis 25, 26, et	27	
videntur enim illa non suo esse loco posita, ut fere censent interpretes. Et oportuit verificari reipsa quod per Nathan minatus fuerat Deus Davidi, 2. Reg. 12, v. 10. *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum.* Sed omnium sævissimum vulnus Davidi inflixerunt intestinæ filiorum discordiæ, quæ sub hoc tempus inchoatæ sunt. Nam mox		
Amnon primogenitus constuprat Thamarem, 2. Reg. 13, v. 14 et 21, et constupratam ignominiose expellit, v. 16.	28	
Duobus post annis Absalon, v. 23, occidit Amnonem fratrem suum, v. 28, et fugit in Gessur, v. 37, ad avum suum maternum, c. 3, v. 3, et fuit cum eo tribus annis, c. 13, v. 38.	30	
Exacto triennio, opera Joabi redit Absalon ex Gessur Jerosolymam, 2. Reg. 14. Sed toto biennio non videt faciem regis, vers. 28.	33	
Tum demum plene reconciliatur parenti, et osculo pacis excipitur, vers. ultimo.	35	
Paullatim deinde sollicitat corda filiorum Israel, c. 15, v. 5. Conspirat cum primariis ministris regiis, v. 10, et magis magisque insolescit in dies, v. 1. Tandem post 40 annos, v. 7, (nempe a mutata Reip. forma, et regibus loco Judicum inductis, quæ dicebatur Æra regum. Ita supputant Rabbi Salomon et Rabbi David, Abulensis, Sa, Mariana, Sanctius, et alii in eum locum:) exorta a parente venia sacrificandi in Hebron, conjuratione ibi patefacta insurgit in parentem, v. 12, sub initium veris, cum esset jam annorum circiter 33, David vero 68.	39	
Minor ætate Absalon esse non potuit, utpote regno per se administrando jam pridem per ætatem idoneus (quomodo enim ausus fuisset alioquin id affectare?) et quatuor filiorum a reditu, ut apparet, immo et a reconciliatione cum parente, natorum parens, c. 14, v. 27, et ab undecim jam annis alens per se familiam, et distinctas habens opes, c. 13, v. 20 et 23, quod non cadit in minorennem. Secundo mense suspensus hærens e quercu Absalon occiditur, c. 18, v. 14, et David regno suo restituitur, c. 19. Nova inde divulsio reliquarum tribuum a Davide per Seba, c. 20, vers. 1. Sed morte ejusdem cessavit, v. 22. Eodem anno jam adulto jubet numerari populum David, c. 24, v. 1, sed peste punitur, v. 15.		
Jam senex et fractis viribus David, 3. Reg. 1, v. 1, ducit uxorem Abisag Sunamitidem, v. 4.	40	
Adonias secundus natu post Absalon affectat regnum, v. 5. Sed hac occasione jubet rex filium suum Salomonem inaugurari, v. 33 et 39, cum ageret ætatis annum circiter 22, vel 23, ut patet ex dictis anno Davidis 18. Denique paucis post mensibus felicissime moritur.	41	Salomon 1

CAPUT XXIX.

QUARTA MUNDI ÆTAS.

A condi cœpto templo Salomonis, usque ad exustum illud per Chaldæos, vel potius usque ad finem captivitatis Babylonicæ, et Monarchiæ Chaldaicæ. Duravit annis totis 462.

Quo spatio regnarunt hi reges.

		inchoante anno mundi	Super reliquas decem tribus	
Salomon a quinto an. regni sui (nam quartus fuit 480 tertiæ ætatis mundi:) regnavit, ut patet ex 3. Reg. 11, v. 42, annis totis	36	3024 mortuus 3060	Jeroboam filius Nabat, annis plenis dicitur quidem regnasse 22 annis, 3. Reg. 14, v. 20, sed ultimus tantum inchoatus fuit. Nam 3. Reg. 15, v. 28 et 33 dicitur Baasa cum ex insidiis sustulisset Nadab filium Jeroboami, pro eo regnasse anno 3 Asæ regis Juda, id est 23 anno ab initio regni Jeroboami et Roboami, ut dicitur ib. v. 9. Ergo, ut vel unus integer annus dari possit Nadabo, debent Jeroboamo nonnisi 21 concedi.	21
Tum facto schismate decem tribuum a domo David, 3 Reg. 12, v. 19. Regnavit super Juda et Benjamin: Roboam filius Salomonis, 3. Reg. 14, v. 21	17	3077		
Abia, 3. Reg. 15, v. 1 et 2	3	3080		
Asa, ibid. v. 8 et seq.	41	3121		
Josaphat, 3. Reg. 22, v. 42, dicitur 25 annis regnasse, sed solus non regnavit nisi annis	22	3143		
nam tres ultimi ipsius anni adscribuntur filio ejus Joramo, qui 4. Reg. 8, 16 dicitur cœpisse regnare anno 5 Jorami filii Achab et regis Israel. Hic vero Joram rex Israel cœpit regnare finiente anno 18 Josaphat regis Juda, 4. Reg. 3, 1. Et his 18 annis si superaddas 5, invenies 23 annum regni Josaphat, esse primum Jorami ejus filii: ergo soli Josaphat non cedunt nisi 22 anni.			Nadab patri successit, et regnavit anno integro	1
			Alterum solum inchoavit, 3. Reg. 15, v. 25.	
			Baasa, v. 33, regnavit integris annis	23
			et inchoavit tantum 24. Nam c. 16, v. 8 dicitur filius ejus Ela regnasse super Israel anno 26 Asæ regis Juda. Atqui a 3 anno Asæ (quo cœpit Baasa regnare, c. 15, v. 33) usque ad 26 ejusdem exclusum, non sunt nisi 23 anni.	
Joram tribus, ut jam dixi, cum patre, dein aliis 4 an. solus regnavit, id est, simul	7	3150		
4. Regum 8, vers. 17, dicitur 8 annis regnasse, sed octavus tantum fuit inchoatus: nam illo anno qui fuit 12 Joram regis Israel, regnavit Ochozias in Juda, ut dicitur ibid. v. 25. Immo a fine præcedentis anni 11, ut habetur 4. Reg. 9, v. 29. Sequenti vero anno 12, tam Joram rex Israel, quam Ochozias rex Juda occisus est a Jehu, ibid. v. 24 et 27. Notat			Ela filius ejus regnavit pleno anno inchoato etiam secundo. Nam sub initium illius occisus est a Zambri præfecto equitum, v. 10,	1
	126			46

	126	mortuus inchoante an. mundi		46
Richardus a S. Victore [1], et Arias Montanus [2], Joramum non hoc solo 23 anno Josaphati, cum is contra Moabitas una cum Joramo rege Israel proficisceretur, 4. Reg. 3, v. 7, regem a patre nuncupatum fuisse, ut supra dixi: sed etiam sex annis prius, puta 17 Josaphati, cum is contra Syros una cum Achabo expeditionem susciperet, 3. Reg. 22. Titulum saltem regis a patre accepisse, de more, ut, si quid patri sinistrum accideret, nihil turbarum in regno suboriretur. Et secundum hunc calculum 4. Reg. 1, v. 17 dicitur Joram rex Israel (qui, c. 3, v. 1, cœpit regnare anno 18 Josaphat, ut supra dixi,) cœpisse regnare anno 2 Joram filii Josaphat, regis Juda [3].			et hic quoque post 7 dies, v. 15, successorem accepit Amri; et paucis post mensibus exussit se in domo regia, v. 18. Amri princeps exercitus, suffragiis illius electus, v. 16, regnavit a 27 anno Asæ regis Juda, v. 15, usque ad 38 ejusdem, v. 29, id est integris 11 annis, inchoato 12, v. 23 quatuor in bellico strepitu cum æmulis Zambri et Thebni, v. 17 et 21, reliquis septem pacifice in regia urbe Thersa, v. 23, sed sedem regiam transtulit e Thersa in Samariam, v. 24.	11
Ochozias, 4. Reg. 8, v. 26, Ubi etiam expresse dicitur fuisse 22 ann. cum regnare cœpit. Unde cum 2. Paralip. 22, v. 2 dicitur fuisse 42 annorum, necessario videtur mendum istic agnoscendum, ex notis numerorum in prioribus Hebr. exemplaribus vitiatis, et pro כב caph beth, id est 22, positum מב men beth, id est 42, quæ notæ non multum absimiles sunt. Ita Jo. Mariana in illum locum. Nisi enim hoc dicamus, cogimur admittere, filium parente suo fuisse biennio seniorem, nempe Ochoziam 42 annorum fuisse, cum parens ejus Joram moreretur quadragenarius, ut habetur 2. Paral. 21, v. 20, et 4. Reg. 8, v. 17. Nam quod ibi ait Sanctius, et probat alibi Suarez [4], Joramum Ochoziæ patrem fuisse 32 annorum ab anno 5 Josaphati parentis sui, non potest subsistere; cum Josaphat anno 5 regni sui non ageret ætatis annum nisi 40; 3. Reg. 22, v. 42, unde debuisset gignere Ochoziam anno 8 ætatis suæ.	1	3151	Achab filius Amri, 3. Reg. 16 v. 29, dicitur regnasse 22 annis; sed duobus regnavit cum patre. Solus nam 1 Achabi annus concurrit cum 38 Asæ regis Juda, ut ibid. dicitur, et Achabo mortuo successit ejus filius Ochozias anno 17 Josaphati filii et successoris Asæ, 3. Reg. 22, v. 52. Asa vero non regnavit nisi 41 annis: ergo non nisi 4 annis cum Achabo. Quibus 4 annis adde 16 annos Josaphati, non reperies Achabi regno nisi 20 annos.	20
Athalia, 4. Reg. 11, v. 3, 4, ult. tyrannice regnavit annis	6	3157	Ochozias filius Achabi, 3. Reg. 22, v. 52, Joram frater Ochoziæ, 4. Reg. 3, v. 1, regnavit annis nempe a fine 18 anni Josaphati, ut ibidem dicitur, usque ad Ochoziæ regis Juda vitæ finem, nam una cum ipso occi-	2 12
	133			91

(1) In conciliat. Reg. et Paral.
(2) In Daniel.
(3) Idem de triplici hac Jorami epocha sensit Usserius.
(4) In 3 p. disp. 6, sect. 15.

	133	mortuus inchoante an. mundi		91
Joas filius Ochoziæ, v. 2, et c. 12, v. 1,	40	3197	sus est a Jehu, 4. Reg. 9, v. 24 et 27.	
Amasias, 4. Reg. 14, v. 2, scilicet ab anno 2 Joas regis Israel solitarie regnantis, ibid. v. 1, usque ad annum 27 Jeroboami regis Israel, ex quo simul cum patre suo ille regnare cœpit, c. 15, v. 1.	29	3226	Jehu, 4. Reg. 10, v. ultimo, regnavit annis Joachaz filius Jehu, 4. Regum 13, vers. 1, Joas filius Joachaz, v. 9 et 10, solus regnavit	28 17 16
Azarias seu Ozias, 4. Reg. 15, v. 2, Hujus Oziæ an. 5, cum solstitio æstivo cœpit initium Olympiadum, de quibus agam c. 31. Ejusdem anni 9 per Phul-belochum præfectum Babylonis, et Arbacen Medum superatus est Sardanapalus, et monarchia Assyriis erepta, ut dicam c. 33.	52	3278	nam tribus aliis regnavit cum parente. Cum enim parens cœpisset regnare annos 23 Joas regis Juda, ut dicitur vers. 1 et 17 annis regnasset; filius tamen ejus Joas, v. 10, inducitur regnasse 37 anno ejusdem Joas regis Juda. Atqui ab anno 23 usque ad 37 non sunt 17, sed tantum 14 anni intermedii: ergo tribus ultimis annis Joachaz conregnavit illi filius ejus Joas.	
Anno 2 vel 3 Oziæ regis cœpit prophetare Oseas primus omnium Prophetarum: anno 5 vel 6 Joel et Jonas: anno 23 Amos: anno 25 Isaias, ut dicam capite sequenti. Eodem anno 25 Ozias rex ob usurpatum munus sacerdotale percussus est diuturna 27 annorum lepra, 2. Paral. 26, vers. 15, quando et terræ motus ille contigit, de quo Amos 1, v. 1. Et ab hoc temporis puncto sumunt initium illi 65 anni quos exscindendo regno Syriaco et Israelitico decem tribuum præfigit Isaias c. 7, v. 8; nam ab anno 25 Oziæ usque ad 6 Ezechiæ habes præcise annos 65.			Jeroboam secundus regnavit ab anno 15 fluente Amasiæ regis Juda, 4. Reg. 14, v. 23, usque ad 27 Oziæ: ita Richardus, Lyran., Abulensis, id est	41
Anno 28 Oziæ Aprilis 21, condi cœpta urbs Roma, ut dicam cap. 32.			Ita etiam 4. Reg. 14, v. 23 nempe solus. Etiam cum parente suo Joas videtur aliis 12 annis ante regnasse: et ita 4. Reg. 15 v. 1, dicitur, anno 27 Jeroboami regnasse Azarias filius Amasiæ regis Juda.	
Anno 33 finiente, Februarii 26, cœpit æra Nabon-Assaris, de qua cap. 34.				
Joatham filius Oziæ, 4. Reg. 15, v. 32 et 33 regnavit annis	16	3294	Post mortem Jeroboami vel interregnum fuit, vel per tutorem administratum fuit regnum, vel rebellio continua fuit per annos [1]	11
Achaz, cap. 16, v. 1 et 2 regnavit annis	16	3310		
Ezechias regnavit quidem 29 an-				
	286			204

(1) Interregnum hoc gravibus obnoxium est difficultatibus; sed longe gravissimis Boivini systema in dissert. quæ legitur, t. 4 historiæ Academiæ Inscriptionum, pag. 337. Nimirum Jeroboam alium, inter Jeroboam et Zachariam commiscitur vir doctus, P. Martin Benedictinus in explic. difficil. locor. Script., p. 1, pag. 223, pluribus Boivinum refellit; tum ipse p. 227 seqq. duplicem regni Azariæ epocham constituit, alteram a fuga Amasiæ in Lachis, ubi undecim, aut etiam duodecim annos vixisse illum conjicit, alteram ab obitu patris ipsius Amasiæ; aitque demum, duos et quinquaginta annos, quibus Azarias regnasse dicitur, a prima illa epocha esse sumendos; belle tum omnia fluere, neque

	286	mortuus inchoante an. mundi		204
nis, 4. Reg. 18, v. 2, sed duobus primis cum patre suo Achaz. Solus nam, ut ex v. 1 ibid. patet, cœpit Ezechias regnare an. 3. Osee pacifice regnantis, qui fuit tantum 14 finiens annus Achaz, ut colligitur ex c. 17, v. 1, et c. 18 v. 9 et 10.			Nam ex 4. Reg. 15, v. 8 constat, anno demum 38 Azariæ seu Oziæ regis Juda Zachariam filium Jeroboami secundi sceptrum tenuisse, id est post 11 annos a morte patris sui: ita iidem.	
Sub Ezechia prophetare cœpit Nahum.			Zacharias filius Jeroboami regnavit tantum 6 mensibus, Reg. 15, 8.	
Manasse, Ezechiæ filius, 4. Reg. 21, vers. 1 regnavit annis	55	3392	Sellum, qui occidit Zachariam, uno mense, ib. v. 13. Reliqui 5 menses variis turbationibus transacti; ergo annum	1
Sub initium regni ob immania scelera vinctus catenis ductus est in Babyloniam, sed brevi restitutus in regnum, 4. Reg. 21, et 2. Paral. 33 et 36.			Manahem, occiso Sellum, anno 39 Azariæ labente, ibid. v. 17, arripuit sceptrum, tenuitque totis 10 annis, ib. Puta usque ad 50 annum Azariæ exclusive, v. 23, ergo	10
Amon, 4. Reg. 21, v. 19, regnavit annis	2	3394	Phaceja filius Manahem, ib. regnavit annis	2
Josias, cap. 22, v. 1.	31	3425	Phacee filius Romeliæ, occiso Phaceja, v. 25, regnavit ab anno 52 seu ult. Azariæ inchoante	
Sub Josia prophetare cœperunt Sophonias, Habacuc et Jeremias.				
Joachaz filius Josiæ nonnisi tribus mensibus regnavit, cum Pharao Nechao rex Ægypti duxit eum vinctum in Ægyptum 4. Reg. 23, vv. 31, 33, 34, suffecto illi fratre ejus.			per ann.	20
Joakim, vel Joachim, v. 36, regnavit annis	11	3436	ut ibid. dicitur, v. 27, nempe usque ad 20 annum exclusive, Joathami filii Azariæ, v. 30. Non quod Joatham regnarit 20 annis (quem constat non excessisse annum 16 ex v. 33), sed quod annus ille esset 20 ex quo regnare cœperat Joatham, eratque 4 annus Achaz filii Joatham jam defuncti.	
Hujus anni inchoantur a tempore quo accepit regnum a Nechao rege Ægypti, ut ex libris Regum constat et Paralipomenon. Nam quod Rabbi Saadias, Lyranus, Dionysius Carthusianus, Maldonatus, Suslyga et quidam alii volunt, aliquando etiam inchoari a tempore quo in eodem regno confirmatus est a Nabuchodonosore, eique vectigalis factus est, nempe anno 9 accepti regni ab Ægyptio: et sic Danielis 1, vers. 1 dicatur Nabuchodonosor obsedisse Jerusalem anno 3 Joakim; nescio unde ausisse potuerint. Maxime cum constet ex Jeremiæ 25, vers. 1 et 3 initium 4 anni Joakim non esse			Osee filius Ela, occiso Phacee, tyrannice usurpavit sceptrum per annos fere	9
			nempe ab inchoante	
	412			246

undecim annis Jeroboam inter et Zachariam comminiscendis locum amplius esse. Ita sane; sed præterquamquod quæ sequuntur, regna suis essent sedibus dimovenda. undecim illos, aut duodecim annos quibus in Lachis Amasiam constitisse ait Martinus, vellem aliquo argumento comprobari. Eorum sane neque in libris Regum, neque in Paralipomenis vestigium ullum deprehendo: immo fugam inter et cædem Amasiæ tantum annorum intervallum videtur Scriptura excludere.

	412	mortuus inchoante an. mundi		246
nisi 23 ab anno 13 Josiæ: cum secundum hunc illorum Babylonicum calculum deberet esse 30 annis. De ejus captivitate, una cum Daniele ejusque sociis, dein de infami morte, vide quæ dicam 4. Reg. 24. Joakin, vel Joachin, vel Jechonias, filius Joakimi post tres menses et dies 10 regni, ultro se dedidit Nabuchodonosori, a quo cum matre, totaque aula sua, abductus est in Babylonem, 4. Reg. 24, v. 6, 8, 12, 15.			anno jam dicto 20 a morte Joatham, ibid. v. 30, seu a 4 Achaz, usque ad 12 finientem Achaz, c. 17, 1. Ex quo demum anno (quia vel a populo legitime admissus, vel a rege Assyriorum vi intrusus, pacifice sceptrum tenuit,) Scriptura incipit annos Osee, ib. et tribuit illi alios annos cap. 18, v. 1, 9 et 10. Initio anni 7 obsedit Salmanassar Samariam, et 9 cœpit eam, transtulitque Israelitas in Assyrios, ibid. vers. 11, ubi perpetuam servierunt servitutem, c. 17, v. 23.	9
Sedecias patruus Jechoniæ, v. 17, regnavit totis annis	10	usque 3446 exclusum	Stetit ergo regnum Israeliticum a primo Jeroboami, usque ad ultimum Osee an. per annos [2]	256
undecimo illius capta et incensa est urbs cum templo: et fuit is primus annus captivitatis ejus et templi exusti, 4. Reg. 25 usque ad v. 10. Ab exusto templo desolata fuit urbs Jerosolyma per annos	30	usque 3476 exclusum		
2. Paral. ultimo v. 21 et Chronici cap. 35. Etiam Philippus Melancton a templi primordiis usque ad illius excidium non computat nisi 422 annos [1].			A cujus regni excidio, usque ad excidium urbis Jerosolymæ et templi, 11 anno Sedeciæ fluxerunt anni 130.	
	452			

CAPUT XXX.

ANNI ET GESTA PROPHETARUM TUM MAJORUM, TUM MINORUM, PER ORDINEM DISTRIBUTA

anno mundi conditi	ante Verbum incarnatum	reg. Juda	Olymp.	Urbis conditæ
		Oziæ		
3226	775	1		

Prophetæ, qui Israelitis pro philosophis erant, pro theologis, pro doctoribus et concionatoribus, ut inquit S. Augustinus [3], 17 numero recensentur, quorum prophetiæ litteris consignatæ nunc extant.

Primus omnium fuit Osee, ut colligunt ex 1 ejus cap. v. 2. Cœpit prophetare sub initia regni Oziæ seu Azariæ regnis Juda, ante initium Olympiadum, quæ cœperunt anno 5 Oziæ.

(1) Usserius 424. (2) Juxta Usserium 254.
(3) Lib. 18 de Civit., cap. 41.

anno mundi conditi	ante Verbum incarnatum	reg. Juda	Olymp.	Urbis conditæ	
					Secundus fuit Joel, tertius Jonas: qui etiam cœperunt sub initium regni Oziæ, pene cum prima Olympiade. Quartus Amos, qui cœpit anno 23 regni ejusdem Oziæ; ut ostendam Amos 1, vers. 1, et tradunt Hebræi in Seder-olam c. 19.
		Oziæ	V		
3250	751	25	anno 4		Quintus Isaias, secundum Eusebium [1], cœpisse dicitur 17 anno. Sed verisimilius est quod tradit S. Hieron. [2], cœpisse demum 25 anno ejusdem Oziæ. Saltem constat cœpisse ante conditam Romam, quæ anno demum 28 Oziæ condi cœpit. Et ante Nabon-Assiarem, qui cœpit finiente anno 33 ejusdem Oz æ.
			XII		
3277	724	52	anno 3	25	Anno 52 et ult. Oziæ vidit Isaias, cap. 6, *Dominum sedentem super solium excelsum*, a quo mittitur ad prophetandum. Sub Jonatham filio Oziæ prophetarunt Abdias sextus; et septimus Michæas, cap. 1, v. 1.
		Achaz	XVII		
3297	704	4	anno 3	45	Anno 4 Achaz filii Joatham prædixit Isaias, c. 7, Messiæ ortum ex virgine: simulque regnum Israel et Syriæ brevi destruendum, quod sub exitum ejusdem anni compleri cœpit, ut narratur 4. Reg. 15, v. 29, etc., sed perfecte completum fuit anno 6 Ezechiæ, 4. Reg. 17, v. 6.
					Sub idem tempus etiam Sibylla Erythræa prædixit Christi nativitatem, resurrectionem et judicium. Versus ejus recenset S. August. lib. 8 de Civit. c. 23.
		Ezech.	XX		
3308	693	1	anno 2	56	Anno 1 Ezechiæ prædixit Isaias, c. 14, v. 28, victoriam Judæorum et triumphum de Philisthæis. Paullo ante prædixerat, c. 13 et 21, excidium Babylonis per Cyrum. Et paullo post excidium Moab, c. 15, 16, Damasci, c. 17, Ægypti, c. 18, 19, Ethiopiæ, cap. 20, Idumææ et Arabiæ, cap. 21, per Nabuchodonosorem.
			XXIII		
3321	680	14	anno 3	69	Anno 14 regis Ezechiæ (ex quo primum cum patre suo Achaz regnare cœpit), Isaias, c. 20, v. 1, collato cum 4. Reg. 18, v. 13 et 17, nudus per triduum ambulavit Jerosolymis, portendens hoc suo facto spoliationem Ægypti et Æthiopiæ, quam cœpit eodem anno Sennacherib, divertens a Judæa in Africam, adversus Tharacam regem Æthiopiæ, 4. Reg. 19. v. 9, quem cum superasset, vastavit Ægyptum et Æthiopiam per triennium, cum reversus anno 16 Ezechiæ, et rursus obsidere parans Jerosolymam, cæsis 185000 Assyriorum, juxta promissa Isaiæ 37, fugit et rediit in Ninivem, iramque suam istic evomuit in exules Israelitas eo nuper abductos, Tobiæ 1, v. 21. Sed ipse ibidem a propriis filiis in templo Nesroch

(1) In Chronico.
(2) In cap. 6 Isaiæ, v. 5 et c. 7, v. 8 et in epist. 142.

anno mundi conditi	ante Verbum incarnatum	reg. Juda	Olymp.	Urbis conditæ	
					idoli sui jugulatus est, Tobiæ 1, Isaiæ 37, et 4. Reg. 19. Sed biennio ante (nempe sub finem anni 14 regni sui supradicti) ægrotans Ezechias, cataplasmate ficuum curatus fuerat ab Isaia, sole per 10 lineas regresso, et promissi ei alii 15 anni vitæ, Isaiæ 38. A quo, cap. 39, reprehenditur quod legatis Merodachi regis Babylonis elatiore animo suos ostentasset thesauros, quos prædicit, una cum filiis ejus auferendos in Babyloniam.
					Ab anno 16 Ezechiæ, jam abactis Assyriis, c. 37, usque ad ult. regni et vitæ ejusdem, edidit Isaias omnes reliquas suas prophetias a c. 40 usque 66 (inquit S. Hieron. [1]), quibus præcipue inculcat, Christum, qui Cyrum figurabatur, liberaturum omnes homines e servitute peccati et diaboli, ac rejectis Judæis vocaturum Gentes ad salutem, pro eis moriturum, etc. sub eodem Ezechia floruit
		Manasse	XXVIII		Octavus propheta Nahum.
3340	661	4	anno 2	88	Sub initia regni Manasse, quod Isaias ejus scelera liberius increparet, ab eo serra lignea dissectus est. Ponamus id factum anno 4 regni illius, et Isaiam cœpisse prophetare anno 25 Oziæ, ut supra dixi, sequitur, Isaiam totis 90 annis Prophetam egisse, quod nulli alteri contigit [2].
		Josiæ	XLI		Nonus fuit Sophonias proph. initio regni Josiæ. Sophon. 1, 1.
3394	607	1	anno 4	142	Decimus Habacuc.
			XLIV		Undecimus Jeremias cœpit 13 anno ejusdem Jerem. 1, v. 2. Qui est annus primus ex septuaginta annis, quibus servitus et captivitas Babylonica duravit ex ejusdem Jeremiæ prædictione cap. 25 et 29, ut dicam infra c. 35 hujus Chronici. Hoc enim 13 anno Josiæ vidit Jeremias, cap. 1, ollam succensam et virgam adventantem ab Aquilone, per quæ portendi dicit adventum Nabuchodonosoris e Babylone, qui Judæam cum vicinis omnibus regnis evertat, populum vel trucidet, vel captivum abducat, et terram desolet. Idem per Chaldæos excidium pergit sub eodem Josia continuo inculcare Jeremias a cap. 1 usque 9 inclusive, rursum c. 11, 12, 14, 15, 16.
3406	595	13	anno 4	154	
			XLIX		Anno ultimo Josiæ, cæsum illum a Nechao rege Ægypti lamentatur Jeremias, 4. Reg. 23, v. 29, et 2. Paral. 35, v. 20.
3424	577	31	anno 2	172	Sellum seu Joachaz filio Josiæ post trimestre captivo in Ægyptum abducto, Jeremias c. 22, v. 10, dicit, numquam reversurum ex Ægypto. De fratre quoque ejus Joakim prædicit cariturum sepulcro, c. 22, v. 18. De

(1) In c. 1 Is. (2) In prœmio Is.

anno mundi conditi	ante Verbum incarnatum	reg. Juda	Olymp.	Urbis conditæ	
					Jechonia vero filio Joakimi dicit captivum abductum iri in Babyloniam, v. 24. In urbem quoque Jerosolymam et templum acerba prædicit, c. 26, unde et apprehenditur, accusatur, et ad mortem deposcitur, sed absolvitur et liberatur: ibid. Sub idem tempus, c. 27, jubetur imponere collo suo vincula et catenas ferreas, quibus portendebat, imminere tum Judæis, tum Tyriis, Sidoniis, Idumæis, Moabitis et Ammonitis vincula et captivitatem. Jubeturque eas catenas sub Sedecia mittere ad omnes reges illarum nationum, ibid. v. 3. Sub idem tempus prophetat ea quæ habentur c. 17, nempe peccatum Juda esse indelebile, etc.
		Joakim	L		
3427	574	3	anno 1	175	Anno 3 regni Joakim, Daniel 1, vers. 1, Nabuchodonosor obsidet Jerosolymam, capit regem cum multis nobilibus, inter quos Daniel, Ananias, Misael et Azarias.
					Anno 4 ejusdem capessit Nabuchodonosor regnum, ut patebit cap. 34 Chronici, et Jeremias c. 46, v. 2, prædicit quod Chaldæi profligabunt regem Ægypti Nechao, qui se de Nabuchodonosore vindicatum venerat, quod vectigales suos Judæos oppressisset, spoliasset et captivos fecisset. Ergo commisso ad Euphratem prœlio, victor Chaldæus, occiso Nechao, recipit ab Ægyptiis quidquid illi abstulerant Assyriis. Restituitque Joakimum regno suo, sub conditione pendendi illi quotannis tributi, quod triennio illi persolvit.
					Hoc eodem anno 4 Joakim clamat Jeremias, cap. 25, v. 1, se jam per annos 23, nempe a 13 anno Josiæ usque ad præsentem annum 4 Joakim prædixisse Judæis imminentem a Chaldæis plagam: seque iterum eamdem serio inculcare tum Judæis, tum vicinis omnibus regnis. Atque expletis demum 70 annis ipsam quoque Babylonem a Medis et Persis eversum iri, Israelitas vero in Judæam reducendos.
					Eodem anno 4 Joakim rex conjicit Jeremiam in carcerem, c. 36, v. 5, Baruch a Jeremia pusillanimitatis reprehenditur, c. 45.
					Anno 5, mense 9, Baruch (Jerem. 36, v. 9) prophetias et minas ex ore Jeremiæ conscriptas legit in templo coram omni populo. Dein et coram principibus. A quibus solvi et liberari jussus Jeremias, sed abscondi, vers. 19. Rex vero Joakim librum exurit, vers. 23, sed a Jeremia instauratur, v. 28.
			LI		
3431	570	7	anno 1	179	Anno 7 Joakim rex iterum fisus Ægyptiorum auxilio, negat tributum Chaldæis. Unde invaditur ab ipsis, et Syris, et Moabitis, et Ammonitis. Jeremias laudat Rechabitas, c. 35.

anno mundi conditi	ante Verbum incarnatum	reg. Juda	Olymp.	Urbis conditæ	
					Prophetat lumbari lineo, et laguncula contrita, imminentem Judææ cladem, c. 13 usque v. 18.
		Joakim	LII		
3435	566	11	anno 1	183	Anno 11 Joakim occisus a Nabuchodonosore et extra Jerosolymam projectus est, a bestiis devorandus, juxta prædictionem Jeremiæ, c. 22, v. 18. Joachin seu Jechonias filius ejus post tres regni menses obsessus a Nabuchodonosore ultro se illi tradidit, et una cum matre et primoribus regni abductus est in Babylonem, et cum eo Ezechiel, Mardochæus, et Josedec, pontifex, Jerem. 22, v. 24.
		Sedeciæ	LII		
3436	565	1	anno 2	184	Anno 1 Sedeciæ invehitur Jeremias, c. 23, in negligentiam regum Juda, quæ causa fuit ruinæ et captivitatis populi. Et novam reipublicæ formam per Christum pollicetur. Videt duos calathos ficuum, c. 24, bonæ significabant bonam Jechoniæ et aliorum transmigrantium sortem: malæ miseriam Sedeciæ et aliorum Jerosolymæ manentium.
					Sub id tempus contigit historia Susannæ, Danielis 23. Et duo judices mœchi convicti calumniæ a Daniele, Sedecias et Achab, cum lapidandi essent a populo, jussu Nabuchodonosoris igne exusti sunt, Jerem. 29, vers. 21. Jeremias missis litteris ad captivos in Babylone, promittit ipsis, quod completis 70 annis (de quibus anno 13 Josiæ) reversuri sint in Judæam: eos vero qui Jerosolymis remanserant, fame, peste, gladio prædicit consumendos, Jerem. 29, 30, 31, ubi multa subjungit de plena et solida redemptione per Messiam.
			LIII		
3439	562	4	anno 1	187	Anno 4 Sedeciæ, mense quinto, cap. 28, convincit Ananiam pseudoprophetam falsitatis: et pro lignea catena, assumit ferream. Mittit etiam catenas ad reges Edom, Moab, Ammon, Tyri et Sidonis, per legatos eorumdem regum, qui excurrerant ad Sedeciam, c. 27. Prædicit iisdem varias clades, c. 48 et 49.
					Eodem anno confringit lagunculam in atrio templi, c. 19, docens, populum sic conterendum. Unde, c. 20, in carcerem compingitur a Phassur. Eodem anno prædicit, c. 50, excidium Babylonis per Cyrum: idque per oratorem Sedeciæ jubet prælegi Judæis Babylone captivis, c. 51. Eodem anno minatur Sedeciæ jam rebellanti Chaldæis, eversionem regni, c. 13, v. 18, et 4. Reg. 24, v. 20, et c. 25, v. 1, et ex Josepho l. 10 Antiquit. c. 10.
3440	561	5	anno 2	188	Anno 5 Sedeciæ, qui fuit etiam 5 transmigrationis Jechoniæ in Babylonem, die 5, mensis 4, prophetare cœpit
					Duodecimus propheta Ezechiel, c. 1, v. 1,

anno mundi conditi	ante Verbum incarnatum	Imperii Nabuchodonosoris	Olymp.	Urbis conditæ

quando vidit currum Cherubim, et prophetavit annis 22, ut colligitur ex c. 40, v. 1, et c. 29, v. 17, nam ulterius nihil de illo legitur.

Eodem primo prophetiæ suæ anno Ezechiel devorato libro cælitus submisso, cap. 3, v. 1, jubetur domi suæ concludi quasi vinctus et mutus, vers. 24, et in tabula depingere obsidionem Jerosolymæ, c. 4, v. 1, et 390 diebus, et 40, cubare in latus nunc sinistrum, nunc dextrum, c. 4, v. 4. Quo modo revera et de facto cubavit, ut patet ex v. 12, publice Babylone, in oculis Judæorum, a 14 die 4 mensis anni 5 regni Sedeciæ, ut colligitur ex c. 1, v. 1 et 2, collato cum c. 3, v. 15, usque ad 1 diem 6 mensis anni sexti. Porro quintus ille annus fuerat intercalaris, et 13 mensium, inquit Hieronymus Prado, Cornelius a Lapide et alii. Quinta vero ejusdem sexti mensis visus demum est a longa cubatione liberatus sedere domi suæ cum senibus Juda, Ez. 8, v. 1. Porro his 390 diebus decubitus in latere sinistro portendebat et repræsentabat totidem dies obsidionis imminentis Jerosolymæ per Chaldæos, ut patet ex c. 4, v. 8. Ultimis vero 40 diebus in latere dextro, repræsentabat 40 dies quibus Chaldæi captam urbem vastarunt, mulctarunt, incenderunt, 4. Regum 25, v. 8, et Jerem. 52, v. 12. Unde pro 40 ultimis diebus non est jussus Propheta parare sibi panem, sed solum pro 390 diebus quibus obsidio duratura esset, nam capta jam urbe non erat amplius a fame metuendum, sed alia subeunda erant supplicia.

Fluxerunt quidem plures quam 390 dies a 10 die, 10 mensis anni 9 Sedeciæ, quo primum advenit Nabuchodonosor in Judæam, 4. Reg. ult., v. 1 usque ad 9 diem 4 mensis anni 11 Sedeciæ, quo capta fuit urbs, ibid. v. 3, et Jerem. 52, v. 6 et 7. Sed non potuit statim ab initio accessus tam cito urbs arcte concludi. Et forsan respiravit aliquot menses Jerosolyma, quibus nempe pœnituerunt Judæi, et servos anno Sabbatico juxta legis præscriptum libertate donarunt; quando et Chaldæi omissa obsidione Jerosolymæ, obviam iverunt Ægyptiis ad opem Judæorum advolantibus. Sed mox, cum Judæi ad pristina scelera redirent, et servos suos in servitutem retraherent, redierunt quoque Chaldæi ad continuandam finiendamque urbis obsidionem, Jeremiæ 34. Ita Theodoretus, Vatablus, A Lapide et alii.

Anni vero 390 iniquitatis domus Israel, seu Israelitarum ex omnibus 12 tribubus mixtim Jerosolymis, totaque Judæa habitantium (ne-

anno mundi conditi	ante Verbum incarnatum	Imperii Nabuchodonosoris	Olymp.	Urbis conditæ	
					que enim 10 tribubus jam pridem in Assyriam abductis minatur hic Deus, sed iis qui Judæam, et in primis Jerosolymam incolebant, ut patet ex v. 13, c. 4 Ezechielis) quibus puniendis, hi 390 dies decernuntur, *dies pro anno;* secundum Pinedam [1] nostrum et quosdam alios, exordium sumpserunt a 4 anno ante mortem Salomonis, quo ipse tam fœde lapsus in omnem idololatriam, plurimos secum in idem scelus pertraxit; duraruntque usque ad 11 annum Sedeciæ. Quadraginta vero anni specialis iniquitatis Juda, seu tribus regiæ, quæ antonomastice designatur per domum Juda, secundum eumdem Pinedam, Gerardum Mercatorem et alios, fluxerunt ab anno 13 Josiæ usque ad 11 et ult. ejusdem Sedeciæ. Nam illo annorum tempore exhibuit se tribus Juda, ut et ceteri Judæi solito sceleratiores: adeo ut Jeremiam, aliosque Prophetas a Deo missos, cælestesque minas eis intentantes, riderent, exsibilarent, et injustis modis divexarent ac torquerent. Porro ex præcedenti cap. hujus Chronici patet, numeros prorsus respondere. Nam si a 422 annis qui a 5 Salomonis anno fluxerunt usque ad 11 Sedeciæ, subtrahas 32 priores annos Salomonis, reliqui manebunt præcise 390. Quorum 40 ultimis specialiter deliquit domus Juda, ut jam dixi. Ac proinde hi merito bis in eodem numero computantur, utpote duplicis malitiæ. Pater Cornelius a Lapide, cum Hieron. Prado et Vatablo, magis propendet in 40 annos peccatorum Manasse. Sed ipse verisimilius non peccavit tot annis, ut dicam in Commentario Judith.
3441	560	14	LIII anno 4	189	Anno 6 Sedeciæ, et transmigrationis Jechoniæ videt Ezechiel in raptu idololatricas Judæorum abominationes in templo Jerosolymitano, Ezech. 8, v. 1, omnes non notatos signo thau occidendos, cap. 9 etc. Sedeciam in Babylonem abducendum, nec tamen visurum illam (utpote captum oculis), ibique moriturum, cap. 17 etc.
3442	559	15	LIV anno 1	190	Anno 7, mensis 10, die 5 exprobrat Judæis beneficia cœlitus accepta minaturque Jerosolymæ irrevocabile excidium, c. 20 usque 24.
3444	557	17	anno 3	192	Anno 9, mensis 10, die 10 Nabuchodonosor obsidere cœpit Jerosolymam, continuavitque usque ad 5 diem 4 mensis anni 11 ejusdem; nisi quod medio tempore duobus mensibus obviam ierit Ægyptiis, 4. Reg. 25; Jerem. 39 et 52. Redeunte Nabuchodonosore conclusa est undique urbs, præ fame parentes comederunt liberos suos, et liberi parentes, Jerem. 19.

(1) Lib. 7 de reb. Salomon., c. 9.

anno mundi conditi	ante Verbum incarnatum	Imperii Nabuchodonosoris	Olymp.	Urbis conditæ	
					Ezech. 5. Eodem die quo cœpit obsideri Jerosolyma, Ezechiel mane prædicit in Babylone Judæis Jerosolymam igne absumendam. Vespere mortuam conjugem suam prohibetur lugere, in signum instantis desolationis templi et urbis, Ezech. 24. Ob quæ exultantibus Ammonitis, Moabitis, Idumæis et Philisthæis, simile prædicit exitium, c. 25, uti iisdem prædixerat quoque Jeremias c. 47, 48, 49. Tunc Sedecias rex petit per Jeremiam consuli Dominum de eventu obsidionis, c. 21. Sed Jeremias nonnisi dira minatur et prædicit, tum regi, tum populo rebelli.
3445	556	18	LIV anno 4	193	Anno 10 iterum denuntiat Jeremias Sedeciæ, urbem captum et incensum iri a Chaldæis; ipsumque regem moriturum Babylone, c. 34. Unde in carcerem compingitur a rege, c. 32. In carcere emit agrum a patruele suo, per Baruch: præsignans Jerosolymam post excidium, rursus instauratum iri, ibidem. Prædicit et Messiam nasciturum, cap. 33 et 23. Sedecias rex arctatus angustiis, cum adesset annus Sabbaticus, Jeremiam liberum dimittit, cum Deo pactum instaurat, reliqui etiam Judæi servos liberos faciunt ex legis præscripto, cap. 34, v. 6. Interea rex Ægypti auxilio accurrit Judæis, c. 37, v. 4. Quo audito Chaldæi soluta tantisper obsidione arctiore Jerosolymæ, obviam pergunt Ægyptiis, eosque regredi compellunt. Eodem anno 10, mensis 10, die 11 prædicit Ezechiel, c. 29 et 30, Ægyptum, eo quod auxilio fuerit Judæis, per Nabuchodonosorem vastandam, sed post 40 annos restituendam. Ascendentibus Chaldæis et Ægyptios persequentibus, Judæi rati se jam prorsus esse liberatos, statim servos manumissos retrahunt in servitutem. Jeremias fædifragos increpat, prædicitque omnes fame, peste vel gladio Chaldæorum perituros, c. 34, v. 16. Regi quoque Sedeciæ prædicit, Ægyptios in Ægyptum reversuros, et Chaldæos obsidionem resumpturos, et urbem exusturos, c. 37, v. 3. Jeremias quasi transfugere vellet ad Chaldæos, capitur in porta, cæditur, et in carcerem compingitur, v. 10. Unde clam a Sedecia consulitur, et mitius in carcere haberi jubetur, v. 16. Sed cum palam suaderet, dedi urbem Chaldæis, expetitur a principibus ad mortem, et in lacum lutosum immittitur, c. 38. Sed Abdemelecho eum educenti et in carcerem restituenti, ibid. v. 7, prædicit, ipsum liberatum iri a manu Chaldæorum, c. 39, v. 15. Rursus a rege consultus suadet, se dedat Chaldæis, c. 38, v. 14.

anno mundi conditi	ante Verbum incarnatum	Imperii Nabuchodonosoris	Olymp.	Urbis conditæ	
			LV		
3446	555	19	anno 1	194	Anno 11, prima die lunæ Martii, Ezechiel Tyro, ob Jerosolymæ excidium gaudenti prædicit, etiam ipsam a Nabuchodonosore excisum iri, Ezech. 26, 27, 28, ubi v. 9 mensio fit Danielis jam tum sapientiæ laude celeberrimi.
					Eodem anno, die 1, mensis 3 comparat Ezechiel Pharaonem cum rege Assyriorum, et simili clade subversum iri prædicit, c. 31.
					Mox 5 die, mensis 4 perrumpunt Chaldæi murum Jerosolymæ, 4. Reg. 25, et Jerem. 39 et 52, rex Sedecias fugit, sed a Chaldæis comprehensus excæcatur, occisis prius ipso vidente filiis, dein vinctus abducitur in Babylonicum carcerem, Ezech. 12.
					Nona ejusdem mensis capitur Jerosolyma, cæsis omnibus incolis, 2. Paralip. 36 etc.
					Septima die, mensis 5 Nabuzardan incendit palatium regis, 10 die templum Domini, et destruit muros urbis, et residuum populi abducit in Babylonem, relictis Jerosolymæ pauperibus rusticis ad colendam terram, ibid. et Jerem. 39 etc. His præficit Godoliam, cum quo remanet etiam Jeremias in Judæa a Chaldæis optione accepta, c. 40, deflens amaro fletu, et quádruplici alphabeto metrico lamentans destructionem Jerosolymæ. Epistolam dat ad abducendos in Babylonem, quæ habetur Baruch 6.
					Septimo mense Ismael occidit Godoliam cum multis aliis Judæis et Chaldæis, Jerem. 41, et 4. Reg. 25. Unde reliqui Judæi timentes sibi a Chaldæis, statuunt fugere in Ægyptum: sed prohibentur a Jeremia. Quem nihilominus illi cogunt una secum et Baruch abire in Ægyptum, c. 42. Ubi habitantibus juxta Taphnis prædicit Jeremias, venturum Nabuchodonosorem, et vastaturum Ægyptum cum idolis suis, c. 43. Cumque delapsos in idololatriam Judæos ibidem acrius reprehendit, c. 44, ab iisdem lapidibus obruitur. Baruch in Chaldæam profugit. Ezechiel, cap. 32 usque 38, minatur impiis Judæorum reliquiis. Plangit casum Pharaonis. Prædicit Idumæam vastandam: Judæos instar ossium aridorum reviviscentium, in integrum restituendos: denique varia de Gog et Magog.
			LVI		
3450	551	23	anno 1	198	Quinto anno post excisam Jerosolymam Nabuchodonosor invadit Cælesyriam, expugnat Moabitas et Ammonitas, inquit Josephus [1], obsidetque Tyrum; qua post 13 annos potitus, in præmium laborum accipit a Deo Ægyptum, Ezechielis 29, v. 17, et patebit ex dicendis c. 34 Chronici.

(1) Lib. 10 Antiq., cap. 11.

anno mundi conditi	ante Verbum incarnatum	imperii Nabuchodonosoris	Olymp.	Urbis conditæ	
					Eodem anno 5, mense 5, die 17 librum a se conscriptum legit in Babylone coram Jechonia et toto populo.
					Decimus tertius propheta Baruch, c. 1, v. 2, promittens reducendos in Jerusalem, ac denique per Messiam perfecte liberandos.
			LVIII		
3460	541	33	anno 3	208	Anno 14 finiente post excisam Jerosolymam, id est 25 anno transmigrationis Jechoniæ inchoante, puta die 10 primi mensis, Ezechiel in spiritu videt novum templum in monte restaurandum cum mensuris ac dimensionibus suis, cap. 40 usque 48.
			LIX		
3462	539	35	anno 1	210	Anno 27 transmigrationis, Nabuchodonosor expugnata Tyro, et subjugata Ægypto, Ezechielis 29, v. 17, jam totius Asiæ et bonæ partis Africæ victor, inchoat suam monarchiam, de qua c. 34 Chronici, cum Ezechiel apud Babylonem a Judice populi Israelitici, quod eum de cultu idolorum argueret, damnatus et martyrio affectus est [1].
			LIX		
3463	538	36	anno 2	211	Anno 36 regni Nabuchodonosoris (inchoati ab anno 4 Joakimi) id est anno 2 monarchiæ ejusdem, seu regni monarchici, vidit ipse in somniis statuam quadrimateriatam, Dan. 2, quam ipsi valde gratiose exponit noster
					Decimus quartus propheta Daniel, ideoque toti Babyloniæ præponitur a rege, v. 48, et sub ipso Sidrach, Misach et Abdenago, qui sub idem tempus, quod statuam auream regis adorare nollent, in fornacem conjiciuntur, sed illæsi educuntur, c. 3. Quo miraculo commotus Nabuchodonosor benedicit Deum Israel, et edicto publico occidi jubet quisquis eum blasphemaverit. Eodem anno per arborem frondosam usque ad radices exscindendam, cognoscit ex Daniele, se toto septennio ejectum iri regno, etc., Dan. 4. Quod 12 post mense contigit, v. 26. Nec nisi exacto inter feras septennio, precibus Danielis, menti et regno restituitur, v. 31, Deum cæli glorificat, et paucis post mensibus moritur, ut opinio est, pius et colens Deum. Vide Pererium [2].
					Mortuo Nabuchodonosori succedit filius Baltassar, qui et Evil-Merodach, qui statim eduxit Jechoniam e carcere, et extulit super omnes principes Babylonis, Jerem. ultim. v. 31, et 4. Reg. ult. v. 27.
		Baltassaris	LXI		
3473	528	1	anno 4	221	Anno 1 regni Baltassar vidit Daniel in somnio quatuor bestias præsignantes 4 monarchias. Et sub idem tempus contigisse videtur historia Belis et draconis, et prior missio Danielis in lacum leonum, Dan. 14.

(1) Martyrol. Rom. 4 idus april.
(2) Lib. 5 in Dan.

anno mundi conditi	ante Verbum incarnatum	Imperii Baltassaris	Olymp. LXI	Urbis conditæ	
3475	526	3	anno 2	223	Anno 3 Baltassar videt Daniel, arietem (id est Darium ultimum Persarum monarcham) devictum ab hirco, Alexandro Macedone, Dan. 8. Eodem anno finiente Cyrus rex Persarum, et Darius rex Medorum, post biennalem obsidionem potiuntur urbe Babylone, eadem nocte qua Daniel explicuit Baltassari mysterium verborum *Mane, Thekel, Phares*, Dan. 5, et diu ante prædixerat Jeremias, cap. 51.
		Cyri Monarchiæ			
3476	525	1	anno 3	224	Anno I imperii Darii, et monarchiæ Cyri, Daniel cognoscens ex libris Jeremiæ, cap. 25 et 29, instare terminum 70 annorum desolationis Jerusalem et captivitatis Judæorum, orat Deum, promissa sua complere dignetur, Dan. 9. Cui apparens angelus Gabriel, dicit, orationem ejus exauditam esse a Deo. Insuper v. 24 designat ei tempus venturi Messiæ, nempe sub finem 70 hebdomadum ab instaurata urbe Jerosolyma, de quibus vide c. 38 hujus Chronici. Mox jubente Cyro, facultas datur omnibus Judæis redeundi e Babylonia in Judæam, 2. Paral. ult. in fine, et initio lib. 1 Esdræ. Cyrus deinde abit in Scythiam, ubi finito tertio monarchiæ suæ anno cæsus occubuit, ut dicam c. 37 Chronici. Interea Daniel ab æmulis exposcitur ad mortem, frustra repugnante Dario rege, et in lacum leonum secundo conjicitur; sed postridie illæsus educitur, accusatoribus uno momento devoratis a belluis, Dan. 6.
3478	523	3	anno 1	225	Anno 3 et ult. monarchiæ Cyri, mense 1, die 24 videt Daniel, c. 10, 11, 12, virum lineis vestitum, a quo multa olim obventura populo Dei edocetur: item de Michaele principe tutelari Synagogæ: de bellis suborituris inter Persas et Græcos, inter reges Ægypti et Syriæ: de Antiocho Epiphane, ejusque antitypo Antichristo: de extremo judicio, etc.
		Darii Hystaspis.	LXV		
3486	515	2	anno 1	234	Anno 2 monarchiæ Darii Hystapsis, qui Cambysi successit, prophetarunt in Judæa Prophetæ: Decimus quintus Aggæus, c. 1, v. 1. Decimus sextus Zacharias, c. 1, v. 1. Decimus septimus Malachias.

Ex dictis patet primo, Prophetas omnes minori spatio quam 270 annorum floruisse. Pauciores enim anni excurrunt ab initio regni Oziæ, usque ad Darium Hystaspis: seu ab anno mundi 3227, quo cœpit Ozias, usque ad annum 3486, qui fuit secundus regni Darii.

Patet secundo, Prophetas nostros antiquiores esse septem Græciæ sapientibus, ut Euseb. [1] et Lactant. [2] docent. Nam *sub Cyro floruit Thales præceptor Anaximandri, hic Anaximenis, hic Anaxagoræ, hic Periclis: Anaxagoræ vero temporibus Xenophanes et Pythagoras fuerunt*, inquit Eusebius. De Socrate et Platone nullum

(1) Lib. 10 de Præpar. in fine. (2) Lib. 4 Div. instit. cap. 5.

potest esse dubium, cum hi pene ducentis annis Cyro posteriores sint. Orpheus quidem, Linus et Musæus, priores sunt Prophetis: sed his antiquiorem habemus Moysen et tot Patriarchas, inquit S. Augustinus [1], et Tertullianus [2], qui id Gentilibus palam in faciem objicit: *Ceteri*, inquiens, *Prophetæ, etsi Moysi posthumant, extremissimi tamen eorum non retrosiores* (seu posteriores) *deprehenduntur primoribus vestris sapientibus, et legiferis, et historicis.*

Hactenus de calculo Hebræorum: nunc etiam (quia frequens illorum usus in Scriptura) aliquid de calculo Assyrio, Ægyptio, Babylonico, Romano et Græco.

CAPUT XXXI.

DE GRÆCORUM OLYMPIADIBUS.

Olympias spatium est quatuor annorum, quod duos inter ludos Olympidos Jovi Olympio, maxima totius Græciæ solemnitate et concursu apud Pisam et Elidem fieri solitos ob memoriam diei intercalaris, labebatur. Erant quidem et alia publica ludorum certamina (Græci *ἀγῶνας*, *agonas* appellabant), quibus tamquam certis characteribus anni quique signabantur, et temporum series digesta posteris tradebatur, scilicet Nemea, Pythia et Isthinia: quæ qualia fuerint, ex Lactantio Placido in principio 9 Thebaidos apud Statium cognoscere licet: sed omnium celeberrima erant Olympia, quæ dixi, quæ quarto quoque anno sub initium æstatis, seu æstivi solstitii, teste Livio [3], Censorino [4], Pindaro [5], et aliis, celebrabantur a luna 11 usque ad 16 inclusive, qua et judicium et sententia de victoribus ferebatur. Prioribus autem undecim diebus, athletæ variis se prælusionibus exercebant.

Olympiadibus singulis, peracto judicio, pronuntiata sententia, victoribus declaratis, victorum nomina statim per publicos sacerdotes ei curæ præpositos tabulis publicis inscribebantur, quibus iisdem etiam alii notabiliores eventus ad singulos singularum Olympiadum annos summatim adnotabantur. Mox in fano Jovis Olympii apud Elidenses loco tuto atque inviolabili seponebantur, custodiebanturque religiose ab iisdem sacerdotibus. Atque ita per annos plus mille publica cura continuatæ sunt illæ tabulæ usque ad tempora Theodosii II imper., ac deinde per eruditos chronologos in posteriora quoque secula extensæ, velut Fasti perpetui, actorum temporumque custodes.

Olympias prima quæ in numerum venit, ab Iphito celebrata est, anno mundi 3250, Oziæ regis Juda 5, Jeroboami 2, regis Israelitici, ex quo solus regnavit 19, cyclo lunæ 5, solis 18, epacta XVIII, littera martyrologii T. Quæ designant fuisse annum ante æram nati Christi Dionysianam seu vulgarem 776, ante Phul-Bel-Ochum, regem Assyriorum, et Arbacen Medorum (de quibus cap. 33), annum 4. De quo ita Solinus Polyhistor [6]: Certamen Olympicum (quod olim Hercules in honorem atavi sui materni Pelopis ediderat in omni genere certaminum victor), jam pridem intermissum, Iphitus Elidensis instauravit post excidium Trojæ anno 408. Roma deinde condita, incipiente Olympiade 7, post excidium Trojæ anno 433, ita ille. Et idem scribunt Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnasseus, Eratosthenes apud Clementem Alexandrinum [7] et ex his quidam alii. Unde sequitur, initium Olympiadum totis 23 annis, et fere 10 mensibus, præcurrere æram conditæ urbis Romæ secundum jam dictos auctores. Quot nempe anni et menses fluxerunt a solstitio æstivo anni 5 Oziæ seu Azariæ regis Juda, quo celebrata est 1 Olympias, usque ad 21 Aprilis anni 28, ejusdem Oziæ regis, quo die ponunt Urbem primo condi cœpisse. Dixi, secundum jam dictos auctores; nam quot revera effluxerint, dicam cap. sequenti.

(1) Lib. 18 de Civit., cap. 37.
(2) In Apolog., cap. 19.
(3) Lib. 27.
(4) Lib. de Natali, cap. 8.
(5) Ode 3, stroph. 2 et ib. Scholiastes ejus.
(6) Cap. 2 et Vellejus Paterculus.
(7) L. 1 Strom.

Porro usque ad Olympiadas, in Græcorum historia nihil certum, nihil exploratum reperitur, sed omnia confusis temporibus descripta sunt. Unde ex M. Varrone Censorinus [1] tria distinguit temporum discrimina. Primum ab orbe condito ad cataclysmum seu diluvium : et hoc vocat ἄδηλον, *adilon*, id est incertum et incognitum. Secundum a diluvio usque ad primam Olympiadem, quod μυθικὸν, *mythicon*, id est fabulosum, dicitur. Tertium a 1 Olympiade deinceps, quod ἱστορικὸν, *historicon* et certum appellat. Quia post Olympiadas diligentissime suis singula annis adnotabantur ut supra dixi ; neque ulla fuit exinceps temporum confusio, inquit ex Julio Africano Eusebius [2].

CAPUT XXXII.

DE ANNO, MENSE, DIE CONDITÆ URBIS ROMÆ.

De mense et die constat, nempe 11 Kalendas Majas, id est 21 Aprilis, jacta fuisse a Romulo prima Urbis fundamenta, testibus Ovidio [3], Propertio, Plinio, Tullio, et omnibus aliis. Ipsis nempe Palilibus, id est festo Palis deæ pastorum, quæ ad arcendos lupos, morbosque a pecore pellendos, et pro felici animantium partu in agris passim illo die a pastoribus colebatur, et ab hac Pale dea, Palilia, vel Parilia nomen sumpserunt.

De anno quæstio est inter Varronem et Catonem, et utriusque sequaces. Nam M. Terentius Varro, qui Fastos Romanorum consulares conscripsit, prima Urbis fundamenta jacta vult anno Iphiti 23, prope exspirante, seu anno 3 sextæ Olympiadis post bimestre finituro. Et hic calculus vulgo Varronianus appellatur.

M. Cato, qui et ipse Fastos concinnavit, jacta vult anno uno serius, nempe Iphiti 24, seu 4 anno sextæ Olympiadis. Et ut in exordio, sic et in progressu, et in Consulibus adnotandis, calculus hic Catonianus semper uno anno posterior est Varroniano.

Catoni subscribunt Clemens Alexandr. [4], Onophrius Panvinius [5], Joannes Lucidus, et quidam alii. Sed nobiliores quippe Varroni adhærent, Quinctilianus [6], Lactant. [7], M. Tullius Cicero [8], L. Calphurnius Piso, Pomponius Atticus, Vellejus, Paterculus, Plinius, Tacitus, Phlegon, Dio Cassius, Gellius, Censorinus, Plutarchus, Eutropius, Sext. Aurelius Victor, Josephus, Zosimus, Eusebius, Augustin. [9], Orosius, cardinalis Baronius, et pene omnes recentiores, qui in decursu historiarum suarum, aliorumque scriptorum, annum Urbis conditæ nonnisi 23 annis posteriorem faciunt initio Olympiadum. Romani quoque imperatores Augustus, Claudius, Domitianus, Severus, duo Philippi et Honorius in edendis ludis secularibus, centesimo quoque ab Urbe condita anno ad Varronianum semper calculum respexerunt. Neque ausim ego ab illo deflectere, præsertim cum Varroni testimonium a M. Tullio [10] tribuatur, quod nemo umquam illo doctior, neque apud Græcos, neque apud Latinos vixerit.

Dionysius Alicarnasseus et Eratosthenes volunt anno adhuc uno serius jacta illa fundamenta, nempe 1 anno 7 Olympiadis. Sed hi Græci erant, et in Græcia scripserunt: neque mirum est, non æque perspectas habuisse res Romanas, atque tot alii Romani accuratissimi scriptores, quos supra recensui. Maluit tamen Solinus Polyhistor, Diodorus Siculus (de quibus c. præcedenti), item Carolus Sigonius, et Stephanus Pighius in suis alioquin pereruditis et magno studio elaboratis Fastorum Commentariis, Dionysii Halicarnassei calculo (quas ob causas nescio) inhærere. Unde factum ut ne vel unum quidem annum seu Urbis, seu Consulum recte digesserint, et sibi ipsis subinde contradixerint.

Nos recepto passim Varroniano calculo insistamus, quo pene finiente anno Iphiti 23, jacta sunt Urbis prima fundamenta, ipsis Palilibus, quæ in 21 Aprilis tunc incidebant, ex quo dies ille quotannis exinceps habitus est natalis urbis Romanæ.

(1) Ut supra. (2) L. 10 de Præpar. Evang. (3) L. 4 Fastorum. (4) Ut supra.
(5) In Fastis suis. (6) L. 10, c. 5. (7) L. 1 Instit., c. 6.
(8) L. 5 Academ. q. (9) L. 6 de Civ., c. 2. (10) Ut supra.

Porro fundamenta illa jecit Romulus anno ætatis suæ 18 cum eclipsis esset solis jam in Tauro versantis. Ita notavit Tarrutius vetus mathematicus, uti et Plutarchus, et Dionysius Halicarnasseus, Solinus et plures alii. Quæ eclipsis indicat fuisse annum illum ante vulgarem nati Christi æram 753, cyclo lunæ 9, solis 13, epacta 2, et B littera martyrologii, Oziæ seu Azariæ regis Juda 28, a Jeroboami secundi regis Israelitici morte primum: Phul-Bel-Ochi regis Assyriorum, et Arbacis Medorum (de quibus cap. sequenti) annum 20, ante æram Nabon-Assaris (de qua c. 34) annum 6.

CAPUT XXXIII.

DE MONARCHIA ET CALCULO ASSYRIORUM, DE REGNO MEDORUM, DE TOBIA, DE JUDITH, ETC.

Assyriorum monarchia, ut dixi cap. 12 a Nemrod (qui et Belus seu Jupiter dictus fuit), inchoata anno mundi 1932, diluvii 276, ante ortum Abrahæ 43, invicta stetit in 37 regibus per annos 1302. Singulos reges, et singulorum annos et acta recenset Eusebius, et ex eo Gerardus Mercator, Augustinus Torniellus, Jacobus Salianus, Joannes Funccius et alii chronographi. Horum ultimus fuit Tonos Concoleros, Amacyndaraxis filius, Græcis Sardanapalus, luxu et mollitie sua notissimus. Hunc in urbe sua regia Ninive, anno regni ipsius 19 inchoante obsessum venerunt Arbaces Medorum rex, et Phul-Bel-Ochus Babyloniæ præfectus, ante ipsius subjectus, jam rebellis. Obsessus biennio Sardanapalus, cum effugio nullus esset locus, nolletque hostibus esse ludibrio, pyram in regiæ suæ penetralibus erexit 400 pedes altam, in eaque mensas 50 aureas, totidemque lectos imponens, se, uxorem, pellices, libros, mille auri myriades, et decem millia argenti, denique quidquid pretiosum habuit, flammis in conspectu obsidentium tradidit, quæ totos 15 dies tenuerunt, teste Athenæo lib. 12, c. 12.

Exinde divisa Monarchia

anno mundi	Oziæ regis Juda	Urbis Romæ	Olymp.	Regnum Assyriorum ex pacto cessit Phul-Bel-Ocho. Cujus regni anno 32 Manahem rex Israel factus est, et stipendiarius illi fuit, 4. Reg. 15, v. 19. Regnavit an.	48	Arbaci regi Medorum cesserunt alia vicina Mediæ et Persidi regna, quæ tenuit per annos	28
3234	9		II anno 1				
3296	Achaz 3	44	XVII anno 3	Phul-Assar ejus filius, vel Teglat-Phul-Assar	23	Mandanes, vel Medidus Eusebio,	16
				Hic anno regni sui 15, evocatus ab Achaz rege Juda contra Rasin Syriæ, et Phacee Israelis regem, venit Damascum, et occisis illis regibus, 4. Reg. 16, v. 7 et 9, etiam ipsum Achaz a quo evocatus fuerat, oppressit, ejusque terram vastavit, 2. Paralip. 28, v. 20, et Isaiæ 7, v. 17. Ex Israel vero transtulit Galaaditas, Galilæos et		Sarsomenes, Eusebio Sosarmus.	16
						Cardiceas Eusebio, Arbianes Diodoro,	5
						Præmittitur a quibusdam parens Cardiceæ Artecarmis: sed hic perpetuo bello videtur occupatus fuisse ut filio suo regnum stabiliret, neque putatur umquam solus regnasse,	

anno mundi	Achaz	Urbis Romæ	Olymp.			
				Nephthalitas in Assyriam, 4. Reg. 15, v. 29. Quæ est prima Israelitarum captivitas.		quare neque Eusebius ejus meminit. Dejoces Herodoto, Diocles Eusebio, 53
				Salman-Assar.	10	Hujus anno 16, Salman-Assar, captivos in Assyriam abduxit Israelitas; et inter alios Tobiam seniorem, jam 37 annorum cum uxore et filio septenni, Tobiæ 1.
				Hic anno suo 1, fecit sibi tributarium Osee regem Israel, 4. Reg. 17, 3. Octavo autem anno regni sui, comperto quod Osee adhæreret Sua regi Ægyptio, obsedit Samariam, eaque biennio post expugnata, reliquas etiam tribus Israel, et simul Tobiam cum sua familia transtulit in Assyriam, et confœderatam		Anno ejus 38 Tobias junior, circiter 30 annos natus, uxorem ducit Saram filiam Raguelis in Ecbatanis regia Mediæ, Tobiæ 7 et seqq. Et Tobias senior visum recuperat jam sexagenarius, Tobiæ ult. v. 3.
3314	7 inchoante	62	XXII anno 1	adhuc Mediam, ib. v. 6. Hæc est secunda captivitas Israelitarum, eductis e Babylone adhuc sibi subdita, et aliunde aliis colonis, quos misit in terram Israel, v. 24. Et hæ forsan causæ fuerunt tum Babyloniis rebellandi, tum Medis movendi bellum regi Assyrio.		Anno regni sui 53 et ultimo a Nabuchodonosore Assyrio vincitur, capitur, jaculis configitur Dejoces, alias Arphaxat, Judith c. primo.
3321	Ezechiæ 14	69	XXIII anno 4	Sennacherib anno 7 regni sui ab obsidione Jerosolymæ per angelum fugatus, 4. Regum 19, v. 35, reversus in Niniven in templo dei sui Nesroch per proprios filios jugulatus est, vers. 37, et 2. Par. 32, v. 21, et Isaiæ 37, v. 36.	7	Phraortes, Diodoro Attines, 22 Hunc dicit Herodotus subegisse Persas, cumque ulcisci vellet injurias ab Assyrio illatas Medis, occisum in obsidione urbis Ninivæ, Herod. lib. 1.
				Assar-Haddon filius Sennacherib, Josepho Asar-Acoldas, 4. Reg. 19, v. ult. Et Isaiæ 37, v. ult. regnavit solus	13	Cyaxares, alias Artabanus vel Astibaros Diodoro, Stybaris Alexandro Polyhist. Hunc Ninivem obsidere pergentem adorti Scythæ, inde depulerunt, ejusque et vicinorum Asiæ regnorum imperio potiti sunt annis 28. Tum rursus ipsi a Medis ex-
				cum filio adoptivo, vel genero potius suo, vel cognato, aliis adhuc 5. Colligitur ex textu Græco libri Judith, qui semper quinquennio præcurrit textum Latinum, v. g. annum Nabuchodonosoris 12 in Latino Græcus facit 17, annum 13 in Latino facit Græcus 18, cap. 1 et 2 Judith.		

anno mundi	Ezechiæ	Urbis Romæ	Olymp.	
				Nabuchodonosor, cognatus, vel filius adoptivus, vel gener Hassar-Haddonis, a devicto per Ben-Merodachum antecessore suo Assar-Haddone, cui si conregnarat 5 an., solus alios 13 an. regnavit, usque ad cæsum ejus ante Bethuliam exercitum cum Holoferne,
	Manassis		XXXI	Judith 15, v. 1, simul
3351	15	99	anno 2	Penultimo anno regni sui vincit, capit, jaculis configit Arphaxatum, alias Dejocem, regem Medorum, Judith v. 5 et 11, in Græco. Ecbatanam urbem et sedem regiam destruit. Quæ tamen post cæsum sequenti a. Nabuchodonosoris exercitum in Judæa cum Holoferne paullatim (Medis in libertatem reductis), instaurata fuit per Phraortem Dejocis successorem. Quinam deinceps in Ninive sederint reges prorsus incertum. Hoc certum, perpetua dissidia ipsis fuisse cum Medis et Babyloniis, qui jugum Ninivitæ jam prorsus excusserant a tempore Ben-Merodach, de quo cap. seq.; immo ex tunc Babylonii reges subinde titulum usurpabant regis Assyriorum, ut dicam c. 1 Judithæ v. 5. Donec tandem 13 anno Josiæ junctis viribus Babylonius et Medus Niniven expugnarunt et exciderunt.
	Josiæ		XLV	
3405	13	154	anno 1	
	usque		XLVI	
3413	20 an.	161	anno 4	
	Josiæ.		LV	
3448	usq. 3. excidii templi	196	anno 3	
			LV	
3449	4	197	anno 4	

pulsi liberum Cyaxari regnum reliquerunt. Qui maximis mox copiis Ninivem rursus aggreditur una cum filio suo Astyage, junctis viribus cum Nabuchodonos. sèniore seu Nabul-Assære jam tum 18 una cum patre suo imperare incipiente; expugnataque et eversa est Ninive anno 13 Josiæ, Cyaxaris 33, Nabul-Assaris cum patre regnantis secundo, a tempore Joatham regis Juda 115, inquit Josephus. Et subscribunt Herodotus, et sanctus Hieronymus: et colligitur ex Tobiæ ultimo, ut ibi dicam. Eodem anno paullo post expugnatam Ninivem, mortuus est Tobias junior anno ætatis suæ 99, quot fluxerunt a primo ann. Ezechiæ regis Juda, quo natus est Tobias, usque ad 13 annum Josiæ quo excisa est Ninive.

Cyaxares autem regnavit universum annos 30 ita Herodotus et alii.

Astyages ejus filius, Apanda Diodoro, 35 Is a Cyro nepote suo ex filia Mandane (quam Cambysi Persæ uxorem dederat) captus, teste Herodoto, et regno exutus est: Xenophon tamen dicit, morte natu-

rali illum vita excessisse. Ut ut est, excessit (ut colligitur ex Daniel 13, vers. ultim.) anno ab exusta Urbe et templo Jerosolymorum quarto et regnum Medorum annexum est sceptro Persico, anno primo regni Cyri, qui suo loco Darium Medum avunculum suum filium Astyagis, ibi regem constituit, cum quo postea Babylonem expugnavit: ita Torniellus [1], Pererius, Maldonatus, a Lapide [2], et alii ex Xenophonte [3], Josepho, S. Hier. et omnibus Græcis historicis.

CAPUT XXXIV.

DE ÆRA ÆGYPTIA ET BABYLONICA SEU CHALDÆA.

Antiquissimæ æræ Babyloniorum, quæ eadem fuit etiam omnium reliquorum Chaldæorum, adeoque et Assyriorum et Ægyptiorum, Persarum, Medorum, ceterorumque Orientis populorum, meminit Callisthenes in epistola quam ad Aristotelem avunculum et præceptorem suum dedit, citata a Simplicio Aristotelis interprete. Nam quærenti Aristoteli, cum Babylone ageret una cum Alexandro Magno, quotum annum Chaldæi tum supputarent, ab eruditis Babyloniorum instructus, per epistolam respondit, eum annum quo Alexander Babylonem occuparat, vetustissimæ Chaldæorum epochæ esse 1903. Erat autem is annus Olympiadis CXII secundus, conditi mundi 3675. A quo retro calculos reducendo, si subtraxeris 1903 annos, deprehendes, Chaldæorum epocham illam cœpisse ab anno mundi 1772 qui fuit annus a diluvio 116. Et forte natalis urbis Babylonicæ, cujus fundamenta tum jaci cœpta.

Sed fluente hac æra vetustissima, non raro accidit, ut in honorem prælustriorum regum novæ subinde epochæ apud easdem nationes instituerentur. Cujusmodi fuit apud Assyrios, æra Phul-Bel-Ochi: apud Medos, æra Arbacis, cum Sardanapalum evertissent, ut dixi cap. præced. Sed omnium clarissima fuit æra Nabon-Assaris, Babyloniorum primi regis. Cum enim Babylonia, adeoque Chaldæa universa cum vicinis nationibus omnibus ad id usque tempus paruissent regi Assyriorum, tamquam summo omnium monarchæ: et jam Phul-Bel-Ochus seu præfectus, seu sacerdos Babylonius, antiquæ pertæsus servitutis, una cum Arbace Medo mulierosum Sardanapalum throno et vita exuissent, et iste regni Medorum, ille regni Assyriorum sceptra rapuissent, vicarius Phul-Bel-Ochi præfectus Babylone relictus quidam Baladan, fretus Chaldæorum favore et potentia, excussit et ipse jugum sui domini Phul-Bel-Ochi jam in regia Ninive residentis, et monarcham agentis: et relicto privato ac gentilitio nomine Baladan, regium cum sceptro nomen assumpsit Nabon-Assar: et novam a die enthronismi sui, qui fuit 26 Februarii nostri, epocham ordiri voluit, quæ Nabon-assaræa dicta fuit, et gratissimis ubique animis excepta, non a vicinis modo, sed et ab Ægyptiis, et aliis remotioribus gentibus. Quæ cœpit finiente anno Phul-Bel-Ochi Assyrii, et Arbacis Medi 25, Oziæ seu Azariæ, regis Juda 33, a Roma condi cœpta 6, anno Iphiti 29 seu VIII Olympiadis anno 1. Ita Censorinus, Ptolemæus, Scaliger et alii. Unde æra Nabon-assaræa semper sequitur æram urbis Romæ, circiter sexennio, æram vero Olympiadum circiter 29 annis. Dico, circiter: quia cum primum hæc æra Nabon-assaræa constituta fuit, 26 Februarii nostri, ut dixi, deerant fere duo menses anno sexto Urbis complendo 21 Aprilis: et toti quatuor menses complendo 1 anno VIII Olympiadis solstitio æstivo proxime secuturo. Et quia Chaldæi atque Ægyptii carent intercalatione, et omnes annos suos solares omnino pares habent, constantes solidis diebus 365, omisso ac neglecto residuo diei quadrante illo, ex cujus collectione nos quarto quoque anno diem unum conflamus et addimus anno bissextilis; hinc fiebat, ut initium seu caput anni Nabon-assaræi (quod ipsi Θώθ, *thoth* vocant, nomine desumpto a primo mense suo quem Θώθ, *thoth* appellant) paullatim in anteriora secedens, singulis quadrienniis uno die longius deflecteret tum ab æquinoctio verno, tum a Palilibus seu æra conditæ Urbis, et consequenter

(1) In Chronol. (2) In Dan. 5. (3) Cyripædia.

etiam a solstitio æstivo, seu ab initio anni Olympici. Cum enim tempore enthronismi Nabon-Assaris, annus ejus primus inchoaretur a 26 Februarii nostri, ut dixi; post quadriennium, annus regis ejusdem quintus inchoabatur a 25 Februarii: post aliud rursus quadriennium; a 24 et sic deinceps semper in anteriora deflectens, et quidem apud Ægyptios, sine fine aut limite; adeo ut paullatim *Thoth* illorum totum annum nostrum, totumque Zodiachum circulum perambulet. Quam ob causam non immerito Vagus annus Ægyptius a Scriptoribus appellatur, cujus menses, qui hiemales fuerant, paullatim autumnales, dein temporis circumactu æstivi, mox verni quoque in orbem fiant. Et spatio 1460 annorum nostrorum, quos Julianos (quia a Julio Cæsare correctos, ut dicam c. 44) nominamus, Ægyptiis annus integer accrescit ex 365 diebus, quos spatio tanti temporis intercalare neglexerunt. Unde 1461 anni Ægyptii non faciunt nisi 1460 annos Julianos. Et secundum hunc vagum Ægyptiorum calculum Ptolemæus Ægyptius Alexandrinus, qui sub Adriano imperatore floruit, suas Observationes Astronomicas concinnavit. Chaldæi vero cum aliis Orientalibus populis, etsi pari modo negligerent intercalationem unius diei quarto quoque anno, atque ita paullatim in anteriora deflecterent, non tamen ultra mensem Februarium nostrum, vel partem ultimam Januarii umquam deflectebant: sed centesimo vicesimo quoque anno, ex neglectis tantisper intercalationum diebus mensem totum conflabant, reliquisque illius anni mensibus decimumtertium adjiciebant mensem 30 dierum: atque ita redibant tum ad prius caput.

	defunct. an.	Joatham regis	Urbis Romæ	Olymp. XIV	mundi conditi
Porro Nabon-Assar rex Babylonis imperavit annis	27	Juda 8	33	anno 4	3285
Successit parenti Merodach Baladan, filius Baladan, Isaiæ 39 vers. 1, vel, ut est in 4. Regum 20, v. 12, Berodach Baladan, qui Tolemæo, Functio Mercatore, Butingio, Emmio, et quibusdam aliis Mardokenpad. Hic munera misit et legatos ad Ezechiam regem Juda, Isaiæ 39 et 4. Regum 20 supr. Regnavit ann.	52	Manassis 1	85	XXVII anno 4	3337
Hunc dicit Ptolemæus 12 annis Babylone exactis occupasse Assyriam, quam tunc tenebat Teglat-Phul-Assar, atque inde novam æram inchoasse, totosque alios 40 annos imperasse. Quod si admittimus, dicendum, postea rursus ab eodem Teglat-Phul-Assar expulsum fuisse Merodach: nam constat ex Scripturis in locum Teglat-Phul-Assaris successisse non Babylonium Merodach, sed Assyrium Salman-Assar, 4. Reg. 17 et 18.					
Defuncto parenti suffectus Ben-Merodach, qui prævaluit Assar-Addoni, ut dicam 4. Reg. 20 in fine, universim regnavit annis		Manassis 45	129	XXXVIII anno 4	3381
De annis horum trium ita ut dixi rem se habere, testantur Eusebius, *de Præparat. Evangel.* lib. 9, Berosus apud Josephum, Metasthenes Annii, et Josephus Scaliger lib. 5. Hujus tempore contigit historia Judithæ, ut dicam in Commentario. Et verosimile est, quod Josephus, lib. 10 Antiquitatum cap. 5, insinuat, Nabuchodonosorem, Judithæ 1, v. 5, fuisse vel fratrem, vel saltem cognatum,	44				

	defunct. an.	Regis Juda	Urbis Ro mæ	Olymp.	mundi conditi
Beu-Merodachi, ab eodem suffectum devicto Assar-Addoni. Licet alii malint, ex Assyrio sanguine procreatum, ab ipso Assar-Addone, vel a primatibus Assyriis, in consortem imperii adscitum fuisse, ut dicam Judith 1, v. 5. Nabo-Pol-Assar totius Syriæ et Asiæ domitor, novam et ipse epocham Nabo-Pol-Assaream inchoavit a suo enthronismo, teste Beroso, Scaligero et aliis, anno 124 a primo Nabon-Assare. Imperavit solus annis totis cum expugnata per filium suum Nabul-Assar, seu Nabuchodonosorem seniorem, cum Ciaxare Medo urbe Ninive, monarchiam Assyriorum transtulit ad Chaldæos, filio in consortem imperii adscito, vixit adhuc 4 totis annis imperans cum filio. Vide Josephum Scaligerum: sed cave, dicenti hunc Nabo-Pol-Assarem, patrem fuisse magni Nabuchodonosoris, fidem habeas: nam teste Beroso et aliis, non fuit nisi avus illius.	25 id est usque ad an. a primo Nabon-Assare 148	Josiæ 13	154	XL V anno 1	3406
Nabul-Assar Beroso apud Josephum, aliis Nabol-Assar, vel Nabuchodonosor senior, excisa Ninive cum 1 anno monarchiæ Chaldaicæ, inchoavit (licet superstite adhuc per quadriennium parente) etiam ipse annos imperii sui, quod produxit, teste Beroso, ad ann. 29 vel, ut alii, ad 35. Sed teste Beroso, apud Josephum lib. 10, c. 11 et lib. 1 cont. Apionem solum regnavit annis antequam consortem imperii assumeret filium suum Nabuchodonosorem juniorem (cognomine Magnum) anno 4 Joakim regis Juda, Jerem. 25, v. 1, et 4. Reg. 24, vers. 12 et cap. 25, vers. 8. Hoc assumpto in socium imperii, regnavit adhuc aliis 14 annis in Babylone, dum interea filius varias expeditiones susciperet in Syria, et vicinis regionibus, ut Berosus apud Josephum, Alexander Polyhistor apud Eusebium, *Præparat. Evang.* lib. 9 sub finem, et alii testantur. Sed nota, mortuo Nabo-Pol-Assare, initio 5 anni ab excisa Ninive, Nabul-Assarem ejus filium, quia tunc solus imperare cœpit, novam quoque æram sui imperii inchoasse, anno primi Nabon-Assaris 153, qui erat Josiæ regis Juda 18. Et secundum hanc æram, Chaldæis tum familiarem (quia Babylone residebat et imperabat hic Nabul-Assar), subducit calculos suos Ezechiel propheta, dum initio primi capitis dicit 30 annum	21 usque ad an. Nabon-Assaris 169	Joakim 3	175	L anno 2	3427

	defunct. an.	reg. Juda	Urbis Romæ	Olymp.	mundi conditi
(nempe regis sui Nabul-Assaris ibi tum imperantis) fuisse annum 5 transmigrationis Joachin regis Juda. Adde enim 5 annis Joachini annos undecim Joakimi, et 14 postremos Josiæ, deprehendes, hunc 30 annum esse 18 Josiæ, ut dixi.					
Nabuchodonosor junior, dictus Magnus, gener Cyaxaris Medorum regis, imperavit annis nempe a 4 anno regni Joakim, Jeremiæ 25, vers. 1, usque ad annum 37 transmigrationis Joachin regis Juda, 4. Regum ult., vers. 27. Nam si 37 annis illis Joachin addas 8 annos posteriores regni Joakim, deprehendes præcise annos 45. Et hunc calculum sequuntur Hebræi communiter, et Græci et Latini. Unde corrigendi Berosus et Polyhistor supra citati, cum tantum 43 annos illi tribuunt. Herodotus, teste quoque Scaligero, vocat hunc Labinitum seniorem: cujus uxor fuit Nitocris decantatissima illa heroina, in cujus gratiam pensiles illos hortos maritus ejus extruxit. Fuit enim Meda, et, ni fallor, filia Cyaxaris, soror Astyagis. Quod etiam Scaliger notavit.	45 usque Nabon-Assaris 214	capti Jechoniæ 37	220	LXI anno 3	3472
Sed et hujus regis diversæ sunt epochæ. Nempe prima ab anno 22 parentis sui, quando simul cum eo cœpit imperare, nempe anno 4 Joakim regis Juda, Jerem. 25, vers. 1. Secunda statim a morte parentis sui, quæ contigit anno 35 parentis ex quo is solus regnare cœperat, id est anno 18 Nabuchodonosoris junioris una cum parente regnantis. Et hæc æra incidit in tempus captæ Jerosolymæ et exusti templi, sub finem regni Sedeciæ regis Juda. Et secundum hanc æram dicunt S. Jo. Chrysost. [1], et Theodoretus, Danielem, cap. 3, scribere, Nabuchodonosorem 18 anno regni sui fecisse statuam auream ab omnibus pro Deo adorandam. Erat enim is 18 annus regni (ut sic dicam) secundi annus secundus monarchiæ illius. A qua cœpit æra ejus tertia, nempe a propagata completaque monarchia, anno regni ejus cum parente inchoati 35 qui erat transmigrationis Jechoniæ regis Juda 27, ut habet Ezechiel, cap. 29, v. 17. Ibi enim prædicit, Ægyptum tradendam in manus Nabuchodonosoris, et quidem in mercedem servitutis qua servierat Deo adversus Tyrum. Et his consonat Jose-					

(1) Serm. de 3 pueris.

	defunct. an.	reg. Juda	Urbis Romæ	Olymp.	mundi conditi
phus, lib. 10, cap. 11, cum ait Nabuchodonosorem quinto anno post excidium Jerosolymorum, qui fuit 23 regni ejus primi, cum maximis copiis invasisse Cœlesyriam, bellasse dein contra Moabitas et Ammonitas, et his perdomitis (adde, perdomita quoque Tyro, contra quam 13 annis illum dimicasse, idem ipse Josephus ex Beroso auctor est l. 1 contra Apionem) Ægyptum hostiliter expugnasse, occisoque rege, repertos istic Judæos duxisse Babylonem captivos.					
Ergo 23 anno Nabuchodonosoris adde hos 13 annos quos subjugandis Tyriis, Moabitis, Ammonitis, et vicinis aliis impendit, habebis annum regni ejus 35 quo Ægyptum debellavit, et monarchiam stabilivit ac complevit. Ita ut 36 annus regni Nabuchodonosoris sit primus annus monarchiæ ejusdem. Et secundum hanc æram regni ejus monarchici dicit tam Daniel, cap. 2 et 4, quam Josephus supra, Nabuchodonosorem anno secundo regni sui vidisse somnium, unum de statua quadrimateriata, alterum de arbore frondosa usque ad radices exscindenda. Inde mense duodecimo post, Danielis 4, v. 26, regno ejectum, toto septennio cum feris habitasse. Quo exacto, et sanitati et regno restitutus, sed paucis post mensibus vita exutus est, ut probat Pererius [1].					
Nabuchodonosori extincto successit filius ejus (sic enim semper a Daniele vocatur) Baltassar, qui et Nabo. Isaiæ 46 v. 1, et Merodach, Jerem. 50, v. 2, et Evil-Merodach, 4. Reg. ult. v. 27, et Labonidus Beroso apud Josephum lib. contra Apionem et ipsi Josepho, lib. 11 Antiq. cap. 12, seu Labinitus Herodoto, teste quoque Scaligero. Qui primo regni sui initio eduxit Jechoniam regem Juda e carcere, 4. Reg. ult. vers. 27, et, ut colligitur ex Dan. 8, vers. 1, regnavit annis	3 usque Nabon-Assaris 217.	40	223	LXII anno 2	3475
Sed de hoc fusius cap. seq.					

(1) L. 5 in Dan. p. 25)

CAPUT XXXV.

QUANDO CŒPERINT, QUANDO FINIERINT 70 ANNI BABYLONICÆ SERVITUTIS, CAPTIVITATIS ET DESOLATIONIS: JEREMIÆ 25 ET 29, DANIELIS 9, ET 2. PARALIPOM. 36, ET 1. ESDRÆ 1.

Prima sententia. Quidam distinguunt 70 annos servitutis seu captivitatis Judæorum, a 70 annis desolationis templi et urbis Jerosolymitanæ. Et annos captivitatis cœpisse volunt vel a transmigratione Jechoniæ, 2 Paralip. ult. vers. 10, vel octennio ante, ab anno 4 Joakimi patris Jechoniæ, ibid. vers. 6, finiisse autem anno 1 Cyri, ibid. vers. 22. Annos vero desolationis templi et urbis dicunt cœpisse ab anno 11 Sedeciæ, ibid. vers. 19 et finiisse anno 2 Darii, tertii Persarum monarchæ, 1. Esdræ 6. Ita sentire videntur (sed ex aliena magis, quam sua sententia) Clemens Alexandrinus [1], Eusebius [2], Hieronymus [3], Augustinus [4], Isidorus [5] et Theodoretus [6]. Sed aperte profitentur Emanuel Sa, Joannes Mariana [7], Cornelius a Lapide [8], Sanchez, A Castro, Fernandez [9], Scaliger [10] et quidam alii [11].

Secunda sententia. Ceteri non distinguunt annos desolationis ab annis captivitatis: sed utrosque inchoant vel ab 11 anno Sedeciæ, ut Josephus [12], Julius Africanus [13], Cyrillus Alex. [14], Lactantius [15], Nicephorus Callistus [16], Freculphus [17], Beda [18], Sigonius [19], Abulensis, Torniellus [20], Adrichomius, Mercator, Tursellinus [21], Villalpandus [22], Pererius [23], Serarius [24], Salianus: [25] et ex hæreticis, Funccius, Phrygio, Kreintzheim.

Tertia sententia. Vel a cæso Joakimo, anno regni ejus 11 finiente, 4. Reg. 23, vers. 36. Vel a transmigratione Joakin seu Jechoniæ, quæ trimestri post contigit anno 8 regni Nabuchodonosoris, ibid. cap. 24, vers. 12. Ita R. Salomon apud Lyranum [26], Cajetan. [27], Genebrardus [28], Azor [29], et ex sectariis Ubbo Emmius, et Joannes Behin.

Quarta sententia. Vel octennio citius, nempe a 4 anno et prima captivitate Joakimi, 1 anno regni Nabuchodonosoris, 2. Paral. ult. v. 6, et Jeremiæ 25, v. 1. Ita Severus Sulpitius [30], Lyranus [31], Vatablus [32], Christoph. a Castro [33], Ribera [34], Gordonus [35], Barradius [36], Petavius, et ex Novatoribus Capellus et Beroaldus.

Quinta sententia. Vel denique a 13 anno Josiæ regis Juda, Jeremiæ 25, v. 2. Ita jam olim senserunt complures apud Eusebium [37], quorum tamen nomina ipse non exprimit. Et ore tenus, atque ex animi sui sententia idem tenuerunt Clemens Alexandr., Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Isidorus, Theodoretus, et alii quos citat

(1) Lib. 1 Strom.
(2) In Chron. et lib. 10 Præpar. Evang., cap. ult., et lib. 8 Demonstr.
(3) In proœmio Aggæi et in cap. 1 Zachariæ et cap. 4 Ezechiel.
(4) Lib. 18 de Civit., cap. 26.
(5) Lib. 5 Etymologiar., cap. ult.
(6) In cap. 9 Daniel.
(7) Sa et Mariana in Scholiis.
(8) In cap. 1 Zachariæ.
(9) Visione 29.
(10) L. 6 emend. temp.
(11) Et hæc recentioribus Chronologis probatior est. Confer Natalem Alexandrum diss. 3 in 6 Mundi ætatem.
(12) Lib. 1 contra Apion, et lib. 10 Antiq., cap. 11, et lib. 11, cap. 1, et lib. 20 etc.
(13) Lib. 5 Annal.
(14) Lib. 8 adv. Julian.
(15) Lib. 4 Div. Instit., cap. 5.
(16) Lib. 1, cap. 6.
(17) Tom. 1, lib. 3, cap. 17.
(18) De sex ætatib.
(19) In Sulpit. lib. 2 S. historiæ.
(20) An. mundi 3407.
(21) In Chronolog.
(22) Tom. 3, 1 p., l. 3, cap. 1.
(23) Lib. 10 in Dan.
(24) In fin. 4 Reg.
(25) Et nuperrime P. Schwarz.'*Colleg. histor.*, tom. 1, p. 278 seqq.
(26) Lib. Esdræ initio.
(27) In 2. Paral. ult.
(28) In fine lib. 1 Chronic.
(29) T. 1 Moral., l. 6, c. 56.
(30) Lib. 2 hist.
(31) In c. 1, l. 1 Esdr.
(32) In cap. 9 Dan.
(33) In c. 29 Jerem.
(34) In c. 1 Zachar.
(35) In sua Chronol., c. 13.
(36) Ad t. 1, l. 5, c. 17.
(37) Et alii sup. cit.

Pererius [1], et ego supra citavi inter auctores primæ sententiæ. Ex recentioribus idem diserte docet Henricus Samerius [2]: et probabile putat Cornelius a Lapide [3].

Porro omnes hi secundæ, tertiæ, quartæ et quintæ sententiæ auctores finiunt illos 70 annos tam desolationis, quam captivitatis, cum 1 anno monarchiæ Cyri. Unde quo serius vel citius initium illorum figunt, eo plures paucioresve annos ab excidio templi et urbis Jerosolymitanæ usque ad initium monarchiæ Cyri, pro commodo vel placito singuli suo disponunt, ut præcise compleant numerum 70 annorum.

Porro quænam ex his sententiis, quæ propter tantorum virorum auctoritatem omnes probabiles sunt, præferenda videatur, paucis conclusionibus aperire conabor, non tam asserendi quam disputandi studio.

I. Conclusio. Certum videtur, 70 annos tam desolationis quam captivitatis et servitutis Judæorum, finem cepisse, non anno 2 Darii Hystaspis, tertii Persarum monarchæ, sed anno 1 monarchiæ Cyri, qui una cum Dario Medo expugnata Babylone, et Baltassare ultimo Chaldæorum monarcha occiso, monarchiam Chaldæis transtulit ad Persas, et statim primo initio suæ monarchiæ relaxavit captivitatem Judæorum, et remisit quotquot redire vellent in Judæam. Patet ex ultimis verbis l. 2 Paralipomenon, et primis lib. 1 Esdræ, ubi Judæi dicuntur *servisse Chaldæis usque dum complerentur 70 anni, et donec imperaret rex Persarum. Anno* enim *primo* monarchiæ *Cyri regis Persarum, ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ* (nota singula verba) *suscitavit Dominus spiritum Cyri*, etc. Deinde Jeremias illo ipso c. 25, quo toties et tam acriter captivitatem, servitutem et desolationem illam inculcat, v. 12, expressis verbis dicit, Deum tum demum excisurum Babylonium regem et populum, cum impleti fuerint 70 anni servitutis et solitudinis terræ, de quibus ante egerat. Ergo non possunt 70 anni isti extendi ultra excisam Babyloniam anno 1 monarchiæ Cyri regis Persarum.

II. Conclusio. Hinc sequitur, non esse distinguendos 70 annos desolationis templi vel urbis Jerosolymitanæ, ab annis 70 captivitatis vel servitutis Judæorum: nec duo statuenda principia, nec duos terminos quasi duplicis septuagenariæ calamitatis Judaicæ a Prophetis prædictæ. Quia Prophetæ nusquam illos distinguunt.

Dices Zachariæ 1, v. 12, angelus anno 2 Darii Hystaspis dicit: *Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est.*

Respondeo, Forsan hæc verba non assertorie, sed interrogatorie legenda sunt (ut legunt quædam correctoria Biblia Plantiniana), et per modum admirationis exponenda, sic: Istene est septuagesimus annus libertatis Judaicæ, a Jeremia c. 25, et Dan. c. 2, prædictus? q. d. Non solum 70 anni, sed 80, et quod excurrit, jam lapsi sunt, et necdum finis est miseriarum. Licet enim jam a decennio redierint nonnulli e Babylonia in Judæam, tot tamen ærumnis hic affliguntur, ut satius pene esset, eisque optabilius mansisse in Babylonia. Ita Albertus, Hugo, Lyranus et Mariana in eum locum. Et vero etiam Hebræa et Græca et Chaldaica interrogatorie legunt, et connectunt cum verbo: *Iratus es*, q. d. Nondum misereberis eorum quos jam 70 annis iratus afflixisti? Sed demus, assertorie legendum esse; non aliud significant, quam terminum afflictioni Judæorum præstitutum a Deo, jam effluxisse, et quidem jam pridem, nempe ab excisa Chaldæorum monarchia per Cyrum 11 abhinc anno. Justum ergo esse, ut Deus misericordiam suam impertiri quidem cœptam sub Cyro, sed invidorum malevolentia toto Cambysis tempore suspensam, ipse jam potenti dextera prosequatur, et vel invitis hostibus, urbem templumque instaurari faciat.

III. Conclusio. Verisimilius videtur, ab anno 11 Sedeciæ, quo excisum est templum et urbs Jerosolymitana, usque ad annum 1 monarchiæ Cyri, non fluxisse 70, vel 60, vel 52 annos, ut volunt auctores priorum quatuor sententiarum, sed solum 30 annos, ut supponit quinta sententia.

Probatur primo, ex 4. Esdræ 3, v. 1 et 29, item c. 9, v. 44, ubi semper trigesimi anni ruinæ civitatis, neque ulterioris umquam anni meminit: et c. 10, v. 27 *civitas* Jerosolymitana *ædificabatur* anno trigesimo ruinæ suæ: nam de hoc loquitur. Et quamvis liber iste canonicus non sit, longe tamen majoris est auctoritatis quam

(1) In c. 9 Dan., v. 2. (2) In Chronol. (3) In Jerem. 29, v. 10.

profanæ historiæ Titi Livii, Curtii, Sallustii, Josephi, et similium. Citatur quoque a SS. Patribus Ambrosio [1], Cypriano [2], Basilio [3], Hieronymo [4], Irenæo [5], Tertulliano [6], Isidoro [7]. Immo et S. Joan. apost. sæpe [8] ad hunc librum alludere videtur. Et Ecclesia nonnumquam sententiis inde depromptis utitur etiam in Missa [9].

Probatur secundo, ex canonicis scripturis, ex quibus constat, ut cap. præcedenti exposui, Nabuchodonosorem Magnum non regnasse universim nisi 45 annis ex quo una cum parente suo regnare cœpit anno 4 Joakim regis Juda, Jerem. 25, v. 1. Nam anno 1 transmigrationis Jechoniæ, Nabuchodonosor jam regnabat anno 8, ut dicitur 4. Reg. 24, v. 12; Jechonias vero, ut habetur cap. 25, vers. 27, e carcere eductus est, mortuo jam Nabuchodonosore, ab Evilmerodac ejus filio et successore, anno 37 transmigrationis suæ jam finiente. Unde cum 8 anni superadditi annis 37, faciant 45, consequens est, Nabuchodonosorem non regnasse nisi annis 45. Et hæc est etiam sententia antiquorum Hebræorum. Atqui annus 11 Sedeciæ, quo excisum est templum et urbs Jerosolymitana, erat 19 annus regni Nabuchodonosoris, 4. Reg. 25, vers. 8. Ergo ab excisa urbe et templo, non supersunt ex regno Nabuchodonosoris nisi 27 anni. Et filius ejus ac successor Baltassar nonnisi 3 annis imperavit, ut ex cap. 5 Danielis colligitur, et Hebræi tradunt [10], neque Scriptura uspiam meminit aliorum intermediorum regum, usque ad cædem Baltassaris per Cyrum: ergo ab excisa urbe et templo, usque ad Cyrum non fluxerunt nisi 30 anni.

Probatur tertio. Daniel cum rege Joakim, anno regni ejus 4 abductus est Jerosolymis Babylonem, Daniel 1, v. 1, utique decem ut minimum annorum: ergo si exinde fluxerint 70, 80, vel 88 anni, quot ponunt isti auctores priorum 4 sententiarum, jam imperante Cyro et Dario fuisset Daniel pene centenarius. Atqui tantus senex non fuisset a Dario præpositus 120 satrapis, Danielis 6, v. 1, ut Darium regem sexagenarium, cap. 5, v. ult., sublevaret ipse pene centenarius. Similiter Mardochæus cum Jechonia rege Juda translatus est, Estheræ 2, v. 5. Ergo si tot inde anni fluxerunt, jam centenarius fuerit, vel centenario major, quando ab Artaxerse tot imperiorum gubernaculis loco Amanis admotus fuit, Estheræ 8, v. 15. Simili modo Esdras [11], filius Sarajæ pontificis in excidio urbis capite plexi: et tot alii ex Judæis *Levitæ, et principes patrum, et seniores*, qui sexto anno Darii Hystaspis tertii Persarum monarchæ *flebant*, cum viderent, *secundum templum* non respondere magnificentiæ et splendori *prioris templi* a Nabuchodonosore exersi, *quod* etiam *ipsi* oculis suis *viderant*, omnes centenariis majores fuerint oportet: cum tamen constet, vix ullos ea mundi ætate ad tantam senectutem devenisse.

Probatur quarto, ex profanis historiis. Nam si spectes reges Medorum et Persarum; ab initio regni Astyagis qui una cum patre suo Cyaxare 13 anno Josiæ regis Juda expugnavit et excidit regiam Assyriorum urbem Niniven, ut dixi c. 33, usque ad initium Cyri Persarum regis, qui devicit Astyagem, non reperies nisi 35 annos Astyagis, et septem quibus cum Cyaxare patre suo regnavit, id est 42, quibus adde 27 regni Cyri in Perside prius quam Babylonem expugnaret et monarcha fieret, non habebis nisi 69 annos, a 13 Josiæ usque ad primum annum monarchiæ Cyri exclusum. Si reges Lydorum; inter Halyatten patrem Crœsi, una cum Astyage Medo Niniven, eodem anno 13 Josiæ expugnantem, et ipsum Crœsum nullus alius rex intercessit: et tamen post necem adhuc Cambysis, ipso initio Darii Hystaspis erat Crœsus etiam tum in vigore ætatis, teste Herodoto, lib. 1, et aliis. Si reges Ægypti; habes Vaphrien, qui multis annis teste Scriptura regnavit certavitque cum Nabuchodonosore Magno: et tamen filia Vaphries tempore Cambysis, cum et ipse expugnaret Ægyptum, erat adhuc juvencula, seu, ut Herodotus initio lib. 3

(1) L. de Bono mor. (2) Ad Demetriam. (3) Epist. ad Chilonem.
(4) Lib. contra Helvidium. (5) L. 3 contra Hær., c. 5. (6) L. de Habitu mul.
(7) Lib. 6 Etymol., c. 1.
(8) Apoc. 6 alludit ad c. 4 hoc vv. 35, 36 et ad c. 15, v. 8; Apoc. 12 cum c. 9 hic, v. 38; Apoc. 13 cum 15 et 16 hic, etc.
(9) In introitu Missæ, feria 3 Pentecostes utitur sententia c. 2 hic, v. 36, etc.
(10) In Seder-olam.
(11) 1. Esdr. c. 3, v. 12, et c. 7, 1, et 4. Reg. ult., v. 18 et 21, et Aggæi 2.

loquitur, puella, quam Cambyses pro suis deliciis expetebat. Quæ omnia certo convincunt, non potuisse a morte Nabuchodonosoris Magni usque ad initium Persicæ monarchiæ, nisi paucos admodum annos effluere.

Probatur quinto, ex æra primi Nabon-Assaris, infallibili, ni fallor, indice istorum temporum, de qua egi cap. præced. Nam Ptolemæus (cui nemo fidem facile negabit) lib. 5 Almagesti c. 14, dicit annum 5 Nabo-Pol-Assaris regis fuisse 127 a primo rege Nabon-Assare; septimum vero annum Cambysis fuisse 225 ab eodem Nabon-Assare. Ergo inter utrumque illum annum non habes nisi 98 annos intermedios. Hos colliges, si placet, ex cap. præced. ex ultimis 21 annis ejusdem Nabo-Pol-Assaris, ex 21 Nabul-Assaris, ex 45 Nabuchodonosoris Magni, ex 3 Baltassaris, ex 3 monarchiæ Cyri, ex 5 Cambysis quibus solus regnavit, ut dicam c. 37. Deprehendesque nec unum quidem annum superesse qui tribui possit tot aliis regibus, Niglissari, Lab-Assardacho, et a Baltassare distincto Evilmerodacho, et nescio quibus aliis, qui forte regnarunt in Babylonia, vel vicinis regnis tamquam vicarii Nabuchodonoris perpetuo bello foris distenti. Sed auctores priorum 4 sententiarum illos inter Nabuchodonosorem et Baltassarem medios faciunt, et singuli singulis plures paucioresve annos adscribunt pro placito suo, ut lacunam 70 annorum captivitatis et desolationis Judaicæ, citius vel serius, prout quisque statuit, saltem in speciem compleant et posset idem simili modo etiam ex annis Olympiadum, et conditæ Romæ, si necessum esset, comprobari.

Probatur sexto, auctoritate SS. Patrum, quos pro hac conclusione proferre possumus e primis et nobilissimis, S. Augustinum, S. Hieronymum, Clementem Alexandrinum, et tot alios supra citatos in prima et quinta sententia. Et licet primæ sententiæ auctores in initio et fine 70 istorum annorum statuendo dissideant ab auctoribus quintæ sententiæ, tamen in eo conveniunt, non fluxisse nisi 30 annos ab excidio templi et urbis Jerosolymitanæ anno 11 Sedeciæ, usque ad annum 1 monarchiæ Cyri. Et quia hic nonnisi 30 annos reperiunt, propterea plerique ad supplendum suum septuagenarium, 40 annos alios exinde conquirunt usque ad 2 annum Darii Hystaspis, quo volunt desolationi Judaicæ finem demum impositum fuisse. Sed de hoc, conclusione sequenti agemus.

Dices, Jeremiæ 27, v. 7 dicitur, quod Judæi et vicinæ gentes servient Nabuchodonosori, et filio ejus, et filio filii ejus. Ergo Nabuchodonosori plures successerunt quam unus Baltassar.

Respondeo, Nego consequentiam, si de Nabuchodonosore Magno sit sermo, de quo solo nos loquimur. Nam Jeremias loquitur de Nabuchodonosore seniore seu Nabol-Assare, cujus filius erat Nabuchodonosor junior, postea dictus Magnus. Patet id ex initio ejusdem cap. 27, ubi dicit, se hæc locutum fuisse *in principio regni Joakim filii Josiæ regis Juda.* Atqui in principio regni Joakim regnabat Nabol-Assar seu Nabuchodonosor senior, et quidem solus: nam anno demum 4 regni Joakim socium et collegam regni sui accepit filium suum Nabuchodonosorem juniorem, ut habetur Jeremiæ 25, v. 1. Alioqui, cum mortuo jam Nabol-Assare, et imperante solo Nabuchodonosore juniore, mentio ejusdem rei sit in Scripturis, non amplius dicitur, *servituros Nabuchodonosori, et filio ejus, et filio filii ejus:* sed simpliciter, *Nabuchodonosori et filio ejus Baltassari,* v. g. anno 23 Nabuchodonosoris, seu anno 5 post excisum templum et urbem Jerosolymitanam, Baruch 1, v. 2 et 11. Judæi in Chaldæa captivi petunt ut oretur *pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, et pro vita Baltassar filii ejus;* et v. 12: *Ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor regis Babylonis, et sub umbra Baltassar filii ejus.* Licet enim plures essent Nabuchodonosoris filii (nam 2. Paralip. ult. v. 20 dicitur, *Ut serviant Nabuchodonosori et filiis ejus):* Baltassar tamen solus nominatur, quia primogenitus, et designatus jam tum a parente successor in imperio. Cur enim alioqui tot alii principes, si qui intercurrere debuerunt, silentio oppressi fuissent? Immo, qui ausus fuisset, tot aliis neglectis, unum nominare Baltassarem, et quidem totis 21 annis antequam parens e vivis excederet? Quo argumento, ni fallor, etiam de novo comprobatur, alium neminem præter unum Baltassarem Nabuchodonosori Magno successisse: ac proinde nonnisi 30 annos inter excidium templi et monarchiam Cyri intercurrisse. Confirmatur, quia Danielis 5, Baltassar facile septies vocatur *filius* Nabuchodonosoris,

vel Nabuchodonosor *pater* Baltassaris. Idem videre est Baruch 1, v. 11, et aliis locis, ut bene notat Cornelius a Lapide in illum locum Danielis.

Dices secundo, Scriptura dicit, servitutem Judæorum sub Nabuchodonosore, item desolationem ac solitudinem terræ Judaicæ, cum sibilo et stupore vicinorum, duraturam totis 70 annis.

Respondeo, Nego assumptum. Nam non aliter id de Judæis prædicit, quam de aliis vicinis Judææ populis, Ammonitis, Moabitis, Cœlesyriis, Tyriis, Ægyptiis, etc. nam omnes hos pari modo dicit servituros Nabuchodonosori, et in stuporem, in sibilum, in solitudinem futuros 70 annis, et quidem ante excidium Babylonis. Jerem. 25, a v. 9 usque 12, et a 18 usque 27. Atqui certissime constat ex omnibus historiis tum sacris, tum profanis, plerosque istorum populorum diu post excidium templi et urbis Jerosolymitanæ subactos fuisse a Chaldæis, et paucis tantum annis subjectos illis fuisse: Ægyptios v. g. vix 13 annis, Tyrios vix 14 vel 15, reliquos circiter 24, vel paullo pluribus annis, teste Josepho [1], immo Jeremia [2] et Ezechiele prophetis [3], et aliis scriptoribus. Ergo neque de Judæis potest illud de 70 integris annis, vi istorum verborum convinci. Sensus itaque Scripturæ est, decursu 70 annorum, quibus duratura erat divino decreto monarchia Chaldæorum, omnes illos populos subigendos et exscindendos a Chaldæis, sed quosdam citius, quosdam serius, prout res ferret et occasio: neque ante liberandos a Chaldæorum servitute, quam desineret imperium Chaldæorum, quod totis 70 annis duraturum erat.

Dices tertio, isti 70 anni a Prophetis et passim ab Interpretibus vocantur servitutis et desolationis Judaicæ, ac vicinorum populorum; non vero solius imperii monarchici Chaldæorum. Ergo volunt, calamitatem illam durasse totis 70 annis.

Respondeo, Nego cons. Nam ut tales vocentur, sufficit quod desolatio et servitus iis saltem ex parte coexstendatur, non requiritur vero ut totis respondeat. Unde tales numeri non debent simpliciter ut sonare videntur, exponi, sed ut ordinem ad aliud initium designant. Nempe *septuaginta anni* desolationis, ut idem sit quod *septuagesimus annus*, non ab inchoata desolatione, sed ab inchoata Chaldæorum monarchia. Simili phrasi Genesis 15, v. 13, dicit Deus Abrahæ: *Semen tuum peregrinum erit; et subjicient eos servituti, et affligent 400 annis:* id est, usque ad 400 annum ab illa prædictione: nam certum est, posteros Abrahæ non fuisse afflictos in Ægypto, nisi ultimis 92 annis, ut dixi cap. 17. Simili modo, ut ibid. dixi, Exodi 12, v. 40 dicitur, *habitatio filiorum Israel in Ægypto fuisse 430 annorum*, id est usque ad 430 annum a promissione Abrahæ facta, Genesis 12. Nam constat, a descensu Jacobi cum suis in Ægyptum non fluxisse nisi 215 annos usque ad egressum Israelitarum ex Ægypto. Sic denique Isaiæ 7, v. 8, dicitur destruendum regnum Israeliticum post 65 annos, non inchoandos; tunc enim id Isaias inculcaret regi Achaz, sed ab initio suæ prophetiæ, ut dicam ibid. et supra in hoc chronico c. 29, Oziæ anno 25.

IV. Conclusio. Ab anno 1 monarchiæ Cyri quo relaxata fuit Judæorum captivitas (ut probavi prima conclusione), usque ad 2 annum Darii Hystaspis non fluxerunt anni 40, ut Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Clemens Alexandrinus, Isidorus, Theodoretus, et alii quidam supra pro prima sententia citati supponunt, sed ut summum anni undecim, ut patebit infra ex c. 37.

Dices, Ex omnium chronologorum sententia Cyrus regnavit totis 30 annis: his adde 8 Cambysis, et duos Darii Hystaspis, exsurgent anni 40.

Respondeo, Cyrus ab initio regni sui privati in Perside, regnavit 30 annis. Sed illo initio regni sui Persici non cepit Babylonem, neque relaxavit Judæos (ut vult Eusebius cum aliis jam citatis); nam tunc procul adhuc aberat Babylone, et regnum ejus erat admodum humile, neque dominabatur Judæis. Sed hæc demum facta ab ipso Cyro, finiente jam 27 anno regni sui Persici, quando expugnata cum avunculo suo [4] Dario Medo Babylone, et occiso Baltassare, ultimo Chaldæorum rege, monarchiam in se transtulit. Nam ex illo tempore nonnisi tribus annis supervixit: quibus adde sex Cambysis annos quibus a morte Cyri regnavit (nam ex octo annis, quot ei tribui solent, duobus cum patre suo Cyro adversus Scythas tum movente, regnavit),

(1) L. 10 Antiq., c. 11. (2) Cap. 43 et seqq. (3) Cap. 29, 30, etc.
(4) Vide cap. 33 in fin. in Astyage.

et duos Darii; non reperies nisi 11 annos. Confirmantur hæc ex unanimi chronologorum consensu, qui initium 30 annorum Cyri ex quo in sola Perside cœpit regnare, desumunt ab Olympiade 55, et quidem ab anno 4 ejusdem Olympiadis. Ita Eusebius [1] ex Diodoro Siculo, Polybio, Thalicastore et aliis: ita etiam Justinus [2], Cicero [3] et alii pene omnes. Cambysis vero 7 annum ex quo cum parente, seu quintum ex quo solus regnare cœpit, faciunt Nabon-Assaris annum 225, teste Ptolemæo et aliis chronologis, qui fuit Olympiadis 64 annus 2, ut omnes fatentur. Unde constat, ab initio regni Persici Cyri usque ad quintum Cambysis non fluxisse nisi 35 annos, quot nempe fluxerunt a 4 anno Olympiadis 55 usque ad annum 2 Olympiadis 64, seu ab anno Nabon-Assaris 191 usque ad 225 ejusdem. Ex his de Cyro 27 annos pro regno Persico; non supererunt nisi tres pro monarchia ejusdem, si quinque ultimos Cambysi consignes. Porro Cambysen non nisi uno insuper anno imperium protraxisse, atque ita nonnisi sex universim annis patri superstitem regnasse, patet tum ex historiis, tum ex simili Olympiadum et Nabon-Assaris annorum subductione. Nam 20 annum Darii Hystaspis successoris Cambysis idem Ptolemæus et alii chronologi pariant cum anno Nabon-Assaris 246, et 3 anno Olympiadis 69. Ergo ab anno 5 Cambysis usque ad 20 annum Darii non numerant nisi 21 annos, ex quibus si 20 des Dario, non relinquetur Cambysi nisi unus annus reliquus, qui sextus et ultimus illi fuit a morte Cyri.

V. Conclusio. Decimustertius annus regni Josiæ est quadragesimus ante annum 11 Sedeciæ. Nam, ut dixi c. 29, Josias regnavit annis omnino 31. Ergo a 13 supersunt ex ejus vita anni 19. His adde 11 annos Joakim, et 10 Sedeciæ, reperies præcise 40 annos. Neque de hoc numero, certis clarisque Scripturis confirmato ullum dubium est apud Chronographos. Sequitur ergo ex omnibus jam dictis

VI. Conclusio. Exordium 70 annorum servitutis, captivitatis, ac desolationis Judaicæ, a nullo commodius, quam a 13 anno regni Josiæ accersi posse videtur. Nam cum finem acceperint non cum secundo anno Darii, ut docet quarta conclusio, sed cum primo anno monarchiæ Cyri, ut constat ex prima conclusione: nec distingui possint anni desolationis ab annis servitutis, ut probavi secunda conclusione: et retrogradiendo ab anno 1 monarchiæ Cyri usque ad excidium templi et urbis Jerosolymitanæ, non reperiantur nisi 30 ut tertia conclusio demonstrat: ab excidio vero templi et urbis retro quadragesimus annus sit 13 Josiæ, ut dixi quinta conclusione; non videtur aliunde quam a 13 Josiæ anno exordium 70 istorum annorum accersi posse.

Confirmatur. Quia ipsemet Jeremias, c. 25, v. 3, diserte affirmat, se jam inde a 13 anno Josiæ, virgam regiam seu sceptrum aquilonare, id est Chaldaicum, et ollam quam inde succendi, id est, flammas bellorum quas cum excisa regia Assyriorum urbe Ninive, e Babylonica fornace erumpere viderat eodem anno 13 Josiæ (Jeremiæ 1, vv. 2, 11, 13), ex eo, inquam, tempore se eamdem virgam et ollam perpetuo Judæis inculcasse et minatum fuisse, semper hanc cantilenam Judæis occinuisse, sed frustra: propterea se jam iterum post 23 annos, nempe anno 4 Joakim (c. 25, vv. 1 et 3) jussu Dei serio denuntiare, sceptrum et ollam illam non esse alium quam Nabuchodonosorem Babylonium monarcham (v. 9), cui decursu istorum 70 annorum tunc inchoatorum, traditi sunt puniendi et exscindendi non modo Judæi, sed et omnes vicini populi, Moabitæ, Ammonitæ, Syri, Tyrii, Ægyptii, ut dicitur sequentibus versibus ejusdem capitis. Ubi vero puniti omnes et excisi fuerint, et completi 70 anni iis puniendis et excidendis destinati, tum demum (v. 12) etiam hanc ipsam virgam aquilonarem, seu monarchiam Chaldæorum, alia Persica potentiore succedente, eversum et excisum iri. Et in his serio inculcandis pene totum librum suum impendit Jeremias et aliquot alii Prophetæ.

Videat lector, an huic sic subducto calculo possit acquiescere: nam ego quæ dixi, non nisi disputandi gratia proposui: et quia nusquam firmius me pedem figere posse sentiebam, gratissimum acciderit si quis in re obscura vel paullo plus lucis attulerit.

(1) Lib. 10 de Præpar. Evang., cap. 2 et 3, et de Demonstr. l. 8, c. 2.
(2) Lib. 1. (3) De Divinat. lib. 1.

CAPUT XXXVI.

QUINTA MUNDI ÆTAS

Ab initio monarchiæ Persarum, et relaxata per Cyrum captivitate Judæorum, 1. Esdræ 1, usque ad adventum Messiæ, et incarnatum Filium Dei, duravit annis totis 525.

	usque ad an. mundi
Nempe monarchia Persica duravit annis	
teste Eusebio, Diodoro Siculo, Herodoto, Justino et Dionysio Halicarnasseo, qui l. 1 scribit, regnum Persarum non ultra 200 annos in rerum fastigio permansit, ex quo per Cyrum expugnata Babylone, ad illud fuit evectum. Et omnes consentiunt monarchiam Persarum desiisse anno 3 Olympiadis 112, qui concurrit cum anno conditæ Romæ 424 et Nabon-Assaris 418 adhuc fluente. Jam vero ex iis quæ cap. præcedenti dixi [1], constat Cyrum, expugnata Babylone, monarchiam suam Persicam inchoasse anno Nabon-Assaris 218 (nempe 8 anno, ante 5 annum Cambysis a morte Cyri imperantis), id est anno conditæ Romæ 224, Olympiadis 62 anno 3. Ubi præcise habes 200 annos intermedios. Sic Ptolemæus [2], a regno Nabon-Assaris usque ad mortem Alexandri Magni computat annos 424. Ergo usque ad excisam per Alexandrum monarchiam Persicam sexennio ante mortem vult fluxisse 418 annos ab initio Nabon-Assaris, ut jam dixi: ergo. Idem palam fiet ex calculo annorum quibus singuli Persarum reges monarchiam tenuerunt, cap. seq.	200	3675 inclusum
Devicto Dario Codomanno, Persarum ultimo monarcha, per Alexandrum Macedonem, anno regni ejus septimo inchoante, cœpit monarchia Græcorum, et duravit usquo ad extinctam ictu aspidis Cleopatram ultimam Ægypti e sanguine Græcorum reginam, prima Augusti anni 16 Juliani, undecim mensibus post Actiacam Augusti victoriam, anno Urbis conditæ 724, Nabon-Assaris 718 adhuc fluente. Duravit ergo annis		
nempe per Olympiades 75 ab anno 3 Olympiadis 112 usque ad annum 3 Olympiadis 187. Ita diserte affirmat Cedrenus in Compendio, Censorinus [3] et Halicarnasseus [4], et idem tenent Copernicus, Ptolemæus [5], Eratosthenes apud Clementem Alexandr. lib. I Stromatum. Dio, Josephus et accuratiores quique chronologi, qui conformiter docent, regnum Ptolemæorum a morte Alexandri usque ad initium monarchiæ Augusti, extinctis Antonio et Cleopatra, stetisse annis 294. Quibus si addas 6 ultimos Alexandri annos, quibus a morte Darii et excisa Persica monarchia, ipse monarcha vixit, reperies omnino annos 300. Porro Eusebius, Beda, Ado, Hermannus Contractus, Marianus Scotus et Conradus in Chronicis, et Pererius lib. 11 in Danielem, etsi a morte Alexandri usque ad extinctam Cleopatram numerent annos 295, non tamen repugnant huic nostro calculo, quia ipsi includunt annum mortis Alexandri, quem nos excludimus, ne bis in numerum veniat. Sed neque dissentit Nicephorus Callistus, l. 1 Hist. c. 6, quando tantum numerat 293 annos: nam hic non in morte Cleopatræ, ut oportuit, sed uno anno citius, puta in Actiaca victoria, terminat regnum Pto-	300	3975
	500	

(1) Concl. 4, 9 Confirm. (2) Lib. 3 Almagesti, cap. 8.
(3) De die natali Urbis, cap. 21. (4) Lib. 1. (5) Ut sup.

		500	usque ad an. mundi
lemæorum. Vide Dionem, l. 51. Porro rotundus ille 300 annorum Græcæ monarchiæ numerus clarius certiusque innotescet ex annis singulorum regum tum Syriæ, tum Ægypti, tum Macedoniæ, tum Judææ, de quibus infra cap. 39, 40, 41.		—	
Extincta cum Cleopatra, ultima Ptolemæorum regina, monarchia Græcorum, cœpit cum Augusto monarchia Romanorum: e qua fluxerunt anni		25	4000
usque ad adventum Messiæ et incarnatum Filium Dei 25 Martii anni 41 Juliani, seu principatus Augusti a nece Julii Cæsaris, 40, Urbis conditæ 749; si illi anno conceptum et natalem Christi affigere placuerit. Sed hoc exactius inquiremus infra c. 47.		—	
		525	

CAPUT XXXVII.

SERIES REGUM SECUNDÆ ORBIS MONARCHIÆ, NEMPE PERSARUM, QUÆ A CYRO POST OCCISUM BALTASSAR ULTIMUM CHALDÆORUM REGEM, USQUE AD ALEXANDRUM MACEDONEM POST DEVICTUM DARIUM CODOMANNUM ULTIMUM PERSARUM MONARCHAM, DURAVIT ANNIS INTEGRIS 200.

Cyrus filius Cambysis Persæ, et Mandanes filiæ Astyagis regis Medorum, regnavit quidem totis 30 annis, ut Tullius [1], Clemens Alexandrinus [2], Justinus [3], Eusebius [4], Jeronymus [5], Orosius [6], Severus Sulpitius [7], Beda [8] et alii testantur, sed prioribus 27 nonnisi Persarum rex fuit, ut iidem scribunt, et dixi cap. 35 post conclusionem quartam. Extorsit quidem Astyagi avo suo materno regnum Medorum, sed tamen ipse sibi illud non usurpavit: nam Dario Medo consignavit, qui forte fuit Harpagus, qui odio Astyagis coronam regni Medici Cyro procurarat. Cui et Babylonicum postea sceptrum cessit, Daniel. 5 vers. ultimo: immo collegam imperii habuisse videtur, ex Daniel. 6 vers. ultimo.	
A capta Babylone, ut dixi c. 35 supra, non fuit monarcha nisi annis [9] et initio anni primi solvit captivitatem Judæorum, 2. Par. ult. in fine, et 1. Esdræ 1, v. 1.	3
Cambyses Cyri filius, duobus ultimis Cyri annis una cum parente, in Scythas (a quibus et cæsus est) abeunte, imperavit: unde octennio a quibusdam imperasse dicitur. Sed a morte Cyri nonnisi sexennio supervixisse, probavi cap. 35 supra [10]. Ergo.	6
Hunc Esdras, c. 4, v. 6, Assuerum vocat, vv. 7 et 8 Artaxerxen. Quæ nomina fuisse communia omnibus regibus Persarum, testatur Herodotus, et dixi in Prolegomenis de idiotismis num 19. Hic instaurationem templi a Cyro permissam inhibuit, 1. Esdræ 4, v. 23.	
Post Cambysem Smerdes Magus 7 mensibus imperavit. Sed hi ejus successori	
	9

(1) L. 1 de Divinat., ex Dionysio rerum Persicarrm scriptore.
(2) Lib. 1 Strom.
(3) Lib. 1.
(4) In Chronic.
(5) In c. 1 Zach. et c. 7 Daniel.
(6) Lib. 2, cap. 7.
(7) Lib. 2 sacræ Histor.
(8) Lib. de sex ætatib.
(9) Septem tamen annos post captam Babylonem regnasse Cyrum communior est hodie sententia. Vide Usserium.
(10) Et hoc pauci hodie admittent; Cambysem enim a morte patris regnasse septem omnino annos et menses quinque cum Herodoto sentiunt doctissimi quique.

	9
Dario Hystaspis filio adscribuntur, qui his connumeratis regnavit annis [1]	37

Fuit hic maritus Estheræ, ut dicam initio commentarii in Esther. Anno secundo regni sui potestatem Judæis fecit, intermissam templi fabricam repetendi et perficiendi, l. Esdræ 6, v. 7, etc. Eodem anno vidit Mardochæus somnium suum, Esther 11, v. 2. Tertio anno repudiavit Vasthi, Esther 1, v. 3, etc. Septimo anno Esther coronatur, c. 2, v. 16. Nono vel decimo anno deteguntur insidiæ eunuchorum, v. ultimo. Anno 12 jaciuntur sortes quibus exploretur quo die Judæi omnes jugulandi essent, cap. 3, v. 7. Et in fine anni 13 die ultimi mensis loco Judæorum jugulati sunt hostes illorum, cap. 8, v. 12 et cap. 9, v. 1, etc., suspenso prius Aman cum sua familia, cap. 7, v. 10 et cap. 16, v. 18.

Xerxes parenti succedit, quocum fere biennio regnarat. Solus postmodum alius | 20

De Xerxe, et tribus præcedentibus prophetavit Daniel c. 11, v. 2. Hunc putant quidam fuisse Artaxerxen illum qui Esdram cum nova Judæorum colonia remisit Jerosolymam anno regni sui septimo, l. Esdræ 7, vv. 1, 8, etc. Ita Josephus l. 11 Antiq. c. 5. Quo eodem teste, Xerxes anno 5 regni sui in Græcos expeditionem movens, et Hellespontum trajiciens, secundo mense ante Olympiadem 75, ut Herodotus et Thucidides [2] scribunt, ob ancipitem belli aleam, sibi collegam assumpsit, et se absente vicarium in Perside constituit Artaxerxen Longimanum filium suum. Qui propterea ab hoc anno 5 parentis, initium sui imperii inchoare subinde solet, ut fusius patebit cap. sequenti: ubi docebo, Nehemiam ab hoc Artaxerxe anno regni ejus, ex quo cum parente regnare cœperat, 20 missum in Judæam, urbis Jerosolymæ muros instaurasse, et toto triennio plateas, domosque tum publicas, tum privatas exædificasse, atque anno 23 ejusdem, completa urbis et templi fabrica, solemniter omnia dedicasse: ac proinde, initium 70 hebdomadum Danielis ab hoc illius anno 23 qui solius jam a morte paterna regnantis octavus erat, arcessendum esse. Ergo Xerxe per Artabanum militiæ præfectum occiso, et Artabano per Artaxerxen jugulato,

Artaxerxes ὁ μακρόχειρ seu Longimanus, præter 16 annos, quos cum patre in imperio transegerat, a morte patris imperavit alios annos	40
Darius filius Nothus Longimani	19

Huic Ægyptii, resumptis aliquando viribus, rebellarunt.

Duo menses quibus Xerxes, et octo quibus Sogdianus imperarunt, partim Darii Nothi, partim Artaxerxis Mnemonis annis includuntur.

Artaxerxes Mnemon, Darii filius	43
Darius Artaxerxes Ochus, qui denuo subjugavit Ægyptum	23
Arses vel Arsames ejus filius	3
Darius Arsamis filius, Codomannus Justino, regnavit ancipiti fortuna annis	6

Septimo anno ab Alex. Macedone vincitur, imperio spoliatur, et Persicæ monarchiæ finem imponit, de quo Danielis 11, vv. 3 et 4.

	200 [3]

(1) Triginta sex expletis. (2) Lib. 1 Belli Peloponnesiaci. (3) 206.

CAPUT XXXVIII.

DE INITIO ET FINE 70 HEBDOMADUM DANIELIS C. 9, VV. 25, 26, 27.

Per has 70 hebdomadas annorum designari 490 annos non lunares, ut Julius Africanus [1], Rupertus, Torniellus, Pererius, Gordonus, Salianus et quidam alii putarunt: sed solares et communes, quales tunc passim in usu erant, optime probant Lyranus et Cornelius a Lapide in eum locum, et Alphonsus Salmeron [2] et Franciscus Suarez [3] et Galatinus [4] et alii passim.

Porro ex verbis illis, *Occidetur Christus*, et *in dimidio hebdomadis*, scilicet ultimæ, *deficiet hostia et sacrificium*, etc. satis manifestum est, finem 70 hebdomadum istarum cum passione Christi, vel saltem paullo post concurrere, ut omnes sani interpretes explicant, et ostendam in Commentario illius loci: et certius patebit ex stabilito semel certo initio earumdem 70 hebdomadum, de quo est omnis quæstio.

Primo, Lyranus, Burgensis, Vatablus, Galatinus et quidam alii, secuti Hebræos, volunt inchoandas esse ante captivitatem Babylonicam, ab anno vel 4, vel 11 Sedeciæ.

Secundo, S. Hippolytus, teste S. Hieronymo, inchoat illas ab anno 20 captivitatis Babylonicæ.

Tertio, Origenes, teste eodem S. Hieronymo [5], et Tertullianus [6] inchoant uno anno ante monarchiam Cyri.

Quarto, Clemens Alexandrinus [7], Jo. Mariana ab anno primo Cyri et Darii Medi.

Quinto, Eusebius [8] et Cyrillus Jerosolymitanus [9] a secundo Darii Hystaspis. Item Driedo [10], Corn., Jansenius [11].

Sexto, Severus Sulpitius [12], quem sequitur Scaliger [13], a Dario Notho, quem Ochum ipse vocat.

Septimo, Cedrenus [14], Cornelius a Lapide [15], et ex Novatoribus Helvicus, Bucholzerus, Capellus, Funccius, Angelocrator [16], a septimo anno Artaxerxis Longimani, quo Esdram lib. 1, c. 7, v. 8, dicunt e Perside Jerosolymam repetiisse.

Octavo, Julius Africanus [17], Theodoretus, Rupertus, Carthus. [18], Beda [19], Comestor [20], Zonaras, Antoninus [21], Pererius, Torniellus, Gordonus, Salianus et multi alii, ab anno 20 ejusdem Artaxerxis a morte Xerxis solitarie imperantis, quo anno putant Nehemiam urbi perficiendæ extremam manum imposuisse, 2. Esdræ 1 et 2.

Nono, quidam alii, inquit Suarez [22] (neque ipse omnino improbat), ab anno 32 Artaxerxis initium desumunt.

Ratio una omnium est, quia tunc temporis (ut singuli opinantur) exiit sermo de Jerosolyma restauranda, nempe vel divina promissio hac de re, v. g. per os Jeremiæ prophetæ, c. 29, ut ajunt auctores duarum priorum sententiarum: vel edictum, regium eadem de re, ut ceteri affirmant.

I. CONCLUSIO. Initium istarum 70 hebdomadum non potest desumi a tempore quo de Jerosolyma restauranda divinitus facta fuit promissio. Nam cum hæc facta fuerit variis vicibus, et temporibus valde distantibus, non posset ullum inde certum indicium desumi. Nam et per Isaiam c. 44, v. 26, et c. 45, v. 13, et per Jerem. c. 27,

(1) Lib. 5 Annal.
(2) T. 1, proleg. 43.
(3) In 3 p., tom. 1, disp. 1, sect. 2.
(4) Lib. 4, c. 14.
(5) In cap. 9 Dan.
(6) Lib. contra Judæos
(7) Lib. 1 Strom.
(8) Lib. 8 de demonstr.
(9) Catech. 12.
(10) Lib. 3 de dogmat. c. 5 p. 4.
(11) In cap. 122 Concordiæ.
(12) Lib. 2 hist.
(13) Lib. 6 de Emend. temp.
(14) In Compendio, in Artaxerxe pag. 119.
(15) In 9 Dan.
(16) In suis chronic.
(17) Lib. 5 Annal.
(18) In 9 Dan.
(19) Lib. 3 in Esd. c. 16 et de Ratione temp. c. 7.
(20) In hist. Daniel. c. 10.
(21) L. 1 p. Chron. tit. 3, c. 8.
(22) In 3 p., disp. 1, sect. 2.

v. 22 et c. 29, v. 10, et per Baruch c. 2, v. 34 et c. 4, v. 23 (ut jam de Daniele et aliis sileam) facta fuit illa promissio. Et quidem facta fuit plus quingentis, Jeremiæ et Baruch plus 600, Isaiæ plus 800 annis ante Christi mortem; quæ tamen in medio 70 hebdomadis, id est sub finem 490 annorum hic a Christo subeunda prænuntiatur.

II. Conclusio. Neque desumi potest a tempore quo de eadem urbe restauranda regium aliquod edictum emanavit. Nam et hoc variis vicibus accidit, et temporibus valde distantibus.

Primo enim Cyrus audito oraculo Isaiæ (supra citati) quo non templum modo, sed et urbem Jerosolymitanam a Cyro nominatim instaurandam pene ducentis ante annis prædixerat, extemplo ut id fieret edixit, ut ex fine lib. 2. Paralip. et initio Esdræ colligitur: et cap. 4, l. 1, Esdræ v. 13 diserte asseritur, Judæos reipsa urbem Jerosolymam vi edicti Cyri ædificare. Et idem affirmant Josephus [1], Julius Africanus [2], Eusebius [3], Basilius Seleuciensis [4] et alii complures.

Secundo, idem concessit Darius Hystaspis anno regni sui secundo, ut satis colligitur ex l. Esdræ 4, 5, 6. Sed clarissime 3. Esdr. 4, vv. 43 et seqq. dicitur rex Zorobabeli deposcenti ut votum quo in die natali regni sui voverat se reædificaturum Jerosolymam et templum, facto ipso compleret, benigne annuisse, regioque rescripto ita fieri jussisse; et eo viso rescripto Judæos omnes ingenti gaudio exultasse, versu ultimo. Eadem testantur Josephus [5], Clemens Alexandrinus, Eusebius et Cyrillus supra citati.

Tertio, idipsum rursum concessum Esdræ, anno Artaxèrxis 7. Denique et Nehemiæ, anno ejusdem Artaxerxis 20. Nam l. Esdræ 7, vv. 7 et seqq. dicitur, Artaxerxes præter ingentes opes, omnem quoque petitionem cordis elargitus fuisse Esdræ. Quid vero poterat magis cordi esse Esdræ, quam ut quidquid adhuc ad templi et urbis fabricam deesset, explere confestim liceret? De Nehemia ex toto libro ipsius, seu lib. 2 Esdræ, certius idem est, quam ut in dubium vocari possit, aut ab aliquo vocetur. Itaque non potest ex aliquo horum regum edicto certum aliquod initii 70 hebdomadum indicium desumi.

III. Conclusio. Sed initium desumi debet ab ædificata plene et instaurata prorsus urbe Jerosolymitana. Quando perfecta omni fabrica, Nehemias celebravit dedicationem novæ urbis, et conglobati in unum Judæi *immolaverunt victimas magnas*, 2. Esdr. 12, v. 42, *et lætati sunt lætitia magna: et audita est lætitia Jerusalem procul.* Sed quam procul? *Renuntiatum est regi Persarum*, inquit auctor lib. 2 Machabæorum c. 1, v. 33. Et ut addit ibidem v. 31, cælitus cohonestatus est ille dies famoso illo miraculo, quo, cum *Nehemias* sacerdos *jussisset lapides* altaris *aqua crassa perfundi, flamma ex eis accensa est, sed ex lumine quod refulsit ab altari, consumpta est.* Possetne certius, evidentius, et omnium oculis magis expositum totoque orbe celebrius indicium illo tam celebri, tot signis notato dedicationis die vel animo exoptari, ad rem, de qua agimus, indicandam? Porro ne cui dubium esse possit, an solemne hoc et cælesti igne decoratum sacrificium, fuerit illud quod in die dedicationis a Nehemia oblatum est, subditur c. 2, v. 9, Nehemias *obtulit sacrificium dedicationis et consummationis templi* simul et urbis, *et descendit ignis de cælo*, etc. sicut olim *Moysi, Salomoni*, et aliis acciderat.

Verba quoque Danielis [6] hunc sensum non admittunt tantum, sed et pene extorquent. *Scito*, inquit, *et animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades 7 et 62 erunt: et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum*, etc. Audin' initium hebdomadum desumendum non ab initio, sed *ab exitu* seu fine *sermonis*, non quo promittatur, jubeatur aut permittatur ædificari, sed quo reipsa *iterum ædificetur Jerusalem*: ædificetur, inquam, non inchoate tantum (quomodo factum tempore Cyri et Darii Hystaspis): sed completive (ut contigit sub Nehemia), perfecto scilicet et *muro* civitatis, et *templo* et *platea*, seu foris omnibus et publicis ædificiis: neque enim potest ante civitas perfecte dici *ædificata*. Verbum igitur *Exitus*, ut in Latino est, et ἔξοδος, ut in Græco, et *Mitza*, ut in Hebræo; verba item, *Ædificabitur platea et muri*, hunc sensum omnino deposcunt. Nam quod *sermo* pro *re*, phrasi linguis illis usitata, poni consueverit, nemo ausit in dubium revocare.

(1) Lib. 11 Antiq. c. 1. (2) Lib. 5 de temp. (3) Ut supra.
(4) In apodixi contra Judæos. (5) Lib. 9 Antiq., c. 4 et 5. (6) Dan. 9, v. 25.

IV. Conclusio. Urbs Jerosolymitana plene demum ædificata atque integre instaurata fuit anno Artaxerxis Longimani non 20, quo Nehemias murum urbis instauravit: sed 23, quo completis interioribus quoque operibus, publice solemniterque dedicationem celebravit. Neque enim inchoandis 70 hebdomadibus satis fuit, *murum* seu extima mœnia urbis instaurata esse, sed insuper etiam *plateæ* (ut ait Daniel) cum ædificiis saltem publicis, et civium usibus atque habitationi necessariis, instauratæ esse debebant. Atqui Nehemia ipso teste, lib. 2 Esdræ c. 7, vv. 1 et 4: *Postquam ædificatus est murus* urbis, *et positæ valvæ, civitas erat lata nimis et grandis, et populus parvus in medio ejus, et non erant domus ædificatæ.* Unde paullatim prospectum ut e vicinis undique locis et sacerdotes cum levitis, et de decem una saltem pars in urbem commigraret, ut dicitur cap. 11; et ut principes nobiliorum familiarum de suo, et populus quoque quantum posset et vellet, in commune conferrent ærarium, quo publica urbis opera, fora et plateæ instaurarentur, c. 7, v. 70. Et instaurata fuisse de facto per Nehemiam, constat ex verbis Ecclesiastici 49, v. 15: *Nehemias erexit nobis muros eversos, et stare fecit portas et seras, erexit domos nostras.* Triennium vero, ut minimum, tanto operi impensum fuisse, tum moles tanti operis clamat, tum Josephus aperte scribit, dum Nehemiam ait 25 anno ab exordio regni Xerxis Jerosolymam pervenisse, murumque urbis instaurasse, sed 28 demum anno (id est triennio post) dedicationem urbis et encænia celebrasse. Quod Josephi [1], Judæi et Christianis infensissimi tam clarum testimonium in re tanti momenti, Judæis tantopere controversa cum Christianis, in favorem Christianorum, in exitium Judæorum, quis vel per umbram suspicari possit aut velit confictum ab ipso, vel studio suppositum fuisse? Beda [2], etsi triennium non exprimat, nihilo tamen brevius spatium indicat, cum ait: *Jam dudum ædificata erat civitas, sed nondum decebat eam dedicari.* Et Glossa [3]: *Non decebat civitatem dedicari priusquam habitatoribus aggregati ministri, templo idonei, et portis ac vestibulis custodes essent deputati.* Deputavit vero hos omnes, perfectis jam urbis operibus Nehemias, c. 11 et 12, lib. 2 Esdræ. Ac tum demum solemnem simul tum muri, tum templi, tum interioris urbis dedicationem, de qua præcedenti conclusione, publice peregit, c. 12, v. 27 usque 44, quo etiam mensis et dies dedicationis exprimitur, nempe *sextum expiationis*, quod incidebat in 10 diem 7 mensis Tisri, qui nostro partim Septembri, partim Octobri respondet.

V. Conclusio. Ille 20 annus Artaxerxis, quo Nehemias e Perside Jerosolymam excurrit et murum urbis instauravit, non est 20, ex quo a morte parentis sui Xerxis solus imperium administravit, ut volunt auctores octavæ sententiæ, sed est 20 ex quo ipse vivente adhuc parente suo Xerxe, simul cum eo regnare cœpit, cum Xerxes ingentem illam adversus Græcos expeditionem susciperet, anno regni sui quinto (ut dixi cap. præced. in Xerxe): et consequenter, 23 ejusdem Artaxerxis annus, quo Nehemias solemnem urbis dedicationem celebravit, est 23 ex quo simul cum Xerxe primum imperare cœpit, qui est annus a morte Xerxis, ex quo solus imperavit Artaxerxes, 8. Neque enim Xerxes regnavit nisi 20 annis. Si ergo sub medium quinti anni ipsius cœpit una cum illo imperare Artaxerxes, utique 23 Artaxerxis annus ex quo cum parente cœpit, concurret cum 8 anno ex quo post mortem parentis solus imperavit. Et probatur ex Josepho jam ante citato, qui dicit, annum 20 Artaxerxis (quo 2. Esdr. 1, v. 1, et c. 2, vv. 1 et 11, Nehemias dicitur e Perside missus Jerosolymam), esse 25 ab exordio regni Xerxis, et triennio post fuisse celebrata encænia urbis anno 28 ab eodem exordio ejusdem Xerxis. Et Josepho ad verbum subscribit Basilius Seleuciensis [4], qui idcirco etiam ab illo anno 28 regni Xerxis, 79 hebdomadum Danielis initium deducit. Subscribunt reipsa etiam Cedrenus, Cornelius a Lapide, et alii supra pro 7 sententia citati, qui 70 hebdomadum initium ab anno 7 jam finito Artaxerxis a morte patris solitarie regnantis accersunt, ita ut 8 annos incipiant anni Danielis. Nam 28 annus ab initio regni Xerxis est 8 annus Artaxerxis a morte Xerxis jam solitarie imperantis. Et his valde faveret Esdras lib. 1, cap. 7, v. 8, ubi dicit se Jerosolymam e Perside secundo rediisse anno 7 Artaxerxis, si constaret, Artaxerxem illum fuisse nostrum μακρόχειρα seu Longimanum: nam quod septimus

(1) Lib. 11 Antiq., c. 5.
(2) Lib. 3 exposit in Esdram c. 33.
(3) Glossa ordin. in Esdram.
(4) In apodixi contra Judæos.

ille annus fuerit ipsius a morte Xerxis solitarie regnantis, ultro tum concedemus. Sed illud dubium reddit, ætas Esdræ justo provectior tum futura, nempe 103 annorum, etsi daremus eum, in morte parentis sui Sarajæ a Nabuchodonosore tempore excidii Jerosolymitani ferro jugulati, 4. Reg. ult., vv. 18 et 21, maternis adhuc visceribus conclusum et posthumum fuisse: tot enim, nec pauciores anni fluxerunt ab excidio urbis usque ad 7 annum Artaxerxis Longimani solitarie imperantis. Verum ut de Esdra res habet, volunt illi nobiscum, initium 70 hebdomadum ab 8 anno Artaxerxis solitarie regnantis accersi. Solum ergo superest, ostendamus, unum eumdemque annum esse hunc 8 Artaxerxis solius, cum 23 ejusdem ex quo simul cum parente cœpit imperare, quo anno liquet ex 2. Esdræ 1, 2 et seqq. capp. Nehemiam urbi perficiendæ extremam manum imposuisse, et encænia celebrasse, ut supra dixi. Ut vero id ostendamus, abunde ex omnium adversariorum sententia fuerit, si certis et exploratæ fidei auctoribus probare possimus, Artaxerxen non a morte demum patris, sed multis ante annis una cum patre imperium administrasse. Nam si id semel constiterit, omnes facile admittent, id cœptum fieri anno 5 regni Xerxis, quando periculosam illam belli adversus Græcos aleam subiit, et more Persis ceterisque Orientalibus regibus usitatissimo, collegam tum et successorem in imperio filium adscivit. Porro certos et exploratæ fidei in rebus Persicis, Græcisque auctores nemo, credo, inficiabitur Thucydidem [1], his de quibus nunc agimus σύγχρονον, Charontem Lampsacenum, Phaniam, Eratosthenem, Ephorum, Dinonem, Clitarchum et Heraclidem, quos citat et laudat Plutarchus [2]; Athenæum [3] item, Ciceronem [4], Eusebium [5], Hieronymum [6], Æmilium Probum [7], Philostratum [8], Suidam [9], Strabonem [10], Diodorum Siculum [11], S. Antoninum [12]; ut Sigon. [13], Mercatorem [14], aliosque recentiores sileam. Atqui omnes isti dicunt, Themistoclem inclytum Atheniensium ducem, cum a suis ingratis civibus capitis condemnatus esset, in Asiam ad Artaxerxem μακρόχειρα Xerxis filium jam tum in Perside imperantem, velut ad asylum confugisse, ab Artabano militiæ præfecto ad Artaxerxen introductum, regem more patrio veneratum fuisse, et ab eo Lampsacum dono accepisse: sed paullo post hausto veneno sibi ipsi mortem conscivisse. At iidem fugam hanc Themistoclis adscribunt alii 13, alii 14 anno Xerxis, 77 Olympiadis anno 1, mortem anno 2. Vicenis annis, inquit Cicero [15], post mortem Coriolani. Atqui constat ex Livio [16], Halicarn. [17], Plutarcho [18] et aliis, mortuum Coriolanum anno circiter primo 73 Olympiadis, Coss. Sp. Nautio Rutilo et Sex. Furio Medullino. Constat item, fugienti Themistocli Athenis suffectum in ejus locum Periclem, anno 1 Olympiadis 77, ut ex Athenæo colligere est. Atqui supervixisse tum et imperium administrasse Xerxen nemo negare potest, cum ex omnibus pene jam citatis auctoribus in confesso sit apud omnes, Xerxen anno 5 imperii sui adversus Græcos movisse et Hellespontum trajecisse, cum vix duo menses superessent ante Olympiadem 75. Post illud vero tempus totis aliis 15 annis supervixisse atque imperasse, donec anno primo 79 Olympiadis ab Artabano militiæ præfecto interemptus fuit, Artabano quoque mox ab Artaxerxe cædem patris ulciscente protinus interfecto. Ab adventu igitur Themistoclis in vivis adhuc et in imperio fuit Xerxes totis 8 minimum annis; nempe quot ab initio 77 usque ad initium 79 Olympiadis effluxerunt. Idem, si opus esset, probare possem ex simili fuga Timagoræ ad eumdem Artaxerxen: idem ex annis Hieronis, Gelonis et Thrasybuli regum Siciliæ, hoc ipso tempore fugæ Themistoclis, et imperii Xerxis, ut Athenæus et ex Stesimbroto Plutarchus, Diodorus, Aristoteles [19] et Pausanias [20] scribunt. Sed in re certa ac manifesta non ausim esse prolixior.

(1) Lib. 1 Belli Peloponn. (2) Charon., Phanias etc. apud Plutarch. in Themist. (3) Lib. 5.
(4) In Bruto, et lib. 10 Epist. ad Attieum, epist. 6.
(5) In Chronic. (6) Initio cap. 11 Dan.
(7) In vita Themistocl. (8) Lib. 1, cap. 19.
(9) In Themistocle. (10) Lib. 14.
(11) Lib. 11. (12) 1 p. hist., tit. 4, c. 1, § 14.
(13) In tempor. Atheniensium. (14) In Anteloquio Chronol.
(15) In lib. de Amicitia et Bruto. (16) Lib. 2.
(17) Lib. 8. (18) In Coriolano.
(19) Lib. 5 Politic., cap. 12. (20) Lib. 6 Eliacorum.

VI. Conclusio. 23 annus ex quo simul cum Xerxe primum imperare cœpit Artaxerxes μακρόχειρα, seu annus 8 ex quo solus imperavit, seu 28 ab exordio regni Xerxis, concurrit cum anno 4 Olympiadis 80 et urbis Romæ 297. Et ab hujus anni mense 7 Tisri sumitur initium 70 hebdomadum Danielis. Est auctorum pro 7 sententia citatorum, insuper Basilii Seleuciensis: et favet Chrysostomus [1]; et quoad rem plerique alii id tenent, saltem qui *baptismum Christi* cum *S. Luca* consignant *anno 15 Tiberii Cæsaris*, quando Christus a Patre cælesti ductor et doctor populi proclamatus est, et finem accepit 69 Danielis hebdomas; id est, anni 483. Nam 15 annus Tiberii concurrit cum 3 anno Olympiadis 201 et Urbis 780. Jam subduc calculos, et reperies intermedios 483 annos ab 8 Artaxerxis solius, ad 15 Tiberii.

Porro 70 et ultima hebdomade confirmavit Christus pactum seu fœdus suum (puta novum testamentum), cælesti sua doctrina, legibus ac miraculis; et in medio hebdomadis 70, hoc est, anno ab instaurata plene Jerosolyma 487, anno 2 Olympiadis 202, urbis Romæ 783 occisus est Christus, defecit hostia et sacrificium legis veteris, successit sacrificium legis novæ, loco vitulorum et agnorum substituto sacrosancto corpore et sanguine Christi in sacrificio eucharistico. Denique tribus et dimidio post Christi mortem annis finem accepit 70 hebdomada, seu anni 490 Danielis. Et quadrant hi calculi ad amussim, ut patet numerari volenti. Unum hic noto, et finio. Divina providentia tot præcise annos ab igne cælitus dato Nehemiæ in dedicatione urbis Jerosolymæ, usque ad descensum Spiritus sancti in Apostolos in specie ignis die Pentecostes fluxisse, nempe 486 cum medio; quot fluxerant a die olim missi primum de cælo ignis Moysi totique populo in promulgatione legis ex monte Sinai, Exodi 19, usque ad eumdem ignem cælitus quoque Salomoni datum in dedicatione templi sui, anno 11 regni sui mense octavo, 3. Regum 6, vers. 37, et 2. Paral. 7. Nam is erat annus 486 cum medio a data lege in Sinai, 3. Regum 6, vv. 2 et 37 [2].

CAPUT XXXIX.

TERTIA MONARCHIA, QUÆ FUIT GRÆCORUM, AB INITIO ANNI 7 ALEXANDRI MAGNI, QUO VICTUS FUIT DARIUS, USQUE AD ANNUM 1 MONARCHIÆ AUGUSTI, QUÆ CŒPIT, EXSTINCTIS ANTONIO ET CLEOPATRA, 11 MENSE POST ACTIACAM VICTORIAM, AUGUSTO IV ET M. LICINIO CRASSO COSS. STETIT ANNIS 300.

AB ANNO 3 OLYMPIADIS 112 (PER OLYMPIADES 75 INTEGRAS) USQUE AD 3 ANNUM OLYMPIADIS 187.

AB ANNO URBIS ROMÆ CONDITÆ 424 USQUE 724.

AB ANNO NABON-ASSARIS 418 USQUE 718, UT SUPRA DIXI C. 36.

Series Ptolemæorum Aegypti regum

Alexander Macedo, a devicto Dario Codomanno Persarum ultimo monarcha, supervixit in summo rerum fastigio adhuc integris annis 6

mortuus anno 1 Olympiadis 114, Urbis 480, Nabon-Assaris 424, inquiunt Ptolemæus, Plutarchus et alii, 4 Kalend. Quintiles, seu 28 Junii. Successit ei in regno Ægypti

Ptolemæus Lagi ante gregarii militis filius, dictus *Soter*. Ab hoc omnes exinceps Ægypti reges nomen assumpserunt *Ptolemæi*, ut ante *Pharaonis*. Hic multa Judæorum millia in Ægyptum captiva abduxit. Et de hoc prophetat 6

(1) Orat. 2 contr. Judæos.

(2) De hac quæstione, ne longior sim, consule Petavium *de doctrina temporum*, Natalem Alex. diss. 2 *in 6 mundi ætatem*, Ayroli librum LXX hebdomadum Danielis *resignatum* cum animadversionibus Tourneminii, Jaquelotium *de veritate et Inspiratione sacrorum librorum*, t. 1, c. 17 ac passim Theologos.

(3) Lib. 12 Antiquit. et aliis.

6

Daniel c. 11, v. 5, ubi et consequenter de reliquis, ut explicat Pererius l. 13 in Danielem. Imperavit annis 40

Ptolemæus Philadelphus ejus filius, a morte patris (cum quo regnarat biennio) regnavit annis 38

Hic ex Judæis in Ægyptum a parente suo captivis abductis libertate donavit centum viginti millia. Idem ipse missa legatione ad Eleazarum Oniæ primi filium, summum pontificem Judæorum, petiit ab illo et obtinuit 72 Interpretes, qui sacra Biblia ex Hebræo in Græcum transtulerunt, teste Josepho et aliis.

Ptolemæus Evergetes illius frater, sic dictus ob restituta Ægyptiis idola, quæ Cambyses in Persidem avexerat, et ob alia beneficia iisdem collata Seleucum Callinicum, ejusque filium Cera unum Syriæ reges bello superavit. 26

Tot, nec pluribus annis regnasse constat ex Chronicis Eusebii, Mariani et aliorum, item ex Strabone.

Ptolemæus Philopator, per antiphrasin sic dictus: nam patrem occidit et matrem, et fratrem et sororem, et uxorem, captus illecebris Agathocleæ meretricis, noctes in stupris, dies in conviviis absumebat, inquit Justinus l. 29, et 30. De hoc prophetat Daniel c. 11, v. 10, sub nomine regis Austri: quia Ægyptus est ad meridiem Judææ. 17

Ptolemæus Epiphanes ejus filius accepit in uxorem Cleopatram filiam Antiochi Magni Syriæ et Asiæ regis, quam Daniel c. 11, v. 17, vocat *filiam feminarum*, id est formosissimam: a qua deinceps omnes reginæ Ægypti nomen Cleopatræ sumpsisse videntur. Regnavit totis 23

Ptolemæus Philometor ejus filius natu major ex Cleopatra, variante fortuna regnavit annis 35

Tot illi annos tribuunt Clemens Alexand., Eusebius, Tertullianus, Isidorus, Basilius Seleuciensis, Beda, Ado, Hermannus Contractus, Honorius, Nicephorus, Marianus Scotus, etc. contra Jo. Azor. l. 6 *Instit. Moral.*, qui solum 25 annos ei attribuit.

Paullo post obitum Epiphanis cœpit schisma, cujus etiam meminit Livius l. 45, primatibus Ægypti, 2. Machab. 4, v. 21 in Philometorem insurgentibus, et loco illius substituentibus Evergeten seu Phisconem fratrem Philometoris natu minorem. Hac occasione Antiochus Epiphanes Syriæ rex specie ferendæ opis Philometori, suo ex sorore nepoti, ejusque in regnum restituendi, semel iterumque suscepit expeditionem in Ægyptum, 2. Machab. 4, v. 21, et lib. 1, v. 17. Sed vera causa erat, ut regnum Ægypti suo Syriæ regno adjungeret. Unde et Justinus scribit lib. 34 Antiochum Epiphanem expulisse Ptolemæum Philometora: atque hunc ad Phisconem fratrem suum fugisse Alexandriam: et participato cum eo regno, legatos una misisse ad senatum Romanum. A quo missus Pub. Popilius Lænas cum videret cunctari Antiochum, virga eum circumscripsit; jubens non prius exiret illo circulo, quam responsum senatui daret, an pacem vellet an bellum. Qua asperitate territus Antiochus paruit Romanis, et fratres Ptolemæos in pace degere permisit. Sed mox iram in Judæos evomuit, 1. Machab. 1, v. 21. Post aliquot annos iterum Philometor a Phiscone regno pulsus, iterum missis legatis restitutus, hac lege, ut Ægypto Philometor, in Cyrenis Phiscon præesset. Ita auctor Epitomes historiæ Livii lib. 46. Hujus Philometoris permissu Onias Oniæ 3 pontificis filius, teste Josepho lib. 12 Ant., c. 6, et l. 13, c. 6, tempore Antiochi Epiphanis e Judæa in Ægyptum profugus, templum ibidem in Heliopolitana regione celeberrimum et Jerosolymitano æmulum construxit, in gratiam Judæorum in Ægypto degentium: quod a nomine auctoris ὀνεῖον, a loco Heliopolitanum dici consuevit: stetitque usque ad tempora Vespasiani, cujus jussu anno uno post excisum templum Jerosolymitanum, istud quoque Ægyptium funditus eversum est,

185

cum stetisset annis circiter 233, quot effluxerunt a 18 anno Philometoris, non vero 333, ut vitiose legitur in Josepho lib. 13 sup., et lib. 7 Belli, cap. 30. Hujus quoque templi meminit Deuter. 12, v. 17. Erant ergo hoc tempore Judæis tria per orbem nobilissima templa, *Jerosolymitanum, Garizitanum* [1] *et Heliopolitanum.* Cumque inter Judæos et Samaritas aliquando lis exoriretur de templi suæ sanctitate et religione, Ptolemæus Philometor, teste Josepho, l. 13, cap. 6, Judæis ex successione pontificum Jerosolymis numquam interrupta, causam adjudicavit, magno Samaritarum detrimento, immo et sanguine. Denique cum Ptolemæus Philometor Alexandro genero suo regnum Asiæ perfide tentat eripere, 1. Machab. 11, v. 1, subito moritur anno regni Græcorum 167, ibid., v. 18.

Ptolemæus Evergetes, qui et *Phiscon* Josepho et Straboni, post mortem fratris regnavit annis

Dicebatur filius, frater et maritus Cleopatræ, quæ ut genuerat utrumque, utrique etiam nupserat. Unde cum ipsa pulso semel filio sola regnaret, Phiscon proprium utriusque filium membratim dissectum et cystæ impositum, matri die ejus natali inter epulas apponi jussit. Vide Justin. lib. 38 et 39 et Epitomem Livii lib. 59.

Ptolemæus Lathuri, Epiphanio Soter, Evergetis filius 16

Ptolemæus Alexander frater Lathuri, una cum matre, quæ Lathurum expulerat, 10

Lathuram ob matris tyrannidem revocatus, regnat iterum aliis annis 8

Ptolemæus Auletes pater Cleopatræ ultimæ ex Ptolemæis Ægypti reginæ. Regno pulsus Romam fugit, regnante interim filia ejus Berenice. Universim annis 30

Ptolemæus Dionysius filius ejus, sed puer: omnia administrante sorore ejus Cleopatra: 5

submerso Dionysio, et fratre ejus natu minore minus ad regnum idoneo, sceptrum tenuit sola

Cleopatra, M. Antonii Trimviri amoribus tota implexa, annis 17 donec apud Actium primo (4 Nonas Sept. teste Dione l. 51, id est, 2 Sept. Augusto 3 et M. Valerio Messala Coss. anno 15 Juliano) dein 11 post mense rursus apud Pharum (die 1 Augusti, Augusto 4 et M. Licinio Crasso Coss. anno 16 Juliano) victo extinctoque Antonio, ne ipsa in potestatem C. Cæsaris Augusti viva veniret, aspidis (ut fertur) morsu interiit: et Alexandria, totaque Ægyptus Augusto victori cessit. Qui ex eo tempore monarchiæ suæ, id est Romanæ, initium fecit, 1 Augusti, anno Nabon-Assaris 718, Urbis conditæ 724, Olympiadis 187 anno 3.

Porro de Ptolemæis regibus vide Strabonem l. 17, Epiphanium, Eusebium, Justinum, Bedam, et nostrum Pererium in Danielem lib. 13 [2].

(1) De quo Eccl. 50 et hujus Chronici, cap. 42, classe 2 in Manasse.

(2) Paullo aliter Usserius Ptolemæorum annos digerit; sed fere eodem reddit summa annorum quibus universum hoc regnum stetit.

CAPUT XL.

Series regum Syriæ

Alexander Macedo, jam a cæso Dario, monarcha, supervixit annis 6

Eo seu crapula, seu veneno Babylone extincto, duces ejus ceu catuli leonum monarchiam in varias partes distraxere. Ptolemæo Ægyptus cessit: Seleuco Asia major, seu Syria et Babylonia: Antigono minor Asia: Arideo et Antipatro (quasi tutoribus Alexandri junioris, alterius Alexandri monarchæ ex Roxane filii) Macedonia cum bona parte reliquæ Græciæ, obvenit.

Seleucus æram novam inchoavit non ab initio sui imperii, seu a morte Alexandri Magni, sed 12 annis et 8 mensibus post mortem Alexandri, in fine anni Urbis 442 et anni primi Olympiadis 117 (teste Ptolemæo [1], Josepho [2], Diodoro [3], Appiano [4], Eusebio [5], Hieron. [6], Ottone Frisingensi [7], et Rabano [8]) a mense primo Nisan, qui nostro fere Martio respondet. Forte quia illo anno et mense Seleucus, devicto Antigono minoris Asiæ rege, imperium totius Asiæ sibi vindicavit. Vocantur hi anni *Seleucidarum*, vel *regni Græcorum*, vel *Macedonici*, et ab Ægyptiis *Alexandræi:* quibus utitur liber primus Machabæorum, et fere Judæi in Judæa degentes, unde et *Judaici* a quibusdam vocantur. Sesquianno serius incipiunt anni vulgo dicti *Antiocheni* vel *Syriaci* (forsan a reditu Seleuci triumphali ex Asia minore jam subacta in Asiam majorem seu Syriam) Ptolemæo [9] *Chaldaici*, vel *secundum Chaldæos*: aliis *Syro-Chaldaici*. Hi incipiunt a sexto mense *Elul*, sesquianno post Nisan prioris computus Alexandrini. His utitur auctor libri secundi Machabæorum, qui insistens calculo Chaldaico, fere semper sesquianno posterior est auctore libri primi qui Alexandrinam supputationem sequitur, id est Græcorum et Ægyptiorum, inter quos medii jacebant Judæi. Est et tertia annorum Seleucidarum supputatio, qua etiam hodie in Syria utuntur Antiocheni, toto biennio anterior Chaldaica, et medio anno anterior Alexandrina jam dicta, de qua Scaliger lib. 5 *de Emendat. tempor.* Sed hujus nullus usus est in Scripturis.

Seleucus Nicator, a multis et illustribus victoriis sic dictus, ante devictum Antigonum regnavit 13

post illum devictum, teste Appiano in Syriaco, aliis [10] 30

Antiochus Soter ejus filius. Cujus tempore obtinuerunt Judæi haud procul Babylone nobilissimam de Galatis victoriam, cujus mentio est 2. Mach. 8, v. 20. Regnavit annis 19

Antiochus Soteris filius, Θεὸς, id est *Deus*, a Milesiis appellatus, quod Timarchum eorum tyrannum expulisset, inquit Appianus. De hoc incipit Daniel prophetare c. 11, v. 5. Sub hoc Parthi a Syriæ regibus defecerunt, bello primo Punico. Regnavit annis 15

Seleucus Callinicus, qui Berenicem novercam cum infantulo interfecit. Sed neptem suam ultus est Ptolemæus Evergetes, spoliavit regnum Callinici, juxta prædictionem Danielis 11, v. 7. 20

Seleucus Ceraunius, id est fulmineus; quod audaci et veloci ingenio præditus, quasi fulmen esse videretur. Filius erat Callinici, qui in pugna contra

(1) Lib. 11 Almag. c. 7 et l. 9, c. 7.
(2) Lib. 12 Antiq., c. 7, et l. 1 contra Apion.
(3) Lib. 19.
(4) In Syriaco.
(5) In Chron. et lib. 8 Demonstr.
(6) In Dan. 9.
(7) Lib. 1, cap. 42.
(8) In 1. Mach. 1.
(9) Lib. 11 Amal. pag. c. 7
(10) 32.

103

103

Ptolemæum Evergeten, teste Justino [1], e quo præcipitatus interiit; Ceraunius autem dolo a suis interemptus est, cum regnasset [2] 3

Hunc describit angelus Dan. 11, v. 10 una cum fratre ejus Antiocho Magno.

Antiochus Magnus Ceraunii frater, Callinici filius Cæsus primum a Philopatore Ptolemæo, post contra filium ejus Epiphanem Ptolemæum, 4 annorum puerulum, una cum Philippo Macedonum rege castra movit: sed a Romanis, pupilli tutelam suscipientibus, in Asia ad Thermopylas victus Antiochus Romanis et L. Scipioni inde Asiatico dicto Asiam cessit, pro obside Romam misso filio suo juniore Antiocho Epiphane. Et postea ab Elymæis cum omni suo exercitu deletus est, juxta vaticinium Daniel 11, v. 10 usque 20, et lib. 3 Machabæorum [3] 37

Seleucus Philopator, Josepho Soter, Antiochi filius senior. Nullis prœliis, sola avaritia famosus, juxta Dan. 11, v. 20. Nam licet initio regni sumptus omnes suppeditaret sacrificiis templi Judæorum, 2. Machab. 3, v. 3, postea tamen misit eo Heliodorum, v. 33, ut ærarium templi expilaret. Sed non ita diu post ab eodem Heliodoro occisus est, cum regnasset annis [4] 12

Antiochus Epiphanes, id est Illustris seu Nobilis, a rerum gestarum gloria sic dictus, Philopatoris frater Roma, ubi obses erat, profugit in Asiam; indeque pulso per Eumenem et Attalum reges Heliodoro regni invasore; fraudato quoque Demetrio nepote suo ex Seleuco fratre, regnum dolo invasit, anno regni Græcorum 137, ut dicitur 1. Machab. 1, v. 11. Hunc vivis coloribus depingit Dan. c. 11, v. 21, etc., et c. 8, v. 9 vocat *cornu modicum*, et v. 23 *impudentem facie*, etc. Hic anno primo [5] regni sui exauctorato Onia summo et sancto pontifice, impium Jasonem fratrem ejus illi substituit, 2. Mach. 4, v. 7.

Anno 2 [6] regni sui primam expeditionem suscipit in Ægyptum, ibid., v. 21 et Daniel. 11, v. 22. Inde Jerosolymam pacatus ingreditur, ibid.

Anno 5 submoto Jasone Menelaum Benjaminium in pontificatu substituit, 2. Mach. 4, v. 23 etc., c. 3, 4.

Anno 6 regni sui [7], Græcorum 142, bellum secundum in Ægyptum instituit, 2. Mach. 5, v. 1 etc., lib. 1, v. 18.

Anno 7 regni sui, Græcorum 143, Urbis 585, Olympiadis 152 anno 4 post devictum a L. Æmilio 11 Consule cum C. Licinio Crasso, Perseum regem Macedonum 3 Nonas Septembris, et Macedoniam in provinciam Romanorum redactam, Antiochus Epiphanes eorumdem Romanorum jussu coactus est Ægypto quam invaserat excedere. Unde Jerosolymam reversus effudit furorem omnem in Judæos, Daniel 11, v. 29 et 1. Machab. 1, v. 21 et lib. 2, c. 5, v. 11 et seqq., et dixi in Ptolemæo Philometore: et Josephus [8], Livius [9], Justinus [10] describunt. Triduo solo occidit Jerosolymis 80 millia Judæorum, vendidit 40 millia, et totidem in carceres abripuit, 2. Mach. 5, v. 14. Mox per Apollonium plures alios de novo trucidat, v. 24, alios item per Philippum, c. 6, v. 11. Idolum Jovis abominabile collocat in templo, v. 2, tunc et Eleazarus martyrio afficitur, v. 18, et septem fratres Machabæi, c. 7.

Anno regni ejus 9, Græcorum 145, insurgit adversus tyrannum Mathathias, 1. Mach. 2. Quo post aliquot menses defuncto, filius ejus Judas Machabæus arma capessit, c. 3, et sequenti anno Apollonium occidit, v. 11 et Seronem alterum belli ducem prosternit, v. 23.

Anno 11 regni sui, Græcorum 147, Antiochus in Persidem contendit, c. 3, v. 37. Judæi Gorgiam fundunt, fugant, c. 4.

(1) Lib. 27. (2) Fere 3. (3) 30 completis.
(4) Post patrem 11 expletis, duodecim fere expletis ab eo tempore quo rex a patre Antiocho designatus est.
(5) Immo secundo juxta Frœlichium. (6) Tertio.
(7) 11 et aliquot mensibus. (8) L. 12 Antiq., c. 6 et 7.
(9) Lib. 44 et 45. (10) Lib. 35. 155

155

Anno 12 ipsum quoque Lysiam in fugam compellunt, templum Jerosolymitanum emundant, v. 52.

Sub initium anni 13 regni sui, Græcorum 149, in reditu e Perside moritur Antiochus, c. 6, v. 16, cum regnasset integris annis [1] 12

Antiochus Eupator ejus filius novennis, a cujus tutore Lysia occisus est Cn. Octavius legatus a Romanis ad Eupatorem missus qui prohiberet illum alere elephantes, quorum mentio est 1. Mach. 6, v. 30 et seqq., ita Cicero [2], Appianus [3] et Josephus [4]. Sed ipse mox Lysias cum Antiocho rege occisus est anno Græcorum 151 a Demetrio Seleuci Philopatoris filio, 1. Machab. 7, v. 1 etc. Quo eodem anno L. Æmilius Paulus obiit, ut habetur in Epitome Livii, l. 46. Atqui constat (ex Fastis Capitolinis, et ex titulo Adelphon Terentii) L. Æmilium Paulum obiisse L. Anicio Gallo et M. Corn. Cethego Coss. anno Urbis 593. Ergo vinculum hic habes quo historiam Machabæorum et Græcorum cum Romana certo colligare possis. Regnavit annis 2

Demetrius Seleuci filius, ab anno Græcorum 151 usque ad 160 quo occisus est ab Alexandro Veles Antiochi Epiphanis filio (unde et ipse nomen sumpsit Epiphanis) regnavit annis [5] 10

1. Machab 1, v. 7 et c. 10, v. 1 et 50. Ejus anno 2 Judas Machabæus occiditur a Bacchide et Alcimo ducibus Demetrii, 1. Machab. 9, vv. 1, 3, 18 cui mox Jonathas sufficitur, v. 30.

Alexander Veles [6] Antiochi Epiphanis filius ab anno 160 Græcorum finiente usque 167 inchoantem (1. Mach. 10, v. 1 et c. 11, v. 17) quo per Zabdiel Arabem, et Ptol. Philometorem regem Ægypti socerum suum (qui et ipse tertio post die mortuus est, v. 18) occisus fuit: regnavit annis duobus postremis una cum Demetrio Demetrii Seleuci filio, 1. Mach. 10, v. 67 etc. [7], ergo 6

Demetrius Demetrii Seleuci filius, dictus Josepho [8] Nicator, ab anno Græcorum 167 (1. Mach. 11, v. 19) usque 172 (c. 14, v. 1) quo captus est ab Arsace rege Persidis (v. 3) regnavit annis 6

Nam duobus aliis regnarat ante, in vivis adhuc agente Alexandro ut patet ex c. 10, v. 67.

Antiochus Alexandri Velis filius ope Tryphonis (tutoris, postea tortoris sui), evectus ad regnum, tenuit ex parte illud quadriennio, sed vivente Demetrio Nicatore: nempe ab anno Græcorum 168 usque 172, Josephus l. 13, c. 12 et 1. Machab. 11, vv. 39 et 54.

Tryphon extra ordinem et stirpem Seleucidarum, occiso per dolum Antiocho, 1. Mach. 13, v. 32, regno Asiæ potitur. Ante quoque occiderat Jonatham et filios ejus, c. 12 in fine, et 13 vv. 12 et 23, occisus et ipse a Sidete. Joseph. sup. 3

Antiochus Sidetes Eusebio, Josepho Soter, aliis εὐσεβής, id est *Pius* dictus [9], filius Demetrii Seleuci, frater Demetrii Nicatoris, eo a Persis capto, 1. Mach. 14, v. 2, oblatum sibi a Cleopatra fratris uxore regnum et conjugium capessit, occiso Apamææ Tryphone invasore. Josephus sup. Fœdus cum Simone Judæ Machabæi fratre iniit et fregit, 1. Mach. 15, v. 1 et 27. Post interemptus a fratre suo Demetrio Nicatore, cum regnasset annis [10] 7

Demetrius Nicator dimissus a Persis recuperat regnum, interempto fratre [11] anno Urbis 625. 3

(1) Duobus expletis.
(2) Ad Q. Fratrem et initio 9 Philippicæ.
(3) In Syriaco.
(4) Ut supra.
(5) 12 non integris.
(6) Theopator Evergetes.
(7) Universe annis 7, in toto Imperio Syriaco 5.
(8) Lib. 13 Antiq., cap. 8.
(9) *Evergetes* in nummis.
(10) Non a fratre interemptus fuit (nam quum anno Græcorum 184 Demetrius fuerit in regnum restitutus, Antiochus tamen ad annum circiter 186 superstes fuit, ac regio titulo insignitus) sed a sacerdotibus templi Nanææ. Vide Frœlichii Annales Syriæ p. 82 et 86 et in *Prolog.* p. 3, c. 4.
(11) Non fratre interempto, sed in communione regni adscito, aut aliquot certe in Oriente provinciis donato. Regnavit autem Demetrius ab exilio redux annis IV expletis.

204

204

Vide Orosium [1], Josephum [2], Appianum [3] et Justinum [4], etiam pro sequentibus.

Alexander Zabina a Ptolemæo Phiscone rege Ægypti tyrannus in regnum Syriæ intrusus vita privat Demetrium Nicatorem [5]: sed vicissim ab Antiocho Grypho Demetrii filio vita privatur post annos [6] 2

Antiochus Gryphus Demetrii et Cleopatræ filius, occiso per Cleopatram fratre suo Seleuco, ope ejusdem matris suæ regnum capessit, occiso tyranno Zabina: Cleopatram tamen matrem venenum quod ipsa filio pararat, specie officiositatis ebibere coegit. Teste Eusebio, Mercatore, Azor et aliis. Regnavit annis 12

Sed aliis item 17 annis cum Cyziceno. Unde a Josepho l. 13, c. 21 tribuuntur illi anni 29.

Antiochus Cyzicenus [7] filius Antiochi Sidetis ex Cleopatra (hæc enim duobus fratribus nupserat) occiso Grypho fratre suo uterino, quem jam pridem regno exuerat, non nisi uno anno supervixit. Regnavit universim 18

Seleucus Gryphi filius simul cum Antiocho fratre suo germano, interempto patruo suo Cyziceno, regnum capessit; sed superatus ab Antiocho Eusebe filio Cyziceni, et una cum regia domo a Mopseatis in Cilicia, ubi residebat, concrematur. His duobus fratribus medio sublatis post annos circiter 7

Antiochus Eusebes, seu Pius [8] Cyziceni filius, imperium capessit: sed dum duobus reliquis ipsorum fratribus Philippo et Demetrio Gryphi filiis resistendo non esset, brevi extinctus interiit [9], et Syriæ regnum

Philippus ejusque frater Demetrius Eucerus una primum administrant: postea superato in pugna Demetrio, et ad Mithridatem Parthorum regem fugato, solus Philippus regno potitur, sola Damasci administratione concessa Antiocho Dionysio quinto suo fratri germano. Ita Josephus sup. Appianus [10], etc. His impensi anni 6

Tigranes rex Armeniæ, usus occasione dissidii fratrum prædictorum, specie juvandi illos contra Euseben, ipse regnum Syriæ invasit, tenuitque donec Lucullus eum inde depulit, teste Appiano, per annos 14

Alioqui quatuor adhuc aliis annis supervixit, ut ait Justinus lib. 40. Quo tempore

Antiochus Asiaticus (quia in Asia minore enutritus) Eusebii filius, dum Tigranem et Mithridatem persequitur Lucullus, Syriam avitum regnum recuperat, et permissu Luculli detinet annis 4

Sed Pompejus Lucullo infensior Syriam Antiocho adimit, M. Tullio Cicerone et C. Antonio Coss. anno Urbis 691, cyclo lunæ 15, solis 3 quando totam Syriam una cum Judæa in provinciam Romanorum redegit. Ita Joseph. l. 13, c. 25, Appianus et Justinus supra.

Stetit ergo regnum Græcorum in Syria, ab initio monarchiæ Alexandri Magni, annis 267

usque ad extinctos Seleucidas, et Syriam in provinciam Romanorum redactam.

Inde vero usque ad initium monarchiæ Augusti seu Romanorum, extinctis Antonio et Cleopatra, ut dixi cap. 39 sunt anni 33

Simul 300

(1) Lib. 5, cap. 19. (2) Lib. 13 Antiq., cap. 17. (3) In fine Syriaci. (4) Lib. 38 et 39.

(5) Interea Seleucus V Demetrii II e Cleopatra filius natu major invita matre se se regem promulgari facit; sed Cleopatra anno regni non expleto illum interficit, Antiochum *Gryphum* Alexandro opponens.

(6) Sex. (7) Etiam *Philopator* dictus. (8) Et *Philopator*, seu patris amans.

(9) Ad ann. Græcorum 238 in Commagene superstes fuisse videtur, ut Frœlichius docet *Ann. Syr.*, p. 116 adeoque diuturnam vitam duxisse.

(10) Sed Dionysii nomen rectius *Asiatico* competit. Vaillantius hunc Antiochum *Dei, Epiphanis, Nicephori* titulo gavisum esse e Numo conjicit. Ceterum Antiochus hic in prœlio adversus Arabes occisus fuit, postquam biennio et siquid excedit, regni partem tenuisset.

CAPUT XLI.

Series regum Macedoniæ

Nomen et potentia Macedonum, ut et omnium Græcorum, famosa jam inde ab initio et terribilis (neque enim potuere vel Assyrii, vel Chaldæi, vel Persæ, licet tot tantarumque nationum victores, unquam sibi Græcos subjugare), in immensum crescere cœpit Philippo regnante, qui anno primo Olympiadis 105 rex creatus, vicinos tum Græcos, tum alios populos paullatim Macedonico sceptro subjecit. Sed post 24 regni annos Philippo a Pausania interfecto succedens filius ex Olympiade matre Alexander, anno 1 Olympiadis 111 fortunam Macedonum ad summum fastigium evexit, cum post sex annos regni sui, quibus Persarum tunc orbi imperitantium potentiam magis magisque continuo attriverat, tandem Dario Codomanno victo et extincto, monarchiam a Persis ad Macedonas transtulit anno 3 Olympiadis 112, urbis Romæ 424, Nabon-Assaris 418.

Vixit postea monarcha Alexander aliis annis	6
Verum de fortuna Alexandri parum admodum adhæsit posteris ipsius, filio nempe quem ex Roxane susceperat, et nomine etiam Alexandri appellarat, puero tum, et rebus curandis adhuc inidoneo, facile ab aliis ducibus tantæ fortunæ æmulis depresso, ac vix Macedoniæ sceptro cum parte viciniæ illi relicto. Tutor pupillo donec adolesceret, datus erat	
Arideus Philippus Alexandri Magni frater, patruus pupilli. Sed odio et factione Olympiadis aviæ pupilli, occisus est una cum Euridice uxore sua, anno 6 a morte Alexandri Magni.	6
Cassander Antipatri et Thessalonicæ (Philippi Amyntæ ex Nicasipolide filiæ) filius, interfecta Olympiade, tutelam ipse suscipit, sibique ac filiis suis sceptrum pupilli secreto e vivis sublati vindicans, tenuit annis	19
Antigonus et Alexander Cassandri filii post mortem parentis aliis annis	4
Demetrius Poliorcetes, a Pyrrho pellitur post annos regni	6
Pyrrhus Epirotarum rex non nisi 7 mensibus Macedoniam tenuit.	
Lysimacus Thraciæ rex annis	5
Ptolemæus Ceraunus, a Gallis cæditur, post annum	1
Meleagrus succedit mensibus 2.	
Antipater diebus 45.	
Sosthenes Gallis se fortiter opponens, regno potitur annis	2
Antigonus Gonata Demetrii Poliorcetis filius regnum paternum recipit. Sed eo absente et aliis bellis præpedito, Alexander Epirota Pyrrhi filius, regnum invadit. Simul rexerunt annis	36
Demetrius Antigoni filius, Alexandro Epirota pulso, regnum recuperat, simulque Epirum occupat.	10
Antigonus Doson, tutor Philippi filii Demetrii,	13
Philippus filius Demetrii	42
Perseus Philippi notus, regno Macedonum finem fecit, inchoante anno 4 Olympiadis 152, regni sui	11
tunc enim a L. Æmilio Paulo victus Perseus, et in triumphum ductus est: et Macedonia in provinciam redacta, non regem exinceps, sed præsidem a Romanis accepit.	
Ad quod usque tempus, jam inde ab initio monarchiæ Alexandri Macedonis fluxerunt anni	161
Exinde vero usque ad initium monarchiæ Augusti, ut ex supradictis capitibus patet, sunt anni	139
Qui simul cum prædictis faciunt	300

CAPUT XLII.

SERIES SUMMORUM PONTIFICUM JUDÆORUM AB EXITU EX ÆGYPTO ANNO MUNDI 2544 USQUE AD DESTRUCTIONEM JEROSOLYMÆ PER TITUM ET VESPASIANUM IMPERATORES ANNO MUNDI 4074 IN TRES CLASSES DISTINCTORUM.

PRIMA CLASSIS

ab exitu ex Ægypto, usque ad reductionem Judæorum e captivitate Babylonica, tertia et quarta mundi ætate.

Aaron primus pontifex Mosaicæ legis, jubente Deo initiatus est a Moyse initio anni secundi exitus Israelitarum ex Ægypto, Exodi 29, Levitici 9, tenuitque pontificatum per annos 38 et menses quatuor — 38
nam mortuus est 40 anno exitus ex Ægypto, prima die mensis 5, Num. 33, v. 38.
Eleazar eodem die sufficitur parenti, ibid. et Numer. 20, v. 25 et Deut. 10, v. 6.
Phinees, Abisue, Bocci et Ozi } 1. Paral. 6, 4 et 5. Quamdiu singuli fuerint pontifices, incertum: simul præfuerunt } annis — 297
Post hunc, teste Josepho l. 5 Antiq. et l. 8 aliisque Hebræis a Lyrano et Abulensi citatis, translatus est pontificatus a posteris Eleazari primogeniti Aaronis, ad posteros Ithamaris secundogeniti Aaronis, 1. Paralip. 6, v. 3. De causa agam 1. Reg. 2, v. 31. Ex Ithamaræis primus
Heli, una cum principatu seculari seu politico pontificatum tenuit, 1. Regum 14, v. 18, — annis 40
Huic ex eadem familia successores fuerunt quatuor pontifices, nepotes Heli
Achitob nepos Heli ex filio Phinees, frater Ichabodi, 1. Regum 14, v. 3.
Achias filius Achitob, 1. Reg. 14, v. 3, 18, 19
Achimelech frater Achiæ, 1. Reg. 21 et 22 ubi a Saule occiditur } hi tres simul annis — 39
Abiathar filius Achimelech fuga elapsus ad Davidem, cap. 22, vers. 20, factus est summus pontifex loco parentis a secundo et ultimo anno Saulis, usque ad primum Salomonis, a quo loco motus est, 3. Reg. 3, v. 26, cum præfuisset an. — 41
Sadoc ex posteris Eleazari, familiæ Ithamarææ pontificatum rursus eripuit: et quidem tempore Davidis bonam sacerdotii summi partem permissu Abiathari administravit apud tabernaculum fœderis in Gabaon, 1. Paral. 18, v. 16, et 2. Reg. 8. v. 17. Abiatharo fere cum rege Davide Jerosolymis manente: sed exauctorato demum Abiatharo solus per aliquot adhuc annos, id munus tenuit, 3. Reg. 2, v. 27, mansitque in ea familia pontificatus usque ad natum Christum, ut constat ex Josepho, qui plerosque recenset lib. 10 Antiquit. c. 11, et patebit ex sequent.
Achimaas parenti suo Sadoco successit: huic filius
Azarias primus ut patet 1. Paralip. 6, v. 9, ubi Azarias dicitur genuisse Johanan, sed verisimiliter mediantibus
Joram, Isus, Axioram, Phideas, Sudeas, Julus } quos Josephus sup. dicit successisse Azariæ, filios singulos singulis parentibus, seu Jojada, ut vocatur, 4. Reg. 12, et 2. Paralip. 23, seu Zacharias, filius Jojadæ, 2. Paralip. 24.
Johanan, 1. Par. 6, v. 9, vocat Joseph. sup. Jothamum, Juli filium.

Hi 10 simul præfuerunt annis 206, ab initio Salomonis usque ad Oziam regem.

Azarias secundus filius Johanan, 1. Paral. 6, v. 10. Oziæ regi Juda volenti incensum offerre in templo Domini viriliter restitit, et templo expulit, 2. Paral. 26. Josephus vocat Uriam.

Amarias Azariæ filius, 1. Paralip. 6, v. 11, a Josepho vocatur Nerias

Achitob, v. 11, ibid.

Sadoc, v. 12

Sellum, ibid. Baruch c. 1, v. 7, vocat Salom.

} hi tres omissi sunt a Josepho.

Hic genuit Helciam, v. 13. Sed pontificatum inter hos duos gessit

Sobna, Isaiæ 22, vv. 15 et 20, Josepho Odeas, sub Ezechia rege et Eliacim, sub Manasse, Isaiæ 22 sup., et Judith 4, v. 5, qui tempore Manasse, ut ibi probabo, administravit etiam rem politicam et bellicam contra Holofernem. Hic, Judith 15, vocatur etiam Joachim : et a Josepho Saldumus.

Helcias nepos Sellum, 1. Paral. 6, v. 13, sub Josia floruit, 4. Reg. 22 et 23, et 2. Paral. 24.

Azarias tertius, ejus filius, 1. Paral. 6, v. 14. Omissus a Josepho.

Sarajas, ibid. v. 14, quem Josephus Saream vocat, usque ad excidium templi et urbis Jerosolymitanæ pontifex fuit, et a Nabuchodonosore cum aliis 70 e primis Judæorum, extremo supplicio affectus est, 4. Regum ult., vv. 18 et seqq. et Jeremiæ ult. v. 24.

Josedec Sarajæ filius translatus in Babylonem, 1. Paral. 6, v. 15. Istic pontificem egit 30 annis, nempe

usque ad reductionem captivorum e Babylone Jerosolymam anno primo monarchiæ Cyri.

Hi 10 simul præfuerunt annis 200, nempe ab initio Oziæ usque ad 11 annum Sedeciæ.

200

30

SECUNDA CLASSIS

a reductione e captivitate Babylonica usque ad nativitatem Christi.

Josue, 1. Esdræ 3, v. 2, et 2. Esdr. 12, v. 10, vel Jesus, Aggæi 1, v. 1, filius Josedechi remigrantibus Babylone Jerosolymam pontifex datus est a parente, ut verisimile est. Hic instauravit templum una cum Zorobabele, 1. Esdr. 5, v. 2 etc. Philo Annii dicit, eum egisse pontificem usque ad 20 annum Darii Hystaspis, annis 29

Joacim filius Josue, 2. Esdr. 12, v. 10. Hunc dicit idem Philo præfuisse a 21 anno Darii Hystaspis usque 11 Artaxerxis, annis 48

Eliasib Joacimi filius, ibid. Præfuit ab anno 12 usque 33 Artaxerxis Longimani, 2. Esdr. 3, v. 1, et cap. ult. v. 4 et 6, annis 22

Jojada ejus filius, 2. Esdr. 12, v. 10, alias Judas, vel Joachaz. Huic Mercator dat annos 44

Jonathan Jojadæ filius, alias Joannes (ut eum Josephus vocat) vel Joathan, ut vocat Gerardus Mercator, et dat ei annos 47

Jeddoa vel Jaddus ejus filius, 2. Esdr. 12, v. 11. Eusebius dat illi annos 17

Hic occurrit Alexandro Magno, iratumque placuit Judæis, teste Josepho lib. 11 Antiq. in fine, et lib. 13, cap. ultim. Mortuus paullo post Alexandrum, eodem teste Josepho. Hujus frater Manasses fuit primus pontifex templi Samaritanorum in monte Garizim, ut dicam Eccli. 50, v. 28, et describit Josephus lib. 11 Antiq. c. 7.

Onias I, Jeddoæ filius quibusdam *Priscus* dictus. Ei Mercator dat annos 23

Simon Oniæ filius, dictus etiam *Priscus* Josepho [1], et Eusebio *Justus* [2], quod Deum pie coleret, et ejus summa potiretur beneficentia. Scaliger [3] putat, et recte,

230

(1) Lib. 12 Antiq., cap. 2. (2) In Chron. (3) Lib. 5 de Tempor. emendat.

hunc esse Simonem qui laudatur ab Ecclesiastico cap. 50, v. 1, ut ibidem probabo. Sed Eusebius, et Beda [1] et Serarius [2] id secundo adscribunt, minus recte. Eusebius dicit hunc claruisse anno 1 Olympiadis 120. Philo dat Simoni annos 13

Eleazarus Simonis frater, quod filius ejus Onias adhuc esset parvulus, inquit Josephus et Eusebius et dat ei annos 23

Hic misit 70 Interpretes ad Ptolemæum Philadelphum secundum regem Ægypti post Alexandrum Magnum, teste Josepho supra.

Manasses patruus Eleazari filius Jeddoæ, frater Oniæ primi, teste Josepho [3], etiam annos 23

In hujus gratiam construxit Sanaballat socer ejus templum in monte Samariæ Garizim, ut dicam Eccli. 50, v. 28.

Onias II, Simoni Justi filius, dictus Avarus, quod tributum pendi solitum regibus Ægypti, 20 talenta auri recusarit Ptolemeo Evergeti. Unde gravia Judæis mala parabantur, quæ Josephus Tobiæ et sororis Oniæ pontificis filius discussit. Præfuit annis 9

Simon II, Oniæ secundi filius. Ab Eusebio dicitur cœpisse anno 1. Olympiadis 137. A Josepho [4] dicitur, anno Græcorum 125, seu anno 2 Olympiadis 148, opem tulisse Hyrcano Josephi filio, Tobiæ nepoti: ergo pontificem egit annis 46

Onias III, cognomine Sanctus, filius Simonis 2. Hujus mentio est 1. Machab. 12, vv. 7 et 8, et 2. Machab. 3, toto, ubi Heliodoro vitam impetrat et sanitatem, v. 33. Pacifice regnavit totis annis 11

Sed exul supervixit aliis 4, ut colligitur ex 2. Mach. 4, v. 34. Hujus Oniæ III filius et ipse Onias dictus, in Ægypto construxit templum *Onion*, ut dixi cap. 39 in Philometore.

Jason frater Oniæ III, ante dictus Jesus, sed cum Menelao, ejusque fratre Simone, et Alcimo et aliis, teste Gorionide, factus Gentilis, Jasonis nomen assumpsit, et pecunia pontificatum sibi emit ab Antiocho Epiphane Syriæ rege, extruso fratre suo Onia sanctissimo viro, 2. Machab. 4, v. 7 etc., et c. 5, v. 5. Ergo pseudopontifex fuit annis 3

Menelaus Onias Simonis Benjaminitæ frater, cum pecuniis ad Antiochum Epiphanem ex Ægypto reducem a Jasone missus, eodem scelere ipsum e throno deturbavit (pontificatu sibi a rege pecuniis impetrato), quo ille fratrem suum Oniam Sanctum expulerat, v. 23. Sed cum promissam regi pecuniam Menelaus non persolveret, Lysimacho fratri suo jussus est pontificatum tradere, v. 27. Sed mox lapidato Lysimacho, v. 42, Menelaus novis largitionibus pontificatum recuperat, v. ultim. Simul annis 6

Præfuit quidem annis 10, nempe donec ab Antiocho Eupatore, suasu Lysiæ occisus est, 2. Mach. 13, et Alcimus æque impius (ex familia tamen Aaronis, 1. Machab. 7, v. 14), ei suffectus, teste Josepho [5], Serario [6] et aliis: sed Mathathias, et post hunc Judas Machabæus 4 illis ultimis vitæ Menelai annis, uti et toto tempore Alcimi, legitimus dux simul et summus pontifex jam tum erat: ac proinde ipsi tribuendi hi anni.

Pontifices deinceps simul et Duces Judæorum.

Mathathias sacerdos ex Asmonæis sub finem anni Græcorum 145, summum pontificatum et politicum populi ducatum paucis mensibus tenuit, 1. Mach. v. 1. Quo defuncto, filius ejus

Judas Machabæus dux simul et pontifex adversus Antiochum Epiphanem aliosque tyrannos rempublicam et religionem Judaicam vi et armis tutandam instaurandamque suscipit anno Græcorum 146, Olympiadis 153, an. 3. Tem-

(1) De sex ætatib.
(2) De Machabæis, pag. 559.
(3) Ut supra cap. 3.
(4) Ut supra cap. 4 et 5.
(5) Supra cap. 15.
(6) Pag. 704.

364

plum abominando idolo profanatum ab Antiocho Epiphane 25 Casleu, seu 13 Decembris, anno Græcorum 145, Urbis 587, cyclo lunæ 6, solis 11, opera Judæ triennio post expiatum est eodem die ejusdem mensis an. Græcorum 148, cyclo lunæ 9, solis 14. Vide 1. Machab. 1, vv. 21, 30, 39, et 2. Machab. 10, vv. 3 et 5, ubi quod dicitur, *post biennium*, expone, ab initio principatus Judæ. Occisus est in prœlio contra Bacchidem anno Græcorum 152, mense primo, 1. Machab. 9, vv. 3 et 18, cum præfuisset annis 6

Interim Alcimus, qui et Jacimus, initio anni 5 Judæ suffectus Menelao pseudopontifex, anno 1 a morte Judæ, nempe 153 Græcorum, mense 2, (1. Machab. 9, vv. 54 etc.) cum præcepisset dejici muros templi, percussus a Deo paralysi moritur, v. 56.

Jonathas fratri suo substituitur, 1. Machab. 9, v. 30. Quam populi Judaici electionem confirmavit octennio post, nempe anno 160 Græcorum, Alexander Veles Antiochi Epiphanis filius, 1. Machab. 10, vv. 1 et 20. Et iterum septennio post, puta anno 167, hujus Alexandri filius Antiochus, c. 11, vv. 19 et 27. Et hoc sensu dicit Josephus, mortuum Jonathan exacto imperii simul et pontificatus sui anno 4, nempe ab ultima illa confirmatione: nam constat occisum fuisse a Tryphone anno 170 Græcorum, 1. Machab. 13, vv. 23 et 41, ideoque regnasse annis 19

Simon fratri sufficitur a populo 1. Machab. 13, vv. 8 et 25. Occiditur a Ptolemæo genero suo, anno Græcorum 177, mense 11, ut habes lib. 1 Mach. c. ult., vv. 11 usque 17, cum dux et pontifex fuisset annis 7

Joannes, qui et Hyrcanus, Simonis filius, 1. Machab. ult., v. ult., pontifex fuit, teste Josepho [1], annis 31

Sub hoc tres Judæorum sectæ dicuntur exortæ. Et in hoc finitur tota veteris Testamenti historia.

Reges deinceps simul et Pontifices Judæorum.

Aristobulus, Joannis Hyrcani filius, Josepho etiam *Judas* dictus, regium nomen et diadema primus assumpsit. Fratrem suum Antigonum ex insidiis occidit, et matrem e throno deturbavit, teste Josepho [2], Nicephoro [3] et aliis. Regnavit tantum anno 1

Alexander ejus frater minor, Jannæus dictus, secundum Josephum sup. et alios, annis 27

Varia bella cum variis varia fortuna gessit: duos filios reliquit, Hyrcanum et Aristobulum, qui ad Herodis usque tempora de regno disceptarunt, teste eodem Josepho [4], Egesippo [5], Eusebio [6] et S. Hieron. [7].

Alexandra uxor Alexandri, Eusebio Salma, vidua facta regnum sibi usurpat, Hyrcanum filium natu majorem præficit sacerdotio: Rempublicam vero Pharisæis administrandam committit. Joseph. 1. 13, c. 24, et in sua Vita, dat ei annos 9

Aristobulus II, natu minor filius Alexandri, mortua matre seniore fratrem suum Hyrcanum pontificatu spoliatum, vivere privatum coegit. Ipso regnante templum a M. Crasso expilatum. Ipse vero a Cn. Pompejo captivus Romam missus est cum Antigono et Alexandro liberis suis, cum regnasset annis 3

Et ex hoc tempore Judæa, una cum tota Syria, facta est provincia Romanorum, et vectigalis illis. Josephus notat [8], urbem Jerosolymorum captam manu Pompeji in die solemnis jejunii mensis 4 Tamuz, Olympiadis 179 anno 1 finiente (erat enim 4 Julii nostri) ut vult Mercator: vel anno 2

467

(1) Lib. 20 Antiq., cap. 8.
(2) Ut sup. c. pen. et l. 13, c. 19.
(3) In Chron.
(4) Ut sup. cap. 23.
(5) Lib. 1 cap. 12.
(6) Lib. 8 Demonstr.
(7) In cap. 9 Daniel.
(8) Lib. 1 Antiq., cap. 8.

	467
inchoante, ut Eusebius, Cuspinianus, Onuphrius, et Fasti Siculi notarunt, Coss. M. Tullio Cicerone et C. Antonio.	
Hyrcanus iterum sacerdotio præficitur a Pompejo et Gabinio: et variante fortuna tenuit aliis annis	22
Interim filiorum Aristobuli alter, nempe Alexander, Romanorum manibus elapsus, Judæam invadit. Sed exacto triennio se dedere coactus Gabinio, jussu Pompeji securi percutitur: ita Josephus [1]. Dehinc parens ejus Aristobulus cum altero filio suo Antigono Roma profugus, auxilio Parthorum Judææ regnum invadit, et pontificatum tenet annos 3 et menses 6. Sed Hyrcano C. Julius Cæsar post obitum Pompeji pontificatum confirmat: Antipatro autem Idumæo provinciæ Judææ tutelam tamquam procuratori, committit 16 anno ex quo cœperant Judæi Romanis vectigales esse, Coss. Q. Fusio, Caleno, et P. Vatinio Isaurico. Herodes autem et Phasellus filii Antipatri a M. Antonio Tetrarchæ creantur.	
Antigonus Aristobuli II filius, iterum ope Parthorum, regnum Judæ et pontificatum sibi vindicat: Phasellum occidit: patruum suum Hyrcanum pontificem auribus mutilat; quem deinde Herodes occidit. Sed et ipse quoque Antigonus post annos	4
a M. Antonio, ita petente Herode, securi percutitur ultimus Asmonæorum. Atque ita regnum Herodi cessit, pontificatus Ananelo: ita Josephus [2].	
Ananelus I. Ab Herode pontifex creatus	3
Aristobulus	3
Ananelus secundo. Præfuit usque devictum extinctumque Antonium cum Cleopatra, et finem monarchiæ Græcorum	1
Jesu-Phabetis	6
Simon Boethi socer Herodis præfuit usque ad extremos fere menses vitæ Herodis. Et hujus anno penultimo, nempe	19
Christus ex virgineo sanguine conceptus et natus est, cum jam exacti essent a reductione Judæorum e Babylone, seu a quinta mundi ætate anni	525

TERTIA CLASSIS

ab adventu Christi usque ad excidium Jerosolymæ per Titum.

Simoni Boethi sub finem anni 20 successor datus; cui etiam hic annus adscribitur. Mathias Josephi	2
Joazarus primo	1
Eleazarus	3
Jesus Sie filius	3
Joazarus secundo	3
Annas seu Ananus	7
Ismael Fabi a Grato præside Judææ, 1 Tiberii anno, suffectus est Anano. Joseph. l. 18 Antiq. c. 3.	1
Eleazarus	1
Simon Camithi	1
Josephus Caiphas. Hujus anno 11 Christus baptizatus, anno 14 crucifixus est,	19
Jonathas Annæ filius a Vitellio Syriæ præside substituitur Caiphæ, anno ultimo Tiberii. Joseph. l. 12 Antiq. c. 3 et 6,	3
Simon Boethi Canthara primo	3
Matthias	1
Elioneus	1
Simon Boethi Canthara secundo	2
	51

(1) Ut sup. cap. 13, et lib. 1 Belli, cap. 7. (2) Ut sup. cap. 24, et lib. 15, cap. 1.

	51
Josephus Canæi primo, a juniore Agrippa pontificatu exuitur, substituto ei Anania seu Anano, Anani senioris filio,	2
Ananias Nebedæi, de quo Actor. 23, v. 2, et c. 24, v. 1. Quo pontifice S. Paulus anno 25 a passione Christi Romam vinctus missus est a Porcio Festo præside, c. 25, 26, 27, anno Neronis 2, inquit S. Hieronymus et alii.	7
Ismael Phabæi	2
Josephus Canæi secundo	3
Ananus uno, Jesus Damnæi duobus, Jesus Gamalielis duobus, Matthias Theophili uno. Simul annis	6
Phanasius Rusticus tempore belli electus, cujus pontificatus exacto anno urbs Jerosolyma die 8 Septembris in sabbato per Titum capta et exusta est, cum jam inde a 14 Aprilis arctissime conclusa undique fuisset. Ita Josephus, Dio Cassius, Hegesippus, Eusebius, Sigonius, Baronius etc. anno 40 a morte Christi.	4
	75

CAPUT XLIII.

QUARTA ORBIS MONARCHIA, QUÆ EST ROMANORUM, AB EXTINCTIS ANTONIO ET CLEOPATRA, MENSE 11 POST ACTIACAM VICTORIAM, AUGUSTO IV, ET M. LICINIO CRASSO COSS. ANNO 3 OLYMPIADIS 187, URBIS CONDITÆ 724, ET NABON-ASSARIS 718.

Romanæ Reipublicæ varius subinde status fuit. Primus ab Urbe condita anno 3 Olympiadis sextæ (ut dixi c. 32), usque ad annum 3 Olympiadis 67, per integras 61 Olympiades, seu annos 244, sub regibus fuit:

Romulo annis	37
cum interregno anni	1
Numa Pompilio	43
Tullo Hostilio	32
Anco Marcio	24
L. Tarquinio Prisco	38
Servio Tullio	44
L. Tarquinio Superbo	25
	244

Secundus status a fugatis regibus per L. Junium Brutum et L. Tarquinium Collatinum primos Consules, ab anno 3 Olympiadis 67, sub annuis Consulibus fuit usque ad annum 4 Olympiadis 182, quo C. Julius Cæsar perpetuam dictaturam sibi vindicavit. Et sic stetit per annos 461 vel, si mavis, usque ad annum 3 Olympiadis 187, quo exstinctis Antonio et Cleopatra, Augustus Cæsar liberam plenamque monarchiam adeptus est: et sic per annos 480 ab exactis regibus duravit.

Tertius fuit sub Imperatoribus, a 1 anno monarchiæ Augusti Cæsaris, usque ad Augustulum imperatorem anno 3 Olympiadis 313, quando Imperium Romanum Occidentale incidit in manus Odoacris regis Erulorum anno Urbis conditæ 1228, anno Christi Dionysiano 476, cum floruisset sub Imperatoribus (initio ducto a monarchia Augusti) annis 504. Exinceps enim partim sub regibus fuit, partim sub Exarchis Græcorum imperatorum per annos fere 324, nempe usque ad Carolum Magnum, qui anno Christi 800 finiente, ipso die Natalis Domini creatus est Romæ novus Romanorum in Occidente Imperator, tenuitque in posteris suis Francis usque ad annum Christi 920. Tum enim a Francis ad Saxones, aliosque Germanos; atque ita tandem anno Christi 1273 per Rudolphum Habspurgensem Comitem ad domum Austriacam delatum est Imperium, in qua pene continuata Imperatorum serie hucusque perseverat: Orientali interim Græcorum imperio (quod a morte Magni Constantini anno

Christi 341 dissectum fuerat ab Occidentali), Turcarum potentia penitus extincto, anno Christi 1452. Vide Baronium, Bzovium, Spondanum et alios historiographos.

Primi Imper. Romani usque ad excisam Jerosolymam (horum enim solorum mentio fit in Scripturis) sunt isti:

C. Julius Cæsar perpetuus Dictator proclamatus anno 4 Olympiadis 182, Urbis conditæ	705	tenuit annis fere 5				
C. Cæsar Octavianus Augustus, a 15 Martii, qua cæsus est C. Julius Cæsar, anno Urbis conditæ	709 finiente	imperavit an. 57	mens. 5	dieb. 4		
Tiberius, a 19 Augusti, qua obiit Augustus, teste Svetonio, Tacito, Dione, Josepho et Vellejo, anno Urbis conditæ	767	22	mens. 6	dieb. 25		
C. Caligula, a 16 Martii, qua Tiberius obiit, testibus iisdem,	789 finiente	3	mens. 10	dieb. 15		
Claudius, a 1 Februarii, qua obiit Caligula,	793 finiente	13	mens. 8	dieb. 13		
Nero a 13 Octobr., qua obiit Claudius,	807 medio	13	mens. 6			
Galba, a 13 Aprilis, qua se occidit Nero, paullo post Pascha Judæorum 4 Aprilis, teste Josepho,	820 finiente		mens. 6	dieb.		
Otto, a 20 Octobris, qua obiit Galba,	821 medio		mens. 3	dieb. 5		
Vitellius, a 25 Januarii, qua exstinctus est Otto,	821 finiente		mens. 8	dieb. 5		
Vespasianus, ab ultima Septembris, qua Vitellius sublatus est,	822 medio	9	mens. 8	dieb. 24		
nempe usque ad 24 Junii, qua Vespasiano defuncto Titus filius ejus successit, anno Urbis conditæ	832 inchoante					
Vespasiani anno 2, nempe 8 Septembris, anno Urbis 823, in sabbato expugnata est per Titum urbs Jerosolyma, et in suis cineribus sepulta Synagoga. Ita Josephus [1] testis oculatus, Dio Cassius [2] et alii apud Baronium.						

CAPUT XLIV.

DE ÆRA JULII ET AUGUSTI CÆSARUM ROMANORUM.

Caji Julii Cæsaris (ut de die natali, de Pompejo devicto, de perpetua Dictatura, id est supremo et absoluto in omnes dominio, a senatu ultro illi delato jam sileam, quæ ad rem nostram non faciunt, et a Svetonio, Tacito, aliisque sat accurate annotantur); una illa æra correcti ab ipso Kalendarii ibit in æternam memoriam. Nam inde omnes exinceps anni, etiam quibus hodie per universum orbem Romanum utimur, Juliani vocantur. Res sic habuit: Incuria eorum qui intercalationibus ad annos lunares cum solaribus æquandos necessariis præerant, enormiter admodum deflexerant menses a consuetis et debitis sedibus, et qui proprii erant solstitiis, jam pene ad æquinoctia migrarant: *Jul. Cæsar* ergo, suis ut singulos sedibus redderet, *cum tertium esset consul* una *cum M. Æmilio Lepido*, simul et semel, *trium mensium intercalarium adjectione, correxit errata præcedentium annorum. Duos enim menses intercalares dierum 67 inter mensem Novembr. et Decembr. interpo-*

(1) Lib. 6 Belli, cap. 4, et l. 7, c. 16 et 17. (2) Lib. 66.

suit: cum jam ante mense Februario dies 23 intercalasset. Et hic dicebatur annus confusionis: eratque 447 dierum. Simul providit in posterum, ne iterum errare-tur. Nam intercalari mense sublato, annum civilem ad solis cursum formavit. Itaque diebus 355 (quibus lunaris constat annus), addidit 10 dies. Præterea pro quadrante diei, qui annum verum suppleturus videbatur, instituit, ut peracto quadriennii circuitu dies unus post Terminalia (id est, sub finem Februarii, ubi mensis quondam intercalari solebat) *intercalaretur: quod nunc Bissextum vocatur. Ex hoc anno ita a Julio Cæsare ordinato ceteri ad nostram memoriam Juliani appellantur: iique consurgunt ex quarto Cæsaris Julii consulatu.* Hucusque verba sunt Censorini [1]. Quibus omnino similia habent Plinius [2], Macrobius [3], Solinus Polyhistor [4], Dio Cassius [5], Appianus [6], Ammianus, Plutarchus [7], Svetonius [8], Beda et alii. Unde tamquam certum supponendum, primum annum Julianum non a tertio (ut vult Alexander Scultetus) neque a quinto (ut Paulus Middelburgensis, et hunc secutus Mercator), sed ex quarto Julii Cæsaris consulatu consurrexisse, qui cœpit medio anno 3 Olympiadis 183, Urbis conditæ 708, cyclo lunæ 14, solis 21, initio ducto a Kalendis Januariis. Ita Fasti Capitolini, et Mathematici passim. Porro præpropera sacerdotum Romanorum (quibus hæc erat cura demandata) festinatione, novus mox error irrepsit, ut cum *peracto demum quadriennii circuitu dies unus intercalandus esset*, ipsi post circuitum cujusque *triennii*, diem intercalarint primis 36 annis Julianis. Quod ubi animadversum a Cæsare Augusto, jussum ut dies illi tres superflue intercalari devorarentur, duodecim proximis annis absque ulla intercalatione edicto Cæsaris transigi jussis, ab anno 38 Juliano usque ad 49, quo rursum resumpta est intercalatio. Ex eo tempore nulla est alia adhibita anni correctio præter illam quæ anno Christi 1582 a Gregorio XIII comprobante pene orbe universo facta est, detractione decem dierum superfluorum initio Octobris. De qua fuse Clavius noster [9], et alii chronologi. Ab eodem Augusto, ad perpetuandam ipsius memoriam, mensi *Sextili* nomen inditum *Augusti*, anno 20 Augustio, seu ex quo Ægyptus in potestatem venit Augusti, scilicet ab anno 16 Juliano, cum, exstinctis Antonio et Cleopatra in Ægypto, monarcha factus est. Id vero fecit exemplo C. Julii Cæsaris, qui eamdem ob causam *Quintilem* de suo nomine *Julium* vocitarat, anno 2 Juliano, ipso Julio Cæsare V. et M. Antonio Coss. Ita Censorinus [10].

C. Cæsaris Octaviani Augusti æra multiplex est:		Urbis conditæ	anno Olympiadis
Prima, principatus ejus, quem plerique supputare incipiunt immediate a cæde C. Julii Cæsaris die 15 Martii per Brutum et Cassium in senatu confossi, anno Juliano licet imperium non usurparit nisi post cæsos Coss. Hircium et Pansam, cum coegit Romanos se Consulem designare, 19 Augusti et 27 Novemb. Triumvir factus est cum M. Antonio et M. Lepido, anno	2	709 fluente	4 183
Secunda, Hispaniæ per Domitium Calvinum (teste Dione l. 48) subjectæ. Quæ vulgo vocatur Æra Augusti Hispana, ann.	3	711 inchoan.	2 184
Tertia, victoriæ ad Actium, 2 Septembr., teste Dione [11], Josepho [12], et aliis passim.	8	715 finien.	2 185
Addit Josephus [13], hunc fuisse annum 7 Herodis a capta Jerosolyma.	15	723	2 187
Quarta, plenæ monarchiæ, post nempe exstinctos I Augusti			

(1) De die natali, cap. 8. (2) Lib. 18 Nat. hist., c. 25.
(3) Lib. 1 Saturn., c. 14. (4) Cap. 3. (5) Lib. 43.
(6) In fine lib. 2 Bellor. civil. (7) In Jul. Cæsar.
(8) In eodem cap. 45 et in Aug. cap. 31.
(9) De correct. Calendarii. (10) Ut supra cap. 9.
(11) Lib. 51.
(12) Lib. 1 Belli, cap. 14, et lib. 15 Antiq., cap. 6 et 7.
(13) Lib. 1 Belli, cap. 15, et lib. 15 Antiq., cap. 10 et 11.

		Urbis conditæ	anno Olympiadis	
Antonium et Cleopatram ultimam e sanguine Ptolemæorum reginam,	16	724	3	187
Augusto IV cum M. Licinio Crasso Coss. Ita Dio et Joseph supra. Qui addunt, Augustum eodem tempore confirmasse regnum Herodi obviam sibi facto Rhodi, prospicientique ne per arida loca transeunti aquarum copia deesset. Idemque affirmant Hegesippus [1], Dio, Paulus Orosius [2], Plutarchus [3], Torniellus et alii. Ptolemæus [4], et anonymus auctor apud Clementem Alexandrinum [5] signant regnum Augusti a nece Cleopatræ anno Nabon-Assaris 718 a morte Alexandri Magni 294.				
Quinta, Nominis Augusti a S. P. Q. R. publice ei VII Consuli delati 17 Januarii	19	726 finien.	1	188
Ita Censorinus [6], qui et annos Augustæos ab hoc 19 Juliano enumerat: et annos Augustæos, vel Augustanos Romanos toto triennio posteriores facit annis Augustorum Ægyptiis: nam Ulpii et Pontiani consulatum consignat anno Juliano 283, Augustano 265 et Augustorum 268.				
Sexta, Tribunitiæ potestatis ab Augusto XI Consule susceptæ 27 Junii,	23	731 inchoan.	2	189
quam per integros 36 annos et fere duos menses, nempe ad obitum usque suum gessit, teste Vellejo [7], Dione [8], Tacito [9], et aliis.				
Septima, Templi Jani rara felicitate ter clausi. Primo, anno Juliano 17 proxime sequente exstinctam Cleopatram cum Antonio. Secundo, post finitum bellum Cantabricum anno 21 Juliano. Tertio, decretum quidem anno 35 Juliano, ut clauderetur: sed Daci Istrum transgressi, et rebellantes Dalmatæ, ne id fieret obstitere. Neque enim illa Jani clausura nuptiis Tiberii cum Julia Augusti filia, stupris postea tam infami, quæ hoc anno celebratæ sunt: sed unigeniti filii Dei cum humana natura sexto post anno in immaculatæ Virginis utero perfectis nuptiis debebatur. Ergo tertia Jani clausura ab Augusto XII [10] Consule facta est anno demum Juliano	41	749	4	193
Tribunitiæ suæ potestatis anno 18, ut habet vetus inscriptio apud Plinium [11]. Eadem docent Dio [12], Orosius [13] et Sigon. [14], ut Baronius [15] testatur. Neque vero fuit ante annum illum 41 Julianum pax generalis in orbe, ut norunt omnes periti historiarum: neque post illum diu perseveravit, Parthis et Armeniis (ut Dacos et Athenienses reticeam) adversus Romanos tumultuantibus, ut scribunt Vellejus, Dio, Orosius, Tacitus [16] et alii. Ad quos compescendos Augustus Cajum M. Agrippæ generi sui filium, nepotem suum et imperii heredem, cum plena potestate misit in Orientem anno Juliano	44	751	2	194

(1) Lib. 1, cap. 34. (2) Lib. 6, cap. 19.
(3) In Antonio. (4) Lib. 3 Almag. cap. 8.
(5) Lib. 1 Strom. (6) Ut sup. cap. 8.
(7) Lib. 2. (8) Lib. 53.
(9) Lib. 1 Annalium.
(10) Adscentior et ego cum Tirino, Augustum non statim ut Jani clausuram decrevit, eam fecisse. Decrevit autem illam a. U. C. 744, Consul 11. Utrum autem Consul 12, a. U. C. 749 Jani templum clauserit (quod cum Tirino sentit Norisius) non adeo certum; immo probabilissimum mihi est cum Henschenio clausum illud fuisse ab Augusto XI Consule a. U. C. 746, Consulibus C. Marcio Censorino, C. Asinio Gallo. Vide et P. Daude t. 1 *Hist. univ.*, p. 63.
(11) Lib. 3 Natur. hist., cap. 20. (12) Lib. 53 et 16.
(13) Lib. 6, cap. 21 et lib. 7, cap. 3. (14) De reb. Jud.
(15) Initio primi anni Christi n. 10, etc. (16) Lib. 5.

		Urbis conditæ	anno Olympiadis
quando provincias varias bello turbatas tranquillavit, teste Vellejo [1] ejusdem Caji comite et militum Tribuno : item Svetonio, Dione, Floro, Zonara et aliis, qui addunt, Cajum illum Cæsarem bellis illis gerendis occupatum vulnere ab Adduo quodam sibi inflicto interiisse, paullo post fratrem suum Lucium, præpropera morte, dum ad Hispanicos exercitus properat, exstinctum (dolis, ut credebatur, Juliæ matris suæ, quæ jam secundas nuptias cum Tiberio contraxerat), anno Juliano	48	755	2	195
Judæam quoque jam tum anno 43 Juliano, statim a morte Herodis, quadruplici bello arsisse, testis est Josephus [2], Josippus [3], Hegesippus [4], Tacitus [5] et alii. Clausum tamen reliquit Janum Augustus annis totis 13 nempe usque ad cladem Varianam, quæ annum 54 Julianum funestavit, ut iidem testantur.				
Octava, lustri seu census generalis ter ab Augusto instituti, vicenis semper annis interjectis. Primum enim indixit in suo vi consulatu cum collega genero suo M. Agrippa, anno Juliano	18	726	4	187
Secundum sine collega, Coss. M. Marcio Censorino [6] et C. Asinio Gallo [7] anno	38	746	4	192
Quæ fuit prima descriptio per Cyrinum seu P. Sulpicium Quirinium facta, saltem inchoative: nam is coactus bellum suscipere cum Homonadensibus (ob quod etiam insignia meruit triumphi) censum quasi suo nomine perficiendum reliquit Sentio Saturnino [8] cum collegis, qui Christum in Bethlehem descripsit, et post Judæam, Germaniam quoque descripsit, et Africam, teste Vellejo [9] et Tertulliano [10]. Nam ejusmodi lustris fere quinquennium impendebatur.				
Tertium cum collega Tiberio genero suo, duobus Sextis Coss. Pompejo et Apulejo, ultimo vitæ suæ anno, inchoante Juliano [11].	39	766	1	198
Et hæc fuit secunda descriptio ab eodem Cyrino Syriæ præside perfecta. Qua occasione Judas Galilæus Judæus ad defectionem sollicitavit, ut Gamaliel loquitur in Actis Apostolorum c. 5, 47. Vide de his Josephum [12], Indiculum Ancyranum, Svetonium [13], et alios supra citatos.				
Nona, mortis Augusti, quæ contigit 19 Augusti mensis, ann. Jul.	59	767	2	198
cum imperasset a nece Julii Cæsaris annos 57, menses 5, dies 4 id est tres lunares cyclos decemnovennales, cum quartum cyclum vitæ jam ante peregisset. Unde ortus et occasus Augusti, item cædes Julii Cæsaris notantur cyclo lunæ xv. Explevit enim annos				

(1) Lib. 2.
(2) Lib. 17 Antiq., cap. 12, et lib. 2 Belli, cap. 2 et 3.
(3) Lib. 5.
(4) In fine lib. 1 et initio 2.
(5) Lib. 5 et 12.
(6) Cajus, non M. prænomen fuit Censorini.

(7) Rite hunc annum censui huic adsignat Tirinus, etsi alii in diversa abeunt. Certe quo tempore census hic in Judæa peractus est, C. Sentius Saturninus Syriæ præses ordinarius erat, hic porro ab anno U. C. 746 ad 748 productum Syriam præses administravit successoremque habuit eodem anno 748 P. Quinctilium Varum. Vide Joan. Dan. Schoepflinum in *Chronologia Syriæ Præsidum*, p. 480 seq. suarum *Commentationum historicarum et criticarum*.

(8) Crediderim potius, Quirinium post confectum contra *Homonadenses* bellum, census peragendi extraordinariam potestatem obtinuisse: illum autem vel Romam reversum Saturnino ordinario Præsidi id negotii reliquisse perficiendum, ut Henschenius conjiciebat, vel etiam censum peregisse Tertullianum autem ordinarium potius, quam extraordinarium Magistratum appellasse. Confer P. Daude p. 216.

(9) Ut supra.
(10) De Pallio, cap. 1.

(11) Lustrum hoc anno in campo Martio magna populi frequentia fecit Augustus; sed censum instituerat a. U. C. 700. Vide P. Daude l. c., et Schoepflinum p. 484.

(12) Lib. 17 Antiq., cap. 5, et lib. 18, cap. 1, et de Bello l. 2, c. 7.
(13) In Augusto.

vitæ fere 76 (nam deerant solum 35 dies): natus anno Urbis 691, Septembris 23, mortuus, ut dixi, 19 Augusti, anno Urbis 767. Triumviratum tenuit pene 12 annis, nempe a 27 Novembris, anni 3 Juliani, usque ad devictum Antonium apud Actium, 2 Septembris, anno 15 Juliano. Postea solus imperium tenuit annis pene 44, desunt enim 13 dies. Ita Svetonius [1], Eutropius, Tacitus, Dio, Vellejus, Josephus, Cassiodorus, Aurelius Victor [2] et alii.

CAPUT XLV.

DE HERODE ASCALONITA, EJUSQUE FILIIS ARCHELAO, ET HERODE ANTIPA, ET NEPOTE ATQUE ABNEPOTE HERODE AGRIPPA.

	Urbis conditæ	anno Olympiadis
Primo, natus Herodes novennio ante Cæsarem Augustum in urbe olim Philisthæa Ascalone, patre Antipatro Idumæo ex posteris Esau. Natus ergo est anno Urbis conditæ	681	4 176
Secundo, huic Antipatro C. Julius Cæsar, confecto bello Alexandrino, administrationem commisit provinciæ Judææ, ut dixi c. 42 in pontifice Hircano. Porro filiis Antipatri, Herodi et Phasello sub idem tempus tetrarchias divisit M. Antonius, anno	706	1 183
cum Herodes esset annorum, non ις, seu 15 (ut vitiose scriptum est in Josepho [3], et qui ex Josepho descripserunt, Gorionide, Photio, Nicephoro et Abulensi), sed κε, id est 25, ut notant Torniellus [4] et Kepplerus [5]. Et colligitur ex eodem Josepho, qui dicit, Herodem tum temporis bello et militia clarum fuisse, et rebus arduis gestis passim terrori omnibus, quem et Sextus Cæsar Syriæ tum præses præfecit toti Cælesyriæ: et jam novennio ante, nempe Cornelio Lentulo et L. Marcio Coss. intercessisse maximam familiaritatem inter M. Antonium et Herodem. An forte cum pusione sexenni familiaritas tanta fuit M. Antonio?		
Tertio, regnum Judææ cum regio diademate, per M. Antonium (Antiochiæ post triennium securi percusso Antigono Asmonæorum pontifice et principe), Herodi conceditur a S. P. Q. Rom. Calvino II et C. Asinio Pollione Coss. anno Juliano	6 713 finien.	4 184
ut relatum est in tabulas æreas Capitolii. Ita Josephus [6], Josippus [7], Hegesippus [8], Dio Cassius [9], Appianus [10], Sulpitius [11], Eusebius [12], et alii.		
Quarto, regiam urbem Jerosolymæ oppugnare cœpit Herodes duce et opitulante Sosio, qui Orienti pro Romanis præerat, anno Juliano 8, et cœpit anno sequenti Sabbatico, et in die Sabbati, anno	9 717 inchoan.	4 185
Coss. M. Agrippa et Caninio Gallo, in solemni Judæorum jejunio 4 mensis Tamuz, in quo et olim ante 27 annos eamdem in-		

(1) Ut supra. (2) In Epitome.
(3) Lib. 14 Antiq., cap. 17, 19, etc. (4) An. 4051.
(5) In Sylva chronologica.
(6) Supra, c. 26, et l. 16, c. 9, et l. 17, c. 10, et l. 1 Belli, c. 11, 16, 21.
(7 Lib. 5, cap. 9, 10, 11, 12, 41, 43. (8) Lib. 1, cap. 45.
(9) Lib. 55. (10) Lib. 5 Bellor. civil.
(11) Lib. 2. (12) Lib. 1 Hist., cap. 5.

	Urbis conditæ	anno Olympiadis
ferceperat Pompejus, ut dixi c. 42 in Aristobulo II. Ita Josephus [1], Dio Cassius [2], et alii.		
Quinto, regnum Judææ, quod per M. Antonium a S. P. Q. Rom. Herodes obtinuerat, victo jam exstinctoque Antonio, Augustus, eidem confirmavit, ut dixi c. 44 in æra 4 Augusti, anno Juliano	16 724	3 187
Sexto, templum Jerosolymitanum, anno a capta Jerosolyma 18, regni vero sui 21, anno Juliano	27 734	1 190
Herodes de novo construere cœpit, quo sibi nomen Messiæ vindicaret. Et quidem bonam templi exterioris partem absolvit tot quot olim Salomon annis pene 8 interiorem sanctuarii fabricam, altero sesquianno. Tum dedicavit templum suum Herodes, anno Juliano	finien. 36 743	2 192
et quidem ipso natali regni sui anniversario die. Ita Josephus [3], Sigonius [4], Constantinus Phrygio [5], Mercator, Funccius [6] et alii. Reliqua interim templi, jam quidem dedicati, sed nondum perfecti, constructio ad usque Neronis tempora perseveravit, 18000 opificum et pluribus in eo perficiendo quotidie laborantibus, inquit idem Josephus [7] et alii. Et an. 15 imperii Tiberii, id est 73 Juliano, jam completi erant hujus operis anni 46. Tot enim reperies a 27 Juliano, quo cœptum condi templum, usque ad 73 qui fuit annus baptismi, et primus prædicationis Christi, quando, Joan. 2, dicebant Judæi, *quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc.*		
Sed magno stetit Herodi Messiæ nomen affectasse: nam infelix exinde perpetuo fuit et foris, et domi, conspirantibus in ipsum et fratre suo Pherora, et utraque conjuge, Doride ac Mariamne; et tribus filiis Alexandro, Aristobulo, et Antipatro cum plurimis e nobilitate Judaica. Quos pene omnes crudeli morte de medio sustulit, nominatimque tres illos filios suos, obtenta a Cæsare Augusto necandi illos facultate, paullo ante mortem suam, ut dicam c. 49 in 2 anno Christi. Et hæc erat Cæsari Augusto causa dicendi, *Malle se porcum Herodis esse quam filium.*		
Mortuus est Herodes exacto anno 37 regni sui (ex quo illud a S. P. Q. Rom. obtinuerat, anno Juliano 6 ut supra dixi), mortuus, inquam, paullo ante Pascha anni Juliani	45 750	1 194
Coss. Cornelio Lentulo et M. Valerio Messalino. Ita Josephus [8], Josippus [9], Hegesippus, Dio Cassius, Appianus, Severus Sulpitius, Euseb. Cæsariensis, Nicephorus Callistus, Cedrenus, Zonaras, Nauclerus, etc. Addit Sigonius, neminem veterum fecisse Herodem superstitem post annum 43 Julianum, qui est 37 regni Herodis, neque quidquam ab eo gestum commemorari post id tempus. Eidem calculo ex modernis subscribunt Massæus Cameracenas, Sabellicus, Genebrardus, Jansenius, Salmeron, Torniellus, Toletus, Funccius et alii [10].		
Mortuo Herode filii ejus et heredes Archelaus et Antipas (nam tres filios vivens adhuc parens e medio sustulerat) de regni successione litem moverunt, et Romæ causam dicere jussi sunt		

(1) L. 14 Antiq., c. 28 et ult., et l. 1 Belli, c. 13, et l. 6, c. 11.
(2) Lib. 49.
(3) L. 15 Antiq., c. 14, et l. 20, c. 8.
(4) In notis ad Sulpitium.
(5) In Chron.
(6) Merc. et Funcc. in Chronic.
(7) Lib. 20 supra.
(8) Lib. 54 Antiq., cap. 26; lib. 17, cap. 10, et lib. 1 Belli, cap. 16 et 21.
(9) Josipp. et alii supra cit.
(10) Vide etiam P. Daude, p. 212.

		Urbis conditæ	anno Olympiadis
coram designatis ab Augusto, Cajo Cæsare nepote Augusti liti illi præsidente: qui mox a finita lite, e matre Julia ob adulteria in exilium pulsa, in Syriam excurrit, et in reliquum Orientem (ut dixi c. 44 in 7 æra Augusti) anno Juliano	44	751	2 194
Lis vero sic decisa est, neutri regnum assignaretur, sed dissectum in quatuor tetrarchias a 4 diversis Tetrarchis administraretur: et Archelao quidem cessit Judæa proprie sumpta, Herodi Antipæ Galilæa, Philippo fratri illorum regio Trachonitidis et Caulanitidis, Lysaniæ Abilida, Lucæ 3, v. 1.			
Archelaus 9 annos implevit in sua tetrarchia, et 10 inchoato usque ad tempus messis, in exilium anno Juliano	52	759	2 196
jussu Augusti, septennio ante mortem Augusti actus est, anno ab Actiaca pugna 37. Ita Josephus [1], qui addit, parentem suum anno 10 tetrarchiæ Archelai natum esse, ut probat ex publicis tabulis, ad quas tum cum scriberet adhuc extantes palam provocat suos et historiæ suæ obtrectatores. Eidem annorum Archelai numero subscribunt Eusebius, Zonaras, Photius, Beda, Haymo, Albertus Magnus, Abulensis, Marianus Scotus, Petrus Machado, Mercator, Joannes Gagnæus, Salmeron, Toletus, Barradius, Scaliger. Neque quisquam hactenus negavit.			
Archelao in exilium deportato, tres consequenter præsides dedit Judææ Augustus, qui 7 integris annis, nempe usque ad mortem Augusti præfuerunt, inquit Josephus [2], nomina et gesta singulorum recensens. Primum, Coponium: qui una cum Quirinio Syriæ totius præside vendidit et confiscavit facultates Archelai; secundum, M. Ambivium; tertium, Annium Rufum. Quo præside mortuus est Augustus anno Juliano	59	767	2 198
Mortuo Augusto Tiberius quartum Judææ præsidem dedit, Valerium Gratum, qui usque ad annum Julianum	71		
præfuit Judææ per undecim annos. Quintum deinde dedit, Pontium Pilatum anno imperii sui 13, qui præfuit Judææ 9 annis et paucis mensibus, quando et ipse in exilium actus est jussu Tiberii, sub finem anni Juliani	80	788	3 203
Hujus anno secundo baptizatus est Christus, quinto crucifixus sententia per ipsummet Pilatum lata.			
Pilato suffectus est Marcellus Cumanus, Claudius Felix (Actor. 23, v. 24 et c. 24 toto), Portius Festus (Actor. 24, v. ult. et c. 25 toto) Albinus, et Florus cujus anno 2 cœpit bellum Judæorum adversus Romanos, Neronis 12 a morte Christi 35, mense Majo, anno Juliano	110	inchoante 818	finiente 4 210
cum quinto post anno 8 die Septemb. a Tito expugnata et excisa est Jerosolyma.			
Interea sicut Herodi Antipæ olim in sua tetrarchia Galilææ concessum tandem fuit nomen regium cum diademate ceterisque insignibus regiis: sic concessum fuit id ipsum etiam a Cajo Caligula Herodi Agrippæ seniori, Herodis Antipæ (ex Aristobulo fratre olim ab Ascalonita necato) nepoti, idem concessum etiam hujus filio Agrippæ juniori ab Imperatore Claudio anno imperii ejus octavo, Coss. Aulo Vitellio et L. Vipsanio Poplicola, Actor. 25, etc. anno Juliano	93	801	4 205
tenuitque usque ad excisam a Tito Jerosolymam, in qua oppugnatione juvit hic rex Agrippa Romanos.			

(1) Lib. 17 Antiq., cap. 15.
(2) Lib. 18 Antiq., cap. 1 et 3.

Sed de duobus his Agrippis, quia res obscurior est, in gratiam Lectoris, paullo fusius agam ex Josepho [1], et aliis historiographis.

Erat senior iste Herodes *Agrippa* Aristobuli ab Herode Ascalonita necati filius, frater Herodiadis, quæ ex throno Philippi patris sui (Marci 6, vers. 16) ad Herodis Antipæ, alterius patrui sui thronum devolarat, eratque hic Agrippa Cajo *Caligulæ* Imperatori extreme in deliciis, quod cum Romæ degeret, eidemque adhuc privato imperium prædixisset, et semper familiarissime adhæsisset, ad invidiam usque Tiberii Cæsaris: cui dum aliquando celerem mortem imprecaretur, ut *Cajus* nepos ejus tanto citius ei in Imperio succederet, in carcerem a *Tiberio* detruditur. Sed post paullo moriente *Tiberio*, succedens illi Cajus Agrippam carcere educit, donatum catena aurea ponderi pari catenæ ferreæ, qua illum onerarat, et vinxerat Tiberius.

Erat autem Agrippa religionis Judaicæ studiosissimus, inquit Josephus; unde mox atque Jerosolymam attigit, in gratiam Judæorum, primas Ecclesiæ christianæ columnas *Jacobum et Petrum* ad mortem deposcit [2]: sed ipse mox ab angelo percussus lethali morbo interiit. Actor. 12, v. 23. Huic erant duo filii, *Drusus*, *et Herodes Agrippa* junior, et tres filiæ *Drusilla, Berenice et Mariamne* [3].

Porro *Agrippa* non Hebræum, sed Romanum nomen est, deductum, ut ait Gellius [4] ab ægro partu: inditum vero his nepotibus *Herodis* Ascalonitæ in gratiam Marci *Agrippæ*, qui fuit gener Augusti Cæsaris a quo regnum Judææ obvenerat familiæ Herodis. Sic *Druso* nomen datum in memoriam *Drusi*, filii *Liviæ* et fratris Tiberii Cæsaris, *Drusillæ*, in memoriam *Liviæ* uxoris Augusti, quæ alio nomine *Drusilla* vocabatur. Item in gratiam familiæ Claudiæ, cui toti cognomen fuit *Drusus*, in memoriam parentis Drusi, ex quo genitus fuit Claudius imperator, successor Caligulæ.

Drusus Agrippæ filius senior nulla re memorabili celebris fuit. Frater *ejus Herodes Agrippa junior*, moriente patre suo *Agrippa seniore* puer Romæ degebat: cumque adolevisset, a *Claudio* imperatore creatus est *Rex Chalcidis*, adjecta ei *Trachonitide*, tetrarchia olim Philippi [5]. Sed Judæa mansit sub Romanis Præsidibus. Jus tamen in res Judæorum sacras, puta in Templum, et Sacerdotium videtur illi, utpote Judæo (perinde atque antea parenti [6] ejus) speciali gratia indultum: unde et summum Judæorum Pontificem *Ananum* loco movit, teste Josepho, qui suam quoque historiam Judaicam huic Agrippæ dedicavit. Erat bonæ indolis, sedatæ mentis, prudens (etsi juvenis) et intelligens. Judæis bellum contra Romanos omni ratione dissuadere conatus est [7], prædicens illud fore ipsius ruinæ, et excidio, uti exitus demonstravit.

Trium ejus sororum hæc fortuna fuit, *Drusilla* primum desponsata est *Epiphani*, Antiochi in Syria regis filio; sed cum nollet ipse circumcidi (quæ conditio ante nuptias expetebatur) subtracta illi fuit, et *Azizo* Emezæ regi (qui circumcisionis conditionem, ut tam divite et speciosa sponsa potiretur, libens subiit) nuptui data est. Sed profligati pudoris, et fidei femina, a marito Rege ad adulterum Præsidem Judææ *Claudium Felicem*, blanditiis ejus attracta transiliit, abdicata cum fide conjugali, etiam patria religione. Hinc factum ut Drusilla passim diceretur *trium regum uxor*, et ter Regina. Et *Felix* trium reginarum maritus, teste Svetonio [8].

Berenice nihilo sorore continentior, etiam incesti cum fratre suo rege Agrippa concubitus suspectam se reddidit nimia cum ipso familiaritate: nam adeo se invicem diligebant, ut vix divelli possent, ac pene semper sociati incederent [9], Actor. 25, v. 13 usque ad finem c. 15, v. 45, unde et Juvenalis [10] *incestam sororem* vocat, Chrysostomus vero, *uxorem Agrippæ*. Quare *Berenice*, ut sane suspicionem dilueret, nupsit *Ptolomeni Ciliciæ*, vel ut alii volunt, *Lyciæ* regi, sed prius circumciso. Hoc tamen conjugium, inquit Josephus [11], diuturnum non fuit; Berenice pro-

(1) Lib. 8 Antiq., cap. 8 et 19, c. 5.
(2) Act. 12, v. 1.
(3) Joseph. l. 18, c. 7.
(4) Lib. 6, c. 16.
(5) Luc. 3, v. 1.
(6) Joseph. l. 19, c. 3.
(7) Joseph. l. 2 Belli, c. 16.
(8) Sveton. c. 8; Claud. c. 8.
(9) Act. 24, v. 24; Joseph. l. 20 Antiq., c. 5.
(10) Satyra 6.
(11) Ut supra.

pter intemperantiam discedente a marito, qui desertus ab uxore, etiam ipse mox Judaicæ religionis desertor factus est. Eadem Berenices postea placuit *Vespasiano*, inquit Tacitus [1], et nihil propius fuit, quam ut nuberet filio ejus *Tito*.

De tertia sorore hæc addit Josephus: eodem tempore etiam *Mariamne* dedignata *Archelaum*, migravit in thalamum Demetrii primi inter Alexandrinos Judæos et Alabarchæ, seu Salinarum principis, ex quo filium Agrippina suscepit.

Si tantæ sordes familiam regiam publice occuparunt, quid de reliquis Judæorum familiis statuemus?

CAPUT XLVI.

ARBOR GENEALOGIÆ PATRIARCHARUM VETERIS TESTAMENTI, ET EX HIS PROGNATI JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI.

. . . . . .

CAPUT XLVII.

SEXTA MUNDI ÆTAS.

Ab incarnato Filio Dei, seu ab adventu Messiæ in mundum, usque ad reditum ejusdem ad ultimum judicium.

Nos hic non progrediemur ultra excidium urbis et templi Jerosolymitani per Titum, id est non ultra 74 annos ab Incarnato Filio Dei: nisi quod reliqua quædam usque ad mortem S. Joannis Evangelistæ, quia etiam ista SS. Scripturis elucidandis necessaria sunt, paucis perstringam, nempe usque ad annum 68 a morte Christi, quo constat Joannem demum e vivis excessisse. Porro nomini mirum videri debet, nos sextam mundi ætatem potius ab incarnatione seu conceptione Verbi divini, 25 Martii, quam a nativitate ejusdem 25 Decembris inchoare: quia mundum ipsum supra cap. 9 ostendimus creatum fuisse mense Martio, in æquinoctio verno, et annos omnes hucusque (iis exceptis quorum peculiaria initia subinde adnotavimus) ab æquinoctio verno inchoavimus. Et solebant olim non modo Galli et Angli, sed et complures aliæ nationes, annos Christi ab ipsa Verbi incarnatione 25 Martii inchoare, teste Covarruvia [2], Henriques [3], et Joanne Lucido [4]. Dicunturque Veneti et Pisani in Italia etiamnum initium anni Christi ab illo die accersere. Neque obstat, quod soleant anni vulgo signari, non concepti, sed nati Christi. Quia Verbi incarnatio potest etiam non incongrue vocari nativitas, non quidem ex utero, sed in utero Virginis. Et ita loquitur angelus Matthæi 1, v. 21: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.*

Tamen, quia chronologi fere a Kalendis Januarii, vel a fine Decembris, quo natus est Christus, annos illius ordiuntur, ut et Julianos, et Imperatorum Romanorum et Consulum annos omnes, quorum frequens ubique erit usus; nos quoque initium annorum deinceps (nisi secus indicemus) ab iisdem Calendis ordiemur.

(1) Lib. 1 et 2 Hist.
(2) Lib. 1 Variar. resolut., cap. 12, n. 2.
(3) Lib. 8 de Eucharist., c. 11, § 10, tit. 1.
(4) De die Pass. Christi, cap. 3 et 5.

De anno conceptùs, nativitatis, baptismi et mortis Christi.

	Juliani	Urbis	Regni Herodis	Augusti, a nece Cæsaris	ab Actiaca pugna	Olympiadis	Coss. Lælio et Antistio
Primo, Joannes Keplerus mathematicus (1) Cæsaris Matthiæ Secundi (2) vult conceptum Christum initio, natum in fine anni	40	748	35	39	27	193. 3	
Secundo vetus Chronicon Weingartensis monachi usque ad an. Christi 1197 apud Henricum Canisium (3); item vetusti Annales apud Epiphanium (4) et aliud Chronicon apud Eusebium anonymus quoque sed pervetustus chronologus, qui ante 1400 fere annos floruit; et ex his aliisque Laurentius Suslyga Polonus (5)	41	749	36	40	28	193. 4	Augusto XII et L. Sulla
Tertius, Severus Sulpitius (6), et cum eo fere Irenæus, Tertullianus, Hieronymus, Julianus Pomerius	42	750	37	41	29	194. 1	Calvisio Sabino et Passieno Ruffo
Quarto, Clemens Alexandrinus, Zonaras, Cassiodorus, Marianus Scotus: et cum his illustrissimus Cardinalis Baronius, Genebrardus, Toletus, Salmeron, Serarius, Samerius, Sethus Calvisius, Josephus Scaliger in editione secunda librorum de Emendat. tempor.	43	751	38	42	30	194. 2	Cornelio Lentulo et M. Valerio Messalino
Quinto, Epiphanius (7), Paulus Orosius (8), Eusebius, Nicephorus, Hermannus Contractus, Maffæus Cameracenas, Nicolaus Copernicus, Tabulæ Prutenicæ, Onuphrius, Gerardus Mercator, Antonius Magirus, Ticho Brahæus; et fere Franc. Suarez, Alphonsus Ciacconus, Sigonius, Scaliger in editione prima, Pererius, Ribera, Maldonatus, Mariana, Salianus	44	752	39	43	31	194. 3	Augusto XIII et M. Plautio
Sexto, Joannes Lucidus, Petrus Pitatus, et, ut putatur, Dionysius Abbas, dictus ὁ μικρός, seu parvus, cum multis aliis chronologis	45	753	40	44	32	194. 4	Lentulo et L. Pisone
Septimo, Paulus Middelburgensis Forosemproniensis Episcopus (9). Petrus de Aliaco, Alexander Scultetus, Bellarminus (10), Azor. Et hæc fuit vera sententia Dionysii Abbatis et Bedæ. Et horum calculo utitur hucusque Romana Ecclesia in suis Martyrologiis, Breviar., etc.	46	754	41	45	33	195. 1	C. Cæsare et L. Paulo

(1) In Sylva Chronologica et lib. de vero an. Christi.
(2) Henschenius, Daudius.
(3) Tom. 1 Antiq. lection., et c. 19 Chron.
(4) Hæresi 51.
(5) De anno ortus et mortis Christi.
(6) Lib. 2 Sacræ Histor.
(7) Ut supra.
(8) Lib. 1, cap. 1, et lib. 7, cap. 2.
(9) 2 part. Paulinæ, lib. 7, cap. 2.
(10) Tom. 1 Controv., lib. 3 de cultu Sanctor., cap. 11.

Sunt etiam alii qui uno alteroque anno serius natum contendunt. Neque minor est contentio de anno mortis (consequenter et baptismi) Christi, aliis anno Juliano 74, aliis 75, 76, 77, 78, 79, 80, 81, 82 mortem ejus consignantibus [1].

Rationes singulorum non profero in medium, quod ad manum sint, neque hujus mei instituti sit, eas aut refellere aut damnare. Solum enim ex SS. Scripturis et probatioribus auctoribus adferre decrevi quæ lucem aliquam in tantis tenebris dare possint.

Constat primo, *natum* Christum *in diebus Herodis regis*, Matth. 2, v. 1. Atqui jam vidimus c. 45 ex auctoribus fere 20 mortem obiisse Herodem paullo ante Pascha anni 43 Juliani, et 37 regni sui a Romanis accepti. Nec quisquam veterum (ait Sigonius) Herodem magis longævum fecit. Quo modo ergo potuit Christus, si natus est in fine anni 43 Juliani, vel 44, 45, 46, ut habent sententiæ quarta, quinta, sexta, septima, dici natus esse in diebus Herodis regis, Herode jam pridem vita functo? Nam quod Scaliger dicit Herodem facile 39 annis regnasse, Gerardus Mercator et Henricus Buntingus 40, Baronius adhuc pluribus: vellem, tot tantisque testibus comprobare possent, quot qui solum 37 annos illi consignant. Et ut in eo fallerent auctores, an etiam in hoc omnes fallunt (quod hactenus a nullo negatum memini) Cajum Cæsaris Augusti ex Julia nepotem, anno 44 Juliano ex urbe Roma cum exercitu missum in Orientem, ut c. 44 ex Vellejo itineris ejus socio et tot aliis auctoribus probavi. Atqui Cajus ille prius quam urbe excederet, præsedit ibidem liti, quam mortuo jam Herode, filii ejus Archelaus et Antipas de regni successione sibi mutuo moverunt. Ergo mortuus erat Herodes ante annum 44 Julianum, qui futurus erat annus regni ejus 38.

Constat secundo, natum Christum, cum primam descriptionem suam faceret Cirinus seu Quirinius Syriæ præses, Lucæ 2, v. 2. Atqui descriptionem suam primam inchoavit Cirinus anno 38 Juliano, ut dixi c. 44, continuavitque seu per se, seu per vicarium suum Sentium Saturninum, de more per quinquennium: quo exacto successorem accepit Quintilium Varum initio anni 43 Juliani, ergo non potuit in fine illius 43 anni natus fuisse Christus.

Et hæc quidem adversantur, ut dixi, quatuor ultimis sententiis. Uti et istud, quod secundum illas Christus anno 15 imperii Tiberii, quo S. Lucas cap. 3, v. 23 dicit Christum fuisse circiter 30 annorum; non fuerit nisi 26, 27, 28 vel summum 29 annorum cum baptizaretur a Joanne. (Tot enim, nec plures reperies, si annis imperii Augusti, quos istæ sententiæ reliquos faciunt a nato Christo, adjeceris annos 15 imperii Tiberii, secundum dicta supra c. 44.) Et quod Christus cum pateretur in cruce, non inchoarit nisi 30 vel 31, 32, 33 annum: nisi faciant Christum pluribus quam tribus cum medio annis prædicasse, quod Evangelistis et communi traditioni adversatur.

Primæ sententiæ similiter officit, quod secundum illam Christus anno 15 Tiberii fuerit 32 annorum plane completorum [2]: et 36 egerit cum cruci affigeretur [3]. Ut alia omittam, quæ opinioni illi minus favent. Et quod auctoribus fauctoribusque destituatur.

Secundæ sententiæ nocere videtur, quod secundum illam Christus anno 15 Tiberii fuerit 31 annorum completorum: et 35 inchoarit cum cruci affigeretur. Alioquin hæc sententia in nullo pugnat, sed optime quadrat cum omnibus sacris et profanis historiis ac chronologiis: quod nulli alteri sententiæ conveuit. Favet eidem, quod illo præcise anno 41 Juliano, quo ponit illa natum Christum, pax fuerit generalis toto orbe, et Janus ab Augusto clausus, dixi c. 44. Quod fuerit idem ille annus quo Judæi, longa Herodis fessi tyrannide, sese tandem ultro illius imperio et sceptro subdiderunt, fidei sacramentum præstando: atque ita Judæ sceptrum ad alienigenam transtulerunt; quæ certa primi adventus Messiæ indicia Patres assignant, et docent Driedo, Landus, Petrus Garsias, Salmeron, Ribera et alii. Denique favet illi sententiæ, quod S. Lucas cap. 1, vers. 5 dicit in evangelismo Joannis Baptistæ, *vicem* fuisse *Abia:* et Zacha-

(1) Alias de anno Christi natali sententias vide apud I. A. Fabricium in *Bibliographia antiquaria.*
(2) Distingue duplicem Tiberii Epocham, aliam a Procunsulari Imperio, aliam a Monarchia; tum omnis difficultas evanescet. Confer P. Daude p. 218 seq.
(3) Christum an. vulgaris æræ 29 cruci affixum si dixeris cum Henschenio, Christus an. 34 agebat quum cruci adfigeretur, non 36.

riam qui erat de vice Abia, ordine vicis suæ incensum tunc adolevisse Deo in templo. Cum enim ex certissima traditione, et SS. Patrum auctoritate constet, Joannem conceptum in æquinoctio autumnali, natum in solstitio æstivali, sicut Christus conceptus est in æquinoctio verno, natus in solstitio hiemali: immo plerique asserant, conceptum fuisse Joannem ipso Scenopegiæ festo, 15 Tisri, 29 nostri Septembris, et quidem in Sabbato; non potuit ephemeria seu vices Abiæ in mensem Septembrem incidere, nisi anno 40 Juliano. Ut patebit, si cui libuerit, ephemerias seu vices omnes (quibus successivo ordine serviebant hebdomadatim in templo 24 familiæ sacerdotales, ex præscripto Davidis, 1. Paral. 23, neque ulli umquam interruperunt aut interpolarunt suum ordinem, teste Josepho [1] et aliis) retrogrado ordine, sed infallibili calculo supputare a 9 die mensis 5 Ab, seu a 4 nostri Augusti, anni 115 Juliani, quo die miles Titi potitus est templo, et ephemeria *Jojarib*, teste Seder-olam, et reliquis Rabbinis cum Josepho [2] inserviebat tum templo. Si cui, inquam, libuerit, ab illo die per omnes retro orbes hieraticos istarum 24 familiarum regredi, comperiet, numquam sub id tempus ephemeriam seu vicem Abiæ in Septembrem mensem incidisse, nisi anno illo 40 Juliano, quem dixi. Et consequenter, Christum, qui nonnisi medio anno secutus est Joannem, Lucæ 1, vers. 36, conceptum fuisse initio anni 41 Juliani, et natum in fine ejusdem. Hæc, inquam, et plura alia valde commendant hanc sententiam. Et irent in illam pene omnes, si persuaderi ipsis posset, illud Lucæ 3, vv. 1 et 23: *Jesus* anno 15 imperii Tiberii *erat incipiens quasi annorum triginta;* exponendum esse de anno 32 inchoato [3].

Tertia sententia nihilo levioribus incommodis, immo longe gravioribus, laborat. Nam et cædem infantium et mortem Herodis non differt ultra trimestre a nato Christo, cum tamen jusserit Herodes, Matth. 2, necari omnes infantes *a bimatu et infra secundum tempus quod exquisierat a Magis.* Et Eusebius, Epiphanius, Augustinus, Nicephorus, Cedrenus, Eucherius, Anselmus, Haymo, Beda, Hugo Cardinalis, Lyranus, Carthusianus, S. Thomas, Antoninus, Abulensis, et pene omnes alii auctores velint anno 2 Christi occisos esse infantes, sub idem tempus quo et filium suum Antipatrum Herodes occidi jussit, quinto prius quam moreretur die, anno 43 Juliano ante Pascha, ut Josephus [4], Josippus, Hegesippus, Macrobius [5] et alii testantur. Quin et S. Lucas cap. 2, vers. 22 et 51, videtur huic sententiæ adversari, cum dicit, oblatum in templo puerum die a natali ejus 40. Indeque revertisse in Galilæam, et habitasse in Nazareth: ac postea demum profugisse in Ægyptum, quando futurum adhuc erat, ut Herodes quæreret puerum ad perdendum eum, Matth. 2, v. 13. Accedit quod de *vice Abia* paullo ante notavi, et alia quæ huic sententiæ incommodant.

Eligat lector quamcumque voluerit sententiam, et quam minoribus incommodis obnoxiam senserit: neque enim ulli certæ sententiæ adstringimur, ut ex jam dictis patet. Nam quod de vulgari Romanæ Ecclesiæ calculo, quem Dionysianum vocant, et quo usa est hucusque Ecclesia, secundum quem præsens hic annus quo hæc scribo est 1630, quidam arbitrari possent, eum judicio Ecclesiæ comprobatum esse, nec licere, ab eo deflectere, frustra est: neque enim ea mens est Ecclesiæ, quæ non aliter utitur calculo Dionysiano, quoad tempora Christi, quam calculo utatur Eusebiano, quoad tempora ante Christum (in quibus tamen peritiores quique chronologi plus mille annis dissentiunt ab Eusebio) et usa est Calendario, Breviario, immo et Bibliis non adeo correctis, usque ad tempora Sixti V. Nempe solum usum voluit, forte quia tunc meliora ad manum non erant. Ceterum vitia non probat; sed corrigit cum commodum fuerit. Quod haud dubie circa Dionysianum quoque calculum (qui maxime invaluit 532 anno a nato Christo) jam pridem præstitisset, nisi usus illius jam nimis invaluisset, et sine ingenti totius orbis incommodo mutatio illa fieri non posset, cum publica instrumenta omnia jam a mille annis secundum eum calculum confecta sint. Unde et illustriss. Annalium scriptor Baronius, licet toto biennio prævertat calculum

(1) Lib. 5 Antiq., cap. 11. (2) Lib. 7 Belli, cap. 9.

(3) Aliis urgetur difficultatibus isthæc sententia. Nam, ut omittam, in ea non satis commode explicari annos baptismi et mortis Christi, inter mortem Herodis, et ortum Christi nimis breve spatium interjici, quo minime ea fieri potuerunt, quæ ab Evangelistis atque Historicis ad mortem Herodis facta esse leguntur. Vide P. Daude p. 213.

(4) Ut supra. (5) Lib. 2 Saturn., cap. 4.

Dionysii quoad diem natalem Christi, ne tamen perpetuo dissideret a Dionysio, potius in progressu historiæ duo paria Consulum ex Fastis erasit, Fulvium Æmilianum et Pomponium Bassum 2, anno Christi 269, et Cornelium Sæcularem cum Junio Donato, anno Christi 260, quos tamen omnes alii agnoscunt et admittunt. Simili modo Onuphrius Panvinius, Mercator et alii, quo citius in eamdem Dionysii æram devolvantur, eraduut M. Aurelium Probum Augustum et Anicium Paulinum Consules anni Christi 277 et alii alios. Ego malim ingenue fateri, me in natali Christi, cum quæstio de illo instituitur, toto biennio, triennio, quadriennio, prout exigit sententia quam sequi decreverim, prævertere calculum Dionysii, quam loco movere Consules, et seculo tot annos eximere. Ceterum in subducendis annis sequentibus, rebusque toto orbe gestis recensendis insistam perpetuo Dionysii calculo, cum is usus jam invaluerit: hoc semel præmonuisse contentus, æram Christi quam mihi pro vera delegerim, toto biennio, triennio, vel quadriennio antevertere æram Dionysianam; et annum Christi, qui secundum Dionysium jam est 1630, secundum verum calculum esse 1632, 1633, vel 1634. Nam annum primum a nato Christo Dionysianum ex æquo competere cum 46 anno Juliano, mathematicis ac chronologis omnibus pro indubitato est. Unde tot annis calculum Dionysianum in inchoanda vera æra Christi anteverto, quot annis præverto 46 annum Julianum.

Manet ergo plena cuique libertas deligendi pro Christi natali qualemcumque voluerit annum. Ex supra dictis solum notandum, si quis natalem Christi, ac consequenter conceptionem cum prima sententia affigat anno 40 Juliano, cum is sit annus conditi mundi 4000, secundum calculum cui hactenus institimus, conformiter dicat, conceptum Christum initio anni 4000, natum vero sub finem ejusdem. Qui cum secunda sententia delegerit annum 41 Julianum, dicat conceptum initio 4001, lapsis præcise 4000 annorum: natum vero sub finem ejusdem. Qui 42, 43, 44, etc. totidem annis serius natalem Christi cum natali mundi connectat. Nam

Ab orbe et primo Adamo condito usque ad diluvii finem; quæ fuit prima mundi ætas,	anni 1656	ut patet ex hujus Chronici	cap. 8
A fine diluvii usque ad egressum Hebræorum ex Ægypto; quæ fuit secunda ætas,	anni 887		cap. 12
Ab egressu Hebræorum ex Ægypto, usque ad annum primum quo condi cœpit templum Salomonis, quæ fuit tertia mundi ætas,	anni 480		cap. 18
A condi cœpto templo Salomonis, usque ad finem captivitatis Babylonicæ, et monarchiæ Chaldaicæ, fuitque quarta mundi ætas,	anni 452		cap. 29
Ab extincta monarchia Chaldaica, et relaxata captivitate Judæorum per Cyrum primum Persarum monarcham, usque ad finem ejusdem monarchiæ Persarum,	anni 200		cap. 36, 37
Ab extincta monarchia Persarum, et primo anno monarchiæ Græcorum, usque ad finem ejusdem, et initium monarchiæ Augusti seu Romanorum, quæ cœpit a morte Cleopatræ, ultimæ Ptolemæorum et Græcorum reginæ,	anni 300		cap. 36, 39
Denique a morte Cleopatræ, usque ad 25 Martii anni 41 Juliani, qui fuit 40 annus principatus Octaviani Augusti (inchoando hunc illius principatum a nece Julii Cæsaris) effluxerunt	anni 25		cap. 44 et seqq.
Quod si ergo conceptum senseris Christum isto jam dicto anno 41 Juliano, dic consequenter, ab orbe et primo Adamo condito, usque ad secundum Adamum Christum in utero Virginis conceptum, fluxisse præcise integros annos			4000
Quod si anno 42 Juliano; tum adjecto uno anno dic fluxisse annos			4001
Si 43 vel 44 consequenter adjectis tanto pluribus annis, dic fluxisse annos			4002 vel 4003, etc.

Est hæc 6 mundi ætas effluxerunt

Hactenus de anno conceptus et ortus Christi: jam de anno baptismi, ubi nec tanta est opinandi libertas, nec tanta probatorum auctorum dissensio. Frœnos injicit sanctus Lucas cap. 3. vv. 1 et 21, ubi dicit Christum a Joanne baptizatum esse *anno 15 imperii Tiberii Cæsaris*, id est anno 73 Juliano, Coss. Julio Sylano, et Silio Nerva, Olympiadis 201 anno 3, et Urbis 780. Neque hac de re dubium ulli esse potest, tum ob unanimem pene omnium auctorum consensum: tum quia solus annus iste est 484, seu annus primus 70 hebdomadis Danielis, initio ducto a reconstructa per Ne-

hemiam Jerosolyma, dedicataque mense Tisri, seu nostro Octobri anni 4 Olympiadis 80, urbis Romæ 297, ut docui cap. 38. Nam subductis calculis, deprehendes ab illo Octobri usque ad Octobrem anni 72 Juliani, 14 imperii Tiberii effluxisse præcise hebdomadas 69, seu annos 483, cum trimestri post, nempe sub initium Januarii anni 73 Juliani, 15 imperii Tiberii (nam semper anni illi inchoabantur a Calendis Januarii) Christus a Joanne baptizatus est, et prædicationem suam exorsus est. Denique hic annus 73 Julianus, is solus est, qui 46 a Judæis dici potuit Joannis 2, ex quo templum Jerosolymitanum ab Herode rædificari cœptum est anno 27 Juliano, ut dixi cap. 45. Nec est quod his probandis diutius immoremur. Uti neque alteri quæstioni, quæ hic moveri solet, *Quoto ætatis suæ anno Christus baptizatus fuerit.* Hæc enim soluta manet ex dictis de anno natali Christi. Quo enim vicinius vel remotius ab anno 73 Juliano fixeris natalem Christi, eo plures paucioresve annos Christo cum baptizaretur assignes oportet. Solum curandum ne in figendo natali Christi longius abeas, quam ut triginta annorum præter propter in baptismo dici possit. Nam S. Lucas eodem cap. 3, v. 23 expresse dicit, cum 15 anno imperii Tiberii baptizaretur, *Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta.* Etsi enim voculam illam, *incipiens*, non ad ætatem vel annos Christi cum Eusebio, sed ad manifestationem seu prædicationem Christi referas, cum Justino [1], Tertulliano [2], Clemente Alexandrino [3], Epiphanio [4], Augustino [5], aliisque quos citat et sequitur Baronius [6], Toletus [7] et Salmeron [8], ut sensus sit, Christus cum juxta vaticinium Danielis inciperet doctorem agere et prædicare verbum Dei, seque manifestare mundo, erat quasi 30 annorum. Et huc favet textus Græcus, ἀυτὸς ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὢν, *ipse erat quasi annorum triginta incipiens*, seu *cum inciperet.* Tamen illud, *quasi triginta annorum*, nos ex parte coarctat, ne pro libito divagari possimus: saltem non ausim ultra unum annum ante vel post trigesimum exspatiari: hoc tamen libere ausim. Neque enim posset merito falsitatis argui, qui diceret, *quasi* vel *circiter triginta annorum* esse eum qui 31 complesset, vel 30 solum inchoasset: maxime cum exempla similia extent quam plurima, ut illud, quod in antiquis Breviariis de *S. Augustino* legebatur, *baptizatum* eum fuisse *anno ætatis circiter tricesimo:* cum constet ipsiusmet Augustini confessione [9], id factum *anno vitæ* ejus 33, quo etiam anno id factum jam quoque in modernis Breviariis signatur [10].

De anno mortis Christi multi multum dissentiunt: sed stabilito anno baptismi, nempe initio 73 Juliani, 15 Tiberii, etc. non video quomodo solide quis possit dubitare de anno mortis, cum tam ex Evangelistis, quam ex perpetua traditione habeamus, Christum nonnisi tribus annis cum trimestri prædicasse: seu a baptismo supervixisse, ut patebit ex cap. 49. Neque ullus est veterum qui prædicationi Christi solidum quadriennium tribuat. Et quomodo alioquin in medio 70 hebdomadis, quod prædixit Daniel, occisum Christum demonstrabimus? Accedit definitio Synodi Cæsariensis in Palæstina, a Theophilo Cæsariensi Episcopo, jussu Victoris Papæ Romani collectæ jam ante 1400 annos, cum pene recens adhuc esset facti memoria [11]. Definit enim passum fuisse Christum 23 Martii, et 25 resurrexisse, qui sunt certissimi indices anni 76 Juliani, 18 imperii Tiberii, Tiberio Cæsare V. et L. Ælio Sejano Coss. Urbis Romæ 783 finientis, Olympiadis 202 anni secundi. Neque enim potest alio an. 23 Martii in feriam sextam, qua passum Christum constat: neque 25 in feriam primam hebdomadæ seu Dominicam diem incidere, qua certum est Christum resurrexisse, quam illo quo cyclus lunæ 13, cum cyclo solis 12 concurrit: epacta XIX, littera Martyrologii u, Dominicali G, quæ soli anno Juliano 76, seu Dionysiano 31 conveniunt [12]. Idem comprobatur ex morte L. Ælii Sejani Consulis hujus

(1) In Dial. cum Tryphone.
(2) Lib. contra Judæos, cap. 8.
(3) Lib. 1 Strom.
(4) Hæresi 51.
(5) Lib. 2 de Doctr. Christiana, cap. 28.
(6) Ad an. Christi 31 et in Apparatu, n. 107.
(7) Annot. 2 in cap. 3 Lucæ.
(8) Tom. 1, Proleg. 38, conclus. 8, et t. 4, tract. 7.
(9) Lib. 9 Confess., cap. 11.
(10) Vide P. Daude p. 218 seq.
(11) Apud Bedam in opusculo de Æquinoctio verno et de Ratione temporum, cap. 45, 49, 65.
(12) Characteres ejusmodi chronicos nulli anno melius quam Æræ vulgaris 29 ostendit P. Grammatici in diss. *de æra Christi passi*, p. 55 seq. Confer etiam P. Daude p. 222. Mihi certe ea probatior sententia est, quæ veterum Patrum fuit Christum passum esse duobus Geminis Coss. horum autem Consulatus in annum incidit Vulgaris æræ 29. Nam quod Blanchinius vir sane doctus, annum 28 eorum Consulatui adscribit, difficile persuadebitur.

anni, qui collegæ suo Tiberio imper. ad senatum referenti, de Christo Jerosolymis crucifixo, sed mox redivivo, et tot miraculis coruscante, in divorum numerum referendo, pertinaciter restitit cum reliquo senatu: sed ante finem anni Consul ipse ab ipso Tiberio collega suo cum aliis pluribus patriciis infami morte sublatus est anno 76 Juliano, ut Tacitus [1] et Dio [2] annotarunt: et Jacobus Pamelius [3] ait, hanc constantem esse omnium historicorum narrationem. Ex qua saltem patet, Christum ultra annum 76 Julianum non supervixisse. Sed neque ante mortuum fuisse constat ex supra dictis de baptismo Christi, ergo. Denique ex infra dicendis cap. 50, constabit divisionem Apostolorum contigisse anno 87 Juliano, 2 Claudii, 12 a morte Christi: Jacobum fratrem Domini martyrio affectum anno 105 Juliano, 7 Neronis, 30 a morte Christi inchoato: Principes Apostolorum Petrum et Paulum cruce et gladio ejusdem Neronis necatos anno 112 Juliano, 13 Neronis, 37 a morte Christi: Jerosolymam a Tito expugnatam anno 115 Juliano, 40 a morte Christi: Joannem Evangelistam obiisse anno 143 Juliano, Trajani 1, a morte Christi 68. Atqui nullus alius quam 76 annus Julianus est inchoatus 12 ab 87, 30 a 105, 37 a 112, 40 a 115, 68 a 143, ergo.

CAPUT XLVIII.

DE MENSE ET DIE ET HORA CONCEPTIONIS, NATIVITATIS, BAPTISMI, MORTIS ET RESURRECTIONIS CHRISTI.

I. Conclusio. Conceptum Christum in æquinoctio verno, 25 Martii: natum in solstitio hiemali 25 Decembris, antiqua et constans est Ecclesiæ traditio. Sed displicet plerisque Novantibus. Inter quos Matthæus Beroaldus, hæreticus Calvinianus nostro ævo primus omnium illam convellere conatus est, conceptionem Christi affigens solstitio hiemali in Decembri, nativitatem æquinoctio autumnali in Septembri: Ecclesiam universam pudendi erroris insimulans, quæ hucusque id non observarit. Beroaldo Calvinistæ subscripsit Andreas Osiander Lutheranus. Et utrique Josephus Scaliger, qui se id pro comperto habere jactabat: additque institutionem festi natalitii 25 Decembris novam ac nuperam, et vero etiam erroneam esse, et paullo ante D. Joannis Chrysostomi tempora exortam. Huic alter hæreticus chronologus Sethus Calvisius [4], et quidam alii manus dedere. Et ecce demonstrationem a priori, qua se rem hanc luce meridiana clariorem habere jactant: Lucæ 2, dicitur: *Pastores erant in eadem regione vigilantes*, græce ἀγραυλοῦντες, id est, in pastorali vigilia excubantes. Nempe pastores non excubant media hieme.

Id sane de Calvinistis et Lutheranis pastoribus molliculis facile concesserim, qui Boreales fere plagas incolunt, nec frigora nocturna ferunt quæ locis istis maxima esse solent. At de Palæstina, ceterisque Orientalibus et Australibus regnis ita opinari stultissimum est; cum istic etiam media hieme et prata vireant, et campi floribus, et silvæ frondibus vestiantur, et arbores pomis onustentur, et greges sub dio pernoctent, et juxta seu accubent, seu adsideant pastores. Sed pudet, in re tam clara, tam certa experientia ubique contestata tot verba commutare. Quid? quod et hæreticos ipsos pudeat tam probrosi Symmystarum suorum erroris. E quibus unus Henricus Buntingus [5]: « Non satisfacit, inquit, nobis Beroaldi demonstratio. Plus enim tribuendum est tot SS. Patrum traditionibus, ab universa Ecclesia Dei receptis et approbatis, quam unius Beroaldi conjecturæ, quæ SS. Litteris non satis probari potest. Præsertim cum SS. Patrum traditiones cum SS. Bibliis et mathematicis observationibus conveniant, a quibus Beroaldus interdum satis procul aberrat. » Hæc ille. Qua vero fronte audent fingere, natalem Christi in hieme nonnisi paullo

(1) Lib. 5 et 6 Annal.
(2) Lib. 58.
(3) Annot. 57 in cap. 4 Tertull. Apologetici.
(4) In Isagoge Chronolog., cap. 46.
(5) In sua Chronol.

ante ævum Chrysostomi celebratum fuisse? cum ipse Chrysostomus [1], ubi dixisset « Christum natum 25 Decembris, » mox subdat: « Non sunt nostra quæ loquimur, majorum sententia est. » Quorum vero majorum? « A Petro, inquit, et Paulo, ceterisque discipulis Christi, Ecclesiæ hoc didicerunt. » Quod autem ibidem ait: « Nondum decem elapsi sunt anni, ex quo nobis dies illa innotuit; » mox explicat adjunctis verbis: « Noviter innotuisse Constantinopolitanis: sed Ecclesiæ Christi innotuisse ab ipso tempore Apostolorum. » Quibus etiam Clemens Romanus [2] id ipsum adscribit [3].

II. Conclusio. Incarnatus est Filius Dei 25 Martii, ea nocte seu vespera quæ lucem primæ feriæ (quam Dominicam diem vocamus) est consecuta, et secundæ feriæ lucem est antegressa: ita ut incarnatus dici possit die Dominica finiente (ut dicunt Patres infra citandi conclusione 6) vel inchoante feria 2 (nam Hebræi dies suos inchoabant a vespera, ut dixi c. 1). Quota vero noctis hora fuerit, a nullo, quod sciam, definitur. Verosimile est sub medium noctis, uti natum, sic et conceptum fuisse Christum, ut novem præcise menses intercurrisse dicantur.

III. Conclusio. Natus est Christus media nocte, quæ lucem feriæ 3 (quam diem Martis vulgo vocant) est consecuta, et 4 feriæ (seu diei Mercurii) lucem est antegressa. Unde et feria 4 natus dicitur, qua eadem sol primum illuxit mundo. Erat porro tum 4 illa feria, 25 dies mensis Decembris. Ita habet traditio Ecclesiæ.

Petes, an præcise in ipso puncto æquinoctii conceptus, et solstitii natus fuerit Christus.

Respondeo, Verisimilius est, ita factum: nam licet dicamus conceptum et natum 35 die, quæ facile 50, vel 60 horis sequi debuisset verum punctum æquinoctii vel solstitii, si præscriptam a Julio Cæsare novam correcti anni formam, et debitam diei unius post quartum quemque annum intercalationem sacerdotes, quorum hæc erat cura, observassent: quia tamen præpropera sua diei illius intercalatione post tertium quemque annum, rem totam turbarunt, totoque biduo, immo fere triduo, diem 22 mensis quo verum punctum æquinoctii, et solstitii occurrere debebat, a sede seu puncto vero æquinoctii et solstitii divulserunt, ut dixi cap. 44, inde factum ut verum æquinoctii et solstitii punctum illo anno non jam 22, vel 23, sed 25 diem Martii et Decembris occuparit. Similem errorem notant quidem accidisse, sed alio ex capite (nempe ex erroneo cyclo paschali, qui ut jam subinde Ecclesia Romana, sic multo frequentius in Synagoga Judaica, deviasse uno alterove die deprehensus est a vero et astronomico plenilunio) eo anno quo passus est Christus: putant enim feriam quintam, diem tum 14 mensis Nisan, qua finita Christus ad vesperam secundum præscriptum Synagogæ comedit cum discipulis suis agnum paschalem, et instituit ven. Eucharistiam, non fuisse secundum verum calculum astronomicum nisi 13 lunam: et 14 demum illa vespera cœpisse, finisseque die Veneris seu feria 6 ad vesperam paullo post mortem Christi. Unde consequenter dicunt, etiam pontifices reliquosque sacerdotes illa demum vespera quæ mortem Christi consecuta est, comedisse agnum paschalem. Cum enim solerent Judæi, ut solent etiamnum hodie, propter illam cycli neomeniorum et pleniluniorum incertitudinem, duplicare sua festa, saltem præcipua (ut ex Rabbinis docent Epiphanius, Paulus Forosemproniensis, et Josephus Scaliger) liberum erat cuique utrum vellet diem deligere, sed sacerdotes, qui videri volebant religiosiores, fere deligebant sibi posteriorem diem, tum quia celebrior is erat (nam illo solo feriandum erat ab opere): tum quia sic melius populo subservire poterant priore die, quem mactandis populi hostiis ad libitum cujusque totum impendebant. Quod si ita fuit (ut fuisse sentiunt Epiphanius et Græci omnes, Augustinus, Joan. Hentenius, Marcellus Francolinus et quidam alii), figura agni paschalis concinne admodum respondit suo figurato, puta Christo crucifixo et mortuo eadem hora et temporis puncto, quo agnus typicus immolabatur a sacerdotibus puta in puncto horæ nonæ ante sollemnem Paschæ diem.

IV. Conclusio. Baptizatus est Christus die 6 Januarii, feria 3, nempe eadem heb-

(1) Homil. de nativitate Domini.
(2) Lib. 5 Apostolicarum tradit., cap. 12 alias 13.
(3) Sunt in eadem sententia, quam hic impugnat Tirinus, novatores alii, ut præter citatos a Walchio, *Hist. Eccles.*, p. 135, Alphonsus des Vignoles. His accessit etiam Harduinus Soc. Jesu quem cl. Philippus a Turre in *Monumentis veteris Antii* refellit.

domadæ die qua olim *segregarat Deus aquas quæ sub cælo sunt in locum unum, ut appareret arida*, Gen. 1. Eadem quoque et mensis et hebdomadæ die, qua primo vitæ suæ anno fuerat in stabulo Bethlehemitico adoratus a tribus Magis. Ita fere Epiphanius, Eusebius, Cassiodorus, Cuspinianus, Hieronymus, Marcellinus Comes, Marianus Scotus, Chronicon Siculum, Arnoldus Pontacus, Beda, Mercator, Cedrenus, Joannes Funccius et plures alii. Eratque annus baptismi Christi, bissextilis, littera Dominicali D. C., cyclo lunæ 10, solis 9, Epacta XVI, cum littera Martyrologii r. Quæ in solum quadrant annum 73 Julianum, ac proinde illo solo, ut dixi cap. præc. potest consignari baptismus Christi.

Videtur vero Joannes Baptista cum ipsis Calendis ejusdem anni 73 Juliani inchoasse prædicationem et baptizationem suam: atque ita Christum ex primis fuisse qui ab eo baptizati sunt, juxta illud Malachiæ 3, v. 1: *Ecce ego mitto angelum meum*, etc. *et statim veniet dominator quem vos quæritis*, etc.

Nota, cum ex jam dictis constet, baptizatum Christum initio anni 73 Juliani: et annus imperii Tiberii 15 (quo Lucæ 3 dicitur baptizatus Christus) non cœperit nisi 19 Augusti ejusdem anni, inchoando annos imperii Tiberii a morte Augusti Cæsaris; certum esse, S. Lucam non sic supputasse annos Tiberii, sed more Romanorum κατὰ πρόληψιν, a Calendis Januariis annos principum semper inchoantium, etiamsi in medio anni decursu principes imperium suum inchoassent, uti inchoavit Tiberius et alii. Quod notandum etiam pro anno 18 imperii Tiberii, quo cap. præced. diximus (simili calculo) Christum fuisse crucifixum.

V. Conclusio. Mortuus est Christus die 23 Martii, feria 6, hora 9, secundum computum Hebræorum, secundum nostrum hora 3 post meridiem. Ita Synodus Cæsariensis supra cap. præced. citata. Paulus Middelburgensis 2 p. Paulinæ l. 5, c. 1 et 2 plurimos pro hac die citat, et subscribunt Hippolytus in Chronico, Lactantius l. 4 de Vera Sap. c. 10, Beda, Ado, Cedrenus, Anselmus, Anastasius Antiochenus et alii complures. Et colligitur ex cyclo lunæ 13, solis 12, epacta XIX, littera Martyrologii u, Dominicali G, quæ indicant, 23 Martii anni 76 Juliani incidisse in diem Veneris seu feriam 6, qua constat Christum mortuum fuisse. Neque potuit hoc, vel alio anno, vel alio mense, vel alio die accidisse. Si enim mensis Aprilis diem aliquem fuisse dixeris, ut quidam dixere, vel Martii mensis diem 7, 17 vel 18 (ut dicebant Thessareskædecatitæ, hæretici sic dicti a 14 luna, qua volebant Pascha quotannis celebrari), vel 20 (ut dixit Epiphanius), vel 21 (ut innominati quidam apud Clementem Alexandrinum), vel 22 (ut dixisse Epiphanium [1] putat Franciscus Suarez), vel 25 (ut dixit Tertullianus, Chrysostomus et Augustinus), vel 26 (ut Victorius Lemovicensis), vel alium quemcumque a 23 Martii; numquam reperies hoc anno, vel etiam vicinis aliis annis, Parasceven Paschæ Judæorum, qua constat Christum mortuum esse, incurrisse in feriam 6.

Igitur mortuus est Christus tum die mensis, tum hebdomadæ feria (quidni et hora?) eadem, qua Adam ejectus est de paradiso. Ita Irenæus, Origenes et Alcuinus. Sicut crucem ascendit eadem meridiei hora, forsan et puncto horæ, quo Adam ad pomum ligni vetiti manum extenderat: eodem quoque, quo Isaac a parente immolatus pene fuerat. Vide Petrum de Natalibus [2]. Eodem die mensis, feria et hora latro restitutus est paradiso, quo Adam inde ejectus, inquit S. Jo. Chrysostomus. Eodem Eva væ audivit, et Maria Ave, inquit idem Chrysostomus [3] et Cyrillus Alexandrinus [4]. Sed hoc intellige juxta dicta supra post 3 conclusionem. Utrumque enim accidit in verno æquinoctio. Rursus eodem die et hora clausus et apertus fuit paradisus, inquit Hugo Floriacensis [5]. Porro Adamum et Evam eadem die et creatos a Deo et lapsos, et paradiso expulsos fuisse, nempe 23 Martii, docet Beda [6], Marianus Scotus [7] et plurimi alii: licet nonnulli velint octiduo ante creatos fuisse, quod non minus probabile videtur. Denique eadem die tum hebdomadæ, puta feria 6, tum lunæ, nempe 15 forsan et mensis Martii 23 (nam quidam id factum volunt 25) egressi sunt filii Israel ex Ægypto, ut dixi cap. 19.

(1) Hæresi 50 et 51.
(2) Lib. 3; Catalogi SS., cap. 88.
(3) Hom. 2 de cruce et latrone, et hom. de Annuntiat.
(4) Epist. ad Synodum Carthaginiensem.
(5) Apud Mart. Polonum l. 4 Chronici.
(6) In cap. 2 Gen.
(7) Lib. 1 Chronici, cap. 8.

VI. Conclusio. Resurrexit Christus die 25 Martii, feria 1 (quam inde Dominicam vocamus), cum aurora diei. Patet ex Synodo Cæsariensi supra cit. et aliis jam dictis conclusione 5. Et expresse docet Anastas. Nicenus [1], Nicephorus Gregoras, Cedrenus, Chrysost. [2], et ex Latinis Lactantius [3], Augustinus [4], Anselmus, Beda, Hermannus Contractus et alii, qui dicunt, eadem die tum mensis, tum hebdomadæ conceptum Christum fuisse, et resurrexisse: sed, cum aurora surrexisse, cum vespera seu nocte sequenti conceptum esse. Dicunt etiam, eadem die, nempe prima hebdomadæ seu Dominica, mundum primo conditum fuisse, inchoando diem a prima vespera. Sed hoc de die mensis Martii 25 intelligi non potest, ut patet ex dictis in conclusione 5.

Porro unanimem hunc SS. Patrum consensum de die resurrectionis Christi 25 Martii, agnoscit quoque, licet non sequatur, Josephus Scaliger. Et certum est, inde originem traxisse priscum morem Christianorum, celebrandi semper Pascha 25 Martii, in quamcumque demum hebdomadæ feriam incidisset: ut de Ecclesiis omnibus Gallicanis testatur Beda [5] et Martinus Dumiensis [6]; de Cappadocibus aliisque populis Epiphanius; de Græcis, omnibusque Asianis, etc. Paulus Middelburgensis. Duravitque mos iste, donec Ecclesia jussit, prima semper Dominica post 14 lunam quæ æquinoctium vernum consequitur, Pascha celebrari. Ex eodem fonte etiam illa multorum conjectura promanavit, extremum judicium et corporum resurrectionem 25 Martii, die quoque Dominica orbi obventuram, nempe quia Christus primitiæ dormientium, illa die et illa feria resurrexit.

CAPUT XLIX.

SERIES ANNORUM ET GESTORUM CHRISTI, A PRIMA DIE QUA CONCEPTUS EST, USQUE AD ULTIMAM QUA IN CÆLUM ASCENDIT.

Anno primo, mensis Martii 25 die conceptus est
Decembris 25 die natus est } ut dixi cap. præc.

Intermedio solstitio æstivo natus est Joannes Baptista, ut est communis traditio, de qua egi cap. 47 in secunda sententia.

Octavo post die, feria 4 Januarii 1 circumcisus est Christus a Josepho, ait Ephrem [7], et in stabulo, inquit Epiphanius [8], et a Sentio Saturnino, nomine Quirinii Syriæ tum præsidis, descriptus est, inquit Tertullianus [9] et alii, ut dixi cap. 47.

Decimatertia ab ortu Christi die 6 Januarii, in stabulo a Magis adoratus est, ut habet communis opinio, licet Henricus Buntingus hæreticus chronologus velit id factum anno ætatis Christi secundo inchoato. Neque vero stella in Oriente apparuit Magis ante ortum Christi. Et potuerunt dromedariis suis facili negotio, paucis diebus, ex Arabia, quæ orientalis est Judææ, in Bethlehem advolasse. Ita Justinus, Tertullianus, Cyprianus, Epiphanius, Chrysostomus et alii [10].

Quadragesima ab ortu die, Jerosolymis in templo præsentatur, ulnis Simeonis excipitur, ejusque, ut et Annæ, prophetiis inclarescit. Inde Nazarethum concedit cum parentibus. Cum quibus post paullo fugit in Ægyptum: quo die, quo mense incertum: certum non hæsisse toto biennio. Et hanc communem esse sententiam, et antiquitus pro vulgari habitam concedit Maldonatus in Matth. 2, v. 14. Ipsique etiam hæretici, Joannes Funccius et Henricus Buntingus, plus minus anno 1 Christum in Ægypto hæsisse affirmant.

(1) Q. 92 in S. Script.; extat t. 1 Biblioth. sacræ.
(2) Serm. de natali Joannis Baptistæ.
(3) Lib. 4 de Vera sapientia, c. 10.
(4) Serm. 22 de Temp.
(5) De Rat. temp., c. 45.
(6) Lib. de Paschate.
(7) Hom. de Transfigur.
(8) Lib. 1 de Hæresib., c. penult.
(9) De Pallio, c. 1.
(10) Hæreticus fuerit Buntingus, nec re nihil ad rem facit. Sub finem primi a nato Christo anni advenisse Magos et Christum ab iis adoratum fuisse, eumdem sequutus Henschenium crediderim.

Anno secundo Christi, sub initium Martii (quo tempore olim quoque mortua fuit Rachel) *occidi jussit Herodes omnes* Bethlehemiticos infantes *a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis*, Matth. 2. Sub idem tempus, quinto die ante mortem suam, jussit Herodes etiam filium suum Antipatrum occidi, obtenta prius ab Augusto Cæsare facultate in eum animadvertendi, sicut ante in duos alios filios suos Alexandrum et Aristobulum, cum ejusdem licentia animadverterat. Eodem tempore etiam Synedrion Judæorum, et Pharisæos complures, qui eum nollent regem agnoscere, de medio sustulit, reliquis metu compulsis in sua verba jurare. Vide Josephum [1], Eusebium [2] et alios. Et facile id erat Herodi cum summus pontifex esset ejus socer Simon Boethi filius, ex æquo, ut credere par est, insidiator Messiæ, et gloriæ Herodis zelator. Et fiebant omnia conscio amico Herodis Quintilio Varo Syriæ tum præfecto, inquit Josephus. Unde etiam veritus non fuit Herodes, pene omnes proceres Judæorum in carcerem rapere, et vero etiam necasset, nisi morte præventus ipse fuisset. Sed eo defuncto, Salome, ejusque conjux Alexas, quibus cædem procerum demandarat jam moriens Herodes (ut vel sic saltem cogeret Judæos omnes lugere, quos sentiebat sua morte et malis plusculum gaudere) proceres captos domum quemque suam remisere. Ita Josephus [3], Josippus et alii [4].

Mense Martio, paullo ante Pascha, et paullo post infanticidium (ut Josephus l. 17 Antiq. cap. 8 insinuat, et hæretici Funccius, Buntingus, Chytræus, Calvisius, Scaliger fatentur) divina ultione moritur Herodes, Judææ totius simul et Samariæ rex. Cum sub idem tempus obiit etiam Obodam rex Damasci Syriæ. Atque ita impleta fuit prophetia Isaiæ 7, v. 16: *Antequam sciat puer* (Emmanuel) *reprobare malum, et eligere bonum*, id est, antequam ad tantulam ætatem deveniret, qua solent pueri vel a longe discernere malum a bono, seu uti ratione etiam perobscura, *derelinquetur terra quam tu detestaris*, nempe Samariæ et Damasci, *a facie duorum regum suorum*, qui tunc erant Phacee filius Romeliæ, et Rasin rex Syriæ Damasci: sed adumbrabant Herodem nostrum et Obodam, de quibus dixi.

Circa idem tempus *defuncti* etiam *sunt* plures alii *qui quærebant animam pueri*, Matth. 2, v. 21. Nam præter tres Herodis filios, præter Synedrion Judæorum, et complures Pharisæos ac Scribas, quos dixi, ab Herode occisos, occiderat idem ipse (ut suspicio fuit, veneno) Pheroram fratrem suum et regni consortem, quem Antipater, ut et reliquam Herodis familiam, scelestissima conspiratione in patrem concitarat. Pheroræ quoque uxor veneni marito propinati insimulata, seipsam de tecto præcipitem dedit. Doris Antipatri mater et Herodis conjux; Mariamne quoque altera Herodis uxor, Simonis pontificis filia, ambæ ex aula propulsæ: Simon pontificatu exutus, uti et mox successor ejus Matthias, et Matthiæ Joazarus. Malthace mater Archelai, paucis post obitum Herodis hebdomadis ante Pentecosten e vivis sublata. Cives Jerosolymitani complures Archelao, quod ei restitissent, pœnas acerbas dedere. Ex direptoribus aquilæ Herodis 40 vivi ustulati. Et alii complures in Christum iniquiore forsan animo, jam defuncti erant, teste Josepho et aliis: cum Christus

Anno tertio suo 7 Januarii, anno 1 Archelai Tetrarchæ, Juliano 44, monente angelo, ex Ægypto in terram Israel regreditur. In quo et antiqua Martyrologia, et moderni chronologi fere conveniunt.

Anno Christi undecimo, Juliano 52, Archelaus Tetrarcha sub tempus messis, jussu Augusti Cæsaris in exilium ablegatus est, cum explesset a morte Herodis parentis sui annum 9 tetrarchiæ, et 10 inchoasset. Ita Josephus [5], Hegesippus, Josippus, Eusebius, Beda, Comestor, Albertus Magnus, Abulensis et alii, ut dixi cap. 45. Et idem asserit Dio factum anno 37 a pugna Actiaca, qui concurrit cum anno 52 Juliano. Extincta paullo ante fuerat uxor Archelai Glaphira, quæ Jubæ regis Mauritaniæ anno 51 Juliano defuncti uxor ante fuerat. Ita iidem auctores.

Anno duodecimo in Paschate, cum Archelao in exilium acto, Coponius præses esset in Judæa, nihilque metuendum esset Christo, ascendit puer duodennis Jerosolymam, et in medio Doctorum disputavit in templo, Lucæ 2, v. 43. Ita passim Doctores,

(1) Lib. 17 Antiq., cap. 8 et 7. (2) Ad ann. 1 et Olymp. 19.
(3) Lib. 1 Belli, c. 21. (4) Lib. 5, cap. 41.
(5) Lib. 17 Antiq., c. 15 et lib. 2 Belli, c. 6, etc.

et subscribunt etiam hæretici Funccius, Buntingus, Magdeburgenses, Carion, Lucas Osiander et alii.

Anno trigesimo plus minus vitæ suæ, initio anni 15 Tiberii, 73 Juliani, qui bixestilis erat, 6 Januarii, Christus a Joanne baptizatus est, ut dixi cap. 47 et 48. Eademque die regressus a Jordane jejunium cœpit 40 dierum in deserto, Matth. 4, Marc. 1, Lucæ 3.

Decimaquinta Februarii, superato tentatore, et completo 40 dierum jejunio revertitur in Galilæam, et 15 diebus manet in Nazareth, Epiphanio teste.

Prima Martii, 56 die a baptismo (inquit Epiphanius [1]) *legatis* Judæorum, Joan, 1. v. 26, respondet Joannes Baptista, *se non esse Christum.*

Secunda Martii, *Joannes videns Jesum ambulantem, dicit discipulis suis: Ecce Agnus Dei*, Joan. 1, v. 29.

Tertia Martii, *Andreas et Petrus* primum *secuti sunt Jesum*, Joan. 1, v. 35. Quarta die, *Philippus et Nathanael*, v. 43.

Quinta Martii, *die tertia* a vocatione Andreæ et Petri *nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*, Joan. 2, v. 1. Et quidem feria 6 et *sexagesimo die a baptismo*, inquit Epiphanius sup. Post nuptias *descendit Jesus cum matre*, cognatis *et discipulis suis Capharnaum: ubi mansit non multis diebus*, v. 12.

Vigesima octava Martii, die Dominica, 15 Nisan Pascha fuit (primum tempore prædicationis Christi) quo facto *de funiculis flagello ejecit* Christus *de templo vendentes.* Quo et dixerunt Judæi, *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc*, Joan. 2. Hoc enim anno 73 Juliano complebantur 46 anni, ab inchoato per Herodem templo anno 27 Juliano, ut dixi c. 45, *Nicodemus venit ad Jesum nocte*, Joan. 3, v. 1.

Initio Aprilis, *venit Jesus et discipuli ejus in Judæam, et illic morabatur cum eis, et baptizabat. Erat autem et Joannes baptizans in Ænon, juxta Salim*, Joan. 3, vv. 22 etc. Quamdiu tamen Joannes baptizavit, Jesus non ita palam se Messiam prædicavit, saltem ut plurimum. Miracula ergo quæ interea fecit Christus (Joan. 4, v. 45), usque ad captum ab Herode Joannem, prætermissa sunt ab Evangelistis.

Sub finem Decembris, *Herodes* Antipas *cum corriperetur a Joanne de Herodiade uxore fratris sui* Philippi Tetrarchæ; *tenuit Joannem et alligavit in carcere*, Matth. 14, v. 3; Marc. 1, v. 14; Lucæ 3, v. 19. Tum cœpit Jesus publice se Messiam prædicare. Et hæc de primo anno prædicationis Christi.

Secundus annus prædicationis Christi.

Initio anni 74 Juliani, *cum audisset Jesus quod Joannes traditus esset*, et indignarentur *Pharisæi, quod Jesus plures discipulos facit et baptizat, quam Joannes; reliquit Judæam, et abiit iterum in Galilæam: oportebat autem eum transire per Samariam*, Joan. 4, v. 1 etc.; Matth. 4, v. 12; Marc. 1, v. 14. *Hora quasi sexta*, id est sub meridiem (vide sup. c. 2) colloquium habuit *cum Samaritana*, Joan. 4, v. 5. Porro ex eo quod ibidem, v. 35: *Adhuc quatuor menses sunt, et messis venit*, colligo, tam incarcerationem Joannis, quam transitum Christi e Judæa per Samariam in Galilæam, contigisse sub initium anni.

Post duos dies exiit e Samaria, *et abiit in Galilæam*, Joan. 4, v. 43, *prædicans Evangelium regni Dei, et dicens, quoniam impletum est tempus*, Marc. 1, vers. 14; Lucæ 4, v. 14 etc. *In Capharnaum* præclara edit miracula, Lucæ 4, v. 23. Inde venit in *Nazareth*, ubi e *supercilio montis eum præcipitare* voluerunt, v. 29. Ergo revertitur *Capharnaum*, ibique moratur, v. 31, et Matth. 4, v. 13. *Exceperunt autem eum Galilæi*, Joan. 4, v. 45. *Et ipse docebat in Synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus. Et fama exiit per universam regionem de eo*, Lucæ 4, vv. 14 et 15.

Initio Februarii *venit Jesus iterum in Cana Galilææ*, et ibi *filium reguli in Capharnaum* ægrotantem absens verbo liberat a morte, Joan. 4, v. 46 etc. *Ambulans juxta mare Galilææ vocat Petrum et Andream, mittentes retia in mare:*

(1) Hæresi 51.

Jacobum item *et Joannem reficientes retia sua*, Matth. 4, v. 18; Lucæ 5, v. 1, *Qui relictis omnibus secuti sunt eum.* Quod *tradito jam Joanne* factum fuisse, docet expresse Marc. c. 1, v. 14. Ingressus *Capharnaum* civitatem Galilææ, *in Synagoga* liberat *dæmoniacum*, Marc. 1, vv. 21, 22 etc. Surgens *de Synagoga venit in domum Simonis et Andreæ, cum Jacobo et Joanne, et socrum Simonis a febri* liberat. *Vespere omnes male habentes* curat, ibid. v. 29 etc.; Matth. 4, v. 24, et c. 8, v. 14; Lucæ 4, v. 38. *Facta autem die, egressus abiit in desertum locum ibique orabat.* Et ivit *in proximos vicos et civitates, et erat prædicans in Synagogis eorum in omni Galilæa, et dæmonia ejiciens*, etc. Marc. 1, v. 35; Lucæ 4, v. 42; Matth. 4, v. 23. *Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa et Decapoli et de Jerosolymis et de Judæa et de trans Jordanem*, v. 25. Quando et *leprosus mundatus* est verbo *Volo, mundare*, Marc. 1, v. 40; Lucæ 5, v. 12.

Sub initium Martii, tres volentes sequi Christum, partim reprehensi, partim moniti, Matth. 8, v. 19; Lucæ 9, v. 57. Sedat tempestatem maris, Matth. 8, v. 23; Marc. 4, v. 36; Lucæ 8, v. 22. Dæmoniacum liberat, cui nomen Legio, Marc. 5, vers. 1; Lucæ 8, vers. 27, ejusque socium, Matth. 8, vers. 28. Paralyticum per tegulas demissum sanat, Matth. 9, v. 2; Marc. 2, vers. 3; Lucæ 5, v. 18; Matthæus vocatur a Jesu, Matth. 9, vers. 9; Marc. 2, vers 14; Lucæ 5, v. 27. Filia Jairi a mortuis suscitatur, sed prius hæmorrhoissa curatur, Matth. 9, v. 18; Marc. 5, v. 22; Lucæ 8, v. 41. Transeunte inde Jesu, duo cæci curantur, Matth. 9, vers. 27, et dæmonium mutum expellitur, vers. 32, et cap. 12, vers. 22; Lucæ 11, v. 14.

Aprilis 10 instante Pascha Judæorum, *ascendit Jesus Jerosolymam*, Joan. 5, v. 1. Aprilis 16 ipso festo Paschæ, quod secundum fuit tempore prædicationis Christi, et incidebat *in Sabbatum*, v. 10 (unde certo colligitur, fuisse tunc annum Julianum 74), ad *Probaticam piscinam* sanat *paralyticum triginta octo annos habentem in infirmitate sua.* Tunc dixit de Joanne Baptista: Ipse *erat lucerna ardens et lucens*, v. 35.

Aprilis 23, *Sabbato secundo primo* (id est Sabbato quod primum erat a secundo, seu altero die post Pascha, quo manipulus primitiarum offerri debebat) cum transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas, Lucæ 6, v. 1; Matth. 12, v. 1; Marc. 2, v. 23. *Alio* rursum *Sabbato* manum aridam sanat in Synagoga, Lucæ 6, vers. 6, Matth. 12, v. 10; Marc. 3, v. 1. Unde statim

Maji initio, *Pharisæi cum Herodianis* conspirant adversus Jesum, sed *ipse cum discipulis secedit ad mare. Et multa turba a Galilæa et Judæa secuta est eum, et ab Jerosolymis, et ab Idumæa et trans Jordanem, et qui circa Tyrum et Sidonem*, etc. Marc. 3, v. 6; Matth. 12, v. 14. Comminatur spiritibus immundis ne manifestent illum, Marc. 3, v. 12.

Sub medium Maji, *exiit in montem orare, et pernoctans erat in oratione*, Lucæ 6, v. 12. Eligit 12 Apostolos v. 13; Matth. 10, v. 2; Marc. 3, v. 13. Ibidem exhortationem ad discipulos suos prolixam habet in monte, Matth. 5, 6 et 7; Lucæ 11, *Et descendens cum illis, stetit in loco campestri*, ubi *multitudo copiosa plebis ab omni Judæa et Jerusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis.* Ad quam summatim pleraque quæ in monte discipulis proposuerat, repetit, Lucæ 6, v. 17, juncto v. 1, c. 7. Sub idem tempus, *cum descenderet de monte, leprosum mundat, et servum Centurionis* moribundum *sanat*, Matth. 8, v. 1; Lucæ 7, v. 1. Filium viduæ Naim suscitat, Lucæ 7, v. 11.

Medio Junii, *duos ex discipulis suis mittit Joannes e carcere ad Christum*, rogatum, *Tu es qui venturus es?* Matth. 11, vers. 1; Lucæ 7, v. 17. *Mulier quæ erat in civitate peccatrix, ingressa domum Simonis Pharisæi*, ubi Christus discumbebat, *lacrymis suis rigat pedes ejus*, et indulgentiam accipit *peccatorum*, Lucæ 7, vers. 36.

Julii initio *dæmoniacum cæcum et mutum* curat. Scribæ dicunt, *eum in Beelzebub ejicere dæmonia.* Et *signum de cælo petunt*; sed non accipiunt, *nisi signum Jonæ*, etc. Matth. 12, v. 22; Marc. 3, v. 22; Lucæ 11, v. 14. *Adhuc eo loquente, mater et fratres ejus quærunt ei loqui*, ibid. et Lucæ 8, v. 19. *Iterum de navicula ad mare docet turbas*, in parabolis seminantis, zizaniorum, sinapis, fermenti, thesauri, margaritæ et sagenæ, Matth. 13; Marc 4. *Cum consummasset parabolas istas,*

transiit in Nazareth, Matth. 13, v. 53. Ubi de ejus *tanta sapientia* mirantur: *Nonne hic est fabri filius?* ibid. et Marc. 6, v. 1. Deinceps iter facit per civitates et castella, docens in Synagogis, et curans omnem languorem. Dein mittit Apostolos binos quaquaversum (aptis admonitionibus ante instructos) ad prædicandum, Matth. 9, v. 35, et c. 10; Marc. 6, v. 6; Lucæ 9, v. 1. Qui egressi ibant per castella, evangelizantes et curantes ubique, Luc. 9, v. 6; Marc. 6, v. 12. Ipse Jesus interim per civitates prædicat, Matth. 11, v. 1.

Augusti 29 die natali Herodis, *cum saltasset filia Herodiadis* et petiisset caput Joannis Baptistæ, rex *misso spiculatore decollavit* Joannem *in carcere: discipuli ejus tulerunt corpus, et posuerunt in monumento*, Matth. 14, v. 7; Marc. 6, v. 21; Lucæ 9, v. 7. Continuant Apostoli in castellis missionem et prædicationem suam, et Christus in civitatibus, Matth. 11, v. 1.

Tertius annus prædicationis Christi.

Anno 75 Juliano, sub medium Martii, *audivit Herodes famam* Jesu, et omnia quæ fiebant ab eo. *Et ait: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit a mortuis. Et venientes nuntiaverunt* Jesu, Herodem sic opinari: ac proinde etiam Christo insidias forte parare. *Quod cum audisset Jesus, secessit inde navicula in desertum locum seorsum*, Matth. 14, v. 1 usque 14; Marc. 6, v. 14; Lucæ 9, v. 7.

Ultima Martii, feria sexta (quia S. Augustinus [1] et Toletus [2] dicunt contigisse eodem die, scilicet hebdomadæ quo factæ sunt nuptiæ in Cana Galilææ) ex *quinque panibus saturavit 5000*, Joan. 6, v. 4; Matth. 14, v. 13; Marc. 6, v. 32; Lucæ 9, v. 10. Cum paullo ante Apostoli *reversi* e sua missione *narrassent illi quæcumque fecissent*, Lucæ ibid. et Marc. 6, v. 30. *Erat autem proximum Pascha* (tertium a prædicatione Christi, incidebatque in 5 Aprilis feriam quartam) *dies festus Judæorum*, Joan. 6, v. 4. A multiplicatis panibus, cum *vellent eum facere regem, fugit in montem*, discipulis *navicula transfretare* jussis, ad quos ipse eadem *nocte* periclitantes, *supra mare ambulans* accessit, et *Petrum* ne mergeretur eripuit, Matth. 14, v. 22; Marc. 6, v. 45; Joan. 6, v. 14, ubi et de *corpore* suo, *pane cœlesti* disserit, fere usque ad finem capitis.

Aprili mense medio *ambulabat Jesus in Galilæa: non enim volebat in Judæa ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. Tunc advenerunt Jerosolymis Scribæ et Pharisæi, calumniantes discipulos ejus quod illotis manibus manducarent*, Joan. 7, v. 1; Matth. 15, v. 1; Marc. 7, v. 1.

Maji initio, egressus Galilæa secessit in partes Tyri et Sidonis, ubi filiam Chananææ sanat, Matth. 15, v. 21; Marc. 7, v. 24. Inde ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos, surdum et mutum, et plures alios sanat, Matth. 15, v. 29; Marc. 7, v. 31. Rursum *septem panibus satiat 4000*, Matth. 15, v. 32; Marc. 8, v. 1. Dimissa turba, conscensa *navicula venit in partes Dalmanutha, in fines Magedan*, Matth. 15, v. ult.; Marc. 8, v. 10. Ubi *Pharisæi signum* rursus *de cœlo quærunt*, sed rejiciuntur, Matth. 16, v. 1; Marc. 8, v. 11. In *Bethsaida cœcum sanat*, Marc. 8, v. 22.

Sub finem Julii, *venit Jesus in partes Cæsarææ Philippi*, ubi *Petrus* divinitatem Christi confessus, prædicitur fore caput Ecclesiæ, Matth. 16, v. 13; Marc. 8, v. 27; Lucæ 9, v. 18. Inde *cœpit docere eos, quoniam oportet Christum pati, et occidi, et post tres dies resurgere.* Petrus deterrens eum a morte, increpatur, Matth. 16, v. 21; Marc. 8, v. 31.

Augusti 6, *post dies* plenos *sex*, nempe *octavo* post die, *transfiguratur Christus*, Matth. 17, v. 1; Marc. 9, v. 1; Lucæ 9, v. 28, et quidem die Dominica. Postridie *dæmoniacum* sanat, quem *discipuli sanare non potuerunt*, Matth. 17, v. 15; Marc. 9, v. 16; Lucæ 9, v. 38. Eodem Augusto mense *conversantibus eis in Galilæa, omnibus mirantibus quæ faciebat*, prædicit *passionem suam et resurrectionem*, Matth. 17, v. 21; Marc. 9, v. 29; Lucæ 9, v. 44. Ceterum *transiens Galilæam*, nolebat id resciri; Marc. 9, v. 29. *Cum venisset Capharnaum*, Petrus *statere invento in*

(1) Serm. 1 de Epiphania. (2) In cap. 6 Joannis.

ore piscis solvit didrachma, Matth. 17, v. 23; Marc. 9, v. 32. Apostolos de primatu contendentes compescit, Matth. 18, v. 1; Marc. 9, v. 32; Lucæ 9, v. 46.

Septembri medio, *erat in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia: et migravit Jesus e Galilæa*, Joan. 7, v. 2; Lucæ 9, v. 51. *Dixerunt* enim *fratres ejus: Transi hinc, et vade in Judæam*, ibid. Cum in transitu *non reciperetur a Samaritanis*, Jacobus et Joannes rogant, *Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cælo?* Lucæ 9, v. 51. In eodem itinere *occurrunt ei decem viri leprosi*, qui *omnes mundati sunt*, Lucæ 17, v. 11. *Jesus ascendit Jerosolymam ad festum* Scenopegiæ, *non manifeste, sed quasi in occulto. Judæi autem quærebant eum in die festo*, Joan. 7, v. 10. Erat hoc festum 15 Tisri, quæ tunc erat 29 Septembris feria sexta.

Octobris secunda, Tisri 18. *Jam die festo mediante*, id est quarta die festivitatis, feria secunda, *ascendit Jesus in templum*, Joan. 7, v. 14. Ubi inter alia, inquit: *Me quæritis interficere, quia totum hominem sanum feci in sabbato*, v. 20 etc.; nempe paralyticum ad Probaticam piscinam, quem curarat in secundo Paschate. Nam ab illo tempore hucusque non legitur Christus venisse Jerosolymam. *In novissimo die magno festivitatis*, id est in octava Scenopegiæ, feria sexta Octobris sexta, *stabat Jesus et clamabat: si quis sitit, veniat ad me*, Joan. 7, v. 37; *Judæi quærebant eum comprehendere*, sed nondum venerat hora ejus, v. 44. Postridie *in templo liberat deprehensam in adulterio*, Joan. 8, v. 1. *Egressus e templo illuminavit cæcum a nativitate*, 23 die mensis Tisri in sabbato, 7 Octobris, Joan. 9, v. 1 etc. Qui sunt characteres anni 75 Juliani. *Post hæc designavit Dominus alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam*, Lucæ 10, v. 1. Quibus *reversis* inculcat *humilitatem, et charitatem in proximos* exemplo Samaritani, v. 17 etc.

Novembri mense excipitur *a Martha in castello*, v. 38. Docet *orare*, Lucæ 11, v. 1. In *Pharisæos* invehitur, v. 37. *Mortem* negat timendam, Lucæ 11, v. 4. In *avaritiam* et inanem *sollicitudinem* invehitur, *stulte, hac nocte*, etc. v. 15. *Pilatus sanguinem Galilæorum miscuerat cum sacrificiis eorum*. Hac occasione hortatur omnes ad *pœnitentiam* Christus, addita *parabola de arbore fici* quarto anno infrugifera, Lucæ 13, v. 1 etc., et *mulierem contractam ab annis octodecim* sanat *in sabbato*, v. 11. *Et ibat per civitates et castella docens, et iter faciens in Jerusalem*, v. 22.

Decembris initio accesserunt quidam Pharisæorum dicentes illi: *Exi et vade hinc, quia Herodes vult te occidere*, v. 31. Sabbato hydropicum curat, Lucæ 14, v. 1. Parabola de *loco* infimo *in nuptiis* docet humilitatem, v. 7. Et de *cœna magna*, de *turri*, de *bello*, docet alias virtutes, v. 16 etc.

Facta sunt encœnia Jerosolymis 25 Casleu, 7 Decembris, *et hiems erat, et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis*. Quærunt *Judæi, an sit Christus?* Joan. 10, v. 22. Cumque vellent eum *lapidare*, v. 31, vel saltem *apprehendere*, v. 39, *exivit de manibus eorum, et abiit trans Jordanem*, v. 40. Ubi murmurant Pharisæi, quod *peccatores reciperet;* et ait ad illos parabolam ovis perditæ, drachmæ, et filii prodigi, Lucæ 15. Et ad discipulos de villico iniquitatis: de divite Epulone, Lucæ 16, vv. 1 et 19. Ubi de indissolubilitate matrimonii, etc. v. 18, sed fusius Matth. 19, v. 3; Marc. 10, v. 2.

Quartus et ultimus annus prædicationis Christi.

Sub Januarii initium monet discipulos de cavendis scandalis, Lucæ 17, v. 1 etc. De *fide* ut *grano sinapis*, v. 5. De *servo arante*, v. 7. *Regnum Dei intra vos est*, v. 21, ubi multa de die judicii.

Februario. *Oportet semper orare*. Ubi de *judice iniquo* et *vidua* ipsi importuna, Lucæ 18, v. 1. De *Pharisæo et Publicano*, v. 10. *Afferebant autem ad illum et infantes ut eos tangeret*, v. 15; Matth. 19, v. 13; Marc. 10, v. 13. *Magister bone quid boni faciam ut vitam æternam possideam? Si vis perfectus esse*, etc. Matth. 19, v. 16; Marc. 10, v. 17; Lucæ 18, v. 18. Tum Petrus, *Ecce nos reliquimus omnia*, etc. v. 28, et Matth. 19, v. 27; Marc. 10, v. 28.

Martii initio *Lazarum resuscitat*, Jon. 11. Id *renuntiatur Pharisæis*, v. 46. Qui *cum pontificibus colligunt concilium*, ubi Caiphas: *Expedit vobis ut unus moriatur*, vv. 47 etc. *Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum*, v. 53. *Jesus secedit juxta desertum in civitatem Ephrem*, v. 54. *Proximum autem erat Pascha Judæorum* (quartum ultimum prædicationis Christi), v. 55. *Quid putatis quia non venit Jesus ad diem festum?* v. 56. Interim *ascendens Jesus Jerosolymam secreto prædicit Apostolis mortem* suam et *resurrectionem*, Matth. 20, v. 17; Marc. 10, v. 32; Lucæ 18, v. 31. *Mater filiorum Zebedæi* fit Christo supplex, Matth. 20, v. 20; Marc. 10, v. 35. *Egressus Jericho* sanat *Bartimæum cæcum*, Marc. 10, v. 46, cum in *ingressu* alium *cæcum* sanasset, Lucæ 18, v. 35; Matth. 20, v. 29. *Zachæus excipit* Christum *hospitio in Jericho*, Lucæ 19, v. 1. Proponit parabolam *de decem mnis*, v. 11.

Martii 17, Nisan 9 *ante sex dies Paschæ*, sabbato venit et cœnat *in Bethania*, ubi *Maria unxit pedes ejus*, Joan. 12, v. 1, *et caput* quoque, Matth. 26, v. 6; Marc. 14, v. 3.

Martii 18, Nisan 10 *in crastinum* die Dominica vectus asina *ingreditur Jerosolymam*, Joan. 12, v. 12; Matth. 21, v. 1; Marc. 11, v. 1; Lucæ 19, v. 29: *Et eodem die revertitur Bethaniam*, cum prius expulisset *vendentes e templo*, Matth. 21, vv. 12 et 17.

Feria 2 *mane redit Jerosolymam. Esurit, ac maledicit ficui. Docet in templo.* Ubi de parabolis *filiifamilias a vinitoribus occisi*: *Lapidis angularis*; *Nuptiarum filii regis*, etc. Matth. 21, v. 18 et seqq.; Marc. 11, v. 12 usque 19.

Feria 3 vident *ficum exaruisse*, Marc. 11, v. 20. Rursum *in templo cum summis sacerdotibus*, *Scribis et senioribus* agit, v. 27; *de Baptismo Joannis*, v. 30; Matth. 21, v. 23; *de tributo dando Cæsari*, Matth. 22, v. 15; Marc. 12, v. 13; Lucæ 20, v. 20; *Sadducæos* circa *resurrectionem* confutat, Matth. 22, v. 23; Marc. 12, v. 18; Lucæ 20, v. 27. De *maximo mandato*, et *Christo Davidis filio* disputat, Matth. 22, v. 35; Marc. 12, v. 28; Lucæ 20, v. 41. De *Scribis et Pharisæis audiendis, non imitandis*, Matth. 23, v. 1; Marc. 12, v. 38; Lucæ 20, v. 46. *Viduam minuta duo* offerentem collaudat, Marc. 12, v. 41; Lucæ 21, v. 1. De *excidio Jerosolymorum*, *et mundi*, *egressus templo* fuse agit *cum discipulis*, Matth. 24; Marc. 13; Lucæ 21, v. 5. Parabola de 10 virginibus. De talentis. De forma extremi judicii, Matth. 25. *Erat autem diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte Oliveti*, Lucæ 21, v. 37.

Feria 4 *Judas triginta argenteis vendit* Jesum Judæis, Matth. 26, vv. 2 et 14; Marc. 14, vv. 1 et 10; Lucæ, 12, v. 1.

Feria 5 *ad vesperam comedit agnum Paschalem*, et instituit *ven. Eucharistiam*, Matth. 26, v. 20; Marc. 14, v. 12. Lucæ 22, vv. 14 et 19. Et longam exhortationem ad suos habuit, Joan. 13, 14, 15, 16, 17. Eadem *nocte captus* a Judæis, primum *ad Annam* socerum Caiphæ, secundo *ad Caipham* deducitur, ubi *reus mortis* pronuntiatur: et *ter a Petro negatur.*

Feria 6, Martii 23, Nisan 15, secundum vulgarem Synagogæ calculum (sed secundum verum et astronomicum, solum 14 Nisan, ut dixi c. 48 post 3 conclusionem), *mane* in magno *concilio* iterata condemnatione, deducitur ad *præsidem* Judææ *Pilatum*. Licet enim possent Judæi de iis quæ ad legem suam spectarent, quæstionem habere ac pœnas sumere, ut patet ex cæde Stephani, et colligitur ex Joan. 18, v. 31. *Secundum legem vestram judicate eum;* tamen in causa majestatis, et aliis criminibus quæ ad rem politicam vel imperium pertinebant, nihil poterant, ut ex Hebræis optime probat Maldonatus et Petavius [1]. Nam 40 circiter annis ante excisam urbem Jerosolymitanam dicunt Hebræi jus id omne sublatum Judæis a Romano Imperatore. Atqui Judæi Jesum læsæ majestatis reum faciebant; unde subdunt, *Nobis non licet interficere quemquam*, talem scilicet, v. 32.

Hora tertia, Marc. 15, v. 25, *crucifixerunt eum.* Toletus et Petavius cum S. Hieronymo [2], item Cajetanus et Melchior Canus [3] putant corruptum locum, et pro ς, quæ est nota senarii, positum Γ, quæ est ternarii nota. Sed potest tam

(1) Lib. 12 de doctrina temporum, c. 19. (2) In Psalm. 77. (3) Lib. 11.

antiqua lectio facile a vitio excusari secundum ea quæ ex Censorino, Jansenio, Maldonato et Baronio notavi sub initium Chronici cap. 2. Qui dicunt, horam tertiam fuisse secundam partem diei e quatuor partibus in quas dies olim dividebatur, durasseque usque ad meridiem, qua propinquante Christum crucifixum fuisse, Joan. 19, v. 14, ubi dicitur *horam quasi sextam* fuisse, quando *Pilatus flagellatum Dominum Judæis* stitit atque *damnavit*.

Hora sexta, id est meridie, *tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam* (quæ nostræ respondet tertiæ pomeridianæ) quando *Christus clamans voce magna exspiravit*. Vide cap. 48, conclusione 5.

Ante vesperam a Josepho et Nicodemo sepultus est, Joan 19, v. 38; Matth. 27, v. 57; Marc. 15, v. 42; Lucæ 23, v. 50, Συνεκδοχικῶς, tribus diebus in sepulcro jacuit: ita S. Hieronymus [1], Augustinus [2], Theophylactus et alii communiter. *Vespere autem sabbati*, ὀψὲ δὲ τῶν σαββάτων, id est sero sabbatorum, nempe confectis jam prioris hebdomadæ sabbatis seu diebus omnibus, vespera illa seu nocte, quæ lucescit, id est lucem finientem excipit et immediate consequitur, estque initium primæ diei civilis proximæ hebdomadæ. Quod clarius exprimit Marcus c. 16, v. 1, *Cum transisset sabbatum, Maria Magdalene* cum aliis mulieribus, *emerunt aromata. Et valde mane, una*, pro prima, *sabbatorum veniunt ad monumentum*. Et quidem in urbis egressu *adhuc tenebræ erant*, Joan. 20, v. 1, albescente tamen cælo, ut loquitur S. Augustinus. Sed *ortus erat sol* cum ad monumentum pertigerunt, Marc. 16, v. 1. Nisi malis dicere, initio ipso noctis mulieres, emptis aromatibus, versus locum sepulcri profectas esse, saltem aliquousque, et juxta portam urbis, vel in suburbio pernoctasse: diluculo autem progressas esse, etc. Cumque vidissent ab ostio revolutum lapidem, consternata præ aliis Magdalena, relictis sociis mulieribus ad Apostolos currit, et furto corpus Christi sublatum nuntiat. Quo nuntio Petrus et Joannes ad monumentum evocantur, Joan. 20, vv. 1 et seqq. Absente Magdalena, reliquæ mulieres intrant sepulcrum. In anteriore parte angelum unum uni saxo insidentem vident, Matth. 28, v. 2, in posteriore seu interiore speluncæ parte, alteri saxo vident duos angelos insidentes, Lucæ 24, v. 4. Quo spectaculo pavefactæ diffugiunt, et ad Apostolos properant nuntiatum quæ viderant. Cum Christus obviam ipsis procedens, consalutavit illas, ac pedes contractandos præbuit, Matth. 28, v. 9. Interea Petrus et Joannes cum reduce Magdalena, ad monumentum adcurrunt. Sed, digressis Apostolis, Magdalena sola jam ibi permansit: atque tum angelos primum, dein et Christum hortulani specie vidit, Joan. 20, vv. 10 et seq. Ita Toletus, Petavius et alii.

Surrexit ergo Christus prima feria (quæ inde Dominica exinceps dicta fuit) 25 Martii, summo mane, ut dixi c. 48 in fine, et cum primo loco matrem suam (ut pie credunt Catholici) revisisset, secundo mulieribus apparuit in via, tertio Magdalenæ ad monumentum, ut jam dixi. Eodem die apparuit quarto Simoni Petro, Lucæ 24, v. 34, quinto euntibus Emmaus, Lucæ 24, v. 13, sexto Apostolis sub vesperam domi simul collectis, Joan. 20, v. 19, sed sine Thoma.

Prima Aprilis, *Post dies octo*, iterum iisdem apparet, præsente quoque Thoma, Joan. 20, v. 26: *Manifestavit se iterum* Jesus ad mare Tiberiadis piscantibus Apostolis, Joan. 21, v. 1, ubi *Petro* trinam negationem trina confessione diluenti Ecclesiam suam Christus commendat, *Pasce oves meas*, v. 17. *Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul*, 1. Corinth. 15, v. 6. Putaturque hæc fuisse celeberrima illa et toties a Christo ante promissa apparitio in monte Galilææ. Ita S. Hieronymus [3] et interpretes passim. *Visus est* etiam *Jacobo*, 1. Cor. 15, v. 7. Sed quo die tres istæ apparitiones contigerint, incertum. Certum, *per quadraginta dies præbuisse seipsum vivum post passionem, et apparuisse* variis vicibus, et *locutum fuisse* discipulis *de regno Dei*, Actor. 1, v. 3.

Tandem 40 die a resurrectione, 25 Iiar, 3 Maji, feria 5 Christus *convescens* Apostolis suis, *præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent*, donec implerentur *Spiritu*

(1) In Jonæ 1 et Matth. 12.
(2) Lib. 3 de Consensu Evang. c. 23, et lib. 4 de Trinit., c. 6.
(3) Q. 7 ad Hedib.

sancto. Et a mensa *eduxit eos foras in Bethaniam: et elevatis manibus suis benedixit eis, et recessit ab eis, et ferebatur in cœlum,* Actor. 1, v. 4, et Lucæ 24, v. 49; Marc. 16, v. 19. *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum,* Actor 1, v. 9. *Et sedet a dextris Dei,* Marc. 16, v. 19; sedebitque *usque in tempora restitutionis omnium,* Actor. 3, v. 21.

CAPUT L.

ACTA APOSTOLORUM, ET ALIA QUÆ SUB ID TEMPUS ACCIDERUNT, PER ANNOS DIGESTA, USQUE AD EXCIDIUM TEMPLI JEROSOLYMITANI PER TITUM, ANNO A MORTE CHRISTI 40 IMMO USQUE AD MORTEM S. JOANNIS EVANGELISTÆ, AN. 68 [1].

ANNO			
Tiberii	Juliano	a morte Christi	
18	76	1	Decima die ab ascensione Christi, 13 Maji, 6 mensis Hebræorum Sivan, Dominica die, hora 3 diei, dum esset Judæorum dies Pentecostes, Spiritus sanctus in Apostolos aliosque utriusque sexus discipulos Christi descendit, Actor. 2. Porro non potuit Pentecoste Judæorum sextâ Sivan incidere in diem Dominicum, quin Paschalis Judæorum sollemnitas in sabbatum incideret, et oblatio manipuli primitiarum in Dominicum. Semper autem Pentecoste Judæorum est sexta die 3 mensis Sivan, et eadem feria cum feria quæ proxime sequitur sollemnitatem Paschæ, quando nempe offerebatur manipulus recentium spicarum. Eadem die S. Petrus prima sua concione convertit *circiter tria millia,* Actor. 2, v. 41. Et plures quotidie accedebant, v. 47. Paullo post, occasione claudi, c. 3, v. 7, sanati convertuntur secunda Petri concione alia quinque millia, c. 4, v. 4. Unde incarceratur Petrus cum Joanne, vv. 3 et 13. Sed præter minas passus nihil, v. 21. Post aliquot dies Ananiam et Saphiram suffurantes de pretio agri, morte punit, c. 5, v. 1. Mox crescente nimium numero Christianorum, incarcerantur plerique Apostoli, sed ab angelo liberantur, vv. 17 et 19. Inde a pontificibus reprehenduntur, v. 28, causam illorum agit Gamaliel, v. 34. Virgis cæduntur, v. 40. Eodem anno creantur septem Diaconi, c. 6, v. 5. Quorum primarius Stephanus 26 Decembris lapidatur, c. 7, v. ult. Die sequenti 27 Decembris S. Jacobus frater Domini creatur primus Episcopus Jerosolymorum. Vide Baronium.
19	77	2	*Disperguntur, præter Apostolos, Christiani* pene omnes: Actor. 8, v. 1. *Philippus Diaconus* convertit *Samaritanos,* v. 5. Quo profectus *Petrus et Joannes,* ut eos Sacramento Confirmationis communirent, primo certarunt cum *Simone Mago,* vv. 9 etc. *Philippus* baptizat *Eunuchum Candacis reginæ Æthiopum,* v. 27. Magdalena cum Martha et Lazaro et Josepho ab Arimathia Massiliam appellit, ut probat Baronius.
20	78	3	Die 25 Januarii *Saulus convertitur,* Actor. 9. *Prædicat Christum Damasci,* v. 20. Inde *abit in Arabiam;* sed mox

(1) Paullo aliter distribuenda hæc essent juxta Henschenii Chronologiam, sed lege P. Daude, p. 173 seq.

ANNO Tiberii	Juliano	a morte Christi	
			Damascum redit, Galat. 1, v. 17, manetque toto *triennio*, ibidem.
21	79	4	Sedato primo Judæorum furore, et Tiberio Imperatore accusatoribus Christianorum publico edicto mortem comminante, ut scribunt Tertullianus [1] et Eusebius [2], *pacifice* degebant Christiani tota *Judæa, Galilæa et Samaria*, Actor. 9, v. 31. *Petrus Lyddæ Æneam paralyticum sanat*, v. 32. *In Joppe, Dorcan* suscitat *a mortuis*, v. 36. Visione *lintei pleni serpentibus*, discit prædicandum Evangelium etiam *Gentilibus*, Actor. 10, v. 9. Unde vocatus a *Centurione*, baptizat eum cum *tota familia*, ibidem usque ad finem capitis. S. Jacobus Zebedæi in Hispaniam excurrit. In autumno hujus anni finiuntur 70 hebdomades Danielis, seu 490 anni, de quibus egi supra c. 38.
22	80	9	Adventante in Syriam Vitellio præside, Marcellus Judææ præficitur, Pilatus exauctoratur, et Romam mittitur dicturus causam. Ubi mortuo post biennium Tiberio, a Cajo Caligula condemnatur, et in perpetuum exilium Viennam Galliæ deligatur; sed impatiens miseriæ, sua istic se manu transverberat: ita Josephus [3], Ado, Cassiodorus et Eusebius [4]. Ab eodem Vitellio etiam Caiphas exauctoratus, vitæ et ipse pertæsus mortem sibi conscivit, inquit Clemens Romanus [5]. Et Annas socer ejus male quoque periit, teste Nicephoro [6]. Vide etiam Josephum [7].
13	81	6	Die 22 Februarii S. Petrus cathedram Episcopalem fixit Antiochiæ, fere expletis 5 annis (neque enim deerat nisi unus mensis) a morte Christi, seditque ibidem Episcopus septem annis, demto mense 1 et diebus 5. Et hanc antiquissimam esse traditionem docet Pererius [8]: et fatetur etiam hæreticus Carion [9], additque et recte, Petrum in Judæa quinque annis sedisse, prius quam Antiochiæ Sedem figeret. In Chronico etiam Siculo, Sedes Petri Antiochiæ signatur Plautio Lælliano et Sex. Papirio Gallieno Coss. id est, anno 81 Juliano. Eumdem fere quinarium annorum Petri in Judæa, et septenarium Antiochiæ; ante 2 annum Claudii Imperatoris signavit Erasmus [10] et alii compluros. Paulus cum toto triennio Damasci prædicasset Christum, quæsitus ad vincula a Judæis et Areta rege, per murum sporta demissus effugit, venitque primum Jerosolymam, ut videret Petrum, cum quo mansit diebus 15; Galat. 1, v. 18, et 2. Corinth. 11, v. 32, et Actor. 9, v. 23. Venit ergo initio anni Jerosolymam Paulus, antequam Petrus Antiochiam demigrasset.
Caji Caligulæ 1	82	7	Decimasexta Martii, moritur Tiberius anno ætatis 78. Successit Cajus Caligula, qui Herodem Agrippam, Antipæ (ex [11] Aristobulo fratre gladio Herodis Ascalonitæ necato) nepotem [12], a Tiberio (quod ei celerem mortem precatus esset, quo citius Cajus imperare posset) in vincula conjectum, honore

(1) In Apologet.
(2) In Chronico.
(3) Lib. 18 Antiq., cap. 5.
(4) In Chron.
(5) Lib. 8 Constit., cap. 1.
(6) Lib. 2 Hist., cap. 10.
(7) Ut supra et lib. 12, cap. 3 et 6.
(8) Disp. 1 Prolog. in ep. ad Rom.
(9) Lib. 3 Chronolog.
(10) In Peregrin. Petri et Pauli.
(11) Vide cap. 49, § anno 2 Christi.
(12) Ita Syrus et Euseb. l. 2, c. 10 ex Joseph. l. 18 Antiq., c. 8 et l. 19, c. 5.

ANNO Caji Caligulæ	Juliano	a morte Christi	
			summo liberavit, pro ferrea catena auream illi ejusdem ponderis injiciens, et regem Judææ constituens : ita Josephus, Baronius et alii.
2	83	8	Herodes Agrippa, dum Roma per Alexandriam in Judæam tendit, ab Alexandrinis in publica scena eodem modo illusus est, quo Christus a Judæis illusus fuerat. Vide Josephum. Ubi in Judæam appulit, patruum suum Herodem Antipam apud Cajum Imper. accusat, et tetrarchia Galilææ, fortunisque omnibus spoliari curat, et cum impia Herodiade uxore sua in perpetuum exilium mitti Lugdunum Galliæ, ubi uterque mœrore contabuit.
3	84	9	Si Eusebio [1] et Baronio credimus, S. Matthæus hoc anno a morte Christi octavo, suum Evangelium, præcipientibus Apostolis, hebraice conscripsit, quod inde descriptum detulit secum S. Bartholomæus ad Indos, teste eodem Eusebio [2] et Hieronymo [3]: et S. Barnabas (cum cujus etiam corpore repertum est sub Zenone Imperatore) et S. Marcus quasi compendiavit; S. Jacobus frater Domini Jerosolymitanis pro concione exposuit, teste S. Athanasio [4].
4	85	10	Agabus propheta Antiochiæ famem toti orbi obventuram prædicit, quæ sub Claudio cœpit, et diu duravit, Actor. 11, v. 28. Paulus et Barnabas ibidem per integrum annum evangelizant. Et ibi discipuli primum cognominati sunt christiani, v. 26. Cajus Cæsar statuam suam poni jubet in templo Jerosolymitano, ut in ea adoraretur etiam a Judæis. Neque alio responso per Philonem legatum ob id a Judæis ad Cæsarem Romam missum eos dignatus est, quam: *Vosne illi diis invisi, qui me omnium confessione deum soli aspernamini?* Ita Philo [5], Josephus [6] et alii.
Claudii 1	86	11	Calendis Februarii Cajus a militibus prætorianis occiditur, teste Svetonio, Tacito, Dione, Josepho et aliis, ætatis anno 29, imperii quarto pene exacto. Succedit Claudius Drusi filius : qui Agrippæ regno etiam Samariam adjecit. Hoc anno 1 Claudii volunt quidam decollatum S. Jacobum, sed alii verisimilius id adscribunt anno secundo.
2	87	12	Die 14 mensis Nisan, pridie Paschæ Judæorum, pridie Calend. Aprilis, Jacobus Zebedæi ex Hispania redux, ab Herode Agrippa gladio feritur, eadem die (mensis lunaris) et hora qua fuit Christus crucifixus, inquit Callistus Papa, vel quicumque est auctor libri de Miraculis S. Jacobi, Actor. 12, v. 2. Paulus secundo venit Jerosolymam, Actor. 11, v. ult. Idem Herodes in *diebus azymorum*, fluente octava Paschæ, in *vincula* compegit *etiam Petrum*, Act. 12, v. 3. Sed ab angelo liberatus, v. 7, varias evangelizando peragrat regiones *Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ*, etc. 1. Petri 1, v. 1. Reliqui quoque Apostoli occasione hujus persecutionis Jerosolyma et Judæa excedentes, per universum orbem divisi et ad suas singuli provincias profecti sunt; prius composito Symbolo, quasi communi fidei tessera, quod inde Apostolorum Symbolum vocatum fuit. Porro divisos demum Apostolos anno

(1) In Chron. (2) Lib. 5 hist., cap. 10.
(3) De Scriptor. Eccles. in Panteno, cap. 36.
(4) In Synopsi et Hæresi 51. (5) In Legat. ad Cajum.
(6) Lib. 18 Antiq., cap. 12.

ANNO Claudii	Juliano	a morte Christi	
			a morte Christi 12, docet Beda [1], Vincentius Belvacensis [2], Genebrardus [3], Guilielmus Durandus [4], Nauclerus [5], Salmeron [6], Baronius [7], Martyrologium Romanum, Usuardi, Petri Canisii, et alia, quæ 15 Julii divisos affirmant. Et Thraseas martyr teste Apollonio apud Eusebium [8], dicit ex traditione majorum, Christum suis Apostolis præcepisse, ne ante 12 annum Jerosolymis dilaberentur ad alias nationes. Paulus a Spiritu sancto ad Gentes procul ablegandus, Actor. 13, v. 2, rapitur in tertium cælum, 14 annis antequam scriberet 2. ad Corinthios epistolam, ut ait c. 12, v. 2.
3	88	13	Die 18 Januarii, necdum finito anno 2 Claudii, Petrus Romæ Cathedram suam constituit (Antiochiæ Evodio Episcopo relicto) anno Juliano 88, Tiberio Claudio Cæsare III, et L. Vitellio Coss. et sedit Romæ fere 25 annis. Ita Eusebius [9], Hieronymus [10], Innocentius primus [11], Isidorus Hispalensis [12], Beda [13], Cassiodorus, Honorius Augustodun., Ado [14], Freculphus [15], Haymo [16], et passim Catholici. Paulus ordinatur Episcopus, Actor. 13, v. 3, et quasi *Apostolus cum Barnaba* mittitur evangelizatum *Gentibus* quaquaversum, vv. 4 etc. Petrus Romæ scribit primam suam epistolam, quia in fine, *Babylone,* id est *Roma, Marcus* salutem adscribit fidelibus. Atqui hoc eodem anno *Marcus* Roma abscessit. Cum enim scripsisset mox *dispersis Apostolis Marcus* suum [17] *Evangelium* ibidem [18]; inde Alexandriam Episcopus mittitur, anno 3 Olympiadis 205, inquit Eusebius. Herodes Agrippa Cæsareæ audiens acclamantem populum, *Dei voces et non hominis;* quod tacite applauderet, ab angelo percussus, vermibus interiit, Actor. 12, vers. 21.
4	89	14	Paulus et Barnabas peragrata Seleucia, Cypro, Salamina, Paphi Sergium Paulum Proconsulem ad Christum convertunt, excæcato Elyma mago, Actor. 13, vv. 4 etc. Et ab hoc Paulus nomen Pauli assumit qui ante Saulus dicebatur, v. 9. Inde abeunt Pergen Pamphyliæ, et Antiochiam Pisidiæ: sed a Judæis expulsi convertunt se ad Gentes, Iconii, etc., vv. 13 etc.
5	90	15	Iconii plurimos convertunt tum Gentiles (inter quos et Theclam) tum Judæos, donec ab eis lapidati fugerent in Lycaoniam et Lystram, Actor. 14, v. 1.
6	91	16	Lystræ claudum sanat Paulus: hinc Mercurius acclamatur, et Barnabas Jupiter, v. 7. Post lapidatus ibidem Paulus, peneque occisus, Derben secessit, v. 18. Inde Lystram revertitur, Iconium et Antiochiam Pisidiæ, confirmans ubique christianos, v. 20. Inde transita Pisidia, et Perge Pamphyliæ, ventum in Attaliam, v. 23.
7	92	17	Paulus peracto quadriennio in peregrinatione sua, cum

(1) Sup. 18 Actor. et in Martyrol.
(2) In Speculo lib. 8, cap. 9.
(3) Lib. 3 Chronogr.
(4) Lib. 7 Div. Offic., cap. 15.
(5) T. 2 generat. 1.
(6) T. 12, tract. 37 et 60.
(7) Ad an. Christi 44.
(8) Lib. 5 hist., cap. 18.
(9) Ad 2 an. Claud.
(10) De Script. Eccl.
(11) In Decretali 18 ad Alex. Ep.
(12) In Catalogo SS. Novi Test., cap. 69.
(13) De sex ætatib. et in Martyrol.
(14) In Chronic.
(15) T. 2, l. 1, c. 12.
(16) Lib. 2 S. Hist., cap. 21.
(17) Colligitur ex c. 16, v. 20.
(18) Ita est in Syriaco in fine. Joseph lib. 20 Antiq., cap. 3, et lib. 2 Belli, c. 13.

ANNO Claudii	Juliano	a morte Christi	
			Barnaba redit Antiochiam Syriæ, ibique biennium commoratur, v. 25.
8	93	18	Paulus Antiochiæ, Petrus Romæ docet, indeque per urbes et provincias totius orbis Episcopos mittit. Agrippa junior, filius defuncti Agrippæ obtinet regnum paternum, an. 8 Claudii, 17 ante initium belli Judaici : ita Josephus.
9	94	19	Orta Antiochiæ controversia de circumcisione, etc. mittitur tertio Paulus Jerosolymam cum Barnaba ad Apostolos, qui celebrato istic primo Concilio [1], præside sancto Petro (qui Claudio Imperatore Judæos omnes Urbe [2] expellente, Roma Jerosolymam excurrerat) definiunt, legales cæremonias Mosaicas non esse christianis servandas, Act. 15, Galat. 2, v. 1. Hanc sententiam deferunt Antiochiam Silas et Judas una cum Paulo et Barnaba, Actor. 15, v. 22. Quos paullo post subsequitur etiam S. Petrus, et a Paulo reprehenditur, Galat. 2, v. 11. Antiochia Barnabas cum Joanne Marco pergit in Cyprum: Paulus cum Sila perambulat Syriam et Ciliciam, Actor. 15, v. 37. Cumque per Derben venisset Lystram, circumcidit Timotheum, c. 16, v. 1. Cum quo transiens Phrygiam et Galatiam, vetatur a Spiritu S. loqui verbum Dei in Asia, v. 6. Transita vero Mysia, cum esset Troade, in visione invitatur a viro Macedone, ut in Macedoniam excurrat, v. 8. Ergo navigat in Samothraciam, inde Neapolim, et Philippos, ubi Lydiam purpurariam convertit, et dæmonem Pythonem a puella expellit, vv. 11 etc. Qua occasione flagellatur Paulus, sed agnitus civis Romanus, liber dimittitur, vv. 19 etc. et per Amphipolin et Apolloniam venit Thessalonicam, Act. 17, v. 1. Sed seditione a Judæis excitata, a fratribus noctu Beræam dimittitur, et inde Athenas, v. 5 usque 15, relictis Sila et Timotheo Berææ, vers. 14.
10	95	20	Paulus Athenis in Areopago prædicans convertit Dionysium Areopagitam, vv. 16 etc. Inde Corinthum pergit, c. 18, v. 1, ubi convertit Crispum principem Synagogæ, vers. 8. Corinthi post adventum Silæ et Timothei scribit priorem epistolam ad Thessalonicenses.
11	96	21	Corinthi secundum annum agens Paulus, v. 11, secundam inde scribit epistolam ad Thessalonicenses. Paulus ad tribunal trahitur Proconsulis Gallionis (qui frater fuit Senecæ): sed dimittitur intactus, v. 12. Post *multos* inde *dies*, *abiturus in Syriam totondit sibi ex voto* (Nazaræorum) *in Cenchris* portu Corinthi, *caput*, v. 18.
12	97	22	Ephesum appulsus, v. 19, parum ibi moratus, v. 20, relictis ibi Aquila et Priscilla, solvit Cæsaream, indeque Antiochiam, v. 22, et perambulans Galaticam regionem et Phrygiam, confirmat ubique discipulos, v. 23. Apollo Ephesi ab Aquila et Priscilla instructus in fide, Corinthi convincit Judæos, v. 24, et c. 19, v. 1. Eodem anno 12 Claudii, Olympiadis 207 anno 4 Philippus Apostolus apud Hierapolin

(1) Ita Hier., Anselmus, Haymo, Catharin., Salmeron, Bellarmin., Franc. Turrian., etc., Sethus Calvisius, Funccius, etc.
(2) Act. 18, v. 2.

ANNO Claudii	Juliano	a morte Christi	
			Asiæ, cruci affixus, lapidibus obruitur, inquit Eusebius [1], et Solinus [2] annum quoque 9 Claudii pariat cum anno 1 Olympiadis 207.
13	98	23	Paulus *peragratis superioribus* Asiæ *partibus redit Ephesum*, ibique *per biennium*, Actor. 19, v. 10, cum tribus mensibus prædicat: unde c. 20, v. 31 dicit se *per triennium* istic mansisse. Ibi bestiis objicitur, 1. Corinth. 15, v. 32. Per sudaria et semicinctia sua curat quosvis languores, dæmones expellit, etc. Act. 19, v. 11.
14 Neronis 1	99	24	Occasione Judæorum exorcistarum, in quos dæmon insiliit, multi Ephesi ad Christum convertuntur, v. 13. Die 13 Octobris mortuo Claudio, anno ætatis 64, imperii 14, per octo menses continuatos, teste Svetonio [3] et Dione [4], agente Agrippina secunda ejus uxore (quæ maritum veneno sustulerat) sufficitur Nero filius Agrippinæ anno ætatis 18, excluso, et post etiam veneno sublato, Britannico Claudii ex priore uxore Messalina filio, legitimo imperii herede. Ita Josephus [5]. Ab hac Agrippina, cum in oppidum Ubiorum, ante quadriennium colonia deduceretur, nomen urbi datum Coloniæ Agrippinæ, quod ipsa in eo oppido nata fuisset, agente ibi cum exercitu Germanico illius patre.
2	100	25	Paulus scribit primam epistolam ad Corinthios [6]. Et sublato cum morte Claudii edicto de Judæis Roma exigendis, cogitat, transita Macedonia et Achaja et Judæa, Romam excurrere, Act. 19, v. 21. Concitata per Demetrium seditio Ephesi, occasione templi argentei Dianæ, suasit Paulo excedere Epheso, et in Macedoniam concedere, relicto Ephesi Timotheo primo Episcopo, v. 24, et c. 20, v. 1, et 2. Corinth. 2, v. 12. Ex Macedonia primam ad Timotheum scribit epistolam. Inde Cretam venit, et Titum ibi creat et relinquit Episcopum, ad Titum 1, v. 5.
3	101	26	Paulus peragrans Græciam venit Nicopolin, ubi statuit hiemare, Actor. 20, v. 3. Unde scripta ad Titum epistola vocat illum ad se, ad Tit. 3, v. 12. Nicopoli quoque videtur scripsisse epistolam secundam ad Corinthios: eosdemque mox adiisse, et ex portu Cenchrensi scripsisse epistolam ad Romanos. Inde Philippos abit, et post Pascha Troadem, Actor. 20, v. 6. Ibi a morte suscitat Eutychum, v. 9. Inde Asson, Mitylenen, Chium, Samum, Miletum, v. 13. Quo evocatis majoribus Ephesi ultimum vale dicit, v. 17. Mileto navigat Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaidem, Cæsaream, cap. 21, ubi Agabus propheta Paulo vincula Jerosolymitana prædicit, v. 10. Sub Pentecosten (uti decreverat, c. 20, v. 16) pro quarta vice venit Jerosolymam: ubi quantumvis purificatus in templo, occisus fuisset a Judæis, nisi tribunus eum eripuisset, c. 21, vv. 17, 26, 33. A quo vinctus mittitur Cæsaream ad Felicem præsidem, Actor. 23, v. 23, quem sua oratione percellit Paulus, c. 24, v. 25. Felici succedens Portius Festus cum propenderet Paulum Jerosolymam deducere, Paulus Cæsarem appellat, c. 25, v. 9. Sed antequam Romam mitteretur, causam coram Agrippa

(1) In Chron. (2) Polyhistor., cap. 2.
(3) In Claudio, cap. 45. (4) Lib. 60.
(5) Lib. 20 Antiq., cap. 5. (6) 2. ad Cor. 12, v. 2.

ANNO Neronis	Juliano	a morte Christi	
			rege (hic erat defuncti Agrippæ senioris filius, et in regno successor, teste Josepho et aliis) et Berenice agit, v. 13, et c. 26. Dein cum centurione navigat Sidonem, Cyprum, Lystram, c. 27. Paullo post naufragium patitur, v. 9 usque 41. Sed cum omnibus sociis salvis Melitam tenet, v. ult., et c. 28, v. 1.
			Eodem anno S. Lucam suum conscripsisse Evangelium censet Baronius. Sed citius scriptum vult Cornelius a Lapide [1].
4	102	27	Paulus post tres menses ex Melita devehitur Syracusas, Actor. 28, v. 11, inde Rhegium et Puteolos, v. 13. Atque ita terrestri itinere Romam, v. 14. Idque 6 Julii, ut docet Cornelius a Lapide. *Romæ* in domo conducta permittitur suo arbitratu *manere cum custodiente se milite*. Quæ domus post conversa est in ecclesiam S. Mariæ in via lata. *Biennium* sic *mansit*, libere *prædicans Christum*, v. 30. Esto ob metum Neronis, *omnes* sui eum *desererent:* sed *astitit* ei *Christus*, eripuitque eum *de ore leonis*, 2. ad Timoth. 4, v. 16. Romæ scripsit epistolam ad Philippenses, per Epaphroditum eorum Episcopum. Item epistolam ad Ephesios, quam misit per Tychicum.
5	103	28	Anno secundo captivitatis suæ Romæ scribit epistolam ad Colossenses, ad Philemonem et ad Hebræos.
6	104	29	Biennio in captivitate exacto, Paulus a Nerone liber dimittitur. Inde varias provincias evangelizando peragrat, ac nominatim Hispanias. Sed S. Lucas Actis Apostolorum fine prius imposito, Roma in Græciam revertitur; Dalmatiam tamen, et Galliam, et Italiæ varias partes evangelizando obit, ut et Libyam, etc. ac tandem cælebs, anno 84 ætatis, apud Patras urbem Achajæ, apostolatum suum nobili martyrio concludit. Ita Baronius. Hoc anno Nero Agrippinam matrem suam crudelis filius occidit: *hanc illi gratiam* (inquit Josephus [2]) *non pro nativitate solum referens, verum etiam quod ejus artibus ad imperium provectus fuisset*, ut dixi an. 1 Neronis.
7	105	30	Jacobus frater Domini in Paschate, anno 7 Neronis, post 30 annos a morte Christi, a Judæis e pinna templi dejectus fullonis vecte occiditur. Ita Hieronym. [3], Eusebius, Freculphus [4], Nicephorus [5], Antoninus [6], Petrus de Natalibus [7], Hermannus Contractus, Conradus, Fasciculus temporum, Genebrardus [8], Ludolphus [9], Platina [10], Onuphrius, Adrichomius, Ciacconus, Petrus Galarza [11], Jacobus de Varagine [12], Baronius, Breviarium Romanum; et Martyrologia Bedæ, Notkeri et Petri Canisii; Hæreticus quoque Joannes Lucidus, Alexander Scultetus et alii [13]. Exstincto Jacobo sufficitur in episcopatu Jerosolymitano frater ejus germanus Simon, de quo egi in fine c. 46. S. Andream hoc etiam anno crucifixum Patris Achajæ, notat Onuphrius.

(1) Act. 10, v. 10.
(2) Lib. 20 Antiq., cap. 5.
(3) De viris illustr.
(4) In Chronic.
(5) Lib. 2 hist., cap. 38.
(6) P. 1 hist., tit. 6, c. 8, § 1.
(7) Lib. 4, cap. 108.
(8) Hieron. et alii in Chronicis.
(9) De vita Christ.
(10) Et alii, de Rom. Pontif.
(11) Lib. 7 Evang. Instit., c. 9.
(12) Serm. de S. Jacobo Minore.
(13) In Chron.

ANNO Neronis	Juliano	a morte Christi	
8	106	31	S. Barnabas in Cypro occiditur, teste Onuphrio et aliis, item S. Marcus Alexandriæ, non ipso die Paschæ, sed in octava 25 Aprilis, Dominica (ut apparet) in Albis, cum pridie ad altare sacris operans comprehensus esset. Ita Menologia Græcorum, et Latina Martyrologia, et Eusebius, Hieronymus, Isidorus et alii scriptores. Hic est alter *S. Marcus* ab illo *Joanne Marco* consobrino Barnabæ, Actor. 15, v. 39, et 2. Timoth. 4, v. 10, et Coloss. 4, v. 10. Eodem anno Simon et Judas Apostoli occisi sunt in Perside, ait Onuphrius: serius volunt Baronius et Cornelius, sed non convincunt. Nero uxorem simul et sororem (sed ex Messalina matre, de qua anno 1 Neronis) Octaviam, in insulam relegatam, mori tandem balnei vapore compulit 10 Junii, teste Tacito [1].
9	107	32	Rusticus quidam, Jesus nomine, clades Jerosolymæ imminentes prædicit, 4 anni ante initium belli Judaici, 8 ante urbis obsidionem: nec flagellatus a magistratu, cessavit inclamare, *Væ, væ Jerosolymis:* continuavitque usque ad octavum annum, quando in mœnibus consistens, et maxima voce clamitans, *Væ, væ civitati, væ templo, væ populo,* denique *et mihi væ,* lapide e tormento Romanorum misso interiit: ita Josephus [2].
10	108	33	Roma horribili conflagrat incendio, cujus causam Nero per calumniam conjicit in Christianos, eoque nomine gravissimis suppliciis illos enecat, *ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent: aut crucibus affixi, aut flammandi in usum nocturni luminis urerentur,* inquit Tacitus [3] et Martyrologium Romanum 24 Junii. S. Matthiam Apostolum hoc quoque anno occisum scribit Onuphrius.
11	109	34	Nero primam in Christianos persecutionem, privatim hinc inde nuper inchoatam, nunc publico edicto instituit. Quando etiam complures ex ipsius Neronis familia, quorum meminit S. Paulus ad Philipp. 4, v. 22, martyrio affecti sunt. Plurimi quoque senatores, quod in necem ejus conjurasse dicerentur, occisi: inter quos et Seneca præceptor Neronis, et Lucanus poeta nepos Senecæ, et Plautus Lateranus Consul designatus. A quo nomen loco in Cælio monte, ubi post extructa est a Constantino Basilica Lateranensis, teste sancto Hieronymo [4], Poppæam, denique Sabinam Augustam, licet sibi carissimam, ira percitus Nero, ictu calcis percussam occidit, teste Tacito, Dione, et aliis.
12	110	35	Mense Majo Judæi ob Cestii Flori præsidis avaritiam et tyrannidem, a Romanis desciscentes, bellum adversus illos ordiuntur. Cum Pascha Judæorum eo anno incideret in 8 Aprilis, media tunc nocte circa altare et templum effulsit tantum lumen, ut clarissimus dies putaretur: bos ad hostiam ductus agnum in medio templi peperit: porta ænea templi sponte sua noctu aperta est, etc.; 21 Maji in aere visi sunt currus ferrei et armatæ acies urbi circumfusæ. In Pentecoste audita vox in templo, *Migremus hinc,* ita Josephus [5]. Unde et Christiani memores monitorum Christi, Jerosolyma exce-

(1) Lib. 15.
(2) Lib. 7 Belli, cap. 12.
(3) Ut supra.
(4) Epist. 30 ad Oceanum.
(5) Ut supra.

ANNO Neronis	Juliano	a morte Christi	
			dentes, in urbem Pellam, et alias remotiores se contulere. 7 septembris in sabbato fœdissima cæde occisus est summus pontifex Ananias cum aliis innumeris Judæis: ita Josephus [1], Hegesippus [2], S. Epiphanius [3] (qui dicit fuisse annum Christi 65, nempe Dionysianum), S. Hieronymus [4] (qui annum 35 a morte Christi) et alii. Hæc vero omnia designant, fuisse tunc annum Julianum 110 et Neronis 12. Addit Josephus [5], fuisse secundum annum Cestii Flori, 17 regis Agrippæ junioris: et exinceps numerat quinque alia Paschata, ante deletam a Tito urbem.
			Eodem anno Petrus, et mox etiam Paulus, ut labenti pene Ecclesiæ ob crudelem Neronis persecutionem succurrerent, Romam redeunt, ubi Petrus Simonem Magum volare conantem ex alto præcipitat: ita Arnobius [6]. Hegesippus [7], Epiphanius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, et alii. Paulus Neroni pellicem subtrahit et Christo adjungit. Has ob causas uterque a Nerone in carcerem Mamertinum compingitur, ita idem S. Petrus secundam scribit epistolam, S. Paulus item secundam ad Timotheum, eumdemque ad se vocat. Apollonius Tyanæus Simoni Mago successurus Romam venit.
13	111	36	Jubente Nerone Vespasianus ex Achaja migrat in Judæam, mense Majo Jotapatam obsidet, et Calendis Julii expugnat. Joseph [8], Nero hoc adhuc anno in Septembri Isthmum in Achaja fodi curat.
14	112	37	Hic est 14 annus Neronis, si non a die capessiti imperii 13 Octobris, sed a præcedentibus Calendis Januarii, more Romano, inchoes annos illius, ut inchoant Hieronymus, Beda, Hermannus Contractus et alii, et ipse etiam Evangelista Lucas (ut dixi c. 47), cum Christum dicit baptizatum anno 15 Tiberii. Hoc igitur calculo, 14 Neronis anno (nam a die inchoati imperii labebatur tantum 13 annus), Juliano 112 a morte Christi 37, Capitone et Rufo Coss. sancti Apostoli Petrus et Paulus martyrium subeunt Romæ, uno eodemque die 29 Junii, ille cruce, hic gladio. Hunc annum 37 a morte Christi, etc. martyrio illorum adsignant scriptores totius orbis. In Palæstina Eusebius [9] et Hieronym. [10] plus novies variis in locis: et Baronius [11] dicit, illum id ex traditione Romanæ Ecclesiæ hausisse. In Græcia Nicephorus [12], Callistus et alii. In Italia Damas. [13], Ciacconus et Platina [14]. In Anglia Beda [15]. In Hispania S. Isidor. [16], Salmer. [17], Bened. Pererius [18]. In Polonia Martinus Polonus [19]. In Gallia Freculphus [20]: Honorius Augustodunensis [21], S. Thomas [22], Joannes Lucidus [23], Gene-

(1) Lib. 2 Belli, c. 17, 24.
(2) In Anacephal. et de Excidio Jeros., cap. 44.
(3) Lib. de Mensuris. (4) Ad cap. 9 Dan.
(5) Ut sup. cap. 13 et lib. 20 Antiq., cap. 3.
(6) Lib. 2 contra Gentes. (7) Lib. 3 de Excid. Jeros., c. 2.
(8) Lib. 3 Belli, cap. 4. (9) In Chronico.
(10) In Catalogo Script. et de Vir. illustr.
(11) Ad annum Christi 34. (12) In fine lib. 2 hist. Eccles.
(13) In Pontificali. (14) De Rom. Pont.
(15) Ad fin. junii in Martyrol. (16) In Catalogo SS. cap. 69.
(17) T. 12, tract. 60. (18) Lib. 11 in Daniel. q. 7.
(19) Lib. 4 Chronici. (20) T. 2, l. 1, c. 17.
(21) In Catal. Scriptor. Eccl. (22) Ad c. 21 S. Joannis, lect. 4.
(23) Lib. 8 Chronici et in cap. de Romano Pontif.

ANNO Neronis	Juliano	a morte Christi	
ultimo Galbæ 1	113	38	brardus [1], Joannes Gagnæus [2] qui citat alios 28. In Belgio Erasmus Roterodamus [3]. Ipsi quoque hæretici idem affirmant, Joannes Carion, David Chytræus, Joannes Funccius [4] et alii. Jerosolymæ cives mutuo inter se digladiantur, et Zelotæ maximas strages edunt, quas Josephus recenset [5]. Nero 12 mense post necem Apostolorum, ob nimiam tyrannidem a senatu damnatus, et ex Urbe profugus, in spelunca sibi manus infert, sed ægre moriens, ab Epafrodito liberto suo conficitur, die 10 Junii (eadem die qua ante 7 annos Octaviam uxorem suam interfecerat) agens ætatis annum 32, imperii 14. Atque in eo omnis Augusti familia extincta est nam Servius Sulpitiius Galba mox a militibus, quibus præerat, Imperator acclamatus est, tenuitque imperium menses 6, dies 7. Vide Tacitum, Dionem, Svetonium, Eusebium et alios, quos citat et sequitur Arnoldus Pontacus. Sub idem tempus Vespasiano, dum circumsidere parat Jerosolymam, mors nuntiatur Neronis. Et quia Josephus sacerdos Judæus et belli dux captus a Romanis, prædixit Vespasiano, successurum illum in
Othon. Vitellii et Vespasiani 1	114	39	imperium, vita ab illo donatur : ita Euseb. Galbæ a militibus occiso surrogatur in imperio M. Salvius Otho, qui cum imperasset menses 3, dies 5, rebellante Vitellio mortem sibi consciscit. Imperium ergo capessit Vitellius, tenetque menses 8, dies 5. Vespasianus interea plurimas Judææ urbes subigit, et Calendis Julii ab exercitu Imperator acclamatur, ac trimestri post Vitellium imperio simul et vita privat ultima Septembris. Ab adulatoribus jactatur, ipsum esse Messiam Judæorum, et præstigiis Apollonii Tyanæi visus est cæcum illuminare, et ægro manum restituere. Ita ex Tacito [6] et Svetonio [7] Baronius.
Vespasiani 2	115	40	Tito filio suo ad conficiendum bellum Judaicum in Palæstina relicto, Vespasianus Romam navigat, Capitolium civili bello concrematum restituit, etc. Titus in Paschate, cum undequaque Judæi eo ad festum confluxissent Jerosolymam obsidere cœpit 14 Aprilis : atque ita urbem undique duplici muro cinxit, ut nullis effugium patuerit, 9 die Ab, id est quarta Augusti mensis, interceptum est a Romanis templum Jerosolymitanum, in die sabbati, familia seu vice Jojarib finiente Liturgiam : ita Josephus [8], Seder-olam, et Hebræi passim. Sequenti die, nempe 10 mensis Ab (5 Augusti) incensum est templum, eadem fatali die, qua olim sub Nabuchodonosore per Nabuzardan, 4. Reg. ult., v. 8, conflagrarat, inquit idem Josephus : ephemeria Jojarib, inquiunt Hebræi, utriusque cladis tempore Liturgiam finiente, et cantoribus eumdem quem olim sub Nabuchodonosore, jam quoque sub Tito versum Psalmi 93 succinentibus, *Reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus Deus noster*. Denique perrupta et capta est urbs Jerosolyma, et fuga atque dispersio Judæorum facta die 8 Septembris in sabbato, quinque hebdomadis a capto templo. Consignat hæc omnia tempora Josephus [9] oculatus testis, Dio Cassius [10],

(1) Lib. 2 et 3 Chronol. (2) Ad ult. cap. Actor.
(3) In peregr. Petri et Pauli. (4) In Chronicis.
(5) Lib. 5 Belli, cap. 1, etc. (6) L. 1, c. 4.
(7) In Vespas., cap. 7. (8) Lib. 7 Belli, c. 9.
(9) Lib. 6 Belli, cap. 4, et lib. 7, cap. 16 et 17. (10) Lib. 66.

ANNO Vespasiani	Juliano	a morte Christi	
			Hegesippus [1], Xiphilinus, Eusebius [2], Sulpitius, Glycas, Sigonius, Baronius, Scaliger [3], Viegas [4] et alii. E quibus constat, annum fuisse Julianum 115, Dionysianum a nato Christo 70, a mortuo 40, cyclo lunæ 14, solis 23, epacta * cum littera Martyrologii P, Dominicali G. Subscribunt eidem calculo Alexander Monachus, Rupertus, Cedrenus, Marianus Scotus, Beda, Otho Frisingensis, Vincentius, Antoninus, Abulensis, Nauclerus, Hermannus Contractus et passim alii. Item hæretici Joannes Carion, Eberus, et ejus generis plures. Ita cum exciso templo et urbe sepulta est sine honore Synagoga. Nam et alterum templum, quod Judæi in Ægypto habebant æmulum Jerosolymitano, ab Onia Oniæ tertii Pontificis filio ante 233 annos exædificatum (unde et ὀνεῖον dicebatur) Judæis jam ibi quoque tumultuantibus, Vespasianus anno insequenti funditus exscindi jussit. Vide quæ dixi c. 39 in *Ptolemæo Philometore*.
3	116	41	Titus de subacta Judæa Romæ triumphat. E Judæis toto belli tempore occisi sunt undecies centena millia, capti 97 millia, inquit Josephus [5]. S. Bartholomæus apud Persas excoriatus, capite plectitur: ita Onuphrius.
4	117	42	Ebion et Cerinthus hæresiarchæ negant divinitatem Christi. Quibus se S. Joannes opponit cum Dionysio, Ignatio, etc.
5	118	43	S. Thomas apud Indos occiditur, inquit Onuphrius.
10	123	48	Vespasianus anno ætatis 69, imperii 10 moritur, 8 Kalendas Julii. Succedit ei filius Titus, qui amphitheatrum Romæ construit, quod etiamnum hodie visitur. Tertio anno Imperii moritur, Idibus Septembr. ætatis 41 veneno (ut fama fuit) a Domitiano fratre suo, et successore sublatus.
Domitiani			
6	131	56	Domitianus XII Consul cum Ser. Corn. Dolabella, agones instituit Capitolinos, qui instar Olympiadum continebant quatuor annos, et ab hoc anno initium sumpserunt: ita Censorinus [6].
12	137	62	Domitiano XVI Cos. et A. Volusio Saturnino II (quem annum Ptolemæus [7] comparat cum 840 anno Nabon-Assaris a 31 Julii inchoato) Joannes Apostolus Epheso a Proconsule Asiæ Romam vinctus missus, ibi ante portam Latinam in ferventis olei dolium immittitur, teste Adrichomio 6 Maji die Dominica: sed illæsus egressus a Domitiano relegatur in insulam Pathmos: ita Tertullianus [8]. Sub Domitiano cœpit altera post Neronem in Christianos publica persecutio, de qua Eusebius [9] et alii. Sub hoc tempus Antipas, Apocal. 2, v. 13, martyrium subiit Pergami in Asia, et M. Acilius Glabrio Romæ, superioris anni Consul. Ita Dio [10].
13	138	63	Josephus historicus, sacerdos et belli dux Judæorum, toties a nobis citatus, finem imponit operi suo de Antiquitatibus Judaicis, in 20 libros diviso. In cujus l. 18, cap. 4, istud de Christo testimonium perhibet: *Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens; si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, et doctor*, etc. *Christus hic erat. Quem accusatum a nostræ gentis principibus, Pilatus cum addixisset cruci, apparuit tertia die vivus, ita ut di-*

(1) Et alii, ut supra, et l. 5, c. 49.
(2) Lib. 3 hist., cap. 7 et lib. 6 Demonstr., cap. 18.
(3) Lib. 5 ult. edit. (4) In cap. 6 Apoc. (5) Lib. 7 Belli, c. 17.
(6) De die natali, c. 14. (7) Lib. 7 Almagesti, c. 3. (8) De præscript., c. 26.
(9) Lib. 6, cap. 13. (10) In Domitiano.

ANNO Domit.	Juliano	a morte Christi	
			vinitus de eo Vates hoc, et alia multa miranda prædixerant. Quis clarius optet testimonium ab homine Judæo?
14	139	64	Joannes in Pathmos, cujus insulæ accolas omnes ad Christum converterat, scribit Apocalypsin eorum quæ Ecclesiæ et orbi universo obventura erant, præsertim in fine mundi. Ut sic fideles adversus venena Ebionis, Cerinthi aliorumque hæreticorum communiret, et ad reliquas octo generales persecutiones a totidem Imperatoribus concitandas roboraret. In eumdem finem scripsit sequentibus annis ternas Ep. Canonicas, et maxime contra Basilidem et alios, qui veram Christi carnem negabant, ut patet ex initio ep. 1 et decursu reliq.
15	140	65	T. Flavius Clemens Consul, cognatus et collega Domitiani XVII Consulis, ab eodem ob fidem Christianam occiditur. Ejus ex sorore Plautilla neptis Flavia Domitilla, quod Aurelianum sponsum respueret, in insulam Pontiam relegatur, ubi post longum exilium martyr sub Trajano obiit: ita Eusebius et Acta Nerei et Achillei. Sed 14 Calendas Octobris, a Stephano S. Flaviæ Domitillæ procuratore aliisque conjuratis tyrannus confoditur, exactis imperii annis 15, vitæ 45, ita Svetonius [1], Dio, Philostratus [2] et alii. Successor ejus Nerva, rescissis Domitiani actis omnibus, vetuit quemquam accusari causa religionis: ita Dio [3]. Quam ob rem etiam Joannes Apostolus e Pathmos Ephesum revertitur, omnesque Asiæ Ecclesias
Nervæ 1	141	66	gubernat, teste Eusebio [4], Baronio et aliis. Joannes rogatu Episcoporum Asiæ scribit Evangelium suum græce, quo adversus Ebionem et Cerinthum aliosque tunc temporis hæreticos, divinitatem Christi fortissime adstruit, teste S. Hieronymo et aliis. Apollonius Tyanæus Joannis Apostoli perpetuus antagonista, quo credi posset immortalis et in cælum translatus, occultam mortem oppetit: ita Philo-
Trajani 1	143	68	stratus [5] in ejus vita. Nerva senio fatiscens, ut Imperio consuleret, præteritis sibi sanguine junctis, M. Ulpium Trajanum Hispanum in filium et successorem adoptatum anno præcedenti, jam 6 Calendas Februarias vita functus successorem habuit, magnum deorum cultorem: ita Dio, Plinius [6] et alii. Sub quo Flavia Domitilla cum Euphrosyna et Theodora, incenso cubiculo martyrium consummarunt, anno 1 ejus imperii, ipso Trajano secundum Consule. Cujus item anno 1 finiente, Decembris 27, feria 5, defunctus est Joannes Apostolus anno vitæ suæ 99, a morte Christi 68, ut habet antiqua traditio: et docent Irenæus [7], Eusebius [8], Epiphanius [9], Hieronymus [10], Isidorus, Beda, Ado, Usuardus, Honorius Augustodunensis, Nicephorus, Conradus Abbas Uspergensis, Abbas Stadensis, Chronicon Norimbergense, S. Bonaventura et alii: quorum aliqui expresse dicunt, illum 31 annorum fuisse cum Christo sub cruce adstaret. Addit S. Hieronymus [11], Augustinus [12], Beda, Alcuinus [13], Lyranus, Vincentius (et nemo veterum refragatur, immo ipse Joannes ita revelavit S. Gertrudi [14]) Joannem fuisse sponsum illum in nuptiis Canæ Galilææ. Barradius dicit sponsam quoque Joannis se pariter virginem consecrasse Christo, et lateri beatæ Virginis adhæsisse.

Porro Joannes ultimus est cujus mentio fit in Scripturis: unde, et cum Joanne Chronicon nostrum concludo, quod SS. Scripturis illustrandis maxime subservit.

(1) In Domit., cap. 15 et 17.
(2) L. 8 Vitæ Apollonii Tyanæi.
(3) In Domitiano et Nerva
(4) L. 3, c. 16, 17, et l. 5, c. 17.
(5) Ut supra.
(6) In Panegyrico Trajani.
(7) Lib. 2, cap. 9, lib. 3, cap. 3.
(8) In Chronico.
(9) Hæresi 66.
(10) De viris illustr.
(11) In prologo in Joannem.
(12) Prolog. in Joannem.
(13) Commentar. in Joannem.
(14) Lib. 4 Insinuationum div. pietatis, cap. 4.

PROLEGOMENA

DE

ANTIQUIS PONDERIBUS ET MONETIS

HEBRÆORUM, GRÆCORUM ET ROMANORUM

COLLATIS CUM MODERNIS ITALORUM, HISPANORUM, GALLORUM, BELGARUM, ETC.

EX ROBERTO CENALI, Q. RHEMN. FANNIO, AULO GELLIO, COLUMELLA, AGRICOLA, BUDÆO, ALCIATO, CLAVIO, VILLALPANDO, MARIANA, ALCAZARIO, ET ALIIS.

Ære appenso utebantur antiqui, non signato (ut modo fit) sed rudi: hinc pondere æstimabant æs, argentum, aurum, non forma aut figura. A tempore tamen Patriarchæ Jacob jam tum videtur usus aliquis fuisse æris signati. Nam quod Gen. 33, v. 19 dicitur Jacob emisse partem agri *centum agnis*; S. Stephanus, Actor. 7, v. 16, exponit emisse *pretio argenti*, erat enim *agna* numinus forma *agnæ* signatus, pondere sat magnus. Et eodem modo Jobi ultim., v. 11, pro eo quod noster habet, singulos cognatos Jobo dedisse *ovem unam*, alii vertunt, *nummum unum*, nempe forma *ovis* signatum. Ita Hebræi passim. Quin et *pecunia* in genere sic dicta videtur a *pecude* nummo impressa, vide Plutarchum in vita Publicolæ, et alios.

De Asse.

Vulgatissimum pondus *As* erat: unde et generali nomine *pondo* (neutrius generis et indeclinabili) vel *pondium* (declinabili) vocari solebat. Constabat autem *libra æris:* unde quidam putant dictum fuisse *as*, quasi dicas *æs*, scilicet librale. Hanc libram æris, pondo, seu assem secuerunt Romani in duodecim partes, secundum duodecim menses anni, inquit Fannius, quarum singulas vocarunt *uncias*, quasi *unicias* vel *unas*. *Uncia* ergo erat duodecima pars libræ, pondo, assis. *Sextans* erat sexta pars: *quadrans*, quarta: *triens*, tertia: *semis*, seu *semissis*, dimidium assis. *Quincunx*, erant quinque unciæ: *septunx*, septem: *bes*, vel, ut olim, *des*, octo erant unciæ: *dodrans*, novem: *dextans*, decem: *deunx*, undecim. Dicitur vero *deunx*, quia ab unciis duodecim, quot ad assem seu libram requiruntur, *deest* una *uncia*. Sic *dextans*, quasi dicas, *deest sextans* libræ, seu duæ unciæ. *Dodrans*, pro *deest quadrans* libræ, seu tres unciæ. *Des* (seu, ut alii, *bes*) pro *deest triens* libræ, seu quatuor unciæ.

Partes Assis seu Librœ.

Uncia	sextans	quadrans	triens	quincunx	semis	septunx	bes	dodrans	dextans *vel* decunx	deunx	as
sunt unciæ											
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

Duo asses vocabantur *dupondium*, duo pondo, vel duo pondia: tres asses, *tripondium:* centum asses, *centumpondium*, etc.

Successu temporis invalescente mercatura, cum pondus æris plusculum gravaret, et molestum esset semper adhibere bilancem, loco æris appensi cœperunt uti ære signato longe levioris ponderis, forma plana, ac fere rotunda, ut videre est ex nummis etiam antiquissimis. Pretium vero seu valor cujusque nummi non tam a materia desumebatur, quæ paullatim magis magisque minuebatur, quam a figura nummo impressa. Et hic usus, utpote percommodus, semper exinceps continuavit.

Ergo *as* seu pondo non jam amplius erat libræ æris 12 unciarum, sed nec uncia quidem æris; verum parvus nummus æreus, cui nunc valore seu æstimatione respondet *un bajocco d'Italia, medius stuferus* Belgicus, *medius obolus* Hebræus: eratque *decima pars denarii*, vel *Julii* Italici, vel *regalis* Hispanici argentei: *centesima pars ducati*, seu *scuti* Italici, *millesima minæ argenti Atticæ vel Romanæ, bis millesima minæ Hebrææ.*

Sed Nota, cum *stuferi* Belgici mentionem facio, me non intelligere *modernum* (uam hic apud varios varius est etiam in Belgio, et forte cras alius erit, ut in dies mutantur pretia nummorum, non sine gravi patriæ damno et turbatione); sed *priscum* stuferum, qui fere quadrante major est moderno, estque quinta pars Julii Italici, seu regalis Hispanici argentei. Unde et *florenus* priscus quo hic utemur, vulgari floreno argenteo, prout nunc in Belgio cuditur, major est quarta parte ejusdem vulgaris: est enim quatuor regalium Hispanicorum argenteorum, qui faciunt stuferos priscos 20.

Quamvis ergo minueretur materia æris, mansit tamen valor idem et pretium assis: uti et partium singularum assis, de quibus supra, quæ proportione aliæ aliis minores sunt, minorisque valoris, prout minus de asse participant, seu pauciores uncias continent. Sunt et alii variarum nationum nummuli ærei asse minores. Habent Hispani *quartillos, quartos, ochavos, maravedizos* et *blancas;* Itali suos *quatrinos;* alii alios. *Un quartillo* fere quarta pars est *regalis Hispanis*, seu *sestertius Romanus. Un quarto* fere quarta pars est *medii regalis Hispanici argentei:* seu *media* fere pars *sestertii Romani. Ochavo*, octava prope pars est *medii regalis:* quarta pars *sestertii Romani. Maravedizis* æstimatur in Hispania valor omnium aliorum nummorum in omnibus archiviis, in omni commercio, in omni contractu, estque minima fere moneta, nam *octo maravedizi cum dimidio* non faciunt nisi *quatuor ochavos:* vel *duos quartos:* vel *unum sestertium. Triginta et fere quatuor maravedizi* faciunt *decem asses* seu *bajochos:* vel *quatuor sestertios:* vel *regalem* unum Hispanicum, vel *Julium* Italicum. Dixi, *fere*, quia rigido calculo sufficiunt 33 maravedizi ad regalem Hispanicum æquandum, ut vult Villalpandus. *Blanca* est media pars *unius maravedizi.* Nota. Cum in regnis Hispaniæ valor æneæ monetæ injuria temporum paullatim cresceret fere in triplum ultra valorem materiæ, idque maximo regnorum illorum damno; placuit Regi Catholico Philippo IV sane prudentissimo consilio, dimidium valoris monetæ prædictæ detrahere, ut v. g. frustulum æris quod valebat octo maravedizos, seu *un quartillo*, deinceps non valeat nisi quatuor maravedizos; et sic consequenter, quod valebat unum maravedizum, deinceps non valeat nisi blancam. Ita perpetuo edicto sancitum ac promulgatum Madriti 7 Augusti 1628. *Quatrinus* est quinta pars unius *bajochi* seu *assis:* quinquagesima unius *Julii* seu *regalis:* quingentesima *scuti de moneta* seu *ducati.*

De Obolo.

Dupondium seu duo *asses*, vel *duo bajochi* faciunt *obolum Hebræum*, qui æquivalet stufero prisco Belgico, seu quintæ parti denarii, vel Julii, vel regalis argentei. *Atticus* vero *obolus* quinta parte minor est *Hebræo:* nam *Hebræus* erat vigesima pars *sicli* argenti, quadragesima *unciæ* argenti [1]: *Atticus* vero *obolus* erat vigesimaquarta pars *sicli*, quadragesimaoctava *unciæ*. Unde *dupondium*, seu *duo asses*, faciebant *obolum Atticum unum cum quinta parte.*

(1) Exodi 30, v. 13.

De Sestertio.

Dupondium cum semisse, seu *duo asses cum medio* faciunt unum *sestertium*, masculini generis: qui sic dictus est quasi *semis tertius as*. Est vero *quarta pars denarii*, seu *Julii*, seu *regalis* argentei, seu *drachmæ Atticæ argenti*.

Octo sestertii faciunt *drachmam Hebræam argenti*.

Sedecim sestertii faciunt *staterem*, seu *siclum argenti*, seu *florenum* Belgicum.

Sestertii 48 faciunt *drachmam auri Atticum*, seu *scutum d'oro in oro*.

Sestertii 96 faciunt *drachmam auri Hebræam*, seu *doppia d'Italia*.

Sestertii 400 faciunt unam *minam Atticam argenti;* seu unam *libram et mediam unciam:* decem ducatos: 25 argenteos siclos, 50 drachmas argenti Hebræas: 100 Atticas. Continent obolos Hebræos 500, Atticos 600, asses 1000.

Sestertii 1000 faciunt unum *sestertium* in neutro genere.

Sestertii 2000 faciunt duo sestertia, et ita consequenter. Singula sestertia continent duas minas cum dimidia Atticas: ducatos 25, siclos argenti 62, drachmas Atticas argenti 250. Et sunt 24 pars Attici talenti argenti.

Sestertia 24 faciunt talentum Atticum argenti: quod est 60 minarum argenti Atticarum, siclorum 1500, drachmarum 6000.

Sestertia 48 faciunt talentum Hebræum argenti: quod est 120 minarum Atticarum: 60 Hebræarum: siclorum 3000, drachmarum 12000 Atticarum: 6000 Hebræarum: librarum argenti 125.

Sestertia 288 faciunt talentum auri Atticum, quod est 60 minarum auri Atticarum: siclorum auri 1500, drachmarum 6000.

Sestertia 576 faciunt talentum auri Hebræum, quod est 60 minarum auri Hebraicarum: 120 Atticarum: siclorum auri 3000, drachmarum auri Hebraicarum 6000, Atticarum 12000, librarum auri 125, ut ex textu Hebræo, Græco et Latino Exodi 38, vv. 24 et 25, manifeste colligitur. Et continet ducatos 14400, flor. 36000, regales Hispanicos argenteos 144000.

Mille sestertia (quæ sunt decies centena millia, id est millio nummulorum sestertiorum) compendii causa vocantur et scribuntur Decies HS. vel decies sestertium, et faciunt talenta argenti Hebræa 20 cum minis 50 auri, vero talentum unum cum minis Hebraicis 44 et una sexta parte similis minæ; libras vero auri faciunt 217 cum sexta parte unciæ auri; ducatos faciunt 25000, florenos 62500, regales Hispanicos 250000.

Vicies HS. vocantur viginti millia sestertium, seu duo milliones mummulorum sestertiorum, et faciunt duplum summæ jam dictæ.

Centies HS. sunt centum millia sestertium, seu decem milliones nummulorum sestertiorum, et faciunt decuplum talentorum, librarum, ducatorum, florenorum, et regalium jam dictorum.

De Drachma, Siclo, Mina et Talento.

Non eadem erant pondera apud Hebræos et Græcos: sed *Hebræa* (quibus Judæi utebantur) semper superabant *Attica*, quibus Græci reliqui, et fere omnes aliæ nationes, etiam Romani, uti solebant. Et de *obolo* quidem jam supra vidimus. In aliis ponderibus excessus erat in duplum: nam drachma una Hebræa valebat drachmas duas Atticas. Didrachmum Hebræum erat tetradrachmum Atticum; *mna* vel *mina Hebraica* pendebat *duas minas Atticas: talentum Hebræum duo talenta Attica*, etc. Id tamen in *siclo* et *uncia* locum non habebat: nam hæc duo, utpote mundo pene coæva, unius ejusdemque ponderis apud omnes erant. *Libra* multiplex erat, et apud diversas nationes diversa: nos hic de sola *communi* agemus de qua supra, quæ est *duodecim unciarum*. Uncia argentea constat duobus siclis, drachmis vero Hebraicis 4, Atticis 8, solidis sex, sestertiis 32, obolis Hebræis 40, Atticis 48, assibus 80.

Sexta unciæ pars vocabatur *solidus*, qui inde et *sextula* dici solebat. Unde 72 solidi faciebant libram 12 unciarum. Tres solidi, seu semuncia, siclum faciunt.

Siclus est vigesima quarta pars libræ: 25 pars minæ Atticæ: 50 Hebraicæ: 1500 talenti Attici: termillesima Hebraici. Continet drachmas Hebræas duas, Atticas 4, unde et tetradrachmum Atticum vocatur, et didrachmum Hebræum.

Siclus argenti est semuncia argenti: estque idem quod *stater* vel *florenus Belgicus*, 20 stuferorum, seu obolorum Hebraicorum, qui faciunt obolos Atticos 24 et asses 40. Continet tres solidos, batzios Germanicos octo, drachmas argenti Hebræas duas, Atticas quatuor, sestertios sedecim. Quoties legitur *argenteus* sine adjuncto, subintelligitur *siclus*. Simili modo quoties *aureus* subintelligendus *siclus*. Duodecim sicli argentei faciunt unum siclum aureum: nam *proportio* pretii, valoris et æstimationis *auri præ argento* est *duodecupla*.

Drachma argenti Attica est quarta pars sicli argentei. Continet 4 sestertios, 5 stuferos seu obolos Hebræos, sex obolos Atticos, asses 10. Unde et *Denarius* vocatur. Appendit regalem Hispanicum argenteum, vel Julium Italicum. Est media pars drachmæ Hebrææ, decima philippici, centesima minæ Atticæ, sexciesmillesima talenti Attici argentei.

Drachmam Hebræam, seu dimidium sicli argenti conferebant Deo jubente capitatim singuli filiorum Israel in usum tabernaculi fœderis, Exodi 30, v. 13. Dicebaturque hebr. *Beca*, id est divisum, quia erat siclus dimidiatus. Idem tributum pendebant postea Judæi quotannis in usum templi, etiam extra ordinem, quotiescumque fere lustrum instituebatur. Et hoc quoque erat numisma census, quod Cæsaribus Romanis pependerunt, etiam post excisum templum a Vespasiano.

Ex prædictis patet, *siclum* continuisse *drachmas* Atticas seu Romanas quatuor. Hebræas solum duas. *Minam Atticam* continuisse *siclos* 25, sed *Hebræam siclos 58*. *Talentum* continuisse minas 60, Atticum Atticas, Hebræum Hebræas, sed Atticum siclos 1500, Hebræum siclos 3000. *Minam* aliquando pro *siclo* usurpari, ostendam 2. Paral. 9, v. 16. Et multiplicis generis ac valoris *minas* fuisse, probabo Ezechielis 45, v. 12. Sed talentum non fuisse minoris ponderis aut valoris post, quam ante, tempora Davidis, contra Joannem Marianam et quosdam alios, planum faciam 2. Paral. 25, v. 6, ubi *rex Juda* Amasias *centum millia robustorum de Israel* mercede *conducit centum talentorum argenti*, id est mercede aurei unius in singula seu ducum, seu vulgarium militum capita, si pristinum valorem Mosaici talenti reserves. Sin minuas, quo vis, quæso, pretio, militem generosum et externum evocare? Sic 3. Reg. 16, v. 24, Amri rex Israel emit duobus talentis argenti, id est bis mille aureis nummis, integrum montem Samariæ, id est tantum spatii, quantum vastissimæ urbi regiæ condendæ, et suburbiis, pomeriis atque arcibus undique cingendæ satis esset. An viliori pretio posset tantums patii comparari? 4. Reg. 18, v. 15, ut summa trecentorum talentorum argenti, et triginta talentorum auri confletur, id est sexcenta sexaginta millia aureorum (si valori pristino Hebraici talenti insistas); cogitur piissimus rex Ezechias expilare omnes thesauros tam templi, quam palatii regii, adeoque et laminas aureas a valvis templi revellere. An vero simile videtur, tantum strepitum a tanto rege edendum fuisse, si talenta illa, quæ postulabantur, longe minoris erant ponderis aut valoris quam nunc exposui? Denique 4. Reg. 24, v. 33 ut centum talenta argenti et unum talentum auri (quæ rex Pharao mulctæ nomine ab Israelitis exigebat, et secundum nostrum calculum, si Hebræa fuerint, ut summum faciunt centum et duodecim millia aureorum), colligerentur, indicitur census publicus, et singuli Judæi *juxta vires* seu facultates suas contribuere jubentur. Quod si vilioris pretii fuerit talentum, qualis, obsecro, fuit illa integri unius populi mulcta? quid opus publico et generali censu tantillæ pecuniæ colligendæ? Plura in hanc rem vide apud Villalpandum tom. 2 in Ezechielem.

Porro supradictis ponderibus clarius explicandis serviet subjecta tabella.

DE MENSURIS SEU VASIS

EX IISDEM AUCTORIBUS

Romani sicut *assem* seu *libram* in *duodecim uncias*, ut supra vidimus, ita *sextarium* suum dividebant in *duodecim cyathos*, sic græce dictos a *sumendo* vel *hauriendo* vino, quod cyatho pocula in conviviis dimetirentur. Iisdem quoque nominibus quibus singulas libræ partes, nuncupabant etiam *calices* qui consimilem cyathorum numerum continerent, v. g. *Sextantem*, vocabant calicem duorum cyathorum, qui faciunt sextam sextarii Romani partem; calicem trium cyathorum, vocabant *quadrantem*; quatuor cyathorum, *trientem*; quinque, *quicuncem*; sex, *semissem*; septem, *septuncem*; octo, *bessem*; novem, *dodrantem*; decem, *dextantem*; undecim, *deuncem*.

Capiebat *cyathus* unus *unciam* unam *cum duabus tertiis*.

Huic proxima, sed paullo minor mensura erat *digitus cubicus*, capiens unciam 1 1|4.

Minimum vas seu mensura erat *cochlear*, seu *ligula*, vel, ut imperite quidam scribunt, *lingula*: serviebatque ad juscula in mensis et liquidiores cibos hauriendos: eratque quarta pars cyathi.

Duo cochlearia faciebant *cyanem*, quæ erat dimidium cyathi.

Unus cum dimidio cyathus faciebat *oxybaphum*, seu *acetabulum*, ab ὄξει, id est aceto, sic dictum, quod ejusmodi vasculis acetum et alia similia condimenta apponi in mensis solerent.

Nota, *sextarium Atticum*, seu ξεστὸν, *quarta parte minorem* fuisse sextario *Romano*: neque enim capiebat nisi cyathos *novem*, cum *Romanus* 12 caperet. Superabat tamen *sextarium Hebræum* cyatho *uno*: quia is nonnisi *octo* cyathos capiebat, vocaturque hebraice *log*.

Semis, seu medium sextarii Romani, constans cyathis sex, aliis nominibus vocari solebat hebraice *caph*, græce *hemina*, *cotyla*, vel *tryblion*. Cujus pars media, seu *quadrans*, vel *quartarius*, id est quarta pars sextarii, vocabatur *dimidium heminæ*, *cotylæ*, etc.

Libra constabat unciis duodecim, ut supra dixi.				
Sextarius Atticus capiebat libram unam et quaram partem id est, uncias 15. Ergo sextarium Atticum una uncia superat *foglietta d'Italia*, vel *quartillo de Spagna*: nam continet .	libram	1 1|3	id est, uncias	16
Sextarius Romanus seu *Italicus*, sic dictus, quia sexta congii pars; eratque quasi magnus scyphus: capiebat cyathos 12 vel	libram	1 2|3	id est, uncias	20
Quarta pars hin, erant tres sextarii Hebræi, vel duo Italici, ...	libræ	3 1|3	id est, unciæ	40
Cabus Hebræorum, et *chœnix* Græcorum, est mensura victus diurni: sed hominis parce et tenuiter victitantis. Qualem villicis suis præscribit Cato l. de Re rustica, c. 56. Alias, dictus, *palmus cubicus*. Sexta pars sati vel modii. Capiebat quatuor logos seu sextarios Hebræos, id est . .	libras	4	cum unciis	5 1|3
Huic fere par est *boccale* Italicum, et *acumbre* Hispanicum, continens quatuor fogliettas seu quartillos, id est	libras	5	cum unciis	4
Media pars hin, erant sex logi seu sextarii Hebræi, vel quatuor Italici, id est	libræ	6 2|3	id est, unciæ	80

Gomor seu *Assaron* (quem quotidie ex manna colligebant Judæi, Exodi 16, eratque tanta mensura, quantam quis etiam valde edax et robustus, uno die edere posset), est decima pars ephi, continens . . . . . libras 8

Congius, chus, vel *choe,* erat octava pars ephi, quarta urnæ. A *congio* Novellius Torquatus dictus est *tricongius,* quod unico haustu coram Tiberio Cæsare tres vini congios exhauserit, teste Plinio, lib. 14, c. 22. Continebat vero congius sextarios Italicos sex, seu . . . . . libras 10

Hin erat semimodius Romanus continens logos seu Hebræos sextarios 12, Italicos vero octo, i. e. libras 13 1[3 seu uncias 160

Huic pene suppar est *celemin* Hispanicum continens . . . . . libras 14 seu uncias 168

Satum æquale erat *modio* Romano, tertia pars ephi: continens logos seu sextarios Hebræos 24, Italicos vero 16 . . . . . libras 26 2[3 seu uncias 320

Hoc paullo majus est *scortium,* continens . libras 32 seu uncias 384

Palmus extensus (qui est trium palmorum communium) *cubicus,* qui et *spithama* dicitur, continet . . . . . libras 37 1[4 seu uncias 447

Urna erat dimidium ephi seu amphoræ Romanæ, continens sextarios Romanos 24 id est, libras 40

Huic fere par est *aroba,* sive cantharus Hispanicus, qui est quarta pars barilæ, continens octo boccalia Italica, vel acumbres Hispanicos, id est, libras 42 2[3

Ephi vel *epha, batus* communis, *metreta, amphora Romana, pes cubicus Romanus* æqualis erant capacitatis. Dicebatur amphora ab ἀμφὶ καὶ φέρω, quod duas haberet anfas quibus utrimque ferebatur. Dicebatur et *quadrantal,* quia erat quadratura pedis Romani, seu vas quod tam in longitudine quam in latitudine, et altitudine, seu profunditate habebat pedem Romanum. Erat decima pars cori seu Gomer, Ezech. 41, v. 11. Continebat congios octo, modios seu sata tria, ut dicitur Ruth 2, v. 17 sextarios Romanos 48, Hebræos 72, urnas duas . . . . . libras 80

Attica amphora, seu *pes cubicus Græcorum,* erat Romano media parte major. Huic æqualis est *cadus et hydria:* continens urnas tres, congios 12, etc. . . . . libr. 120

Talentum continebat . . . . . libr. 125

Artaba Ægyptia continebat verosimilius modios quinque, id est . . . . . libr. 133 1[3

Medimnus continebat modios seu sata sex, libr. 160

Huic fere pars est *faneca* seu *quintal* Hispanicum, continens . . . . . libr. 168

Item *barila,* constans boccalibus 32, quæ faciunt . . . . . libr. 170 2[3

Lethec (id est elevatio: quia est onus, quod vegetus adolescens elevare, et asino imponere potest), est media pars cori, sunt 5 ephi, 15 modii

Homer Hebræum, *corus* Græcorum continet 10 ephi vel amphoras Romanas 30 modios (eratque maxima mensura Hebræorum) . . . . . libras 800

Rublum Hispanicum 20 libris majus est coro: continet enim . . . . . libr. 820

Botta Romana seu Italica continet barilas 8, boccales 256 . . . . . libr. 1365 1/3

Culeus, maxima Romanorum mensura, constabat amphoris 20, sextariis Italicis 960 . . libris 1600

Sed clarius hæc omnia constabunt ex tabula subnexa.

Nota, nos tum hic, tum in tabula agere de vasis seu mensuris quoad capacitatem aquæ vel vini, quibus impleantur: nam si ferro, plumbo, vel aureo impleveris, v. g. sextarium, vel metretam, vel quodvis aliud vas; erit pondus longe aliud et majus, licet eadem maneat capacitas et ambitus vasis; si oleo, frumento, farina, erit pondus paullo minus.

Nam sextarius Romanus plenus farina non ponderat nisi .	uncias	9
Idem plenus oleo ponderat	uncias	18
Plenus frumento { Italico vel Belgico	uncias	15
Plenus frumento { Palæstinæ et Asiatico	uncias	20
Plenus aqua, vino, aceto (horum enim æquale est pondus)	uncias	20
Plenus melle	uncias	30
Stanno	uncias	150
Ferro . . . . . fere	uncias	162
Ære cupreo	uncias	182
Argento	uncias	208
Plumbo	uncias	233
Argento vivo	uncias	300
Auro	uncias	375

Talis enim est proportio inter hæc metalla: licet Plinius [1] putarit (sed falso) aurum non esse omnium ponderosissimum.

Hinc facile colligitur, fieri potuisse, quod Exodi 16, v. 16 dicitur, filios Israel in singula capita pro victu diurno eguisse *gomore* mannæ: manna enim cum esset longe levius frumento, fere æqualis ponderis cum farina, gomor manna plenum vix superabat uncias 50. Et simili modo de simili materia pro diversitate ponderis philosophandum.

Dixi supra cum de *bato* agerem, me nonnisi de *bato communi* loqui seu vulgari: nam batus *sacer* videtur tertia parte majoris fuisse capacitatis, ita ut tres vulgares non facerent nisi duos sacros. Quod colligo ex lib. 2 Paralip. c. 4, v. 5, ubi mare æneum Salomonis dicitur continuisse *tria millia metretas* seu *batos:* et 3. Reg. 7, v. 26 dicitur solum cepisse *duo millia batos.*

(1) Lib. 33, cap. 3.

DE MENSURIS LONGITUDINUM

EX IISDEM AUCTORIBUS

Minima mensura est *digitus* transversim positus, seu latitudo digiti. Hebraice vocatur *Atsbagh* [1], græce δάκτυλος.

Palmus minor, contractus seu transversus, hebraice *tophach*, græce παλαιστὴ vel δοχμὴ continet digitos transversim positos 4

Palmus extensus seu major, hebraice *zereth*, græce σπιθαμὴ constat . . . . . palmis minoribus 3, digitis 12

Pes Romanus constat communibus, transversis seu minoribus . . . . . palmis 4, id est digitis . 16

Cubitus Romanus, Græcus, et vulgaris Hebræorum, est sesquipes, seu transversi . . . . . palmi 6, id est digiti . 24 vel duo palmi extensi. Estque ea longitudo quæ est a flexu brachii medii usque ad extremum digiti longioris extensi. Denique est quarta pars staturæ hominis bene formati; quisque enim habet in statura sua quatuor sui cubitos, seu pedes sex. Totidem etiam et pedes et cubitos sui corporis facit quando brachia in latum expandit. Ita S. Hieronymus, Vitruvius et alii passim.

Cubitum sacrum Hebræorum facit Villalpandus uno palmo contracto majorem cubito ordinario, ex Ezechielis 43, v. 13. *Istæ mensuræ altarisin cubito verissimo* (seu legali et sacro) *qui habebat cubitum* communem et *palmum*. Et de tali cubito legali putat Scripturam passim et Josephum loqui. Et ratio favet, quia legalis illa cubiti sacri mensura eo tempore fuit constituta, quo statura hominum major et procerior erat: neque debuit deinceps immutari; cum Græci et Romani sint tempore posteriores. Vide etiam Gasparem Sanctium in 3. Reg. 6, v. 2.

Duo pedes cum medio faciunt *gressum* seu *passum* Romanum *simplicem*, qui constat palmis minoribus seu transversis.	10		40
Duo gressus, seu quinque pedes faciunt *passum* Romanum *compositum*, ...	palmorum 20		80
Dixi *Romanum*, quia passus Græcus compositus constabat 6 pedibus, ...	palmis 24	id est digitis	96
Sex cubiti *calamum* faciunt, qui constat pedibus 9, spithamis 12	palmis min. 36		144
Stadium Græcum justis 100 passibus Græcis, id est pedibus 600, cubitis 400	palmis 2400		9600

Stadium Romanum constat passibus Romanis compositis 125, pedibus 625.

Chibrath terræ Hebræis erant mille cubiti. Vide P. Bonfrerium Exodi 20, v. 8 sub medium, et 4. Reg. 5, v. 19.

Quinque stadia Græca, seu 200 cubiti faciebant *iter sabbati*, seu quod sabbato conficere licebat: quod Hebræi definiebant duobus *chibrath terræ*.

Milliare Italicum constat 8 stadiis Romanis; 1000 passibus compositis; 5000 pedibus.

Leuca seu milliare Gallicum unius horæ, constat tribus milliaribus Italicis; 24 stadiis Romanis; 3000 passibus compositis; 15000 pedibus.

(1) V. Ezechiel., c. 43, v. 13.

Digitus transversus	Palmus minor, contractus, *seu* transversus	Palmus major, *seu* extensus	Pes Roman.	Cubitus Roman. Græcus et vulg. Hebr.	Cubitus sacer Hebr.	Gressus *seu* passus simplex Roman.	Passus Roman. compositus	Passus Græcus compositus	Calamus	Stadium Græc.	Stadium Roman.	Chibrath terræ	Iter Sabbati	Milliare Italicum	Leuca
1															
4	1														
12	3	1													
16	4	1 1|4	1												
21	6	2	1 1|2	1											
28	7	2 1|3	1 3|4	1 1|6	1										
40	10	3 1|3	2 1|2	1 2|3	1 et 3 pal. min.	1									
80	20	6 2|3	5	3 1|3	2 et 6 palmi	2	1								
96	24	8	6	4	3 et 3 palmi	2 et pes 1	1 et pes 1	1							
144	36	12	9	6	5 et 1 palmus	3 et 1 1|2 pes	1 et ped. 4	1 1|2	1						
9600	2400	800	600	400	342 et 6 palmi	240	120	100	66 et cub. 4	1					
10000	2500	833 1|3	625	416 2|3	357 et 1 palmus	250	125	104 et pes 1	69 et ped. 4	1 et ped. 25	1				
24000	6000	2000	1500	1000	857 et 1 palmus	600	300	250	166 et cub. 4	2 1|2	2 2|5	1			
48000	12000	4000	3000	2000	1714 et 2 palmi	1200	600	500	333 et cub. 2	5	4 4|5	2	1		
80000	20000	6666 2|3	5000	3333 1|3	2857 et 1 palm.	2000	1000	833 et 2 ped.	555 et ped. 5	8 et 1|3 *seu* 200 ped.	8	3 1|3 *seu* 500 ped.	1 2|3	1	
240000	60000	20000	15000	10000	571 et 3 palmi	6000	3000	2500	1666 et ped. 6	25	24	10	5	3	1
600000	150000	50000	375000	25000	21428 et 4 palmi	15000	7500	6250	4166 et ped. 6	62 1|2	60 tot stad. aberat Emaus a Jerus. Luc. 24.	25	12 1|2	7 1|2	2 1|2

EXPLICATIO IDIOTISMORUM

SEU

PROPRIETATUM LINGUÆ HEBRAICÆ ET GRÆCÆ

QUÆ SÆPIUS IN SCRIPTURIS OCCURRUNT

I. Est Hebræis, Græcis, Chaldæis usitatissimum, ut libros suos ab *et*, *autem*, *igitur*, *ergo*, vel simili particula ordiantur, ut patet initio Levitici, Numerorum, Josue 2, 3, et 4. Regum, secundi Paralipomenon, 2. Esdræ, Judith, Threnorum, Baruch, Ezechielis, Jonæ, prioris Machabæorum, etc. Nempe scriptores isti contemplabantur animo rem aliquam antegressam, cum qua istud quod jam scribebant, colligatum per ejusmodi particulas volebant, sive ea res scripta jam esset in alio volumine, sive mente tantummodo comprehensa.

II. Quia hagiographi omnes Hebræi fuerunt, et Hebræis scripserunt, et pleraque hebraice, ideo interpretes tum Græci, tum Latini, stylo et phrasi Hebrææ plusculum inhærentes, sæpissime hebraizant, et subinde solœcismos admittunt, teste S. Hieron. lib. 2, comment. in epist. ad Ephes.

III. Et quia casibus carent Hebræi eodemque nomine invariato per omnes casus utuntur, hinc et interpretes subinde per antiptosin casum pro casu usurpant, ut 2. Cor. 8, v. 23: *Sive pro Tito, sive fratres nostri*, pro, fratribus nostris, et Ephes. 2, v. 2: *Spiritus*, pro spiritum, et alia alibi.

IV. Subinde pro verbo indicativo præsenti et imperfecto (quo carent Hebræi) utuntur præterito. Psal. 115, *Credidi*, id est credo, *propter quod locutus sum*, id est loquor. Subinde participio 1. Cor. 12, v. 2: *Ad simulacra euntes*, id est ibatis.

V. Sic pro comparativo et superlativo, quia Hebræi carent his gradibus, utuntur positivo. Ut Psal. 117: *Bonum* (id est, melius) *est confidere in Domino, quam confidere in homine.*

VI. Vel cum volunt unum per comparationem alteri præferre, id quod præferunt affirmant, alterum negant. Verbi gratia, Isaiæ 63, v. 16: *Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos. Tu, Domine, pater noster*, etc. Osee 6, v. 6: *Misericordiam volui, et non sacrificium*, id est, misericordiam malo quam sacrificium. Psal. 21: *Vermis, et non homo*, id est, potius quam homo. 1. Cor. 3, v. 7: *Non ego, sed gratia Dei*, id est, non tam ego, quam gratia Dei, quamquam et ego cum gratia Dei. Matth. 23, v. 9: *Patrem nolite vocare vobis super terram*, etc.

VII. Vel utuntur epitasi, seu verbo vehementiori pro minus vehementi, verbi gratia, Malachiæ 1, et ad Rom. 9: *Jacob dilexi, Esau odio habui:* ubi *odio habui*, idem est quod, minus amavi, postposui, neglexi. Simili epitasi utuntur verbo *omnis* pro magno et excellenti, v. g. Psal. 106: *Omnem escam abominata est anima eorum*, id est nobilissimam et excellentissimam, videlicet cœleste manna. Psal. 28: *Universa*, id est mera, summa, *vanitas omnis homo vivens.* Eccles. 12, v. 13: *Deum time, et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo*, id est, qui hoc fecerit, optimus est et præstantissimus homo. 1. Regum 4, v. 8: *Hi sunt*

Dii, qui percusserunt Ægyptum omni, id est gravissima, *plaga in deserto*: neque enim *in deserto* alia plaga afflicti sunt Ægyptii, quam demersione in mari rubro. Eccli 25, v. 17: *Omnis plaga*, pro summa plaga.

VIII. Aliquando contra per liptoten verbo minus vehementi utuntur quam intendant significare, verbi gratia, 1. Reg. 12, v. 21: *Nolite declinare post vana* (idola) *quæ non proderunt vobis*, id est, quæ maxime oberunt, eruntque valde noxia vobis, 1. Machab. 2, v. 21: *Non est utile nobis relinquere legem*, id est, perniciosissimum erit. Sic Proverb. 18, v. 5, et cap. 24, v. 23; Eccli. 7, v. 14: *Non est bonum*, pro, est valde malum.

IX. In comparationibus subinde non apponunt particulam comparationis vel similitudinis. Ut Prov. 16, v. 24: *Favus mellis, composita verba.* Psal. 67, v. 31: *Increpa feras arundinis: congregatio taurorum in vaccis populorum*, etc. pro, increpa tyrannos, qui sicut feræ in arundineto, et sicut tauri in grege vaccarum, excitant strepitum et horrorem: ita faciunt ipsi in congregatione populi sibi subditi.

X. Una eademque sententia diversis locis subinde diversa et fere contraria designat. Verbi gratia, *Portare iniquitatem*, Exodi 28, v. 38; Levit. 10, v. 17, et 1. Reg. 15, v. 28, sumunt pro ignoscere, vel veniam impetrare. Sed Levit. 17, versu ultimo, et cap. 24, v. 15, et alibi, idem ipsis est quod puniri pro peccato.

XI. Apud Hebræos propter exiguum numerum radicum, quæ non sunt nisi 1022, a quibus omnia nomina derivantur, sæpe unum idemque nomen, vel verbum, vel etiam sententia, pluribus diversisque rebus designandis adhibetur. Et ex hac silva ambiguorum nominum atque verborum haud raro natæ sunt diversæ diversorum interpretum, vel etiam ejusdem, sed diverso tempore et loco interpretationes, dum quisque inter dubia, quod sibi convenientius videtur, hoc transfert. Ita sese excusat S. Hieronymus libro 1 Apologiæ adversus Ruffinum, qui ei exprobrarat, quod Psal. 12, v. 2, pro eo quod Septuaginta interpretes dixerunt, *Apprehendite disciplinam*, ipse in Commentariis vertisset, *osculamini* vel *adorate filium*, et postea nihilominus vertendo Psalterium, transtulisset, *adorate pure*. Nam Hebr. נשקו בר *naseku bar*, ambigua sunt ad omnia tria designanda. Sic Hebræum צנה *tsinnah*, quod videtur commune esse nomen armorum quæ vel inferunt vulnus, vel avertunt, Ezech. 26, v. 8. Vulgatus transfert *clypeum*: capite 23, v. 24, *loricam*; c. 28, v. 4, *hastam*; Amos 4, v. 2, *contum*; 3. Reg. 10, v. 16 et 17, *scutum* et *peltam*. Simili modo אשישה *asisah*, valet idem quod exhilarat refícitque seu convivia, seu geniales dies; cumque multa id præstent pro varia rerum ac temporum natura, varie quoque id ab Interprete convertitur; modo enim redditur *flos*; Cant. 2, v. 5: *Fulcite me floribus*: modo *unguentum*, modo *lagena vini*; modo *simila frixa oleo*. Sic כסידה *chasidah*, significat quod sublimem habet rapidumque volatum, quare interdum *milvus*, ut Zachar. 4, v. 9, interdum *ciconia*, ut Job 39, v. 13, et Psal. 103, v. 17, alias *herodius*; subinde *upupa* convertitur. Sic Hebræum צחק *tsachaq*, et Latinum *ludere*, præter vulgarem lusum subinde significat *duellum committere*: 2. Reg. 2, v. 14: *Surgant pueri et ludant.* Subinde *persequi* et *vexare*: Genes. 21, v. 9: *Vidit Sara ludentem Ismael cum Isaac*, id est persequentem Isaac, ut explicat Apostolus ad Galat. 4, v. 29. Subinde *idola colere*, vel *saltationes* ac *tripudia instituere*: Exodi 32, v. 6: *Surrexerunt ludere.* Sic Græcum προφητεύειν et Latinum *prophetare*, præter communem notionem quæ est futura prædicere, aliquando significat, *prophetiam confirmare*, ut Eccli. 49, v. 18, ossa Josephi dicuntur post mortem prophetasse. Aliquando significat *laudare Deum*, vel psallere laudes Dei. 1. Reg. 12, v. 5, 10, 11, 13. Aliquando ex afflatu spiritus mali *insana loqui*, 1. Reg. 18, v. 10, et 3. Reg. 18, v. 29; Jeremiæ 29, v. 26. Aliquando ex interna illuminatione Spiritus sancti *Scripturas interpretari*. 1. Cor. 14, v. 3. Aliquando miraculum patrare. Eccli. 48, v. 14: *Mortuum prophetavit corpus ejus*, Elisei.

XII. Sic præpositionum et conjunctionum vis et significatio admodum varia est. *Ad* sæpe idem valet quod *de*: 2. Regum 3, v. 8: *Dominus locutus est ad David*, id est *de* David, *dicens: In manu servi mei David*, etc. Lucæ 19: *Ait Jesus ad eum* pro *de* eo, *quia hodie salus domui huic facta est.* Ad Hebræos 1: *Et ad angelos quidem dicit*, pro de an-

gelis. Et cap. 4: *Ad quem nobis sermo*, id est de quo.

Præpositio *a*, et Græcum ἀπὸ, sæpe pro *apud*, vel *coram* usurpatur. Eccli. 41, v. 21: *Erubescite a patre et matre*, etc. pro, coram patre, etc.

Præpositio *in*, hebraice ב, v. g. *In Christo*, *in Domino*, ad Ephes. 1, et κατά, seu *secundum*, fere omnium aliarum præpositionum vicem et significationem induunt. Sæpe *in* redundat. Lucæ 22, v. 49: *Si percutimus in gladio?* Gen. 48, v. ult.: *Tuli in gladio et arcu meo.* Verba contactus tam corporalis, quam spiritualis (qualis v. g. est visio, quæ rem visam suo intuitu quasi attingit) construi solent cum ב *beth*, id est *in*, et cum ablativo casu, ut Isaiæ ult., v. 1: *Videbimus in lætitia vestra*, id est, videbimus lætitiam vestram.

Hebræum ו *ve*, et Latinum *et*, nunc pro copulativa, nunc pro disjunctiva *vel*, *aut*; nunc pro causali *enim*, *quia*; nunc pro adversativa *sed*, *autem*; nunc pro *ut*, *sic*, *sicut*, *id est*, *etiam si*, *tamen*, *ideo*, *præterea*, *ergo*, *quinetiam*, sumi solet, aliquando prorsus redundat. Pari modo voculæ *tamen* et *sed*, pro *immo*, *quinimmo* sumuntur. *Enim* pro *autem*, ad Galat. 2, v. 6. Hebr. כִּי *ki*, et Latinum *ut*, *quia*, *propter quod*, *propterea*, sæpe non causam, sed solum eventum seu consecutionem significat: subinde tantum continuant præcedentia cum sequentibus. Particulæ, *eo quod*, *quoniam*, *quia*, subinde idem valent quod *quamvis* vel *etsi*. Psal. 77, v. 19: *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto*, *quoniam* (id est quamvis) *percussit petram, et fluxerunt aquæ?* Isaiæ 12, v. 1. *Confitebor tibi, Domine, quoniam* (id est etsi) *iratus es mihi.* Jerem. 7, v. 10: *Liberati sumus, eo quod* (id est etsi) *fecerimus abominationes*, etc.

XIII. Vocula *si* est admirantis vel stupentis: subinde tamen est negantis, ut Judic. 5, v. 8: *Si apparuerint*, id est non apparuerunt, et 3. Reg. 17, v. 1: *Si erit annis his pluvia*, id est, non erit pluvia. Et quidem plerumque est nota jurantis, v. g. in exemplo jam allato, *Vivit Dominus si erit pluvia*, id est, juro quod non pluet, adeoque si pluat, non habear Deus vivus aut verax. Et cum post verba jurandi sequitur vocula *si*, tunc si oratio sit affirmans, vertit in negantem; si sit negans, vertit in affirmantem. Prioris exemplum est, Psalm. 94, vers. 11: *Sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*, id est, quod non introibunt. Posterioris, Isaiæ 14, v. 24: *Juravit Dominus, si non ut putavi, ita erit*, id est juravit, quod uti ipse putavit, ita erit. Simili modo particula *nisi* est vox juramenti execratorii. Isaiæ 5, v. 9: *Nisi domus desertæ fuerint*, subaudi per aposiopesin, *non habear Deus*, aut *verax*, sicut Latini dicunt, *nisi hoc fecero*, *dispeream.* Subticent vero Hebræi ipsam imprecationem, utpote horrendam auditu et effatu, et cujus præ reverentia divinæ majestatis nemo vel meminisse audeat. *Levare manum*, sæpe significat *jurare*, Gen. 14, v. 22; Exodi 6, v. 8; Num. 14, v. 30, quia manum attollere solent qui jurant.

XIV. Unam eamdemque rem, cum plures habet proprietates et conditiones, pluribus etiam nominibus explicant. Ita *leges Dei* Ps. 118 vocant primo, *præcepta*, *mandata*, *statuta*, *custodiam*, quia custodienda vel cavenda præcipiunt, mandant, et statuunt. Secundo, *judicia*, quia dijudicant et dirimunt lites. Tertio, *justitiam*, *æquitatem*, *veritatem*, quia statuunt et docent quod justum, quod æquum, quod verum est. Quarto, *testimonia*, quia testantur nobis voluntatem Dei, et quia cum contestatione Judæis data sunt, Deut. 4, v. 27, 28. Quinto, *testamentum*, id est fœdus et pactum, seu conditiones pacti initi cum Deo: nam hac conditione pepigit Deus tam cum Judæis, quam cum Christianis, se fore eis Deum et patrem, si videlicet ipsi leges ejus servent. Sexto, *vias Domini*, *justificationes Domini*, *verbum*, *eloquia*, *sermones Domini*, etc. quia ex ore Dei processerunt, nosque justos faciunt, et ad Deum deducunt. Sic redemptionem Christi, quia in ea cæsi hostes (dæmon, peccatum, mors), et subditi liberati et salvati fuerunt, nunc vocant *stragem* simul et *salutem*, nunc *ultionem* et *redemptionem*, nunc *indignationem* et *pacem*, nunc *cædem*, *protritionem* et *victoriam*, etc. Isaiæ 59 et 63.

XV. Quia Hebræi pauca habent nomina plantarum, arborum, gemmarum, animalium, specifica, seu quæ unam aliquam speciem determinate designent, sed hæc ut plurimum generica sunt, et multas sub se et diversas species complectuntur, vel certe æquivoca sunt: neque semper

apud Latinos Græcosve extant nomina æque generalia; hinc factum ut unum idemque nomen Hebraicum a diversis interpretibus, vel etiam ab eodem interprete diversis locis diversimode expositum fuerit, v. g. תנין *tannin*, Hebræi vocant quidquid in quoque animalium genere monstrosum est, præsertim magnitudine. Hoc nomen Genes. 1, v. 21. Latinus Vulgatus vertit *cetum* seu balænam, marinam belluam; sanctus Hieronymus et Septuaginta vertunt *draconem*; iidem alibi *sirenem*, vel *Faunum*, vel *struthiocamelum*, vel *passerem* (ironice) *camelum* interpretantur, ברולח *bedolach* Hebræi vocant quidquid aqueum vel viscosum lucet, vel fulgurat, et in lapidem indurescit. Hanc vocem Gen. 2, v. 12 Noster vertit *bdellium*, genus gummi sive lacrymæ pellucidæ, quam stillat arbor nigra ejusdem nominis, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu naturaque caprifici, inquit Plinius [1] et Dioscorides [2]. Eamdem vocem Vatablus et Eugubinus vertunt *unionem*, Sept. *carbunculum*: iidem Num. 11, v. 7 vertunt *crystallum*, אלה *ela* Hebræi vocant omnem glandiferam arborem, vel quæ quid glandibus fere simile profert. Hanc voculam Noster et S. Hier. et Septuaginta vertunt nunc *quercum*, nunc *ilicem*, nunc *terebinthum*, nunc *castaneam*. Cum enim non invenirent apud Græcos Latinosve voces tam late patentes, satis illis fuit, unam aliquam speciem magis familiarem, magisque loco quem exponebant convenientem, sua versione efferre.

XVI. Quia etiam apud Hebræos quædam erant seu animalium, seu arborum, seu aliarum rerum species, quas apud Græcos Latinosve reperire non erat, atque ita apud hos nomine carebant; interpretes, ne lacunam in sua versione relinquerent, ipsum subinde Hebræum nomen, ut erat, intactum retinuerunt: ut in Exodo passim ligna *setim*, in Levitico *hin*, *gomer*, *satum*, *cabum*, *ephi*: quæ Hebræorum erant mensuræ propriæ, neque apud alias nationes reperiebantur, quæ ejusdem præcise essent capacitatis. Subinde tamen, ne barbaram ignotamque vocem lectoribus obtruderent, maluerunt Græcam Latinamque aliquam potius usurpare, quæ speciem affinem, et Hebrææ pene similem significat, verbi gratia pro mensuris jam dictis posuerunt modium, sextarium, choen seu congium. Pro שטים *schittim* seu *setim*, quæ est arbor spinæ albæ similis (teste sancto Hieronymo) colore et foliis, non magnitudine: nam et latissima tabulata ex illa cæduntur: lignumque fortissimum est, et incredibilis lævitatis ac pulcritudinis, sed nonnisi in desertis Arabiæ proveniens. Pro hac arbore, quia prorsus ignota Europæ, S. Hieronymus Isaiæ 41, vers. 19 ponit *spinam*, Septuaginta *buxum*. Similiter Joel. 3, vers. 18, S. Hieronymus vertit torrentem *spinarum*, Septuaginta σχοίνων, id est *funiculorum*, vel potius σχίνων, id est *lentiscorum*, nempe arborum sua lævitate nobis sat notarum. Iidem Septuaginta in Exodo passim pro *setim* ponunt *ligna imputribilia*. Sic שפן *schaphan* animaculum est Palæstinæ proprium, muris et ursi similitudinem habens, majus ericio, cavernis petrarum et terræ foveis assuetum, ut ait S. Hieronymus. Pro hoc animali, quod apud Græcos Latinosque nomine caret, S. Hieronymus et Septuaginta ponunt nunc *chærogryllum*, id est rupium porcellum, Levit. 11, v. 5, et Deuter. 14, v. 7, nunc *erinacium*, Psalmo 103, v. 18, nunc *leporem*, Proverb. 30, v. 26, Rabbini et hebraizantes *cuniculum* malunt. Eodem modo de קיקיון *kikajon*, ait S. Hieron. *Genus est virgulti vel arbusculæ lata habens folia in modum pampini, et umbram densissimam, suo trunco se sustinens absque ullis calamorum et hastilium adminiculis, quibus et cucurbitæ et hederæ indigent, in Palæstina creberrime nascitur, maxime in arenosis locis: mirumque in modum, si sementem in terram jeceris, cito confota consurgit in arborem, et intra paucos dies quam herbam videras, arbusculam suspicis. Hanc arboris speciem quia sermo Latinus non habebat, retento Hebræo nomine, kikajon expressissem*, inquit idem S. Hieronymus; *sed timebam Grammaticos, ne invenirent licentiam commentandi, et vel bestias Indiæ, vel montes Bœotiæ, vel alia portenta confingerent. Lingua Syra et Punica Elkeroa vocatur. Septuaginta Interpretes cucurbitam, Aquila cum reli-*

(1) Lib. 12, cap. 9. (2) Lib. 1, cap. 80. (3) In Joel. 3, v. 18.

quis hederam transtulerunt, quæ græce κισσὸς appellatur : aliud enim quid dicerent non habebant. Et ego, inquit, *hederam posui, ut ceteris interpretibus consentirem.*

XVII. Hebræi nominibus propriis vel gentilitiis sæpe mysterium aliquod, vel rem particularem designant. Hinc interpretes, ne mysterium illud, vel allusio vocis occulta remaneat, pro nomine proprio vel gentilitio, quod est in Hebræo, sæpe ejus interpretationem ponunt. Ut Genes. 26 pro nominibus puteorum propriis ponunt significatum eorumdem, unum pro *esec,* vocantes *calumniam;* alterum pro *sitna, inimicitias;* tertium pro *rechobot, latitudinem;* quartum pro *sabea, abundantiam.* Job ultimo vers. 14, filias Job unam vocant *diem,* alteram *cassiam,* tertiam *cornu stibii.* Osee 1, vv. 6 et 9, filiam suam vocat *lo rachuma,* id est, *absque misericordia;* filium, *lo ammi,* id est, *non populus meus.* Ad quem locum simili modo interpretantes alludunt Paulus Rom. 9, v. 25, et Petrus 1. epist. c. 2, v. 10. Sic Sophoniæ 2, v. 13, pro *ponet speciosam,* Hebræa, Chaldæa et Septuaginta habent, *ponet Niniven* (quæ hebraice *speciosam* significat) *in solitudinem, et in invium, et quasi desertum.* Michæa 1, v. 10, 11, 12, 14, pro *Aphra, Saphir, Maroth* et *Aczib,* quæ sunt nomina propria urbium, ponit Interpres *pulverem, pulcra, amaritudines, mendacium,* 2. Reg. 8, v. 1: *Tulit David frænum tributi* (Hebraice *metheg haamma,* et est cognomen urbis Geth) *de manu Philisthiim,* 2. Reg. 21, v. 19, pro *Elcanan filius Jaare,* Noster ponit, *Adeodatus filius Saltus.* 1. Paralip. 4, v. 22, pro *Joakim et viri Kosba, et Joas, et Saraph* (quæ sunt propria nomina principum in Moab, ut sequitur, et Septuag. illa retinuerunt), in Latino est, *qui stare fecit solem, virique Mendacii, et Securus, et Incendens.* Prov. 30, v. 1, pro *verba Agur filii Jake,* Interpres habet, *verba congregantis filii vomentis.* Sic Ezech. 25, v. 16, pro *interfectoribus,* et Sophoniæ 2, v. 5, pro *perditoribus,* hebraice est *cherethim:* quod plerique putant proprium nomen esse gentis ad mare. Psal. 75, 3: *Factus est in pace locus ejus;* heb. est, *in* שלם *schalem,* seu Jerusalem: de qua urbe loqui Prophetam patet ex vocula *Sion,* quæ immediate subnectitur.

XVIII. Uni eidemque personæ non raro plura nomina indebantur : unde unus idemque nunc uno, nunc alio nomine in Scripturis appellatur. Sic uxor Abrahæ vocatur *Sarai* Genesis 16, v. 1, *Sara* 17, v. 15, et *Jescha* cap. 11, v. 29. Sic uxor Esau quæ Genes 26, v. 34 vocatur *Judith filia Beeri Hethæi,* Genes. 36, v. 2, appellatur *Ada filia Elon Hethæi,* et altera ejus uxor, quæ Genesis 26, v. 34, dicitur *Basemath filia Elon,* Genesis 36, v. 2, vocatur *Oolibama filia Anæ.* Sic lib. 1. Paralip. per decem prima capita sæpe viris et mulieribus alia dantur nomina ab iis quæ habent in Genesi, Josue, Judicum et libris Regum. Sic una eademque est *Esther* et *Edissa,* Estheræ 2, v. 7, idem *Abimelech,* et *Achimelech: Job* et *Jobab: Achar* et *Achan: Aram* et *Ram: Ornan* et *Areuna: Jethro* et *Raguel.*

XIX Sæpe nomina propria Hebræa cum in aliam linguam transferuntur, ita mutantur, ut vix eadem esse videantur, maxime cum interpretes ad aliud etymon suæ linguæ alludunt. Sic qui hebraice et chaldaice vocatur *Aschasueros* (id est, magnum caput, seu magnus capitaneus) et latine *Assuerus,* persice nominatur *Ochosoarses, Ochsoarses, Xerses* (id est bellator), *Axurxes, Artaxerxes* (id est magnus bellator, teste Herodoto) græce vero *Oxyares,* id est acer Mars.

XX. Idem contigit multis nominibus Hebræis, quæ Hebraica, ut erant in Græca aut Latina translatione posita sunt: verbi gratia pro *Tsophnat Paneach,* id est salvator mundi, Genes 41, v. 44, corrupte Septuaginta habent ψονθομφανήχ. Pro Hebræo חוה *chavva,* Latine et Græce est *Eva;* pro *Jescua* vel *Jehoscua,* est *Jesus;* pro *Maschiach, Messias;* pro *Tsor, Tyrus;* pro *Casdim, Chaldæi;* pro *Pesach, Pascha.*

XXI. Decem tribus Israel, prout tempore Roboam distinctæ erant ab aliis duabus, et sub diverso rege, usque ad captivitatem Babylonicam sæpe a Prophetis vocantur *Ephraim,* subinde *Joseph,* subinde *Samaria,* quia sedes regum Israel erat in *Samaria* et in tribu *Ephraim:* et quia ex *Ephraim* filio *Josephi* ortus est Jeroboam, qui primus schisma illud fecit, et decem tribus a domo David abduxit, sibique ascivit, juxta vaticinium Ahiæ, 3, Reg. 11, v. 29. Subinde etiam vocantur *Israel* vel *Jacob,* quia erant major pars

filiorum Israel. Duæ vero reliquæ tribus vocantur *regnum Juda, domus David, Jerusalem,* vel *Sion.* Sed post captivitatem Babylonicam *Israel* et *Juda* pro eodem populo accipiuntur, scilicet pro Judæis e Babylone reductis in Judæam, qui majori ex parte erant de tribu Juda: et si qui alii ex aliis tribubus hinc inde eodem reversi sunt, junxerunt se tribui Juda, et suum ei nomen transcripserunt. Unde omnes indiscriminatim nunc Israelitæ, nunc Judæi vocabantur.

XXII. Oriens, Occidens, et reliquæ orbis plagæ seu climata assignantur in Scripturis comparatione urbis Jerusalem vel terræ sanctæ. Hagiographi enim Judæi fuerunt, et Judæis scribebant, et Judæa sita quasi in medio orbis habitati, erat singulariter cara Deo, et peculium illius. Sic Daniel capite undecimo prædicit *reges Austri,* id est Ægypti, conflicturos cum *regibus Aquilonis,* id est Syriæ puta Ptolemæos cum Antiochis. Sic Assyrii et Chaldæi vocantur Aquilonares, scilicet respectu Judææ. Jeremiæ 1, v. 14: *Ab Aquilone,* id est, e Babylone, *pandetur omne malum.* Sic Occidens sæpe in Scriptura vocatur *mare,* eo quod mare Mediterraneum, quod Palæstinam attingit, Judææ sit majori ex parte ad Occidentem. Quia tamen idem ex parte eidem est ad Austrum, hinc subinde *mare* significat etiam Australem plagam, ut Psalm. 106, v. 3: *A solis ortu et occasu, ab Aquilone et mari,* id est Austro. Subinde Meridies vocatur *dextra,* Septemtrio, *sinistra;* eo quod convertenti faciem ad Orientem talis sit partium illarum situs.

XXIII. Cum *Deus* apparuisse dicitur alicui, id de *angelis* intelligi volunt sancti Patres, quia angeli in corporibus assumptis personam Dei gerebant. Sic etiam illum qui apparuit Moysi, dixitque: *Ego sum Deus Abraham.* S. Stephanus Actor. 7, v. 30 dicit *angelum* fuisse. Et qui Exodi 19 et 20 tradidit legem Moysi in Sina, a S. Paulo Gal. 3, v. 19, *angelus* vocatur.

XXIV. Quæ de Christo dicuntur, non semper ei in persona conveniunt, sed subinde ei tamquam capiti, subinde ejus corpori Ecclesiæ, subinde utrique. Ut Zach. 2, v. 8, dicit Christus *se missum esse ad Gentes,* quod fecit non in se, sed in Apostolis suis. Simili modo Gen. 13, v. 27, 49, Abrahæ, Jacob, et duodecim Patriarchis multa promittuntur, quæ non ipsis, sed illorum *posteris* obvenerunt.

XXV. Synecdochice per Philisthinos, Arabes, Ægyptios, Moab, Ammon, Idumæos, et alias gentes barbaras Judæis vicinas et notas, significant Prophetæ omnes gentes impias subigendas a Christo, totumque mundum ad eum convertendum. Ita S. Hieron. in c. 60 Isaiæ. Sic ex una persona aut gente, omnes alias similes intelligunt, inquit S. Augustin. lib. 4 Doctrinæ Christianæ, c. 7.

XXVI. Eodem modo numerum plenum et rotundum sæpe ponunt, neglecto minore qui aliquantulum excrescit, vel deficit, v. g. Num. 11, vocantur *septuaginta* seniores, et alibi septuaginta Interpretes, cum fuerint utrique *septuagintaduo.* Et Judic. 9, v. 18 dicuntur *septuaginta filii Jerobaal* ab Abimelech interfecti, cum tamen duo deessent huic numero, scilicet ipse *Abimelech* qui eos interfecit, et *Joatham* natu minimus qui evasit.

XXVII. Voculæ, *non amplius, non ultra, æternum, sæculum, generatio generationis,* sæpe non significant absolutam æternitatem, seu durationem interminabilem, sed solum diuturnam durationem, et quasi humanam æternitatem, id est, longum tempus, cujus finis ab homine jam vivente non videtur. Sic Isaias c. 23, vers. 12 de Tyro ait: *Non adjicies ultra ut glorieris;* et Ezechiel de eadem c. 26, v. 14: *Non ædificaberis ultra,* scilicet ad longum tempus, nam postea reædificata est, et pristinam gloriam resumpsit, unde ab Alexandro M. rursum vastata est. De *æterno* exempla habes 1. Paralip. 15, v. 2, et 1. Mach. 2, v. 54. Aliquando nihil addunt sententiæ præter epitasin, quæ rem valde exaggeret. Quomodo dixit Petrus Joan. 13: *Non lavabis mihi pedes in æternum,* id est, nullo modo id patiar. 2. Reg. 3, v. 28: *Mundus sum in sempiternum,* id est, toto cælo absum a cæde tam impia, tam perfida. Jonæ 4: *Bene irascor ego usque ad mortem,* id est, vehementissime.

XXVIII. Etiam in numeris annorum vel dierum exprimendis subinde utuntur synecdoche, totum ponendo pro parte, vel contra v. g. Christus dicitur tres dies fuisse in sepulcro, e quibus tamen primus et tertius fuerunt incompleti. Sic in annis vitæ variorum hominum, vel regnorum consignandis, nunc completos ponunt, nunc incompletos. Sic una pars hominis

physica, ut caro, vel anima, vel sanguis, non raro pro toto homine ponitur. Sic *caput* pro homine, 2. Reg. 1, v. 16: *Super caput tuum*, pro *super te*. Isaiæ 35: *Letitia sempiterna super capita eorum*, pro *super eos*. Sic *caput canis, caput colubris, caput meum*, idem sunt quod *canis, coluber, ego*. Sic Psalm. 65, v. 12: *Posuisti homines super capita nostra*, id est, super nos. Genes. 40, v. 19: *Auferet Pharao caput tuum*, id est te: neque enim præcisum est illi caput, sed (ut mox subditur) *suspensus est in cruce*. Prov. 15, v. 22, et inde S. Paulus ad Roman. 12, v. 20: *Carbones ignis congeres super caput ejus*, id est, super ipsum. Vel etiam pars logica, ut genus pro specie, v. g. tempus pro anno. Dan. 7, v. 25: *Tempus et tempora, et dimidium temporis*, pro tribus annis et medio. Vel contra, species, pro genere. Isaiæ 1, v. 15: *Sanguis* seu homicidium, pro quovis peccato. *Pestis et gladius*, pro quavis clade. *Justitia* aut *misericordia*, pro quavis virtute, Psalm. 111, v. 9. Vel materia pro re ex ea confecta, 2. Reg. 6, v. 5: *Ludere in omnibus lignis fabrefactis*, vel, ut est in Hebræo, *omnibus lignis abietum*, pro ludere omnibus instrumentis musicis. Subinde pars una pro altera ponitur, ut anima pro cadavere: Num. 9, vv. 6, 7, 10, et Aggæi 2, v. 14: *Immundi super anima hominis*, id est, propter cadaver.

XXIX. Alios quoque tropos seu figuras omnis generis frequentissime usurpant, v. g. metonymiam, cum *Samariam* capiunt pro Samaritis, *idolum* pro idololatris, *templum* pro sacerdotibus. Sic eleganter ludunt in voce *peccatum*, quo aliquando denotant culpam: aliquando pœnam vel effectum culpæ, v. g. concupiscentiam: aliquando hostiam quæ offertur pro peccato, 2. Cor. 5, vers. 11, aliquando nudam immunditiam legalem ex menstruo, ex lepra, ex contactu mortui contractam, ut videre est Levit. 12, v. 6, et c. 14, v. 13, ubi puerperium et lepra vocantur *peccatum*, scilicet legale, id est, immunditia. Item Rom. 8, v. 3 et 2. Corinth. 5, v. ult. Sic *caro* aliquando corruptionem carnis, aliquando concupiscentiam, aliquando homines carni deditos significat; aliquando exteriorem hominem, vel externam speciem et gratiam, quæ opponitur spiritui, id est, internæ gratiæ et interiori homini, 2. Cor. 10, v. 2.

XXX. Per antonomasiam *fluvius* vel *flumen* absque addito ponitur pro *Euphrate*.

XXXI. Per antiphrasin subinde *benedicere* ponitur pro *maledicere*. Job. 1, v. 11, et c. 2, vv. 5 et 9, item 3. Reg. 21, v. 13. Sic *sanctificari* pro *pollui*, Deut. 21. v. 9.

XXXII. Per euphemismum, quod durum et infaustum sonat a se removent Hebræi in hostes suos. 1. Regum 23 v. 22: *Hæc faciat Deus inimicis David, et hæc addat*. Ubi David cum sibi imprecaretur malum, nisi grave de Nabal supplicium sumeret, loco sui substituit inimicos suos. Similem profanorum imprecandi modum vide apud Brissonium lib. 1 Formularum.

XXXIII. Ironiam et sarcasmum habes Genesis 3, v. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum*. Et Eccles. 11, v. 9: *Lætare ergo juvenis in adolescentia tua*, etc. Et Zachariæ 11, v. 13 de triginta argenteis dicit Dominus, *decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis*.

XXXIV. Catechresis est Matth. 9, v. 31 cæci curati *diffamaverunt* Jesum *in tota terra illa*, id est, famam ejus celebrarunt cum magna laude. Sic *fœnerari* ponitur pro mutuare, Deuter. 15, v. 6, et Lucæ 6, v. 34. *Pennæ solis*, Malach. 4, pro radiis. Sic Deus *pluviæ pater*, id est auctor; dæmon *mendacii pater* vocatur, id est auctor, Tubalcain *pater*, id est primus (quia inventor) *canentium organo*. *Domum* alicui *ædificare* vel *destruere*, est proles et posteros dare vel adimere: nam ex filiis quasi lapidibus vivis construuntur familiæ. *Revelare aurem alicujus*, est admonere et alteri indicare quod ignorabat 1. Reg. 9, v. 15, et c. 20, v. 13.

XXXV. Per hyperbolen, Genesis 41, v. 49 frumentum cœquatur *arenæ maris*, 3. Reg. 10, v. 27, *argentum lapidibus*, et Joan, ult., v. ult. *mundus* negatur *capere posse libros*.

XXXVI. Metaphora omnium frequentissima. *Lupi, serpentes, dracones, leones*, etc. Isaiæ 11, v. 6, sunt barbaræ et ferœ nationes. Sic homines virtuosi vel vitiosi Isaiæ 35 comparantur *deserto arido, campis, arboribus, vineis, montibus, fluminibus, urbibus*. *Calix* sors est cujusque seu bona seu mala. *Gladius* est quidquid pungit, torquet vel cruciat. *Sa-*

gitta quidquid nocet aut lædit. Sic *ignis, turbo, tempestas, grando, procella*, est quodvis tormentum, clades vel strages. *Adeps frumenti, medulla olei, vini*, vocatur quod in frumento, oleo vel vino est præstantissimum. *Baculus panis, scipio, fulcrum, robur panis*, est alimentum, quo quis ita indiget ad sustentationem, sicut senes auxilio baculi, Levit. 26, v. 26; Isaiæ 3, v. 1; Ezech. 4, v. 16, et c. 5, v. 16, et c. 14, v. 13. *Pactum salis* Num. 18, v. 19, et 2. Paral. 13, v. 5, est pactum firmum et incorruptum, quia sal a corruptione præservat. *Cornu* est potentia, eo quod cornutorum animalium robur fit in cornibus, Deuter. 33, v. 17; Psalm. 43, v. 6; Psalm. 74, v. ult. Hinc etiam pro regno subinde accipitur, quod in regnis et regibus maxime spectetur potentia Psalm. 131, vers. 17; Eccli. 47, v. 13; Daniel 7 et 8; Ezech. 29, v. ult.; Lucæ 1, v. 69, *cornu salutis*, etc. *Esse in caput*, vel *in caudam*, Deut. 28, vv. 13 et 44 est primum, vel ultimum fieri. *Onus*, maxime apud Prophetas, est prophetia quæ afflictionem et punitionem prænuntiat. *Manus* idem aliquando quod litus, vel latus, Eccli. 14, v. 25: *Statuet casulam suam ad manus illius. Pinges* sunt homines potentes et divites, Psalm. 77, v. 31; Isaiæ 10, v. 16. *Caput canis* est res utilissima, 2. Reg. 3, vers. 8, *Os gladii* vocatur ejus acies. *Fodere*, Osee 3, v. 2, significat emere et pretio comparare. *Sacerdos*, 2. Regum 8, vers. ult. idem est quod princeps. *Indui re aliqua*, est illam in se habere, ac possidere, Psalm. 92, v, 1; Rom. 13, v. 14. *Funis* vel *funiculus* est hereditatis portio, quæ alicui obveniebat: nam funibus mensurari solebant prædia dividenda: Ps. 15, v. 6; Deut. 32, v. 9; Josue 77, vers. 5. *Vasa* sunt quævis instrumenta, sic *vasa mortis*, id est omnia quibus mors infertur: *vasa belli*, arma et instrumenta quævis bellica: *vasa psalmi* et *cantici*, instrumenta omnia musica. *Animam suam habere in manibus*, vel *ponere in manibus*, est exponi, vel exponere vitam suam periculo: quia quæ manibus imposita habemus, facile excutiuntur. *Suscitare verbum*, 2. Regum 7, vers. 25, est præstare promissa. *Suscitare arcum, gladium, juramentum, pactum*, est facere ne otiosa sint aut vacua pacta, promissa, minæ. *Revelare auriculam*, 1. Reg. 9, vers. 15, et 2. Reg. 7, 27, item *aperire alicujus aures*, est aliquid alicui prædicere, præcipere, præmonere.

XXXVII. Subinde ab una metaphora immediate transeunt ad aliam. Sic Zach. 3, vv. 8 et 9, Christus nunc *oriens*, nunc *lapis* vocatur. Osee 2 Synagoga *mulier*, mox *vinea* vocatur. Isaiæ 27 diabolus *leviathan*, id est balena, mox *vectis*, mox *draco*, vocatur. Isaiæ 45, vers. 7 Cyrus comparatur *luci* et *soli*: c. 46, v. 11 *avi* et *aquilæ*.

XXXVIII. Vel a metaphora aliave figura transiliunt ad rem significatam, v. g. a *flore* ad *Christum*, Isaiæ 11, vv. 1 et 2, et c. 7 a liberatione Achaz et Judæorum de manu Rasin regis Syriæ, et Phacee regis Samariæ, subito transit ad partum virginis, et ortum Emmanuelis et liberationem hominum e potestate diaboli per Christum, cujus illa typus erat. Sic a vastitate Babylonis, Jerosolymæ vel Samariæ sæpe transitur ad excidium orbis et diem judicii, cujus illæ fuerunt speculum et figura et præludium. Simili modo a *meretrice* ad urbem *Niniven* transit Nahum c. 3, vv. 4 et seq. Ab *erucis, locustis et bruchis* ad *milites terram vastaturos*, Joel c. 1 et 2 etc. Similiter Isaias c. 14, a casu Luciferi ad casum Baltassaris regis Babylonis, per alterum significatum: et Ezech. 28, a Cherubino ad regem Tyri.

XXXIX. Nomen figuræ subinde tribuitur rei figuratæ, et nomina parentum sæpe patronymice sumuntur pro filiis et posteris. Sic Christus vocatur *David*, Ezechiel 34, v. 23, et Osee 3, v. 5. Sic Israelitæ passim vocantur *Israel*, Idumæi *Esau*. Simili modo, cum quis alteri confertur ob morum alterius similitudinem, ipsum sæpe alterius nomen quasi proprium et gentilitium illi datur. Sic Isaiæ 1, v. 10; Ezech. 16, v. 45; Daniel 13, v. 56 Israelitæ impii vocantur *Chananæi, semen Chanaan, Amorrhæi, Sodomitæ, Gomorrhæi:* Judas ab ipsomet Christo *diabolus*. Sic *Samson*, quivis fortis: *Daniel*, quivis sapiens: *Salomon*, quivis potens et opulentus: *Rex Assur*, quivis monarcha et tyrannus vocari subinde solet, Isaiæ 8, v. 4. Impia Jerosolyma a sancto Joanne Apoc. 11, v. 8 appellatur *Sodoma* et *Ægyptus:* et cap. 18, v. 2 impia Roma, *Babylon*. Sic etiam idololatria *fornicatio*, et idololatræ *adulteri* vocantur.

XL. Urbes, quasi mulieres essent, ab Hebræis passim *filiæ* vocantur, et quidem

meretrices si quando illas de idololatria notare volunt: alias *virgines* vocantur, verbi gratia, *Virgo filia Sion*, 4. Reg. 19, v. 21 pro Jerosolyma. Sic Babylon Isaiæ 43, v. 6; Sidon cap. 23, v. 13, et Ægyptus cap. 46, v. 11, *filiæ virgines* appellantur, et aliæ alibi: idque vel quod passim ab hominibus, vel etiam a Deo instar sponsæ amarentur: vel quod numquam in captivitatem fuissent abductæ: vel quod opulentæ essent atque instar virginum speciosæ et comptæ. Simili modo *filios* vel *filias* alicujus vocant quod ex alio extrahitur, et quasi paritur. Sic sagittas vocant *filias pharetræ*, Threnor. 3, v. 13 frumenti grana excussa, *filios areæ*, Isaiæ 21, v. 10, insulam Tyrum, *filiam maris*, Isaiæ 23, v. 10 pinguedine plenos, *filios olei*, Zachar. 4. Ob similem eductionem, vel arctam connexionem passim in Scripturis vocantur *filii superbiæ, filii iniquitatis, filii sponsi, filii gehennæ, filii regni, filii pacis, filii mortis, filii Prophetarum*, etc. Sic Rabbini acetum vocant *filium vini*.

XLI. Frequens etiam Hebræis et Græcis est Hendyadis, qua unum in duo dividunt, sicut Virgilius Æneidos 1: *Molemque et montes insuper altos imposuit*, id est molem altorum montium imposuit, et alibi, *Aurum frænosque momordit*, id est frænos aureos. Sic Genes. 1, v. 14. *Sint* (sol et luna) *in signa, et tempora, et dies, et annos*, id est, sint in signa temporum, dierum et annorum.

XLII. Hypallagen habes Isaiæ 1. *Cognovit bos præsepe domini sui*, id est, dominum præsepis sui, seu dominum alentem se in præsepio. Exodi 3, v. 2 in Hebræo, *Rubus ardebat in igne*, id est, ignis ardebat in rubo. Judicum 1, v. 8 in Hebr. *Civitatem miserunt in ignem*, id est, ignem miserunt in civitatem. Psal. 18, v. 5. *In sole posuit tabernaculum suum*, id est, solem posuit in tabernaculo suo: vel, ut est in Hebræo, soli posuit tabernaculum suum in cælis. Sic Eccli. 36, v. 14: *Miserere plebi tuæ super quam invocatum est nomen tuum*, id est, miserere populi qui vocatur *tuo nomine*, scilicet *populus Dei*, ut Græca habent.

XLIII. Enallage generis et suppositi utitur Isaias c. 27, vv. 3, 5 et 6, ubi de eadem re loquens, nunc masculino genere utitur, subaudiens populum: nunc feminino, subaudiens vineam vel Synagogam. Sic c. 3, v. 12: *Et mulieres* (id est mulierosi principes seu effeminati) *dominatæ sunt eis*.

XLIV. Enallagen personæ, ubi a prima vel secunda transitur ad tertiam: item temporis, ubi præteritum ponitur pro futuro, vel futurum pro præterito, ut Habacuc 3, 6, 7, 9, 11: item numeri, ubi a singulari transitur ad pluralem, et contra, videre est Deut. 32 et 33, et in Prophetis et in Psalmis passim. Rursum modi imperativi, pro futuro indicativi, maxime in promissionibus, v. g. Eccli. ult. v. 36: *Possidete aurum*, pro possidebitis. Idque ut significetur promissionem certissimo completum iri: quasi nihil supersit aliud quam manum extendere ad rem promissam capiendam. Denique enallage verbi, vel participii pro adverbio: *Convertor, revertor, addo, adjicio*; pro adverbiis rursus, iterum, ultra. Psal. 77, v. 41: *Conversi sunt et tentaverunt Deum*, id est, iterum tentaverunt. Psal. 84, v. 7: *Deus tu conversus vivificabis nos*, id est, iterum vivificabis. Isaiæ 6, v. 13. *Convertetur et erit*, id est, rursus erit.

XLV. Eadem figura sæpe sensum unum, vel sensus actum cum alio sensu commutant. Et imprimis visum utpote omnium præstantissimum, pro quovis sensu accipiunt. Ut *videre voces*, pro audire, Exod. 20, v. 18: *Quia vidisti* (pro, quia tetigisti) *me Thoma, credidisti*, Joan. 20, v. 29. Pro *olfactu*, Exodi 5, v. 21 in Hebræo, *fœtere fecisti odorem* (id est, famam et nomen) *nostrum in oculis*, ut Chaldæus vertit, pro in naribus, *Pharaonis*. Pro *gustu*, Psal. 33, v. 9: *Gustate et videte* (id est, ex sapore probate) *quoniam suavis est Dominus*. Sic quemlibet sensum externum sumunt pro intellectu, et quamlibet sensationem pro intellectione, propter universalitatem hujus potentiæ, quæ in omne ens, etiam sensibile, cognoscendo fertur. Patet ex v. 9, Psalmi 33 jam citato: et 1. Corinth. 14, v. 2: *Nemo audit*, id est, nemo intelligit. Heb. 5, v. 11: *Imbecilles ad audiendum*, id est, ad intelligendum.

XLVI. Sæpe potentiam, vel actum potentiæ pro objecto ponunt, ut *Visionem* pro re ipsa, Isaiæ 1, v. 1, et Danielis 8, v. 13. *Aspectum* pro colore qui aspicitur, Levit. 13, v. 10. *Auditum* pro re audita, Isa. 53, v. 1. *Spem* pro re sperata, Proverb. 13, v. 12. *Timorem* pro re quæ timetur,

Genes. 31, vv. 42 et 53. *Concupiscentiam* et *desiderium* pro re concupita et desiderata, Psal. 105, v. 14, Psal. 77, v. 29. *Deprecationem* pro eo quem deprecamur, Eccli. 34, v. 20. *Patientiam* pro re quæ patienter exspectatur, Jerem. 29, v. 11. *Ebrietatem* pro eo quod inebriat, Isaiæ 5, v. 22. *Custodiam* pro re custodienda, Habacuc 2, v. 1 et Zachariæ 3, v. 7.

XLVII. Non raro per heterosin utuntur abstractis pro concretis, v. g. *circumcisione* pro circumciso, id est Judæo: *præputio*, pro præputiato, seu Gentili: *sanctificatione* pro sanctificatore: *redemptione* pro redemptore, 1. Cor. 1, 3. Sic *dominationes* ponunt pro dominantibus: *virtutes* et *potestates*, pro virtute et potestate præditis: Isaiæ 60, v. 17: *Ponam visitationem tuam* (id est visitatores tuos) *pacem* (id est pacificos), *et præpositos tuos justitiam*, id est, justissimos et normam justitiæ.

XLVIII. Et quidem abstracta hæc pro concretis sic posita, subinde una eademque, nunc active sumuntur, nunc passive, v. g. *justitia* pro justificatore sumitur 1. Cor. 1, v. 30, ubi *Christus* dicitur *factus nobis justitia*. Pro justificato vero 2. Corinth. 5, v. ult., ubi dicimur *facti justitia in Christo*.

XLIX. Idem verbum geminatum, semel in gerundio vel participio, et semel in alio tempore positum, plerumque emphasim et exaggerationem in asseverando habet; v. g. 1. Reg. 26, v. 25. *Faciens facies*, id est, expedite, facile et certo successu facies, et *Potens poteris*, id est, potentissimus eris, et quidquid occurret difficultatis superabis. Sic *faciendo faciam*, vel *faciens faciam*, 2. Reg. 9, v. 7, hoc est, certissime faciam. *Castigans castigavit me*, Psal. 117, v. 18, hoc est, vehementer castigavit me. *Plorans ploravit*, Thren. 1, v. 2, id est, vehementer et amare flevit. *Veniens veniet*, Habacuc 2, id est, certissime veniet. Sic etiam extra gerundium vel participium, *Morte morieris*, id est certissime morieris. Similem auxesin significat negatio contrariæ rei quando affirmationi subnectitur, v. g. Isaiæ 38, v. 1: *Morieris et non vives*, id est, certo morieris. Thren. 2, v. 17: *Destruxit, et non pepercit*, id est, integre destruxit. Ezech. 18, v. 21: *Vita vivet, et non morietur*, id est, omnino vivet. Joan. 1, v. 20, *Confessus est, et non negavit*, id est, plane, diserte et aperte, sine ullis ambagibus confessus est, se non esse Christum.

L. Idem substantivum geminatum, sed semel in genitivo plurali positum, excellentiam in eo genere significat, et superlativi (quo carent Hebræi) vicem et vim obtinet: ut, *Sancta Sanctorum*, id est sanctissima: *Canticum canticorum*, id est excellentissimum canticum: *Vanitas vanitatum*, id est res vanissima. Quod subinde habet locum etiam in diversis substantivis, ut Daniel 11, v. 17, *filiam feminarum*, id est filiam pulcherrimam. *Viri virtutum*, id est viri fortissimi.

LI. Eadem vox substantiva in eodem casu geminata (sive interposita particula copulativa, sive non) multitudinem seu universitatem ejus rei significat. Psal. 86: *Homo et homo natus est in ea*, id est, multi homines nati sunt in ea, scilicet Ecclesia. Psal. 144: *Generatio et generatio laudabit opera tua*, id est multæ vel omnes generationes. Joel 3, v. 14, *Populi populi*, id est omnes populi. Psal. 121, v. 4: *Tribus tribus Domini*, id est omnes tribus. *Vir vir*, id est quilibet vir. Simili modo universitatem designat genus feminarum junctum masculino ejusdem rei: ut Jerem. 7, v. 34: *Auferetur vox sponsi, et vox sponsæ*, id est, omnis nuptialis plausus. Eccle. 2, v. 8: *Feci mihi cantores et cantatrices*, id est, omnis generis musicos mihi paravi. Isaiæ 3, v. 1: *Aufert validum et validam*, ut est in Hebræo, id est omne validum. Simili modo Oseæ 2, v. 1: *Dicite fratribus vestris et sororibus*, id est, omnibus Israelitis.

LII. Subinde gerundium ponitur cum nominativo vel accusativo, quod habeat vicem suppositi, pro subjunctivo cum nominativo. Psal. 125: *In convertendo Dominus captivitatem*, pro, cum converteret Dominus, etc. Psal. 141, v. 4: *In deficiendo ex me spiritum meum*, id est cum deficeret spiritus meus.

LIII. Ἀνθρωποπαθῶς, sive humano more loquuntur sæpe Scripturæ de Deo, cum ei tribuunt humanam formam, os, oculos, manus, pedes: item amorem, gaudium, exultationem, iram, indignationem, aliasque passiones hominis. Qui affectus licet vere sint in Deo respectu objecti boni vel mali; non sunt tamen sicut in nobis sunt, verbi gratia accidentales, aut alterantes, vitiosi, excessivi, turbidi, aut præter rationem.

LIV. Nonnunquam hieroglyphicis utuntur, et symbolis, et ænigmatibus. Plurima habes Ecclesiastæ ultimo, quæ mortem repræsentant. Habes in Jeremia *iram columbæ*, *gladium columbæ:* quæ designant iram et gladium Chaldæorum, in quorum labro erat columba argentea pennis inauratis, Semiramidem repræsentans, Psal. 67, v. 14. Ita Danielis 4 per ænigma *arboris* describitur imperium Nabuchodonosoris: cap. 2 *per statuam* quadrifidam, et cap. 7 per *quatuor bestias* repræsentantur quatuor monarchiæ: c. 8, per *hircum* et *arietem* Alexander Magnus et Darius. Ezech. 1 per *quatuor animalia* et *currum Cherubim* depingitur Dei magnificentia, potentia et vindicta: cap. 5, per *novaculam radentem pilos et barbam*, Chaldæi jugulantes plebem et principes Judæorum: cap. 17 per pugnam *duarum aquilarum*, pugna Nabuchodonosoris et Pharaonis: cap. 19 per *leones* et *leunculos*, regnum et tyrannis Joachaz, Joakim et Sedeciæ: cap. 23 per *meretricium Oollæ* et *Oolibæ*, idololatria Samariæ et Jerusalem. Similia Moysen in suis legibus subinde usurpasse declarat Clemens libro 6 Stromatum.

LV. Subinde etiam per *μίμησιν*, seu imitationem citant fabulas Gentilium, ut fabulam *Tiranum*, Judith 16, v. 8, *glareas Cocyti*, Job 42, v. 33. *Cornu Amaltheæ*, Job 42, v. 14, juxta Septuag. noctem *Orci filiam*, Sap. 17, v. 13, fabulam *Centaurorum*, Isaiæ 34, v. 14 de *Arcturo* et *Orione*, Amos 5, v. 8. Non quod fabulas approbent Prophetæ, sed ut modo loquendi vulgi sese accommodent.

LVI. Verba sua non semper in actu perfecto sumunt, sed subinde in fieri seu actu continuato, subinde tantum inchoato: ut *facere* idem sit quod *conari*, *moliri*, *incipere*, aliquid facere. Sic Hebræi dicuntur egressi ex Ægypto *vespere*, Deuter. 16, v. 6, alibi *noctu*, Exodi 12, v. 42, alias *mane*, Num. 23, v. 3. Nempe *vespere* immolarunt comederuntque agnum, suaque convasarunt, quod fuit initium egressus: *noctu* cæsis Ægyptiorum primogenitis acceperunt a Pharaone veniam, immo mandatum exeundi, et itineri se accinxerunt: mane facto, reipsa et plene et perfecte egressi sunt. Non raro etiam inchoationem actus ponunt pro ipso actu, Canticorum 1, v. 6: *Ne vagari incipiam*, pro *ne divager*. Sap. 18, v. 4: *Incipiebat dari lumen*, pro *dabatur*. Lucæ 13, v. 25: *Incipietis foris stare*, pro *stabitis*. Apoc. 3, v. 16: *Incipiam te evomere*, pro *evomam te*.

LVII. Subinde verbis non actum, sed agendi debitum vel officium designant, ut Hebr. 13, v. 17: *Ipsi enim pervigilant*, id est, ex officio pervigilare debent. Subinde solam agendi virtutem, et conatum quantum ex se est, ut Joan. 1: *Lux in tenebris lucet. Illuminat omnem hominem. Agnus qui tollit peccata mundi.* Marci ult.: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, scilicet, quantum est ex vi fidei et baptismi: et si serventur quæ fides præscribit. Sic Prophetæ passim dicunt, sub Christo abolenda omnia peccata; justitiam, pacem, sanctitatem, omnemque virtutem toto orbe germinaturam: quia scilicet Christus, quantum est ex parte sua, ita fecit, facitque quotidie, dans nobis lytrum sanguinis sui, et gratiam suam potentem ad hæc omnia præstanda si velimus.

LVIII. Verba realia non raro accipiunt pro mentalibus vel verbalibus. Rom. 2, v. 4: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* hoc est, adducere decrevit, vel optat. Lev. 20, v. 8, et c. 21, vv. 8, 15, 23: *Ego Dominus qui sanctifico vos*, id est, jubeo vos esse sanctos. Lev. 13, vv. 6, 11, 20, 27, 30. dicitur quod sacerdos *leprosum mundabit*, vel *contaminabit*, id est, mundatum vel contaminatum declarabit sua sententia; scilicet ut reliquorum convictui restituatur, vel ab eo arceatur. Jer. 1, v. 10: *Constitui te super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes*, id est, ut prædices et prædicas, has gentes evellendas et destruendas esse; illas vero ædificandas et plantandas.

LIX. Subinde vice versa, verba mentalia, vel vocalia accipiunt pro realibus: v. g. *vocari* pro *esse*, ut cum Christus Isaiæ 7, v. 14 dicitur *vocandus*, id est futurus, *Emmanuel*; et c. 8, v. 3 vocandus *Accelera spolia detrahere, festina prædari*, id est, erit celer spoliator hostium, et festinus eorum prædo. Sic Jerem. 4, v. 12: *Loquar judicia cum eis*, id est, infligam eis justas pœnas.

Verba neutra subinde active exponenda sunt, et verba activa per duplicem actionem, more conjugationis He-

brææ *hiphil*. Sic Psal. 51, v. 7: *Emigrabit te*, id est emigrare faciet. Jonæ 3, v. 7: *Et clamavit* rex, id est clamare fecit. Oseæ 8, v. 4: *Ipsi regnaverunt*, id est regem sibi constituerunt. Rom. 8, v. 26: *Spiritus postulat pro nobis*, id est postulare facit. 2. Corinth. 2, v. 14: Deus *triumphat nos*, id est triumphare facit.

LX. Petes, qua via, in tanta verborum ambiguitate, tanta Scriptorum licentia, tot tropis, tot dubiis, constare nobis poterit de vero et genuino Scripturæ sensu intento a Spiritu sancto?

Respondeo Primo, quandocumque verba Scripturæ sine aliquo incommodo possunt proprie, ut sonant et jacent, accipi, ita accipienda sunt: neque ad metaphoras, aut alios tropos, aut sensus improprios inflectenda, nisi quando ex iisdem proprie acceptis absurdus aliquis sensus eliceretur: ita S. Augustinus.

Secundo, si locus aliquis subinde obscurior occurrat, sed alibi per verba clariora non raro proponatur; ad hæc recurrendum, ut prior elucidetur.

Tertio, ex scopo et intentione scribentis sæpe colligitur mens et sensus verborum illius: verbi gratia quorsum, quibus, contra quos, ex cujus persona scribat.

Quarto, ex traditione, vel interpretatione S. Ecclesiæ, ex decretis Conciliorum, vel Summorum Pontificum, ex consensu SS. Patrum, et horum vel multorum, vel paucorum, sanctitate et eruditione prælustrium, ex unanimi conspiratione Doctorum et Interpretum, sæpe constare potest de vero et litterali sensu S. Scripturæ.

Quinto, conferre antecedentia et consequentia cum loco, cujus sensus est dubius, plurimum juvat ad eumdem elucidandum: et, si quidem omnia recte congruant, sensum habebis genuinum et litteralem. Quod si omnia cum pluribus sensibus recte conveniant, plures erunt loci illius sensus litterales: et vel omnes æque immediate intenti a Spiritu sancto vel unus primario, et alii secundario, seu mediante priore sensu, cujus quodammodo sunt appendices.

Ubi hæc omnia adminicula vel desunt, vel non juvant, ex idiotismis Hebraicis Græcisve, quos jam exposui, subsidia quærantur: quærantur etiam ex decursu Commentarii. Spero, nullum Bibliorum locum non sat enodatum elucidatumve, quantum fert humani ingenii tenuitas, ab accurato Lectore deprehensum iri.

SIMILITUDINUM AC PARABOLARUM

QUÆ IN BIBLIIS EX HERBIS ATQUE ARBORIBUS DESUMUNTUR

DILUCIDA EXPLICATIO

IN QUA NARRATIONE SINGULA LOCA EXPLANANTUR, QUIBUS PROPHETÆ, OBSERVATA STIRPIUM NATURA CONCIONES SUAS ILLUSTRANT, DIVINAQUE ORACULA FULCIUNT

AUCTORE

LEVINO LEMNIO

EXIMIO, SUMMÆQUE VIRTUTIS AC DIGNITATIS VIRO

D. THOMÆ THIELDIO

DIVI BERNARDI IN CONFINIIS ANTUERPIANIS AD SCHALDAM,
ANTISTITI CUMPRIMIS REVERENDO,

LEVINUS LEMNIUS

MEDICUS ZIRIZÆUS SACRARUM LITTERARUM STUDIOSUS,

S. P. D.

Quum mihi nuper amplissime deprædicaret virtutis tuæ decus, et mentis præstantiam, antistes spectatissime, Jacobus Susius, vir præter antiquæ nobilitatis insignia, omni disciplinarum genere excultissimus, cœpit illico animus noster in tui nominis amorem ac venerationem incitari. Quis enim erga illum non afficiatur, qui in pacificandis optimatum dissidiis, in dirimendis sopiendisque controversiis hereditariis, de fundis ac suburbanis prædiis singulari pollet dexteritate ac prudentia? Quis non unice illum diligat, veneretur, suspiciat, qui institutis erectisque aliquot palæstris litterariis, artes ingenuas ac liberales disciplinas fovere non desinat? quis rebus tam exulceratis, tantisque opinionum dissidiis distractis ac divulsis sana consilia adhibere curat, ac propositis præmiis doctos quosque ad concionandi munus exstimulare, quo famelica ac dissipata multitudo salutaris doctrinæ pabulo saturetur; mentesque aridæ ac siticulosæ verbi Dei irrigatione reviviscant ac reficiantur. Nullum profecto excogitari potest opus, quod plus solidæ laudis promereatur, et quod humano generi sit utilius magisque frugiferum aut salutare. Quocirca excogitatum est a me argumentum, vir præstantissime, tuæ dignitati aptum, tuoque tam salutari instituto accommodum, quo omnibus innotescat laudatissimus tuus iste conatus, ac longe lateque propagetur nominis tui honos: tuoque exemplo complures ad illustrandam fovendamque religionem Christianam, ac sincerum Dei cultum stabiliendum extimulentur. Eo autem magis gratum acceptumque Amplitudini tuæ munusculum hoc litterarium fore confido, quod tale quiddam a nullo hactenus tractatum sit, ipsaque rei narratio non minus habeat utilitatis quam oblectamenti. Tametsi non defuturos ominor, qui, ubi conspexerint Medicum tractare argumentum Theologicum, confestim exclament, *Ne sutor ultra crepidam*: tum id, *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.*

. . . . Quod medicorum est,
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri [1].

(1) Hor. lib. 2, epist. 1.

Verum hæ voces non sunt tanti, ut ab harum rerum tractatione me deterreant, quum par sit, ut omnes qui Christi nomen dederunt, ea consectentur quæ maxime salutaria sunt, illiusque doctrinam cumprimis illustrent. Quod præter alios spectasse observo virum illustrem JOACHIMUM HOPPERUM Jurisconsultum, Hispaniarum regi Philippo a consiliis secretioribus, in enarrando Decalogo. Quamobrem non decet id mihi fraudi esse, quum sacrosancta religio a Regibus etiam atque magnatibus (quorum plerique non semper res profanas tractant) exculta sit ac propagata, divinoque afflatu in commentarios redacta. Documento sunt Abrahamus, Isaac, Jacob, Moses, David, Salomon, Esdras, a quibus primum profluxit ac dimanavit cultus et doctrina cælestis, ac cum scripto, tum viva voce posteris per manus tradita. Eo autem minus vellicari aut arrodi meretur nostra hæc lucubratio, quod pro dimidia parte sit professionis Medicæ. Siquidem ad Medicum potissime spectat herbarum tractatio; etsi quæ ex his sumitur Metaphora, Similitudo, Exemplum, Comparatio, non alienum est ab ejus professione dilucide ea explicare. Quum autem professores sacri minus fere exercitati esse soleant in herbarum cognitione, ac vix vulgatas passimque obvias herbas cognitas, perspectasque habeant; fieri nequit, ut omnia exacte atque ad amussim perspiciant aut interpretentur, suaque dignitate singula exornent destituti notitia stirpium, aut minus explorata earum natura. Quocirca boni consulet æquus rerum æstimator nostram hanc qualemcumque industriam, quum ea tractem quæ magna ex parte ad Medicum spectant, quem naturæ investigatio, cui sedulo incumbit, ad contemplandas etiam res divinas erigit, ad Opificis notitiam ejusque amorem atque admirationem inflammat. Spero autem candidum Lectorem minus alienum futurum erga opusculi hujus auctorem, ubi ejus gustu se expleverit, ac nonnihil fructus ac commodi ex illius lectione conceperit. Hac enim commendatione Genium consequi libri solent, ac plausibiles esse, summaque aviditate a studiosis expeti, præsertim ubi viri alicujus excellentis patrocinio in lucem prodeunt. Quæ res hoc apud me effecit, Antistes cumprimis observande, ut passus sim hoc nostrum Commentariolum tuis auspiciis, tuique nominis favore in vulgus efferri, multorumque judiciis ac censuris subjicii; quod unum nonnumquam viros, quamlibet eruditos, ad lucubrationum suarum editionem retardare solet ac remorari. Quis est enim ea dicendi peritia imbutus, eaque rerum cognitione instructus, ut censores passim tam rigidos, Aristarchos tam oculatos non pertimescat ac reformidet? aut quis sua scripta omnibus approbare, omnique ex parte calumniam abs se depellere posse confidat? præsertim in argumento quod detegit vitia, erroresque hominum, qui fere salutaria monita respuunt, eosque aut odio prosequuntur, aut vellicant, qui illis ad virtutem, ad decus, ad probitatem, ad sinceram religionem sunt incitamento. Quod ipsum nusquam non deplorant sacri vates iis locis quæ illustranda suscepi; qui in eo toti sunt, omnemque suam operam atque industriam conferunt, ut cum omnes, tum illos potissime officii sui commonefaciant qui Ecclesiastico munere funguntur, ac divinis ministeriis sunt addicti, quo subditis absolutum virtutis ac pietatis exemplar exprimant, summoque studio enitantur, ac rationem ineant, qua collapsæ atque inclinatæ Religioni medelam afferre queant, eamque erigere atque instaurare. Illorum enim interest, ac munus delegatum exposcit, ut devias balentesque ac dissipatas oves ad Christi ovile dirigant, atque ad saluberrima cælestis doctrinæ pascua reducant; ut egenis ac calamitosis, omnique præsidio destitutis subveniant, atque illis aliquid solatii, nonnihil subsidii afferant; ut ingenuos ac bonæ indolis adolescentes, in quibus elucet ac se profert aliquod vividæ erectæque ac generosæ mentis indicium, liberalibus disciplinis institui curent, quo aliquando Patriæ usui sint atque ornamento: ut virgunculis maturis ac conjugio aptis dotem

conferant; ne qua pudicitiam expugnari contingat, ac publice ut mercenarias prostitui. Hac enim ratione obtinebimus ne passim tot exsistant validi errones ac grassatores nocturni, qui aliena invadant ac depredentur, nec tot contaminatæ integritatis puellæ, quæ in lustris ac fornicibus extra legitimam vitæ societatem, corporis sui usum omnibus promiscue concedunt. Quod dedecus fœdaque vitæ consuetudo ne inter Christianos inolesceret, in fragilem illum sexum sua beneficia ac munificentiam liberaliter contulerunt veteres illi Ecclesiæ proceres; qui quod ceteris virtute morumque integritate prælucerent ac subditorum usibus commodisque sedulo prospicerent, Episcopi, præsules, antistites vocabantur: atque a paterno pioque affectu ac propensione in gregem suæ fidei ac tutelæ commissum Abbates ac Cœnobiarchæ; sic ut dignitati et honori sollicitudo et cura conjuncta esset. Consopiebant illi tumultus ac dissidia quæ in magnum Reipublicæ detrimentum erant evasura, resarserunt laceratam ac divulsam civium ac popularium concordiam, omniaque reddiderunt tranquilla ac pacata; mitigabant Regum ac principum irritatos animos, qui sinistris parumque auspicatis nonnullorum consiliis inflammati, graviora quam pro æquitate, onera subditis inferre meditabantur. Quale exemplum editum est in Roboam Salomonis filio (1); qui quum in paternam hereditatem ascitus atque inauguratus, imperio, juvenum potius quam senum consilio acquiesceret, florentissimum regnum abs se divulsum alienavit. His ac plerisque aliis præclaris virtutibus enituere veteris Ecclesiæ ministri, atque iis se potissimum exercuerunt, in quibus situs est præcipuus charitatis fructus, totiusque pietatis ac religionis summa consistit, ut Jacobus apostolus palam testatur (2). Nam erigere operosa palatia, magnisque sumptibus extruere porticus, pavimenta, xystos, ambulacra, peristilia, convivari lautius ac magnifico splendidoque ferculorum apparatu, aut denique exquisito cultu opes profundere sublevandis tenuioribus destinatas, alienum prorsus esse debet ab illorum conditione, natura, moribus, quorum professio atque institutum frugalitatem ac moderatum rerum usum exigit, ab omni luxu, pompa, fastu, ambitione, strepitu, aliaque mundana ostentatione remotum. Hæc, vir humanissime, libere quidem, at amanter ac sincero affectu a me amplificata, sunt, quo plerique extimulentur, ut Spartam suam exornent, suamque minam aut talentum auctione conduplicent; illi inquam, qui in clarissima luce hominum versantur, ac velut in totius orbis theatro constituti, omnium ora atque oculos in se convertunt. Sic enim futurum confido ut qui nunc multorum animos abs se habent aversos atque alienatos, sibi magna veneratione ac reverentia devotos devinctosque experiantur. Est enim virtus vitaque integritas favoris ac benevolentiæ, totiusque humanæ societatis conciliatrix. Qua de re quum nuper in amœnissimo tuo secessu serio simus philosophati, præsente clarissimo ac Senatorii ordinis viro NICOLAO de VOOCHI Jurisperitissimo, ac multa ultro citroque agitata sint, non visum est operæ pretium diutius huic argumento inhærere. Deus optimus maximus, cui, Christi fiducia, vota precesque nostras deferimus, te diu nobis servet incolumem, ac tuos conatus promoveat, magnaque incrementa ac progressus conferat.

Zirizææ ex Museo nostro Non. Maji, anno MDLXVI.

(1) I. Reg. 12. (2) Epist. 3.

SIMILITUDINUM
AC PARABOLARUM
QUÆ IN BIBLIIS EX HERBIS ATQUE ARBORIBUS DESUMUNTUR
DILUCIDA EXPLICATIO

CAPUT I.

AMPLISSIMOS REGES AC SACRATISSIMOS VATES HERBARUM COGNITIONE EXACTA FUISSE IMBUTOS, DESUMPTÆ AB IIS TOT METAPHORÆ AC PARABOLÆ DECLARANT : QUÆ HIC SPECTANDÆ EXHIBENTUR.

Præstantissimos reges ac magnanimos illustresque heroas in ipso etiam armorum strepitu tumultuque bellico, studiose olim excoluisse rem herbariam, ac stirpium cognitione cum primis fuisse delectatos, præter veterum historias, Bibliorum codices abunde testantur. Cum enim harum rerum investigatio amœnissima varietate exornata sit, nec minus habeat utilitatis, quam oblectamenti, non visum est Regum amplitudini, nec Imperatoriæ majestati indecorum hujusmodi occupationibus distineri, præsertim ubi ab urgentissimis negotiis, ac functionibus publicis respirare, atque aliquid sibi laxamenti impetrare licuit. Hac enim cum animi, tum corporis cultura non minus celebris facta est illorum memoria, non minus illustratus nominis splendor et magnificentia, quam rebus aliis præclare gestis, aut hostibus vel subactis, vel ad internecionem deletis. Sic Mithridates Ponti atque undeviginti regnorum rex, propter eximiam herbarum notitiam et singulare antidoton contra venena morbosque omnes contagiosos præservativum, illius nomine insignitum, immortale nomen est consecutus. Lysimachus, Eupator, Gentius Illyricorum rex, Artemisia Mausoli Cariæ regis uxor, multique alii, præter belli gloriam, herbarum cognitione illustres sunt. Marcus Curius Imperator Romanus post devictum Pyrrhum Epirotarum regem, Lucius Cincinnatus, Marcus Valerius Corvinus plantarum amœnitate allecti, procul a strepitu et ambitione civili ruri consenuerunt. Salomon vero regum amplissimus, qui præter immensas opes eam consecutus est a Deo Opt. Maximo sapientiam ac rerum cognitionem, ut nullus regum illi sit comparandus, in herbarum notitia mirifice excultus, exacteque versatus legitur, ac disseruisse non solum de piscibus, alitibus, quadrupedibus, astris, sed de arboribus etiam et stirpibus, a cedro Libani usque ad hyssopum [1] qui egreditur e pariete, hoc est, a minutissima herba ad procerrimas, celsissimasque arbores usque, omnia habuisse cognita et explorata. Sunt præter Salomonem proceres aliquot vatesque Hebræi qui passim vaticiniis suis herbarum nomina effectusque interserunt ac comparationes ex iis mutuantur. Quum enim stirpes aliæ aliis rebus adhiberi soleant, ac nonnullæ alimenti usum præbeant, aliæ medicamenti, pleræque utrumque, nonnullæ noxiæ sint ac naturæ infestæ, aliæ salutares morbisque expugnandis accommodæ : ex iis Prophetæ appositissimas similitudines, scitasque et concin-

(1) 3. Reg. 4; Sapient. 7.

nas comparationes desumunt, quibus conciones exornant, ac fidem narrationi adstruunt. Cum autem multa sint in humanioribus disciplinis ac politioribus litteris, totaque philosophia humana quæ hominum animos affatim oblectant, illorumque mentes exemplis ac morum integritatem imbuunt, tum nulla ad hæc perficienda majorem vim atque efficaciam obtinent, quam ea quæ sacri vates, quorum nemo non divinitus afflatus, concionibus adhibent, adeo ut quivis vel in naturæ operibus vel divinis contemplationibus mediocriter exercitatus, facile perspexerit, quam non sit sterilis et jejuna illorum narratio, quam non prorsus infœcunda illorum doctrina, sed utilis, salutaris, fructuosa. Siquidem Scriptura sacra a cœlesti Patre divini Spiritus afflatu promanans, mentes hominum suavissimo pabulo pastuque salutari reficit. Quod ipsum David rex [1] indicat, desumpta peramœna similitudine a viridante floridoque prato ac saluberrimis aquis, quibus armenta maxime pinguescunt et saginantur: *Dominus regit me, nihil mihi deerit in loco pascuæ, ubi me constituit super aquas refectionis.* Sic quum ubi gratularetur ac plauderet, quod Dei munere in dividenda hereditate, uberrima pecora, solumque ac fundum maxime fœcundum sortitus esset; *Funes*, inquit, *ceciderunt mihi in præclaris* [2]. Solebant enim olim funibus extentis metiri jugera, suosque limites cuique assignare ac partiri prata: quod apud nos nunc decempeda perficitur. Hujus generis quum innumera exempla in veteri novoque Instrumento se proferant, non solum in vulgato vitæ usu et consuetudine, sed ex natura rerum quæ nihil non suppeditat, deprompta: operæ pretium visum est ista eruere, atque avido lectori spectanda exhibere; quo illi innotescat, quantus scientiæ ac sapientiæ thesaurus reconditus sit in arcanis litteris, quæ non tam dulcia, quam salutaria hominibus proferunt. Nec sane quisquam ex ullis philosophorum aut rhetorum poetarumque scriptis tam uberem et copiosam doctrinæ frugem, tam salutare animæ mentisque pabulum est percepturus, quam ex uberrimo atque inexhausto Divinitatis fonte, illorumque oraculis quæ divino afflatu sunt prodita. Quod si cui libeat attente considerare atque intime excutere divina eloquia, quantaque usi sint sapientia qui tam salutaria documenta nobis providerunt, mentemque ac voluntatem Dei mortalibus indicant, illucidé perspecturus est, qui divina profanis præstent, et quam sint res æternæ ac solidæ caducis ac momentaneis præstantiores. Sacros vero vates præter exactam divinitatis cognitionem in naturæ rebus exquisite versatos, nec ullius disciplinæ fuisse rudes, vel illud argumento est, quod ex intimis atque arcanis naturæ similitudines et comparationes desumant; denique ab animantibus, herbis, arboribus, elementis, igni, terra, aquis, aere, fluminibus, rivulis, fontibus, cisternis, Oceano, astris, gemmis, lapidibus, a fulmine, pluvia, rore, æstu, frigore, flatibus, grandine, nive, gelu, glacie, a satis et semente, a sale, a fermento, a sagena, verticulo, nassa, retibus, ab humoribus qui corpori humano subsunt, vel ab eo promanant, sanguine, lacte, semine, menstruis, a pariente et partu, a scoria, ferro, auro, argento, aliisque innumeris tropos ac figuratas elocutiones, metaphoras seu translationes, parabolas, collationes, exempla, schemata, hoc est, ornamenta verborum et sententiarum, et quæ quasi aliquo gestu orationem illustrant, narrationibus suis accommodant; quibus multum lucis atque intelligentiæ, plurimum dignitatis ac splendoris concionibus afferunt, mentesque ac animos socordes atque oscitantes, suique oblitos ad veritatis cognitionem incitant atque inflammant: improbos adducta ex iis rebus similitudine, a maleficiis deterrent, atque ad virtutem, ad solidam felicitatem, ad Dei metum et fiduciam exstimulant, illisque, omni adhibita industria, divinitatis notitiam infigunt: probos vero et qui vitæ integritatem consectantur stabiliunt, utque perseverent, atque in suscepto negotio persistant, sedulo exhortantur: obiter, quod et Paulus præcipit [3], inordinatos, intractabiles, incompositos officii sui commonefaciunt ac salubri placidaque monitione increpant: pusillanimos et mœrentes solantur, imbecilles ac labantes fulciunt, collapsos erigunt, lenitate et clementia utuntur. erga omnes, læti ad iram, ad vindictam ac violentiam tardi,

(1) Psal. XXIII. (2) Psalm. 16. (3) 1. ad Thess. 5.

medentur, juxta Isaiæ [1] ac Christi vaticinium [2], contritis fractisque mentibus, atque animis dejectis, mœstis, afflictis salutarem medelam adhibent; prædicant captivis remissionem et indulgentiam, occæcatis visum, ita ut divinæ lucis efficiantur capaces; calamitosis solatium, vinctis et diaboli tyrannide oppressis, relaxationem ac libertatem: eaque omnia elegantissimis parabolis et collationibus in suis passim scriptis perficiunt. Quum autem nemo non prophetarum, inter quos multi regia majestate existunt, harum rerum specimen exhibeat, atque etiam Jesus Christus, quique ejus nomine apostolicæ legationis munere funguntur, in eodem doctrinæ genere versentur, operæ pretium me facturum sum arbitratus, si obiter commonstrem quanta sit eruditio, quam recondita sapientia, quæ rerum cognitio ac naturæ investigatio, quantus ardor propagandæ religionis, atque expulsa omni superstitione et idololatria proferendi cultus divini in iis hominibus, qui divino spiritu cælestique afflatu imbuti, tam salutaria nobis prodiderunt, accita ad orationis decus et ornamentum universa rerum natura: quod ipsum patefacere jam meditor.

CAPUT II.

DE CONDITIONE ET NATURA MANDRAGORÆ, QUAM A LIA SORORE EBLANDITA EST RACHEL.

Inter herbas virentes ac floridas, quarum innumeras naturæ ac rerum omnium conditor Deus in usum hominum e terra produxit [3], mandragora non infimum locum obtinet, nec prorsus ignobilis est. Cujus quum in sacris Bibliis extet mentio, atque in deliciis habita sit, in edendique usum expetita: de hac instituti argumenti sumetur exordium. Constituuntur hujus stirpis duæ species: quarum una est foliis lactucæ æmulis, sed angustioribus, saturati umbrosique viroris. Pomum vero emergit e centro imoque stirpis meditullio, quod herbaceo stilo incumbit, avellanæ nucis nonnumquam juglandis aut castaneæ magnitudine. Hæc species feminæ nomine insignitur. Mas vero speciosa magnaque foliorum amplitudine ac pompa luxuriat lacteo virore perpolita. Primum vero quod ex passis patulisque quaquaversum foliis e media stirpe prodit orbiculatum ac circinatæ rotunditatis, ovi gallinacei vitello aut luteo prorsus affine est, odore non sine gravitate quadam soporato, jucundo, radice crassa, pilosaque ac bifida, atque in humanæ coxendicis aut cruris formam bifurcata. Qua occasione circumforanei quidam impostores ex hujus et bryoniæ radice imagunculas confingunt humana specie, atque utrumque sexum emolliuntur, ac credulæ turbæ persuadent ea forma ac specie e terra enatas. Nonnulli serio prædicant vitalem fuisse subterraneum hunc fœtum, atque ex locis quibusdam funestis eruisse, quibus supplicio affici solent sontes ac facinorosi; qua persuasione rudi atque imperitæ plebi imponunt, atque hujusmodi impostura argento illos emungunt: Belgæ mandragoræ poma *Deolappelen* vocant, quo nomine et radicem designant, quod mentem amatorio quodam fascino in errorem pertrahant, et quodam modo incantent. Hujus pomi fuisse avidam Rachelem summoque ejus desiderio occupatam sacri codices referunt [4]. Cum enim triticeæ messis tempore Ruben in rus digressus, Liæ matri attulisset mandragoras, Rachel sterilis ac sororiæ fœcunditatis æmula, eas sibi concedi offerrique postulavit. Lia exasperata importuna interpellatione, poma illi denegavit: tandem sopita altercatione, hac lege ac conditione res transacta est, ut Lia subsequente nocte mariti concubitu frueretur (nam id alternis vicibus, duabus sororibus uni marito dedicatis perfici solet), Rachel vero potiretur mandragoris, quas ea mente atque animi intentione a sorore eblandita creditur, quo amabili ac gratioso cum Patriarcha Jacobo congressu, esu illius pomi, conceptui effici posset idonea. Cum enim invidia in sororem permota sterilitatis probrum a se depellere atque amoliri cuperet, expostulavit cum marito, quod sterilis degeret, cum soror numerosa prole ferax esset et fœcunda. Jacobus indignatus, se perfunctum maritali munere profitetur, ipsumque nec culpari posse, nec ignaviæ argui, ceterum fœ-

(1) Cap. 61. (2) Luc. 4. (3) Gen. 1. (4) Genes. 30.

cunditatem ac conceptum Dei donum esse, illiusque arbitrio negotium istud perfici. Ceterum an mandragora fœtificandi vim mulieribus conferat, atque utero retinendi seminis efficaciam conciliet, in dubium vocari posset. Cum enim soporifero effectu prædita sit, et impense frigida, hæc qualitas ad tale quiddam præstandum prorsus inefficax censeri solet et inidonea. Quod tamen ita dilui posse video, ut in frigidis humidisque regionibus, atque in utero humecto et algido tale quiddam perficere nequeat, sed in torrido æstuantique et exusto. Sic in Africa, Hispania, Judæa, Mauritania, Numidia, Ægypto, in quibus fere regionibus mulieres adustos arentesque habent uteros ac fervidos, tum squallidos ac strigosos, non incommode hoc pomum adhiberi posse crediderim. Siquidem ejus esu corpus ad temperiem reduci posse existimo: cum post amplexum et congressum maritalem, soluto in somnum corpore, uterus retinendi vim seminis asciscat, nec id in fumos ac fuliginem evanescat, ut in calido atque æstuante utero assolet, in quo utriusque semina minus coalescunt aut uniuntur, sublata omni posteritatis spe; quod multis usu venisse observavi etiam in Belgica, qui ob plus satis calidam uteri intemperiem effœtæ exstiterunt, tametsi mariti sedulo illis suam operam præstarent, suoque officio alacriter fungerentur: quin et viri ex frequenti illorum concubitu aliquando pudendarum partium vitia contrahunt a salsuginosa atque acri mordacique uligine, quæ genitali virus infert ac contagione inficit. Hujusmodi mulieribus, quæ fere sunt indomitæ libidinis ob ignotos urentesque locos, poma mandragoræ inoffense, immo magno commodo exhiberi possunt, cum pepones, cucumeres, cucurbitæ, melones, portulaca, lactuca, solanum, aliaque refrigerantia, quibus intensus ille fervor ac vitiosa uteri qualitas retunditur, et quo minus concumbenti deleteria sit cohibetur. Scio equidem multa esse stirpium genera apud Belgas et Septemtrioni obversas regiones, quibus cum subsit noxia via et perniciosa, valetudinem deteriorem efficiunt ac depopulantur, nisi illorum affectus in destruenda naturæ temperie coerceatur. Sic omnes herbæ quæ frigida qualitate imbutæ sunt, pipere, zinzibere, et grano paridisi, quod nonnulli inter species cardamomi statuunt; condiuntur, quibus refrenatur illarum malitia; et obtunditur hebescitque ferocia. Sic fungi, boleti, tubera, aliaque excrementa terræ Italis ac Transalpinis innoxia sunt: Cisalpinis vero ac Belgis nocentissima ac venenata, nisi condimentis calorificis mitigetur venenosa illorum qualitas: adde quod in calidis regionibus, quæque sole affatim illustrantur, et incalescunt, omnia melius maturescunt; quæ vis efficit ut illa fercula utpote libidinis incitamenta a delicatis ac ganeonibus in deliciis habita, atque in excitandæ tentiginis usum expetita, minus incommodi corporibus inferant. Ceterum mandragoram odoris fragrantia ac suavitate recreasse olim Hebræos, epithalamium sive canticum Salomonis indicat; sic ut existimem in Judæa illam in ratione expetitam, ac manibus contractari solitam, quod suavi quodam odore imbuta sit non sine vi somnifica et soporosa, quæ lassos et languidos recreat; ut fere esse solent qui amoribus dediti sunt, aut aliquem depereunt, tamquam amatorio philtro incantati. Mihi vero quid de mandragora accidit, obiter enarrabo. Cum autem æstivis mensibus (nam eo tempore poma mandragoræ se proferunt) semel atque iterum in museo nostro amabilem ac speciosum ejus stirpis fructum negligenter collocassem, ita somnolentus sum effectus ut ægre sopor excuti possit. Cum autem obnixe obluctarer somnolentiæ, illamque excussisse conarer; ægre id obtinui, nec rationem tanti veterni inire potui: tandem cum quaquaversum dimovissem oculos, obtulit se a tergo pomum mandragoræ, quo amoto, atque in alium locum translato factus sum alacrior, atque torporem depuli, omnemque oscitantiam discussi. Ceterum ab hoc suavi olenti, mireque odorato pomo, quod gratiam favoremque gestanti apud amasium conciliat, Sponsus captat occasionem exspatiandi. Cum enim vernis æstivisque mensibus omnia frondeant ac nitescant, ac mandragora stirpesque aliæ odorem suaviter in auras diffundant, Sponsam extra limen et conclave evocat quo relicta urbe ruri atque in suburbanis prædiis se oblectet, ac tot passim florentibus herbis et arboribus, nardo, viola, liliis, malo punico, mandragoris, ipsaque florescente vite se reficiat. Cum autem singula quæ e terra emergunt verno tempore fronde-

scant, ac florum cum amœnitate, tum fragrantia homini blandiantur, tum ipsa vitis præ ceteris fragrantissimum odorem exspirat, ac naribus suaves halitus effundit; profert hæc sub finem veris flosculum minutum et stellatum festucis ramentisque orbicularis obsitum, ut lichen, vulgo usnea, colore subspiceo, aut flavescente, eximiæque suavitatis, quo in asterisci formam deciduo, confestim specimen racemorum exhibetur. Odor hujus flosculi cerebrum et cor mirifice recreat, sic ut mihi gratissimum sit florescente vite sub vinea pervulgata ac pampinis concamerata fornice ac testudine prandium cœnamque absolvere, aut cum æqualibus eruditis fabulis temporis tædium fallere. Hujus autem flosculi odor tanti effectus prædicatur, ut venenatas bestias abigat, adeo ut serpentes, colubri, bufones hunc perferre nequeant, sed remotissime ab eo se subducant: ergo circa florescentem vitem non solum salubris est et peramœna ambulatio, sed etiam secura et tuta: licet enim in herbido thoro ac viridante gramine decumbere, ac sub arbore parvulis diffusa ramis opacum frigus captare, atque æstum propulsare, vel apricatione solis radiis incalescere et illustrari, nullo metu aut trepidatione serpentum; qui aliquando latenter in herba delitescunt, atque improviso obrepunt, hominique terrorem incutiunt. Cum autem sponsus (quo nomine Christus a Joanne Baptista designatur, qui erga suam sponsam nempe Ecclesiam cœtumque illi fidentium unice afficitur) nusquam non speciem, et venustatem decoremque sponsæ amplificet: atque e diverso sponsa mutua compensatione illi paria faciat ac vices rependat, quidquid præclarum est, et admiratione dignum in natura universi, cælo, sideribus, montibus, silvis, nemoribus, campis, herbis, flosculis ex quibus suavis odor emanat, arboribus quæ non minus salubres quam spectabiles et speciosos fructus proferunt, vino generoso ac saporis eximii quod ex levissima vite exprimitur: huc uterque congerit, ac similitudines appositissimas pro utriusque dignitate producit. Sic nardo Sponsus comparatur herbæ cum primis odoratæ, fasciculo myrrhæ, botro aut uvæ Cypriæ ex generosissima vite decerptæ. Sponsus vero amicam lilio comparat ob eximium candorem, atque odorem suavissimum; adeo ut si pedissequa et quibus stipari solet, sponsæ conferantur spinæ sint nulla specie, nulla formæ dignitate commendabiles, hoc est, puellæ, quæ illam comitantur velut hybridæ parumque ingenuæ, nihil habent amabile aut speciosum, nihil spectabile, aut ulla gratiosa venustate visendum. Hujusmodi metaphoris ac figuratis elocutionibus scatet non solum hoc canticum, sed tota passim Scriptura sacra, ita ut amplissimus se campus aperiat, quo studiosus lector possit oblectari, tota mente ac cogitatione a naturæ præstantia in opificis admirationem erecta. Sumuntur in hoc cantico elegantissimæ similitudines ab iis rebus, qua syncopi atque animi deliquio colapsos erigunt ac spiritus sopitos labantesque instaurant: ut sunt vinum odoriferum, fasciculi manuales et olfactoriola ex redolentibus herbis concinnata ac congesta. Si Sponsa cum languescit ac jam defectura videtur immodico Sponsi amore, puellari clientelæ imperat, ut aliquid fomenti adferant, ut odorata quæque naribus admoveant: *Fulcite me*, inquit, *malis, sustentate odoribus, ne deficiam* [1]. Sic etiam nostrates, defectu animi periclitantibus, cinnamomum, caryophyllos, acetum sambucinum, poma citria, et quæ sub eodem genere comprehensa limones, dicuntur, myrtum, saliuncam, aliaque odorifera olfacienda exhibent, quibus passim Scriptura utitur, ac salutarem doctrinam designat, quæ mentes languidas refocillat ac reficit.

CAPUT III.

DE MANNA CÆLITUS DELAPSA, TUM EA QUÆ MEDICIS IN USU EST.

Quod Hebræi in vasta illa ac siticulosa solitudine manna pasti sunt [2], non prorsus naturali causæ adscribi potest, seu divinæ potentiæ, quæ tamen naturæ usa sit ministerio, uti etiam coturnicibus, gregatim in castra delatis, aut quum percussa petra, refocillando populo aqua profluerit, lignoque aqua amara dulcesceret, tum etiam cum Euri violentissimo flatu rubrum mare exsiccatum transitum Hebræis patefaceret, ad internecio-

(1) Cant. 1.

(2) Exod. 16; Deut. 8.

nem deletis insequentibus [1]. Similis est ratio de farina multiplicata et adaucto oleo Eliæ et Elisei precibus, de corvo illi afferente panem et carnes [2]: quod etiam de Antonio et Paulo eremita refertur, si Ecclesiasticæ historiæ habenda fides: de angelo ministrante Eliæ panem subcinericeum et aquæ poculum, quibus corroboratus quadraginta dierum ac noctium iter emensus, pervenit ad montem Dei Horeb, in cujus spelunca tutus erat a Jezabelis tyrannide, quæ omnes prophetas in mortem crudeliter venabatur. Hæc atque alia admiranda, quæ passim in sacro codice memorantur, Deus jussu nutuque suo perficere potuisset nulla adhibita materia, sed tamen uti voluit rerum naturalium (quarum ipse effector est et moderator) adminiculo ac velut instrumento, eaque ratione suis prospicere visum est; atque afflictis mentibus solatia afferre. Quod etiam in Ezechia moribundo ac Dei sententia morti destinato observari potest [3]; cujus apostema, admoto cataplasmate ex ficubus contusis quæ maturandi facultate pollent ad sanitatem perductum est, quo argumento declaratur, morbis urgentibus, non respuenda medicamentorum præsidia; sed ea implorata Dei ope, alacriter adhibenda, quibus vita in aliquot annos producitur. Eodem usus est medendi modo Christus in dispellenda cæcitate mendici, confectu collyrio ex luto et saliva, eaque abluta extersaque in piscina Siloe. Similiter in discutienda surditate, digitos in aures inseruit, immissoque in linguam sputo, loquelam muto restituit. Cujus generis miracula alias solo tactu, aut verbo peregit, ab iis tantum stipulatus impetrandi fiduciam, quam quum inter alios clamosus ille cæcus Bartimæus inter turbæ fremitus testaretur; confestim nullo adhibito visibili externoque signo, visum recepit [4]. Quum autem Deus pro immensa erga genus humanum bonitate ac favore, multis magnisque rebus munificentiam suam declaret, tum præcipue inauditis stupendisque miraculis mirandam potentiam patefecit: quod inter innumera manna demonstrat tam affluenter ex aere in terram affusum, ut numerosissimam multitudinem satiaret [5]. Dum enim fremeret confusa multitudo sexcentorum millium, Deoque ac Mosi obstreperet, quod ex Ægypto in tam vastam solitudinem perducti inedia conficerentur: Deus vespere incredibilem coturnicum vim et copiam in castra coegit; mane autem ros undique diffusus est per castra, solique planitiem: quumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum quiddam rotundum, tenue, perinde ac si pruina esset constrata humi similitudine seminis coriandri, specie bdellii, gustu saporeque similaginis, melle confecta. Quum autem tam subita innovatio, atque insolita rerum facies admirationi esset turbulento populo, ac nonnullis stuporem incuteret, plerisque (ut quidam opinantur) contemptum et irrisionem afferret, *Manhu*, inquiunt, quid est hoc? Similis est illa Chremetis ironia et subsannatio in Clitiphonem filium personatæ atque ementitæ probitatis [6]. Sed ipse egreditur, quam severus; rem quum videas, censeas. Ceterum manna quæ medicis in usu est, calida et humida abscessu primo, huic non prorsus dissimilis est; colligitur enim in calidis regionibus aereum rossidumque mel, quod æstivis mensibus, fervescente interdiu sole nocturno frigore in grumos coit, atque in ramenta conglobatur ex defluxu rorulenti humoris ac madore aereo, omnibusque passim arboribus, herbis, lapidibus incumbit mellita ista colore flavescente, quæ singula agitata zacchari more liquescit ac palatum faucesque dulcedine imbuit, quo fit ut gulæ et faucium asperitatem leniat; verum quum illi subsit medicamentosa quædam facultas, zaccharo minus alit; ventrem autem ut cassia sistularis et cylindracea emollit, sed paullo clementius; quocirca tuto impuberibus, seniculis, prægnantibus pauperibus exhiberi potest, unciæ pondere, observata cujusque natura ac corporis constitutione. Mannæ autem vel mellis aurei nomine insignitur, quoniam ex halitu ac vapore terræ calore solis sublato, ex aere defluit, atque æstivæ noctis frigore concreta plantis insidet ea propemodum forma ac saporis dulcedine, qua in Bibliis manna describitur, cujus esu multis annis pasti sunt Israelitæ, ita ut assiduo ejus usu nauseam illis pareret, ac Dei donum fastidirent. Exemi ego aliquando vulgare hoc

(1) Num. 12 et 20; Psalm. 77; Exod. 14, 15 et 17.
(2) 3. Reg. 17.
(3) Ezech. 38.
(4) Joan. 9. Marc. 7 et 10; Matth. 9; Luc. 18.
(5) Num. 31.
(6) Heaut. scena 5, act. 3.

mannæ genus aut rossidum vèl ex plantarum foliis, quum antelucanis horis Academiæ Lovaniensis pomœria egressus, perquirendis herbis essem occupatus, desinente potissimum vere, aere tranquillo ac placido, nullisque ventis incitato. Divenditur autem adulterinum mel aereum ex sena incrustata, zaccharo confecta: verum ubi id ore volutum liquescit, proditur dolus. Colligunt quidem nonnulli circa alvearia, illaque loca in quibus apes mellificant, ac faveum confingunt, excrementa quædam flavescente colore, sapore melleo, quæ nonulli existimant ex aereo concretu coaluisse: quum nihil aliud sint, quam excrementiceus liquor et saliva quæ a vespis, fulcis et culicibus prodiit. Siquidem insecta apum laboribus insidiantur, et mel exsugunt, quod observantes apes in illa insiliunt, ac turmatim conficiunt; quod indicat Virgilius [1]:

Prima favis ponunt fundamina: deinde tenaces
Suspendunt ceras: aliæ spem gentis adultos
Educunt fœtus, aliæ purissima mella
Stipant, et liquido distendunt nectare cellas.
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent.

CAPUT IV.

DE LACTUCA SILVESTRI.

Quum Deus pro inexhausta sua bonitate erga homines afficiatur [2], omnibus modis illorum commodis prospicit, ac saluti invigilat, suamque munificentiam cumulate illis impendit, non aliud pro tam obvia ac benigna promptaque liberalitate ac gratuitis muneribus exigit, quam summum amorem ac venerationem solidamque fiduciam, qua illi innitimur atque indubitantem certamque spem concipimus de ejus promissis. Commonefacit Deus sedulo oscitantes ac socordes sui officii, suaque beneficia subinde illis in mentem revocat, ne vel excidere contingat, vel oblivione obrui: atque hujus rei causa certos ritus ac statas sollemnesque cæremonias instituit, non solum in veteri Lege, in qua omnia de Christi ejusque regno typis adumbrata sunt, sed etiam in Evangelio in quo promissa exhibita sunt, atque omnia ad unicum usque apicem, ut Christus expirans testatus est, consummata peractaque. Sic signis quibusdam, certisque symbolis, ac sacramentis quæ sub sensum cadunt, ac sunt visibilia, promissiones suas, atque erga homines gratiam et reconciliationem testificatur. Siquidem Baptismi signaculum fidei, ac primus in Ecclesiam aditus, Circumcisione ac maris rubri transitu adumbratus nos Deo consecrat, eoque illi inserimur, impetrata per fidem peccatorum reconciliatione. In agni vero Paschalis esum surrogata est Synaxis, hoc est, corporis et sanguinis Christi communio, quam palam exerceri voluit, atque in cœtu Christianorum publicitus peragi ne umquam intermoreretur, aut exolesceret mortis et resurrectionis ejus memoria, sed continenter in mentem revocetur insigne illud beneficium, quo genus humanum diaboli mortisque tyrannide oppressum, gratuito ac nullis meritis libertati assertum est, atque impetrata per Jesum Christum pacificatorem omnium scelerum remissione salutem adeptum: siquidem *Lex per Mosen provulgata, gratia autem et veritas per Jesum Christum exorta est* [3]. Exhibitum est olim hujus mysterii, quod in Christo expressum est, specimen quoddam atque adumbratio, dum Abrahamus filium unicum Isaac victimæ destinat, dum Moses ex Dei præscripto agni immaculati ac masculi esum instituit, eumque vescendum cum agrestibus lactucis quæ insigni amaritudine sunt imbutæ, præscribit, quo assidue in recenti memoria versaretur miseranda servitus, qua olim sub Pharaone oppressi sunt: excussoque intolerando jugo, in libertatem restituti. Quocirca instituta sunt agni Paschalis anniversaria sacra, ut memoriam sibi renovarent ejus diei qua olim apud Ægyptios agni sanguine postibus illito a periculo angeli exempti sunt, qui in primogenita Ægyptiorum grassabatur, atque incolumes mare rubrum transierunt: quem diem cum primis celebrem et sacrosanctum a transitu angeli qui illos intactos præteriit; denique a mari rubro feliciter magnoque successu emenso appellabant Phase, qui nobis dicitur Pascha, Gallice *passage*, apto appositoque ad hujus ævi decursum vocabulo, qui nobis in hac mundi impedita ac vasta solitudine, ad immortalitatem, ac cæle-

(1) Georg. l. 4; Æneid. l. 1.
(2) Exod. 12; Num. 9.
(3) Joan. 1.

stem patriam sedesque beatas sit transitus. Præcipitur autem edendus agnus cum lactucis silvestribus, sive herbis amaris. Siquidem in hujus seculi curriculo omnia amara sunt, acerba, tristia calamitosa et quæ plus aloes quam mellis habeant. Sunt qui lactucæ nomine seridis species designari credunt, et intyba, hoc est cichorium, et quæ corrupta voce scariola dicitur, Belgis a candore *wilthe*, hoc est, candide *Endivia* cæruleo flore eaque in lacinias dissecto spectabilis, hanc sabulo obrutam hibernis mensibus inter acetaria primis mensis inferunt. Hoc siquidem artificio tractata amaritudinem exuit, atque eximium candorem adsciscit, ut sunt internæ brassicæ capitatæ folia. Commode autem magnoque successu adhibentur hujusmodi herbæ hepatis obstructionibus: habent enim amaritudinis ratione abstergendi vim, qua meatus recludunt, atque oppilationes expediunt. Tertianas quoque febres expugnant, atque icterum seu morbum regium discutiunt: fellis enim atque hepatis intemperiem, cui fere Judæos esse obnoxios color mustellinus indicat, mitigant. Sunt autem istæ stirpes Virgilio decantatæ in Georg. [1]

. . . . . nec amaris intyba fibris
Officiunt . . . . .

Rursus [2]:

Forsitan, et pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferique rosaria Pæsti:
Quoquo modo votis gauderent intyba rivis,
Et virides apio ripæ: tortiusque per herbam
Cresceret in ventrem cucumis.

Commendat hæc quoque Columella [3] in hortulo, eaque excolenda præcipit tamquam alteram succidiam (sic enim proventum hortensem nominat Cicero [4]).

Spargite quæque viros acuunt, armantque puellas,
Jam breve cerephilum et torpenti grata palato
Intyba jam teneris frondens lactucula fibris.

Congeneres istisque sunt affines chondrilla, sonchus sive cicerbita, et quæ vulgari voce dens leonis, et rostrum porcinum vocatur, hieracium quæ omnia lacteo succo madescunt, ac flavescenti flosculo conspiciuntur, leporibus cuniculisque gratissimum pabulum. Siquidem earum stirpium esu minus hydrope hæc animalcula turgescunt, amaritudine exsiccante humiditatem. Quocirca earum nonnullæ quæ non intentius amarescunt, ineunte vere ibi folia tenerescunt, acetariis immiscentur, in pratis obviæ equino generi pabulationem suppeditant, aliæ lacte turgescunt, invitis hortorum cultoribus erumpunt atque eruncandæ eruendæque sunt, ne salutares herbas strangulent. Ceterum lactucam illam silvestrem, quæ endiviæ nomine insignita est, in edendi agni Paschalis usum adhibitam, velut condimenti loco, non facile mihi persuaderi potest, quum ob insignem urentemque amaritudinem quæ linguam vellicat, non ut exculenta, nisi quum primum emergit, nec adhuc spinis in dorso parteque aversa armata sit: vincit enim Endivia vulgaris, quæ germana est lactuca silvestris, amaritudine reliquas stirpes quæ succo lacteo madescunt. Quocirca medici novellam ac teneram in usum medicamenti adhibent, non adultam, quæ aculeata est ac spinulis horret, tum vetustate amarescit: intybi vero speciem cocto elixoque agniculo condimenti vice adhibitam prorsus crediderim, nempe cichorium et seriolam, ex quorum non solum foliis, sed radicibus etiam acetaria conficere Belgæ didicerunt. Siquidem radix ad sesquicubiti fere longitudinem se porrigit, quam autumno enatam in taleolas ac tesselas dissecant, ut rubram pastinacam, quam carotam vocant, eamque ex aceto et oleo, insperso piperis polline, esitant, ut etiam cucumeres, crithmum, rapistrum, vulgo *Raiponse*, compluraque alia quæ tempestive suaque anni parte hortus profundit.

CAPUT V.

DE OLEA, OLEASTRO, OLIVA, OLEO.

Ut palma, quæ ponderi non cedit, victoriæ insigne [5], ita olea pacis index, cujus rei specimen columba ex arca Noe remissa edidit, quum desinente diluvio defluxisque ac subsidentibus aquis, olivæ fruticem attulit, mitigatæ iræ Dei argumentum [6]. Folio autem est hæc arbor salicis aut ligustri, superne viridi, aversa imaque parte qua terram spectat albescente atque incano ut alba populus, flosculo minuto sed folioso, colore luteo,

(1) Georg. l. 1.
(2) Georg. l. 4. (3) Lib. 10. (4) De Senect.
(5) Apoc. 7. (6) Genes. 8.

non sine gravitate odorato, fructifera vero est fœcundaque numerosis baccis, oblonga forma atque ovali, quæ ubi maturescunt, atque nigrescere incipiunt, oleoso pinguique succo turgescunt, ex quibus oleum exprimitur articulis firmandis fovendisque membris, tum mitigandis doloribus accommodum; agilitatem enim vigoremque iis præstat foris adhibitum potius, quam in corpus admissum: eo siquidem corpora perfusa non solum nitescunt, sed robur etiam concipiunt: atque ad obeundos labores redduntur habiliora. Quod indicasse Davidem [1] observo, atque Deum ob hujus aliarumque rerum munificentiam in immensum extulisse. *Ipse est enim qui germinare facit fœnum et gramina jumentis, herbas in usum hominum, panem ut vires augeat ac confirmet, vinum, ut cor hominis lætificet, oleum ut corpus eo niteat ac vires concipiat.* Quo spectat illud Plinii: *Duo liquores corporibus humanis saluberrimi, intus vini, foris olei.* Quin et Samaritanus [2] quo Christus designatur, duo hæc fomenta vulnerato adhibuit, vinum, quod abstergit et emundat; oleum quod lenit, quod dolorem mitigat, quod vulnus ad sanitatem perducit: quo indicatur Christum secus quam sacerdotes Levitasque officii sui negligentia, salubri doctrina afflictis ac sauciatis mentibus mederi animique vulnera obligare ac cicatrice ita obducere ut nullum vestigium appareat, hoc est nihil eorum quæ ante commisit illi imputetur. Oleum autem intus exhibitum, alvum mollit ac lubricam efficit, aspera quæque mitigat, venena paullo ante hausta retundit atque hebetat, atque innoxia facit, ac ventriculum ad vomitum incitat, quo fere noxia ac pernicicosa quæque excutit, efficitque lubrica vi, ne venenatæ potiones venas subeant, mortemque inferant: qua facultate hoc etiam affert commodi, ut præsumptum temulentiæ obsistat, et ne quis confestim ebrietati succumbat. Præter artis rationem faciunt qui ruptis, luxatis, contusis, collapsis, ruinaque oppressis oleum vel butyrum exhibent, ut membra afflicta consolident atque instaurent, nisi omphaceum oleum, hoc est immaturum, quod nondum maturescente oliva exprimitur. Nam id adstrictionis est particeps, qua vi corporis partes ac dissolutæ coalescunt hiantes atque uniuntur. Butyrum vero et oleum maturum inter initia, incisa primum vena, si ætas patitur, non incommode exhibentur ad dolorem mitigandum, ac dissolvendum conglobatum concretumque sanguinem, in quem usum potionem conficio ex ramentis rubiæ internis ac nuce muscata; postmodum consolidantia propinari curo, millefolium, rosas rubras antequam prorsus dehiscere incipiant; aut folia dilatare myrti baccas, omnes symphiti hoc est, consolidæ species, succinum marinum, quod sperma ceti vocatur, gnesiam ac germanam mumiam, rhabarbarum, ac nucem muscatam tostam, eaque omnia decocta in vino rubro stiptico adstringentis naturæ: baccæ, quæ omni fere nationi olivæ dicuntur ante maturitatem lectæ, quum adhuc viridescunt in muria asservantur ad pellenda ciborum fastidia, ac nauseam: acuunt enim appetentiam, atque ut amygdalæ amaræ, ebrietati obsistunt. Sumuntur autem ab hujus stirpis fructu et floribus a scriptoribus sacris similitudines concinnæ cum primis et elegantes. Sic Job [3] quum improbo cuique et facinoroso præmaturum interitum denuntiat: *Antequam,* inquit, *dies hujus impleantur, peribit, et virtus illius arescet; lædetur quasi uva florescens botrus ejus, et velut olea projiciens florem suum,* hoc est, ante diem ac properata subitaque morte conficietur, nec ad ætatem maturam aut ad statutum legitimumque vitæ tempus est perventurus, similitudine desumpta ab arboribus ac florentibus herbis, quæ ineunte vere spectatissimæ prodeunt ac florescunt; sed quarum flosculi vel uredine pereunt, vel ab Aquilone seu Borea decutiuntur. Deus enim non sinit nefarios diuturna prosperitate frui aut optatum successum consequi, adeo ut quum multum vitæ superesse possit, atque illud perduci longius præmaturam mortem illis accelerat. Sic legimus in Genesi [4] acceleratius oppressisse homines diluvium, quod moniti non resipiscerent, nec ad frugem se converterent, sed in dies in deteriora prolaberentur. Et quum Deus sacerdotibus et optimatibus Ephraim minitatur atque inopinatum exitium denuntiat ob religionis neglectum, in quem propter ebrietatem ac temulentiam erant devoluti sic in illos

(1) Psalm. 103. (2) Luc. 10. (3) Cap. 15 et 17. (4) Cap. 6.

per Isaiam [1] iram suam exacuit ac vaticinium fulminat: *Væ coronæ superbæ, flori decidenti et defluo, et erit flos deciduus et quasi temporarius ante maturitatem.* Quo indicat illos, cum omni fastu et arrogantia ut flores decussum iri, ut ficus primas et præcoces quæ confestim deceptæ devorari solent, et æstivi fructus qui in hiemem asservari nequeunt. Non dissimile argumentum amplificat contra Ægyptios, obita Dei nomine legatione Isaias [2]: *Ante messem totus efflоruit Ægypti populus, et præmatura perfectione germinavit, et præscindentur ramusculi ejus.* Quo designat Ægyptiis tale quiddam obventurum quale præcocibus fructibus ac primitivis baccis, ipsisque segetibus et vitibus quæ festinantius erumpunt, atque intempestive ac præter temporis rationem maturescunt. Citissime enim hujusmodi fructus corrumpuntur, nec ad conservandum usui sunt. Quo denuntiat illorum felicitatem non fore diuturnam. Per oleam etiam aliasque arbores indicantur piorum successus, rerumque omnium affluentia, et præter hæc progressus et incrementa virtutum: quod ipsum omnibus testatum esse vult David [3], qui virum pium ac Deo addictum arbori frondosæ et fœcundæ æquiparat, quæ non otiosa est et sterilis sed fructuosa et fertilis suosque ramos late diffundit, et fructus edit salutares: quibus non tam ipsa, quam alii se oblectant ac reficiunt.

Jeremias [4] quoque idem argumentum amplificat, atque improbis, qui nulla habita Dei ratione humanis præsidiis innituntur, ac rebus caducis fidunt, omnia adversa pollicetur: *Maledictus*, inquit, *qui confidit in homine et a Domino recedit cor ejus; erit enim velut mirica quæ in siticulosa ac jejuna terra posita nullum bonum, nihil sentit commodi ex aeris clementia. Felix et beatus qui confidit in Domino, in eoque omnem spem et fiduciam collocat; is arbori similis est quæ in irriguis locis consita est suasque radices ad humorem diffundit, nec æstum pertimescit quo fere excrescere solent, quæ in arido solo sita sunt: et erit folium ejus viride, frondosum, et tempore siccitatis fructum proferre non desinet.* Commendatur hujusmodi metaphoris fiducia in Deum, nec alio defle-

(1) Cap. 28.
(2) Cap. 18.
(3) Psalm. 1.
(4) Cap. 17.

ctendam mentem, alio dirigendum cor, quam ad illum a quo omne bonum promanat, et qui hominibus nihil non præstare sit paratus. Hinc David [5] Deo potius quam rebus fluxis, caducis, momentaneis innixus, secus quam impii; *Ego*, inquit, *sicut oliva fructifera florebo in domo Dei, quoniam confido in misericordia ejus.* Rursus quum indicat homini minime otioso, et qui se in Dei eloquiis exercet uberem rerum proventum, uxori numerosa prole fœcunditatem, *Beatus*, inquit, *qui timet Dominum, et ambulat in viis ejus, prosperabitur manuum suarum labore, felix et beatus ipse erit. Uxor tua sicut vitis fœcunda, in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut plantulæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ. Ecce, sic beari ac ditescere solet homo qui timet Dominum* [6]. Similiter apud Jeremiam [7] Deus illum, cui unice afficitur, quo se oblectat ac reficit olivam pulcram vocat, uberem, speciosam, fructiferam, hoc est, nomen ejus apud illum gratiosum est et amabile. Huic Oseas consonat qui ex eodem fonte oracula sua hausit, eodem spiritu conciones suas perfecit. *Et erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus ut Libani* [8]. Quo designat illos, qui Deo indivulse adhærent, illiusque placitis se oblectant, favorabiles esse illique gratos et acceptos. Ut enim suavis halitus et fragrantia spiritus fovet ac recreat: ita Deum reficit et oblectat odor hominis, qui salutarem illius doctrinam amplectitur, ac divinæ voluntati se præbet obsequentem. Sic Paulus [9] quo ostendat illos apud Deum gratiosos esse et favorabiles, qui ejus Evangelium propagant, ac fide alios instruunt: *Christi*, inquit, *bonus gratusque odor sumus in omni loco.* Et patriarcha Isaac: *Odor filii mei, tamquam odor agri pleni, cui benedixit Dominus* [10]. Denique in Cantico Sponsa *Curramus in unguentorum forum*, hoc est, id quisque efficere studeat, ut pasci possit ac refici salutari illius doctrina, quæ lassos ac labentes fulcit ac recreat, non secus quam suavissimus odor naribus oblatus collapsos animique deliquio sopitos instaurat atque erigit.

(5) Psalm. 51.
(6) Psalm. 128.
(7) Cap. 11.
(8) Cap. 14.
(9) 2. ad Cor. 2.
(10) Gen. 27.

CAPUT VI.

DE RHAMNO ACULEATO FRUTICE.

Rhamnus ubi adolevit, validis robustisque quaquaversum vallata aculeis, homini si manum incautius admoveat, infesta est: adhærent illi racematim exiguo minimoque petiolo numerosæ baccæ colore croceo, orbiculatæ, magnitudine vel myrti vel juniperi, sapore acidissimo, quas qui improviso decerpere tentat, crebro infixo aculeo ac mucronata cuspide manum vulnerat; baccæ ubi dentibus linguaque atteruntur, vel prementibus digitis contrectantur, croceo succo manus inficiunt: sunt enim flaccidæ et uliginosæ. Quum autem tres sint rhamni species, ista Zelandicis sabuletis dumosisque colliculis copiose innascitur, Oceani accolæ *Dunen* vocant, quæ vox corrupta an a dumo ac dumeto deducta sit, non ausim certo statuere. Sunt tamen arenosi isti, maritimique tractus passim multis densisque virgultis, viminibus, spinosisque ac senticosis fruticibus atque aculeatis stirpibus fœcundi; ut sunt rhamnus rubus, halimus, paliurus, oxyacantha, carduus stellatus, eryngium, ononis sive resta bovis præter insignes alias herbas, quas affatim ea loca suppeditant. Bellonius qui Palæstinam ac Syriam peragravit, existimat Christi Servatoris sertum, seu spineam coronam illius capiti implicatam ex rhamno fuisse confectam, quod in iis regionibus nulla alterius generis spina se proferat. Desumit autem David [1] ex spinoso hoc frutice appositissimam similitudinem contra fastum ac tyrannidem, contra factiones et sævitiam improborum, qui innocentibus insidiantur, atque infesti sunt, damnaque inferre meditantur, quorum conatus et molimina irrita fore prædicat et invalida: *Antequam spinæ vestræ*, inquit, *indurescant in rhamnum, ullosque aculeos infigere possint, Dominus velut tempestate quadam exorta conteret et conficiet vos, infringetque vires vestras et robur imminuet.* Quibus verbis indicat illos fraudes, imposturas, thecnas, sycophantias, cædes, omniaque hostilia comminisci ac meditari, sed antequam vires illi suppetant ad perficienda quæ animo conceperint, conficientur ætate immatura, hoc est priusquam adolescant ac vires ad inferenda incommoda sint consequuti: quibus verbis hæc quoque sententia subest, ut ex hac vitæ statione in qua in tenuiores tyrannidem exercent, exturbandi sint, ut ex olla aut lebete eximi solent carnes semicrudæ, quæ non satis elixatæ esui sunt inidoneæ, quum vix calorem conceperit ab igne, qui ex spinoso atque aculeato stridentique rhamno extruitur. Solent enim strues lignorum aut fasciculi ex paliuro, rhamno, junipero, rubo, vepribus, ac sentibus confecti non solum manibus tractantium vulnus infligere, sed foco immissi crepitantibus flammis ac stridore quodam horrendo allidentes territare: sic ut etiam favillas scintillantes atque ignitas faculas in obvios quosque ejaculentur. Hic itaque sensus ex Prophetæ verbis erui debet: Quamlibet illi sæviant, atque innocentes opprimere tententent: nihil illis ex voto aut animi sententia successurum, sed inopinato ac repentino illorum interitu insontes periculo eximendos. De rhamno ac desumpta ex hac stirpe similitudine nonnulla tractata sunt, lib. 4, cap. 9.

CAPUT VII.

DE CUCURBITA SILVESTRI VULGO COLLOQUINTHIDA.

Colocynthis seu agrestis cucurbita medicis usui est in expugnanda pituita et bile tum flava tum atra, quos humores violenter et valide extundit non sine virium detrimento, et reseratis venarum fibris, sanguinis eductione; quocirca coercetur illius ferocia masticha, et aliis quæ ventriculo robur conciliant. Fructus hujus stirpis orbiculatus est, ubi maturuit, candidus pilæ magnitudine, vel ut malum medicum seu citrium quod ab auri colore *aurangium* vulgo vocant, si extima putaminis pars flavescens cultro adimatur, eximiæ nec prorsus ferendæ amaritudinis: quod indicatur in Regum historia [2]. Quum enim Elisei famulus in rus digressus herbas colligendo pulmento collegisset inter alias cucurbitam silva-

(1) Psalm. 57.

(2) 4. Reg. 4.

ticam, quam vulgus *Colloquinthidam* vocat, ignarus quid esset, in ollam coquinariam conjecit, illisque edendum apposuit, ubi degustassent, *Mors in olla*, conclamant; hoc est, venenum nobis exhibitum est. Eliseus non imperitus naturæ, confestim inita ratione qua amaritudo eximi posset, farinam ollæ immiscuit: quo facto pulmentarium esculentum perfecit, abolito exotico atque alieno sapore quo erat imbutum. Subest huic rei ratio physica; habet enim farina polentaria eam vim, ut extraneum atque amarulentum saporem diluat atque aboleat, præsertim hordeacea, ex qua polenta conficitur, tum cremor massaque polentaria, zythi aut cervisiæ materia, maceratis aqua frugibus, avena, hordeo, ac lupi salictarii floribus quæ triviali voce lupulus dicitur, quo fit, ut quoniam cervisiæ potus ex istis fere conficitur, qui ex hoc liquore uvidi sunt, ac zytho madidi, quod identidem usuvenit inferioris Germaniæ populis, lupulo et avena perfusi. Ceterum quotidiano experimento comprobatum habemus falsam atque amaram aquam dulcescere admixta polenta, sive ex hordeo confecto cremore qui ex hac stirpe est concretus liquor, ut etiam lomentum ex farina fabacea, adeo ut duarum horarum spatio mitescat ac poculenta efficiatur, citraque offensam in corpus admitti possit.

CAPUT VIII.

DE SALICE.

Salix nota arbor, a saliendo nomen sortita; quod celeriter assiliat ac confestim arborescat, Belgis a simili etymologia *willige* dicta quoniam prompta est ac voluntaria in crescendo. Quum autem hujus stirpis plures sint differentiæ, ea Belgæ æstivis caloribus cœnacula adornant, atque etiam virenti hac fronde ac pampinis, ægrotantium lectos velant, quæ Virgilio [1] *glauca* dicitur, quod ad albedinem vergat: hæc siquidem gratum odorem in auras diffundit, atque aeris fervorem æstumque mitigat. Ex hac Deus per Isaiam similitudinem cum primis elegantem desumit, qua pollicetur piis omnibus qui illi fidunt, rerum omnium affluentiam, uberem annonæ ac rei frumentariæ proventum, prosperum in omnibus negotiis successum, nec solum externa bona et quæ corpori inserviunt, se exhibiturum confirmat, ac pollicetur, sed solida et æterna, quæque mentes quamlibet aridas et siticulosas uberrimo Spiritus divini pabulo foveant, atque inexhausto Divinitatis fonte perfundant, qua irrigatione mœrentes arentesque animi in optimam spem eriguntur, atque uberrimos fructus amoris et charitatis erga Deum et proximum proferunt. Sic enim concionem suam orditur Vates eximius, atque hujus seriem prosequitur: *Ne timeas aut metu concutiaris, serve mi Jacob, quem elegi; nam effundam aquas super sitientem, et fluentem super aridam, perfundam spiritu meo semen tuum, et benedictionem super stirpem tuam, ita ut graminum more germinent, et quasi salices juxta profluentes aquas.* Ut enim stirpes in locis irriguis consitæ spectatissime frondescunt ac foliorum pompa luxuriant: ita animus humanus salutari doctrina perfusus ac divini spiritus fonte irrigatus, omnium virtutum splendore nitescit, ac solida vividaque fide fultus fusissime ramos diffundit, ac solidis Deoque acceptis operibus exornatur, ut arbor fœcunda fronde et fructibus, quæ alios etiam reficit ac fructibus satiat. Judæi abducti in Babylonia, omni solatio destituti suspenderunt in salicibus citharas suas, quibus modulari solent divinos hymnos ac cantilenas gratulatorias Deo viventi, omniaque queruntur in tam tristi exilio, lamentosa, lugubria, funesta, amara, luctuosa, ita ut nulla ratione induci potuerint, quo ullum lætitiæ argumentum proferrent, scite tractandis organis. Apposite in salicibus suspendisse describuntur a Psalmographo instrumenta musica, quum hæc arbor sterilis sit et frugiperda, et quæ ut polluti semen ante maturitatem objiciat; his accedit quod amara sit, nec admodum spectabilis et amœna uti platanus, palma, cedrus, cupressus, terebinthus; quocirca huic arbori accommoda aptaque exilii comparatio, et quod ejus ramis citharæ affixæ sint. Ut enim salix amaritudine imbuta est, nec admodum speciosa aut aspectu grata: ita exilium et transmigratio in Chaldæam fuit acerba, tristis, amara,

(1) Cap. 44.

calamitosa Judæis, eoque magis quod identidem recrudesceret dolor, et acerbitas renovaretur continenti recordatione Sionis et urbis Jerosolymæ, ipsiusque augustissimi templi, in quo sacris carminibus Deum soliti sunt honorare. Tantus siquidem mœror illorum animos occupavit ob conculcatam sacratissimam religionem, atque abactos prophetas, urbemque dirutam ac solo æquatam, ut nulla oblectamenta, nulla solatia admitterent nec ullis blandimentis perpelli potuerint, ut sacris Deoque dicatis cantionibus alienas profanasque aures demulcerent, quum ad irridenda sacra modulamina essent arrecti, qua petulantia victis dolor non sopiri, sed recrudescere cœpit ac redülcerari. Siquidem ut habet proverbium: *Musica in luctu, importuna narratio* [1], scite itaque ab iis responsum:

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena, atque inter illos qui nostræ miseriæ et calamitati non indolescunt: sed insultant, ac subsannant eum cultum quem exhibere consuevimus Deo immortali? itaque frustra fatigant nos, ut illos oblectemus citharis nostris, quum et nos et Deum Hebræorum despiciant, ac dentatis dicteriis exagitent.

CAPUT IX.

DE SALIUNCA.

Saliunca quam nonnulli Celticum nardum existimant, pusillus est frutex non in eam altitudinem assurgens, in quam nostra *Lavendula*. Siquidem ab humo se non attulit: quod Virgilius [2] annotavit, ducta comparatione a nonnullis stirpibus in commendationem ejus qui scite calamum tibiamque inflare novit, atque æmulo peritiorem pronuntiavit:

> Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ,
> Puniceis humilis quantum saliunca rosetis;
> Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

Digeritur autem saliuncula in fasciculos manuales et olfactoriola, quæ subinde naribus admoveri solent, vel instaurandis fovendisque cordis viribus, vel abigendis tetris odoribus ne spiritus contagione aliqua inficiantur. Est enim eximiæ suavitatis, sic ut vestibus ac tegeticulis lodicibusque interposita gratissimo illa odore commendet, ac tineas blattasque abigat: quod etiam Belgæ moliuntur pseudonardo sive *Lavendula*, qua passim scatent excultique sunt apud Belgas horti, spicato cæruleoque aut cæsio flore, caloris tam intensi ut caput gravedine inficiat. Non defuerunt nostra memoria hospites et caupones quidam, qui aquam lavendulæ e turbine aut metastillatoria, quam *Alembicum* vocant, injectam vino immiscerent, quo generosius videretur, minusque dilutum et facilius inebriaret: qua impostura id incommodi consequuti sunt convivæ, ut postridie acerrimo capitis dolore sint affecti, qui vix ullis remediis discuti aut mitigari potuit, nisi adhibita somnifica potione, aut aqua frigida, vel sero lactis affluenter hausto. Ceterum Deus qui suis amplissima quæque pollicetur et præstat, ex hoc exili ac minuto frutice comparationes desumit: *Montes et colles*, inquit, *cantabunt vobis laudes, et omnes arbores plaudent manu* [3]: hoc est, omnes gratulabuntur et applaudent vestræ felicitati, singuli vobis honorem deferent, et magnifice laudes vestras deprædicabunt, quod excusso jugo, Dei beneficio salutem sitis consequuti, atque illius munificentia ad amplissimam dignitatem evecti, tantisque donis ac muneribus exornati, finito tam tristi atque acerbo exilio *pro saliunca assurget tibi abies, pro spina pinus, et pro urtica crescet myrtus*. Quibus verbis designat omnia istis futura incremento, atque optatos prosperosque successus habitura, ita, ut pro minutis abjectisque herbis aut etiam noxiis spectatissimæ arbores ac fructiferæ sint emersuræ. Hæc autem non solum ad externa ac temporalia bona, sed ad externas dotes, atque animi mentisque decus et ornamenta referenda sunt: ut pro ferocia, violentia, sævitia, fastu, arrogantia, superbia, atque animi elatione; quæ (ut Paulus [4] testatur) non dubia sunt carnis opera, succedat clementia, humanitas, mansuetudo, lenitas, comitas, placabilitas, benevolentia, benignitas, ac pleraque alia quæ inter fructus spiritus ab Apostolo referuntur, sic ut expulsa injustitia, iniquitate, nequitia; æquitas,

(1) Eccli. 22. (2) Eclog. 5i (3) Isa. 55. (4) Ad Galat. 5.

justitia, probitas elucescant; pro luxuria, libidine, prodigalitate, pudicitia; moderatio, frugalitas, temperantia se proferant; pro ignavia, desidia, torpore, somnolentia; alacritas, fortitudo, magnanimitas, infirmarum rerum contemptus, et despicientia, præstantia virtutis substituantur. Sic inverso rerum ordine pro vitiosis ac depravatis affectibus vel potius perturbationibus, quæ mentem a ratione, a naturæ et Dei lege avertunt; pax et tranquillitas quam parit fiducia in Deum, animum placide ac secure regat ac moderetur.

CAPUT X.

DE HERBA BORITH, QUÆ MEDICIS VETERIBUS « STRUTHION » VOCATUR, MAURITANIS ARABIBUSQUE SCRIPTORIBUS « CONDISI, » CUI AFFINIS RECENTIORIBUS VOCATA « SAPONATIA, » ET « HERBA FULLONIA, » BELGIS « ZEEP CRUYDI » QUOD UT SMIGMA ELUENDIS MACULIS ADHIBERI SOLEAT.

Quum populus Judaicus paullo ante urbis excidium inquinatissimis esset moribus, multisque horrendis flagitiis ac sceleribus contaminatus, sic ut ad summam impietatis nihil esset reliqui, Deus, eleganti similitudine illos perditos ac profligatos pronuntiat; nec ullis, quamlibet præsentaneis remediis, ad saniorem mentem, ad integritatem vitæ, ad decus virtutis posse perduci. Quum enim a sacratissima religione, Deique cultu ad idololatriam defecissent, aliunde quam a Deo viventi salutis præsidia conquirere cœperunt, aliunde responsa petere atque oracula scitari, quum etiam hoc accederet ad impietatis cumulum, ut insontes non clanculariis insidiis conficerent, sed aperte ut passim in triviis, nulla justitiæ reverentia, nullo legum metu, adeo ut nihil se commisisse haberent persuasum, ac ne tantillum mali perpetrasse, aut si quid patratum est, ac scelus admissum, persuadent sibi a veritate devii atque errore impediti, facile abstergi atque elui posse maculas et sordes contractas cultu quodam alieno ac supervacaneo, qui Deo ingratus est et detestabilis. Quocirca quum Deus videret illos, contemptu suo præcepto, inanes spes fovere, ac fallaces rationes ac modos comminisci, quo se puros præstare conentur, iisque sibi plaudant ac sedulo persuadeant omnia salutaria consequutos: Deus, ne illi pereat suus honor et magnificentia, expostulat cum populo suo, quod alio se conferat, alias cisternas ac scrobes eruat, quod alio properet quam ad fontem aquæ vivæ, quæ non cœnosa est, non fæculenta, non exitiosa: sed suavis et salubris. Sic autem instituit cum defectoribus expostulationem, ita ut singulatim quemque illorum appellet [1]: *Ego*, inquit, *te plantavi vitem electam et generosam, atque lectissimo semine præstantissimis malleolis ac sarmentis consevi; qui fit ut in pravam*, hoc est, *alienam ac degenerem spuriamque vitem conversa sis?* Et quo ostendat non facile elui posse maculam aut nævum aspersamque animo labem, *Si laveris*, inquit, *nitro et multiplicaveris herbam borith, maculata tamen eris coram me in iniquitate tua.* Quo indicat, tametsi in speciem primaque fronte excussisse sordes, atque eluisse maculas videaris, superstitioso quodam cultu, quam tu ipse tibi fingis, et obscuras Dei gloriam, fictaque religionis umbra numquam tibi persuadeas Deum tali ratione posse placari, aut te pristinum nitorem consequi; alia ineunda ratio, alius excogitandus modus, quo posses nitescere, et factori tuo reconciliari, excutienda prorsus ex animo idololatria, hoc est, adulterinus ac fictitius cultus, alteri quam Deo attributus, amplectenda vitæ integritas, extirpanda e mente omnis nequitia, uni Deo firmiter inhærendum, illique omni fiducia stabiliter innitendum, alioqui externis rebus cultuque commentitio ac superstitioso quem Deus non exigit nec præscripsit, sibi salutem atque animi puritatem polliceri, non solum inane et supervacaneum, sed etiam damnosum et Dei majestati injurium: abstergit quidem atque emaculat sordes struthion sive lanaria quæ laneis vestibus candorem adfert, cutem expoliunt ac lentigines nævosque abolent smegmata; verum nihil excogitari potest tanta abstergendi vi ac facultate præditum, quod animæ tuæ sordes posset eximere, quod plus satis inolitam penitusque infixam labem possit eluere. Qui enim morbum suum non agnoscit ac salutarem doctrinam a fido

(1) Jer. 2

medico oblatam respuit, insanabilis est et desperatus, cui medicinam adhiberi Hippocrates [1] vetat, illoque dignior Christus deserendos præcipit, ubi omnem operam studiumque illis conservandis impensum est. Ceterum Deus apud Malachiam se Angelum missurum pollicetur qui viam præparet, quo vaticinio Joannem Baptistam designari Evangelium testatur [2], ac statim venturum Dominatorem, hoc est, Christum, qui multa innovabit, multamque operam insumet corrigendis illorum vitiis formandisque moribus, quorum interest populum salubri sanaque doctrina imbuere: *ipse est enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum, et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi et colabit illos quasi aurum et argentum*, hoc est, puros reddet, nitidos, tersos, expolitos adempta omni rubigine et scoria vitiorum ut in fornace aut officina argentaria expoliri metalla solent. Itaque primum visum est ministerio, abstersis sordibus, ornatum ac nitorem afferre, neque culpari possent tamquam contaminati sceleribus qui Dei munia obeunt sacrisque functionibus destinantur; quocirca similitudinem desumit a rebus externis eamque ad animum transfert. Siquidem fullonia herba sive struthion incredibilem obtinet in eluendis maculis, atque imbuendis candore lanis; pollet enim vi abstersoria: adeo ut etiam pituitam e capite eliciat, ac sternutamentum moveat tanta violentia, ut partum emortuum excutiat.

CAPUT XI.

DE COCCO VERMICULO, CONCHYLIO, MURICE, OSTRO.

Frutex est pusillus exilibus ramis, folio aculeato, cui annascitur coccus seu granum tinctorium, quod colorem rubrum ac rutilantem exhibet aspectu gratissimum, oculisque amabilem: cujus tinctura aut succo imbuta lana aut byssus, exuberantissime mireque splendido rubore illum inficit. Invenitur etiam in aquifolio vel acrifolio potius, qualis est arbor Belgis vulgaris, folio lævore perpolito, quaquaversum aculeato, perenni virore, ut cui numquam folia decidant. Ex hoc grano coccinea vestis nomen obtinet, cujus in Bibliis sæpe fit mentio, vermicula, muricata qualis est rosis rubore perfusis, ostrina, quisquiliata quæ purpureo colore flagratasque amabili rubore collucet, oculisque blanditur, qui color imperatorum ac regum paludamentis dicatus est, ac purpuratorum apud Romanos pallis ac galeris. Sic in Cantico [3] Sponsæ rubicunda labra vittæ coccineæ comparantur. Sic puellæ Belgicæ venustatis studiosæ labella corallina et coccinea moliuntur. Josuæ defuncto Mose, dux Judæorum constitutus, pallium coccineum gestasse legitur. Sic Christus in ludibrium affectati regni chlamyde purpurea indutus describitur: In Apocalypsi vero mulier illa scortatrix, quæ domum suam patefecit omnium cupiditati, insedisse describitur bestiæ coccineæ, eaque mulier induta erat purpurea coccino, auroque deaurata, et gemmis, et margaritis, habens poculum in manu sua plenum abominationibus, et immunditia libidinis suæ. Et fronti inscriptum erat mysterium Babylon, Romanæ urbis typus et figura, ut Hieronymus interpretatur: quibus insignibus fastum indicat, superbiam, arrogantiam, mentem sanguinariam atque innocentem cæde cruentam. Divitem vero illum epulonem [4] præter sumptuosas mensas atque apparatum ferculorum, indutum fuisse purpura et bysso historia Evangelica testatur, nulla humanitate, nullo pietatis in egenos et miseros affectu. Ex hujus succi rubicundo colore desumitur apud Isaiam [5] comparatio, atque instituitur concio contra illos qui innocentum sanguini inhiant, atque innoxios opprimere meditantur, eosque Deus ad saniorem mentem revocare, atque ut resipiscant, ut a sceleribus resiliant, amanter extimulat, quod si obtineri possit, pollicetur amnestiam, hoc est, omnium scelerum oblivionem, quamlibet horrendà fuerint et enormia, adeo ut culpari sustineat, ac violatæ fidei, ruptique fœderis crimen subire non recuset, nisi stet promissis, ac præstet quod sit pollicitus. Sic enim cum illis concionem instituit: *Abluite manus vestras sanguinolentas, mundos vos præstate, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis,*

(1) Cap. 3.
(2) Matth. 11; Marc. 1; Luc. 7; Isa. 40.
(3) Cap. 4.
(4) Luc. 16.
(5) Cap. 1.

desinite agere perverse, studete æquitati, subvenite oppresso, pupillos sublevate, viduis patrocinamini; si fuerint peccata vestra ut coccinum, fient nive candidiora, et si rubra ut vermiculus, hoc est purpureus et conchyliatus color, qui ex marina concha eximitur, *velut lana alba erunt.* Quo indicat quamlibet scelera vestra cruenta sint cæde et sanguine innocentum, facile expiari posse atque elui pœnitentia ac fiducia in Deum, conceptoque emendationis vitæ proposito. Ceterum vestes coccineas seu muricatas ac purpureas, denique et bombycinas, quas Belgæ ob exquisitissimam lini lanæque texturam *kespen* vocant et *bombazyn*, et præter hæc sericas et holosericas, quæ in Asiatica Scythia olim confici solent, in usu fuisse Hebræis, easque ad decus et ornamentum corporis, ad honestatem, nonnumquam ad luxum, et pompam inanemque ostentationem adhibitas Bibliorum codices passim testantur. Unde apud Jeremiam [1] Israel insultat ac dira minatur, quod deserto Deo a quo omnis salus dependet, se idolis prostituat tamquam adultera, alienis se oculis exponit, ornatuque exotico se comit ac polit, ut illos in sui amorem alliciat. *Quum,* inquit Dominus, *magna sit ubique strages ac vastitas, omnesque fortes in fugam versi ad loca ardua atque hostibus inaccessa se conferant: tu vero perdita et vastata quid facies? Etiamsi vestieris te coccino, et ornata sis monili aureo, et pinxeris stibio seu fuco oculos tuos, frustra componeris, despiciunt enim ac despuunt te amatores tui,* nihil prorsus afficiuntur ornamentis politisque tuis vestibus, sed in animam vitamque tuam sunt intenti. Ezechiel quoque Dei nomine non minus acerba denuntiat Samariæ et Jerusalem quos adulterii insimulant, quo nomine idololatriam atque a Deo defectionem designat. Ut enim inexpiabile scelus est et detestandum violatum conjugium, hoc est, legitima et indissolubilis vitæ societas contaminata adulterio: ita etiam execranda res idololatria, qua Deo viventi suus honor, suum decus et gloria adimitur, atque in alium transfertur, eo autem in illos incandescit acerbius, quod non solum in lucis umbrosisque vallibus gentilium more suas aras, statuas, delubra adornarent, magnaque pompa et vitulorum apparatu sacra sua peragerent: ita ut legitimus cultus videri possit, in eoque salutis columen consistere; sed quod accitis ac convocatis etiam exteris in æde Deo dicata nefaria sacra perficerentur, sæpe, inquit, *spectatoribus omnia magis augusta sanctaque viderentur, in illorum gratiam lavisti te et depinxisti stibio seu fuco oculos tuos, ornataque mundo muliebri sedisti in lecto pulcherrimo, instructa mensa ante te, super quam thymiama sive suffimen unguentumque meum posuisti, adhibito tamquam in sollemni festo exultantium strepitu.* Itaque is cultus qui mihi offerri debuit, exhibitus est idolis ac dæmonibus astante confusa multitudine ex gentibus conflata, qui eadem qua tu, fruuntur insania.

(1) Cap. 4. (2) Cap. 7.

CAPUT XII.

DE PALIURO ACULEATA STIRPE, CUI SANGUINARII COMPARANTUR ATQUE INSIDIOSI, QUIQUE AD INFERENDA DAMNA PROMPTI SUNT.

Quum nusquam non Prophetæ vitia insectentur, illorumque rabiem ac ferociam reprimant, hominibus infesti sunt, atque ad injuriam damnaque inferenda prompti: horum nonnullos lupis, leonibus, pantheris, colubris, aliisque infestis belluis, denique vulpibus et mustelis insidiosis animalculis componunt: nonnullos aculeatis ac senticosis stirpibus assimilant. Sic Michæas [2] vates deplorat extinctam religionem, pietatem proculcatam, cultumque divinum profanatum, omnes ab integritate collapsos, nec aliud, quam fraudes, sycophantias, technas, imposturas, insidias, omniaque hostilia meditari. In hunc itaque modum scelera illorum amplificat; ac singulorum improbitatem exaggerat in immensum, a spinosis aculeatisque stirpibus desumpta similitudine. *Periit ex terra sanctitas,* exulat probitas *et rectus* atque integer, *inter homines non est; omnes sanguini inhiant, et vir fratrem suum ad mortem venatur, et malum manuum suarum dicunt bonum,* hoc est, suis erroribus blandiuntur. *Princeps postulat, et judex in reddendo est,* hoc est in omnibus acquiescit et obsequitur illius postulatis,

nullaque habita aut observata juris æquitate, sinit illum omnia pro arbitrio ac voluntatis imperio agere, vel tenuem plebeculam arrodere atque exactionibus opprimere, vel tyrannidem in tenuiores exercere. *Qui optimus ex eorum numero est quasi paliurus, et qui probus et integer tamquam spina in sepimentis.* Quocirca hujusmodi hominibus in imperio constitutis, cum rerum statum futurum indicat, ut delatoribus passim inquirentibus in civium vitam, mores ac studia, non satis tutum sit cuiquam fidere, aut sua arcana committere, ne familiari quidem atque intime noto. Ingruente enim hujusmodi tumultu, atque habita de civium opinionibus quæstione, exploratisque illorum sententiis, labascunt multorum animi, atque amicos non solum deserunt, sed nonnumquam produnt; quod eventurum Christus etiam vaticinatus est [1]. Itaque in tam dubia ac vacillante multorum fide; *Ab ea,* inquit Propheta, *quæ cubat in sinu tuo, custodi claustra oris tui,* hoc est, ne uxori quidem mentem tuam patefacias: *quia filius contumeliam facit patri, et filia consurget adversus matrem, nurus adversus socrum suam. Et inimici hominis domestici ejus:* in tanto rerum humanarum æstu, ac tam turbolento Reipublicæ statu, quo præsidio quisque se fulcire debeat obiter commonstrat: *Ego autem Dominum respiciam, expectabo Deum servatorem meum: Exaudiet me Deus meus.* Propter summam fiduciam erga Deum, et quod totus in illos conquiescit, ab eo pendet, salutem sibi pollicetur, ac præsentaneum auxilium contra potentiam, ac fastum, ac superbiam, contra sævitiam ac nocendi rabiem. Quum enim Deus mansuetus sit, placidus ac mitis: illi rabidi sunt, feroces, crudeles, inhumani, atque ut sentes, tribuli, spinæ, atque arbores aculeis armatæ, quibus innocentibus damna atque detrimenta inferunt. Quamobrem desumitur in hac concione ab arboribus validis firmisque aculeis vallatis similitudo, qua hominum improborum naturam et conditionem adamussim exprimat: siquidem paliurus spina alba quæ mense Majo, candido ac suaviter olente flosculo passim in dumosis locis ac sepibus conspicitur, sentes, rubus, crespinus; quæ pharmacopeis *Berberis* dicitur, foliis, floribus, baccinis vel acinis racemisque oculis blandiuntur, atque aliquem in eduliis vel medicamentis usum habent: sed manibus tractantium noxiæ sunt, si incautius ac parum considerate prehendas: ita fucati homines et fallaces in speciem blandi sunt, amabiles, sed qui arrepta vel observata levissima occasione pungant ac vulnus infligant. Est autem paliurus Theophrasto, Virgilio, Plinio, Dioscoridi, Columellæ decantatus, sed non omnibus eadem facie exprimitur, tametsi omnes fateantur sepibus muniendis accommodam, quod minacibus aculeis pecus atque homines, qui hortorum fructibus insidiantur, arceat, non prorsus dissimilis oxyacanthæ, sive acutæ spinæ, quod mense Majo spectatissime floreat, exiguo quidem et minuto flosculo, cui in medio rubicundæ quædam festucæ insident, sed quæ candore et suavitate eximia commendabilis sit, adeo ut nemo non apud nostrates hac fronde ædium vestibula exornet, ramis in urceis asservatis atque aqua identidem irrigatis: ubi vero arbor hæc deflorescere incipit, baccas exhibet primum virides, oblongas, maturitate rubentes, ossiculo intus lapidoso quod ambit membrana, intus pingui unctoque sapore imbuta, quo utimur in afferendis calculis, ac leniendo vesicæ meatu.

(1) Matth. 10; Marc. 13.

CAPUT XIII.

DE GITH, QUÆ GRÆCE « MELANTHION, » VULGO A NIGRORE « NIGELLA » DICITUR, BELGICE « SWARTE, » NARDUS OB ODORIS SUAVITATEM, TUM ALIIS STIRPIBUS DESUMPTA COMPARATIO.

Isaias [2] quem alias testati sumus rerum naturæ peritissimum, in illustranda sua concione ac vaticinio, quasdam stirpes, earumque et flores et semina narrationi accommodat, nempe gith sive melanthion, cuminum, triticum, hordeum, milium, viceam, speltam vel zeam, quæ vulgo notissima sunt, et cum armentis pabulum, tum hominibus alimentum suppeditant. Gith, vulgo nigella, passim in hortis obvia est frutex cubitali altitudine, aliquando majori pro soli ubertate, ut Ze-

(2) Cap. 28.

landicis agris assolet, foliis fenicularcis tenuiter dissectis, flore cæruleo quo evanescente capitulum se exhibet in summitate papaveraceum, corniculare, oblongum, membranarum septis ac loculis distinctum, cui semina includuntur nigerrima, porri seminis non absimilia sed odoris fragrantissimi, quod olim panis crustæ inspersum, antequam is furno immitteretur, grato sapore illum commendabat. Verum is usus nunc apud Cisalpinas nationes in dissuetudinem venit atque exolevit, ipsoque semine medici ad catarrhos discutiendos utuntur, ad enecandos lumbricos ventri admodum infestos, ad dentium dolores leniendos, ad menstrua urinasque ciendas, ad abolendas lentigines, nævos, maculas, tum fœda vitia quæ extimam cutem deformant. Cuminum Belgis nomen retinet *cumyn*, vulgo semen vulgatissimum, quo plebeji in discutiendis flatibus, in sopiendis intestinorum doloribus ac torminibus, in hernia flatuosa reprimenda utuntur, cui ego nigellam et lauri baccas commiscere soleo, et milii farinam, cujus etiam in hoc capite propheta meminit. Hordeum, fruges nota quinto generi gratissimum pabulum, quo etiam in annonæ penuria ac tritici raritate plebecula utitur. Medici hujus decocti cremore et ptisana utuntur in æstuosis febribus ac pulmonis atque vocalis arteriæ vitiis, præsertim quum ex salsa pituita aut flava bile illæ partes vel exasperatæ, vel exulceratæ sunt, admixtis violarum aut buglossæ flosculis. Ex hujus quoque frugis polenta aut maza Belgæ sapidissimum liquorem eliciunt, qui iis cervisia dicitur, colore ut coctori visum est, fulvo, croceo, luto, flavescente, rubicundo, spiceo, præsertim ubi fæx et spumosum excrementum, quo Belgæ in pinsendo pane utuntur, subsederit. Tunc enim gratissimum colorem adsciscit, ut vinum Creticum, vel illud exoticum, quod *Bastardum* vocant ac saporem vinosum, qui non secus quam vinum, temulentiam excitat.

Triticum, inter frumentacea præcipuæ nobilitatis, ex cujus farina, simila, similagine multiplicis differentiæ panis conficitur, sincerus, secundarius, nauticus, furfuraceus, et aliquot adhuc genera quæ recensere supervacuum. Milium frumenti genus, cujus quum plures sint differentiæ, Sarmaticum, Indicum, Hispanicum, omnes apud Zelandos spectatissime crescunt. Saracenicum vel Indicum, grano vel rubro, vel flavescente; ex his nostrates et pultes, et panem conficere didicerunt. Vicia leguminis genus, jumentorum pabulum est, ut lens, pisum, faba. Hæc obiter indicare visum est, quo Prophetæ mens exacte ac dilucide possit explicari, quæ in hoc versatur, ut declaret Deum nihil temere aut fortuito, nihil inordinate aut confuse, sed omnia distincte aut distribute, certaque ratione ac lege perficere, nunc pœnas infligere coercendis hominum sceleribus, nunc plagis et vulneribus mederi, afflictisque mentibus solatium afferre, quod aliquando maturius, nonnunquam serius peregit, sic ut ultionem differat, ac lente ad vindictam progrediatur, quod etiam in præstanda salute evenit: aliquando subito potentiam suam utrobique exerit, ut expedire illi videtur, atque occasio se offert. Quocirca commonefacit vates illos, qui Dei judicia non satis pro æquitate interpretantur, ut modeste ac reverenter de illius majestate et providentia sentiant, ut magnifice et sincere de illo loquantur, ne quid culpent, aut calumnientur in ejus factis, quum videnl sceleratos rerum omnium prosperitate frui, pios calamitatibus atque ærumnis esse expositos, quum pro incredibili sua sapientia, atque inscrutabili consilio res mortalium recte et legitime regat ac moderetur. Desumitur autem in illustranda hac concione appositissima similitudine de agricolarum studio et occupatione, ipsaque arandi ac serendi triturandique ratione. Siquidem colonus tempestiva anni parte, subacta terra, atque æquata soli planitie, certo modo et mensura semina suis quæque locis, atque agrorum dimensionibus humo committit, observatoque ordine atque adhibita ratione telluris, aliam agri partem tritico et hordeo deputat, aliam pro frumenti aut leguminum natura nigellæ, lupino, speltæ, milio designat: neque enim indiscrete et permixte grana solo mandat ac sulcis committit, sed singulis discriminata jugera agrosque peculiares accommodat. Peracta autem satione, arator non cessat nec conquiescit aut otiosus est; sed post sementem messi inhiat: quocirca antequam ad maturitatem deveniant segetes, frugesque cereales flavescere incipiant aut maturitatem consequi, lolium, zizania inutilesque herbas eruunt exstirpantque famuli, curat ne sata strangu-

lent, illisque alimentum depopulentur, quo tempestive metat, atque annonæ proventum mature in horrea convehat; demessa segete, eaque recondita, jam alius illi labor, alia opera peragenda oboritur: siquidem trituræ atque excutiendis granis e loculis, illaque ex gluma, acere, paleis eximere ac purgatoria efficere meditatur: in quo opere eum delectum habet, ut singulatim cum judicio quæque aggrediatur, nec ulla ratione confundi semina sustineat. Itaque alia cura adhibetur minutis pusillisque seminibus, alia robustis, alia tritico, hordeo, siligini, avenæ, farri, lupinis, phaseolis, viciæ, lenti, cumino, gith. Sic quum agricola industriis omnibus laborem impendit, omniaque certa ratione et modo pro rei natura exequitur, sedulo operi insistit, ac rerum suarum satagit, quo emolumentum uberemque fructum ex rusticatione percipiat. Ita Deus in hoc mundi theatro, tantaque ac tam confusa hominum multitudine, omnes ad frugem perducere tentat. Et quemadmodum agricola proscissa vomere terra, occasioni intentus est et confringendis glebis, ut serit, ut metit, ut triturat ac frustibus semina excutit, ut paleas vanni flabello ventilatas a granis secernit, ut arbores truncat ferroque coercet ne luxurient, ac latius, quam par est, ramos diffundant; ut denique inserit atque ex aliena arbore germen includit, solidoque docet inolescere libro: ita Deus homines tractat, ac suo arbitratu nonnullis damna ac detrimenta infert, severumque judicium in illos exercet, alios calamitatibus exercet, et explorat constantiam: nonnunquam malos tolerat ac manum a feriendo suspendit in spem emendatioris vitæ. Nec est quod quisquam illi obloquatur aut obmurmuret, quum singulari sua providentia omnia moderetur, illique constet consilii sui ratio. Quocirca si quid adversi inciderit, aut infligatur, si morbi ingruant, si clades, calamitates, pestes aliaque vitæ incommoda infestent, omnia hæc a Deo inferri cogitemus, quo castigati ad illum confugiamus, illius opem ac subsidium imploremus, in illo omnem spem ac fiduciam consequendæ salutis collocemus. Quod si prospera obveniant, omniaque ex voto atque animi sententia decurrant, si affluant opes, si accrescant latifundia, si offerantur honores ac dignitates, si res domestica bene aucta sit et stabilita, si corpus validum sit et inculpate constitutum ad eumdem omnem successum rerum nostrarum referemus, atque res prosperas et adversas ab illo administrari habeamus persuasum, illiusque ductu et auspiciis omnia perfici. Quod non solum apud Isaiam Cyro Persarum regi in mentem revocat, cui Dei virtute, idque in gratiam ac favorem gentis Judaicæ, res feliciter gestæ, subactæque nationes, sed nulli non mortalium testatum esse vult, Deum omnium rerum auctorem esse, illique omnia attribuenda, quam vim et potentiam cum alias, tum potissime apud hunc Prophetam [1] ipse asserit, quum inquit: *Ego Dominus, et nullus præter me formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.* Quo indicat prosperos successus illius esse muneris: damna vero, detrimenta, adversitates, vastitatem, pestem, famem, bellum, in vindictam scelerum ab illo inferri. Ipse enim efficit, ut qui ab illo dependent, illi fidunt atque innituntur, pacate vivant: e diverso, ut ii qui sceleribus se contaminant, omni calamitatum genere divexentur. Ceterum Dominus Jeremiæ quoque agricolæ officium assignat, admotaque manu ori illius: *Ecce ego*, inquit, *dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas, destruas, perdas et dissipes, ut plantes et ædifices* [2]. Quo indicat illum munitum et vallatum potentia verbi sui, virtutem habiturum ad extirpanda vitia, ad eximendos errores, ad evellendas ex animo enormes cupiditates, atque inserenda semina pietatis, ad instillandam salutarem mentemque inflammandam solida fide in amorem ac venerationem Dei viventis. Simile argumentum tractat Christus, quum desumpta a vite et palmite similitudine: *Ego sum*, inquit, *vitis vera, Pater meus agricola est; omnem palmitem in me non ferentem fructum*, hoc est, qui fidem suam non declarat per opera charitatis, *amputat*, atque ut inutile sarmentum, igni destinat; *omnem vero surculum ferentem fructum purgat*, amputatis resectisque cupiditatibus, *quo plus fructus proferat.* Ab hac non est aliena

(1) Isa. 45.

(2) Jerem. 1.

Pauli [1] similitudo de oleastri in oleam insitione, avulsis ramis ex nativo oleæ trunco. Quo indicat alios a felici statu delapsos, atque a salute excidisse, alios ascitos esse et cooptatos in numerum fidelium, nullo ipsorum merito, sed singulari Dei favore et gratuita bonitate, quam nisi agnoscant, impensique beneficii sint memores, ac constanter in fide persistant, rursus exscindendos pronuntiat, atque ob ingratitudinem a Dei consortio alienandos, assumptis insertisque postliminio iis, qui mutata vitæ consuetudine, excussaque mentis cæcitate et caligine, ad frugem, ad morum integritatem, ad veritatis cognitionem se conferunt, ac Christum a quo desciverunt, amplectuntur. Hac autem ratione Deus partim reprimit ferociam fastumque hominum atque insolentiam compescit, ne quis inani sanctimoniæ persuasione intumescat, suique fiducia sibi blandiatur, aut calamitosis et abjectis insultet: partim fovet atque alit illorum spem; qui abalienati a Deo, per fidem rursus sunt in nativam oleam inserendi, atque in consortium cœtumque fidelium assumendi.

CAPUT XIV.

DE LENTISCO, QUÆ GRÆCE SCHINOS DICITUR ET ILICE.

Quum habita esset quæstio in senatu adstante confertissima populi multitudine de prostituta Susannæ pudicitia, ac commisso adulterio, in quo illam deprehensam criminati sunt veteratores duo fraudulenti et mendaces, Daniel prudenti ac divinitus immisso consilio explorata rei veritate, excussaque facti causa, insontem mortis periculo eximit, ac patefacta calumnia, suspicione criminis illam liberat [2]. Quum enim ad supplicium raperetur pudica matrona, nullius sibi criminis conscia, et quæ apud Deum suam causam referret, Daniel Dei spiritu impulsus, elata voce conclamat, nullo suo merito illam morti adjudicatam, ac rei causam accuratius excutiendam. Itaque convocato seniorum consessu et populi frequentia, calumniatores semotos asservari jussit, ac separatim constitui, deinde accito altero eorum sciscitatur sub qua arbore mœchus cum illa sit congressus: *Sub lentisco*, inquit; Daniel dira illi comminatus ablegat, atque alterum produci jubet, cui quum similis interrogatio proponitur de inito congressu ac perpetrato illegitimo concubitu, *Sub ilice*, inquit: itaque uterque et mendacii et illatæ calumniæ convictus, ex lege Mosi [3] morte sunt mulctati. Ceterum ut lentisci natura obiter explicetur, arbor est patula, et sic satis procera, acinis rubentibus, maturitate nigris, quæ ut terebinthus resinarum ac gummosum liquorem fundit, quem medici *mastichem* vocatum, Belgis eodem nomine cognitam, quæ vetustate coit in globulos candidos ac spissatur, catarrhos autem exsiccat ac fluxiones sistit, suffitu sincipiti admotum, vel ramentis aliquot ore convolutis, dentes mobiles ac vacillantes, atque uligine vitiatos firmat, ac gratum oris halitum efficit. Ex hac arbore cuspides conficiuntur ab Italis, ut apud Belgas ex juniperi et lauri sarmentis, extergendis poliendisque dentibus accommodæ; sic ut proverbiali figura dicantur *Lentiscum mandere*, qui ejus rei curiosi sunt, ac plus nimiam operam dentibus poliendis adhibent. Nostrates nunc ardeæ stellaris ex auro, argento, ebore, ungue, quam alitem *Putoir* Belgæ vocant, ex pastinaca marina, vulgo *Pulsteert*, ab aculeato telo sic dicta, a galeo pisce, Zelandis, *Haye*, conficiunt, verum ex lentisco confecta dentiscalpia minus gingivas vulnerant, sed condensant potius astrictionis ratione. Hunc veteribus in usu fuisse Martialis indicat [4];

> Lentisco melius, sed si tibi frondea cuspis
> Defuerit, dentes penna levare potest.

Ceterum alter qui mendacii colore calumniam adornare atque obtegere meditatur, sub pruno, hoc est, ilice patratum scelus impudenter confingit. Hæc inter glandiferas arbores refertur, foliis perenni virore, nec deciduis, cujus fruticulis viscum innascitur, quo medici utuntur in expurganda epilepsia, morbisque aliis qui ex turgidis spumosisque humoribus excitantur. Est una ilicis species quæ coccum granum præbet, vulgo, *Verumilion*, *Carmezyn*, *Scharlacken*, quo infectores utuntur in illustranda lana, bysso, ac bombyce exuberantissimi

(1) Ad Rom. 11. (2) Dan. 13. (3) Deut. 9. (4) In Apophoretis.

ruboris colore. Eximitur non dissimile granum ex acrifolio arbore foliis quaqua versum aculeatis, lævore perpolitis, quæ quum apud Brabantos circa sepes et compita proveniat, raro in justam magnitudinem assurgit. Vidi tamen in municipio quodam Zirizeæ contermino magnitudine pruni arboris, eamque cultoris industria et crebra stolonum amputatione in summam proceritatem fastigiatam; profert autem ineunte autumno baccas orbiculatas pisi magnitudine, insigni rubore perfusas, quales etiam exhibet ruscus, quæ nostratibus *buxus* aculeata vocatur: tum taxus arbor quæ folio laricis aut piceæ vel abietis, ut superioribus annis Londini mihi conspecta est, cujus umbra apud Britannos non est mortifera, nec baccæ lethiferæ: in Hispania enim illis venenati quiddam subesse prædicant, nec temere in alimenti usum assumunt indigenæ, tametsi gallinas illis saginari ac pinguescere nonnulli experiantur, exsuta opinor nativa insitaque ferocitate.

CAPUT XV.

DE HYACINTHO VESTEQUE HYACINTHINA, VEL A VIOLÆ COLORE JANTHINA.

Vittas, tegmina, fimbrias, chlamydes, pallas, velamina, operimenta, stragula hyacinthino vel janthino, hoc est, violaceo colore imbuta, ad decus et ornatum adhibita, ad oblectandos pascendosque oculos olim, ut etiam nostro seculo, in deliciis habita Bibliorum codices passim demonstrant [1]. Sic Pontifici judaico ejus coloris indumenta regali splendore præscripta sunt ex auro, hyacintho, purpura, cocco iterato, hoc est, bis tincto, bysso, atque opere Phrygio, quo cultu ac nitore populus rudis olim officio continebatur, quo esset in religionem propensior: nunc vero, hoc est, coruscante Evangelii luce, interna potius et spiritualia ornamenta spectanda sunt, atque erigenda mens ad ea, quæ magis salutaria sunt, eamque inflammant in amorem et fiduciam omnipotentis Dei. Siquidem externus ornatus ac vestium pompa imperitæ plebis superstitionem nonnunquam fovet, atque oculos perstringit earum rerum admiratione, quas Deus aut contemni voluit, aut in moderatum usum adhiberi, ut sunt tegmina ac pallæ auro gemmisque rigentes, ac chlamydes hyacintho ac purpura aliisque operosis coloribus picturatæ. Desumitur autem coloris hujus appellatio partim ex hyacintho spectabili gemma, aut janthina, hoc est violacea tinctura, partim ex amabili ejus nominis flosculo qui exuberanti cæruleo purpurascit, qualis conspicitur in amethysto gemma, in cirsio seu vulgari buglosso, aliisque herbis passim obviis, quarum flores purpureo colore collucent atque oculis suaviter blandiuntur. Insectatur autem nonnunquam Deus illorum luxum fastumque ac superbiam, qui operosis sumptuosisque hujusmodi tegumentis magnificentiam suam aliis inani ostentatione venditant, atque janthino purpureoque amictu elati infimos quosque despicatos habent et fastidiunt. Nonnumquam ex his desumit concinnas metaphoras ac similitudines, easque ad internas dotes transfert, ad animi decus mentisque ornamenta accommodat. Talibus enim exemplis homines socordes commonefacit sui officii, et quid Deo præstare, qualem illi cultum exhibere, et quam sollicite expulsa omni superstitione et idololatria in ipsius religione consistere debeant, accurate demonstrat. Quod ipsum quum alias, tum diserte apud Ezechielem [2] in hoc capite exprimitur. Primum enim in mentem illis revocat, quanta, quamque immensa beneficia in hos contulit, qua usus sit erga illos bonitate, quibus illustravit tum animi, tum corporis muneribus, quam salutaria præcepta tradidit, quam sacra religione mentes illorum cognitione Divinitatis imbutas, instruxit. Deinde expostulat cum desertoribus, atque ingratis, quod omnibus istis in probrum ac dedecus abusi sint atque in profanum usum, cultumque alienum ac nefarium transtulerunt, sic ut mentem, rationem, intelligentiam, animi præstantiam, acumen ingenii, omnesque vires non in illustranda illius majestate, non in observanda tuendaque sacratissima ipsius religione: sed in erigenda stabiliendaque idololatria, in superstitiosis et commentitiis cultibus inducendis conferrent. Sic enim prosequitur concionem objurgatoriam ad Jerosolymam converso sermo-

(1) Jer. 10; Exod. 28.

(2) Cap. 16.

ne [1]. *Quum*, inquit, *nuda esses, inops, egena, omnique subsidio ac solatio destituta velut infans recens in lucem editus, sordibus et sanguinolenta illuvie involutus, cui nondum umbilicus præcisus est, nec materni uteri inquinamenta abluta, ego præteriens, te conspicatus in sanguine tuo volutatam, multiplici incremento, tamquam stirpem et germen terrestre te auxi*, adeo ut sensim tacitisque auctibus adolescere cœperis atque progredi, ut comi et poliri, mundoque muliebri exornari possis, id esse tempestivum ubera indicant jam prætumida, et germinantes densi undique capilli. Et quamquam in hac ætate esses constituta, nuda tamen eras et dejecta, oculisque spectantium (contra quam illius sexus pudor aut decus patiebatur) exposita; quod ego dum hac iter ingredior conspicatus, observavi te pubescere, atque in ea ætate constitutam, quæ esset amoribus idonea, et a procis atque amasiis, ambiri posset tamquam nubilis maturaque viro, et cui sponsus designari debet. *Ego vero expandi amicum meum super te*, et velavi quæ parum pudenter et verecunde oculis spectantium exhibentur, ac decentius obteguntur, ac data fide initoque fœdere te mihi desponsavi atque unitam assumptamque in legitimam vitæ societatem ablui a sordibus, ita ut nulla labes, nihil inquinamenti tibi inhæreret: deinde unguento delibutam ornavi veste variegata, calceavi hyacintho, torque, armillis, corona capitis illustravi te: tu vero tam insigniter compta, tam operose culta prostituisti te alienis, omniaque ornamenta nostra nulli quam mihi consecrata in profanos usus convertisti. Quo indicat, ut mulierem impudicam adulterio, ita illam idololatria contaminatam, eumque honorem et cultum, quem Deo impendi par erat, dæmonibus exhibitum, quum omnes cogitationes, vota, desideria, spes et fiducia in Deum essent referenda, a quo uno dependet hominum salus. Tunc autem maxime majestas et amplitudo supremi numinis imminuitur, ac contumelia ignominiaque afficitur, quum illi adimitur, atque in alium transfertur, quod nulli præterquam ipsi attribui debet, hac enim ratione debita illum laude, istoque honore fraudamus, et nos deserto sincero ejus cultu ad perniciosum rapimur magno salutis nostræ detrimento.

CAPUT XVI.

DE CARICE, SCIRPO, JUNCO PALUSTRI, PAPYRO.

Carex scirpi modo fruticat locis palustribus et uliginosis, forma triangulari, utroque latere secandi vi prædita, qua virenti fronde Belgæ et Britanni triclinia ac cœnacula ædesque sacras æstivis mensibus consternunt, quo æstum propulsent, ac suavi gratoque halitu reficiantur. Scirpus junco palustris affinis frutex est lævore perpolitus, orbiculatus stilo enodi, nullisque geniculis aut internodiis distincto; fungosa intus candidaque medulla, quam nostrates in amenti aut crassioris fili modum exemptam in multos usus accommodant. Siquidem in nuptiali pompa ex hac ornamenta et supellectilem fictam et commentitiam confingunt, nempe calatos, urceos, discos, pectines, scopas, sedilia, crumenas amentatas, quales mulieribus usui, cestos, seu cingula zonasque virgineas: multaque alia miro artificio ac concinno contextu elaborata conficiunt, quibus in gratiam sponsæ laquearia adornant, peractisque nuptiis pro apophoretis ac strenis singulis distribuunt. Quoniam autem huic stirpi culmus est levis ac minime geniculatus aut nodosus, proverbio locum fecit, *In scirpo nodum quærere*. Quod in hos quadrat, qui plus nimio anxii sunt et scrupulosi, quique frustra, ac nullo fructu se fatigant. Belgæ fruticem hunc, qui aliquando in mediocrem altitudinem assurgit, *Biesen* vocant, ex quo storeas nostrates contexunt stragula, nassas, quallos, fiscellas, quoniam viminosus est, flexilis, naturaque tam sequaci, ut quidvis ex hoc elaborari possit. Sunt passim obvii in sabuletis Zelandicis ac colliculis arenosis, junci non admodum proceri, cacumine aculeato, ita ut in ambulantium suris infesti sint, ac puncturas infigant, cujus fruticis frequens est apud nos plantatio in eum usum excogitata, ut arenam et pulverulenta quæque æstu quodam vento agitata remoretur, ne agros, et novalia sementi destinata, obruant: quocirca nostrates *Helm* vocant quod ut galea caput, ita iste fruticulus agros muniat, ac tueatur

(1) Cap. Ezech. 16 paraphrastice evariatum.

ab arenæ impulsu. Ex junci forma ac specie adolescentulæ, quæ gratiosæ videri affectant ac teneritate commendari, juncœ apud Terentium dicuntur, quod etiam nostratibus usuvenit, quæ ut gracili corpore spectabiles sint, se arctius pressiusque astringunt ac salem liguriunt. Hac enim ratione se reddunt junceas, ne si qua paullo sit habitior magisque opima aut obesa, athleta censeatur. Sic chærea Terentianus quum miro affectu esset erga amicam, cui erat decora oris figura, color verus nec ascititius, corpus solidum ac succi plenum, in ipsoque flore ætatis constitutum, illudit aliis, quæ student operosa cura gracilescere. Itaque Parmenoni mentem suam aperit, atque indicat in quam oculos conjecerit et qua potiri cupiat, quum præ hac omnes quotidianæ formæ illi vilescant, ac sint despicatæ. Siquidem, ut is ait [1]:

Haud similis virgo est virginum nostrarum: quas matres student
Demissis esse humeris, vincto pectore, ut graciles sient.
Si qua habitior paullo pugilem esse ajunt: deducunt cibum:
Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas.
Itaque amantur.

Ut autem apud nos scirpus, juncus, arundo, typa palustris, ita in paludosis Nili aquis papyrus nascitur. Ex hac olim in tenuissimas membranas dissecta chartæ confici solent, ut nunc in Europa ex linteolis, minutatim contusis, atque aqua maceratis: quæ quum eumdem cum veterum papyro usum et commoditatem obtineant, vetus nomen reservant. Assurgit autem papyri frutex nonnumquam in octo aut decem cubitorum altitudinem, ut arundo in Hispania, internodis distincta, forma triangulari, ea crassitudine, quæ manum complicatam impleat, ex quibus ubi inarescunt, scipiones conficiunt lævore perpolitos colore spadicio, qualis est castanearum extimus cortex: iis enim patricii ingravescente atque inclinata ætate, se fulciunt, ac gressum labantem firmant. Exhibet se hac stirpe exculenti quiddam ut in nostræ arundinis radice candida et geniculata, sapore mellito, sed expresso tantum succo dentibus, rejecto cortice. Ex papyro olim lembos, scaphas, cymbas, aliave navigia pice oblita construxisse Ægyptios, præter Plinium [2] Isaias [3] vates indicat, qui minatur terræ, quæ trans flumina Æthiopiæ sita est, hoc est, Nili accolis, qui per mare legatos mittunt, in vasis papyri, hoc est junceis ac scirpeis navibus, ut inito fœdere ac conjunctis copiis cum aliis nationibus Israelitas opprimant. Ceterum ut argumentum susceptum prosequar desumuntur in Bibliis jam commemoratis stirpibus concinnæ similitudines et metaphoræ. Sic quum Job [4] disceptaret cum satrapis aliquot, quibus visum est officii causa, atque humanitatis impulsu illum adire quo tam afflicti hominis calamitati condolescerent, tantamque cladem commiseratione dignam deplorarent, multa inter hos ultro citroque agitata, atque in controversiam vocata, de humanæ vitæ cursu, de Dei erga homines providentia, de afflictione hominum, quæ bonis non minus, quam malis impendet, de prosperitate et successu rerum, quibus æque mali et boni fruuntur, unus adstantium, nempe Bildad Suites, qui solidis rationibus ex natura rerum petitis argumenta sua fulcire nititur, convincere tentat impios, infames, nefarios, facinorosos, improbos, calumniatores, hypocritas, quique ficta et simulata religionis specie hominibus imponuat, ac Deo fucum faciunt, non diu subsistere, illos quidem ad tempus spectatissime florere, verum qui ingruente Dei judicio citissime exarescant et conterantur, ut carices, ut scirpi, ut junci, ut gramina virentesque herbæ aquarum irrigatione destitutæ. Impii enim in afflictionibus, periculis, calamitatibus imminente morte, destituti fiducia ac solatio Dei labascunt, nec habent quo se fulciant, sed in desperationem ac diffidentiam devolvuntur. Non dissimile est Isaiæ [5] vaticinium contra Ægyptios, quos ad egestatem redigendos pronuntiat, ac primum mentem atque animum, deinde omnia illis adimenda, quorum usu et commoditate negotiatio, piscatura, aliaque opificia subsistebant, atque uberrimum quæstum præbere consueverunt, *Arescent*, inquit, *aquæ a mari, et fluvius exsiccabitur, exhaurientur et siccabuntur rivi, calamus sive arundo, papyrus et juncus inarescent, et omnes virentes herbæ circa fluvios, aut rivi ripam peribunt.* Quo maximam sterilitatem fore denuntiat, ac nullam pisca-

(1) Eunuch. act. 2, scena 3.
(2) Lib. 13, cap. 11. (3) Cap. 18. (4) Cap. 9. (5) Cap. 18.

torum frequentiam, nullos commeatus, nullum ementium concursum. Nonnumquam Deus successum piorum hominum, progressus et incrementa pietatis, omnem rerum salutarium affluentiam salientibus aquis, et fluminibus, denique virentibus herbis floridisque pratis et viridariis comparat. Atque Isaias fœcunditatem pollicetur squalidis, incultis, siticulosis agris, eosque irrigandos saluberrimis ac scaturiendis aquis pronuntiat, multisque speciosis herbis decorandos. Quo indicat aridas atque jejunas mentes irrigandas verbo Dei, ac salutari ejus doctrina, ejusque spiritu perfundendas. Sic autem ejus rei vaticinium prosequitur: *Lætabitur deserta et invia, et exultabit solitudo et florebit quasi lilium, vertetur locus aridus in stagnum, et scaturient siticulosa aquis, in cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci.* Hoc est expulsis profligatisque vitiorum monstris, proferent se virtutis ac pietatis semina, emerget amor et charitas erga Deum et homines, erigetur in animis hominum spes et fiducia consequendæ salutis, sic ut mentes ante steriles, fotæ atque irrigatæ verbi Dei scaturigine, ac fidei robore fultæ uberrimos fructus proferre incipiant non secus, quam ager bene cultus lætas segetes ac spectabiles herbas profundit.

CAPUT XVII.

DE ABSINTHIO.

Tres spectantur apud Belgas maritimos absinthii species, Ponticum vulgo Romanum, quod in hortis colitur, non insuavi odore: Marinum in Oceani crepidine passim obvium: Vulgare insigni amaritudine expugnandis vermibus cum primis efficax et præsentaneum, quod tamen in hortos translatum mitescit adeo, ut non solum sapor, sed foliis etiam color immutetur. Ex incanis enim et cinereis virorem adsciscunt, nec odorem prorsus ingratum aut fastidiosum. Ex hoc amarissimo frutice Scriptores sacri passim similitudines desumunt, easque impiis accommodant. Sic quum Deus apud Jeremiam [1] improbis tristia, acerba, amarulenta minitatur, ac calamitates denuntiat: *Ecce ego,* inquit, *cibabo populum istum absinthio, et propinabo aquam fellis, et dispergam eos in gentes ignotas, et gladio illos persequar.* Rursus ad Prophetas mendaces, qui Dei verbo abutuntur, et adulterant verbum ejus, *Ecce ego,* inquit, *saturabo illos absinthio, et potabo eos felle, quoniam a Prophetis Jerusalem progressa est impietas, et pollutio diffusa est in totam regionem.* Amos autem vates quum invehitur in pseudoprophetas, qui in speciem blanda magis, quam salutaria proferunt, ac prætextu religionis, sincerum Dei cultum superstitionibus contaminant, deinde quod proceres et optimates, quorum interest æquitati studere, atque administrare justitiam: *Convertam,* inquit, *judicium in amaritudinem, et fructum justitiæ in absinthium,* hoc est, deflectent se ab æquitate, nec recte perfungentur judicis officio, quod prorsus amarulentum est et acerbum homini innocenti, qui ab injuria vindicari cupit, ac sublevari, in æqua causa non opprimi. Insectatur autem Isaias [2] pluribus locis hujuscemodi judices corruptos, qui dicunt bonum malum, et malum bonum, qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. Rursus alio loco illos exagitat, qui muneribus occæcati opprimunt innocentes, quorum causam tueri deberent, illisque suum jus eripiunt. Sic enim insurgit adversus hujusmodi homophylaces, hoc est, legum conditores. *Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei, ut essent viduæ illi prædæ, et pupillos diriperent* [3]. Apud Jerem. [4] non minus acerbe in illos incandescit: *Inveniuntur,* inquit, *in populo meo impii insidiantes, quasi aucupes, ponentes laqueos ac pedicas ad capiendos homines, sicuti decipula et cavea plena avibus, sic domus eorum referta dolo et fraudibus, causam viduæ non judicant, pupillis non patrocinantur, et judicium pauperibus eripiunt.* Ceterum ubicumque in Scriptura absinthii fit mentio, maximam atque acerbissimam calamitatem, animique tormentum subesse indicat. Sic in clade illa funestoque ac

(1) Cap. 9. (2) Cap. 5. (3) Cap. 10; Ezech. 12. (4) Cap. 5.

luctuoso Jerosolymæ excidio Jeremias [1] civium suorum personam sustinens queritur se felle circumfusum, et oppletum amaritudine, et absinthio inebriatum. Quo indicat ad summum luctum atque angorem animi nihil esse reliqui, nec quid amplius posse adjici. Non dissimilis est deploratio ac querimonia Davidis [2] quum in dubio belli eventu constitutus esset, ac illi ab hostibus periculum imminneret. Sic enim ad Deum sua vota dirigit: *Deus repulisti nos, et destruxisti nos, et misertus es nobis; commovisti terram, et conturbasti eam, objecisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis,* hoc est, ea spectacula oculis nostris objecisti, quibus non sumus exhilarati, sed in mœrorem et mœstitiam, in anxietatem et mortis horrorem dejecti, ut ii quibus mortifero aliquo poculo, aut venenato lethalique potione vitalia perfusa obstupescunt. Eadem usi sunt metaphora Isaias [3], Jeremias [4], Ezechiel [5], qui propinatum vini furiosi calicem describunt quum regibus, tum promiscue plebi, quo gustato in rabiem atque insaniam stuporemque acti sunt, prorsusque orbati mente, ratione, judicio, rerumque gerendarum prudentia et consilio. Nec prorsus clementius tractatur qui meretricum consortio assuescit, illarumque blanditiis, fallaciis, illecebris, lenociniis capi se ac deliniri patitur. Quod quum a Salomone sit observatum, studiose commonefacit filium ineuntis ætatis inscitiæ, ut longe ab alienis se subducat, nec ulla ratione earum blanditiis mentem incantari sustineat. *Favus enim,* ut inquit, *distillans labia meretricis* [6], hoc est sermo blandus et mellitus, ejusque fauces et guttur nitidius molliusque oleo: *novissima vero ac rei exitus amarus ut absinthium, et lingua ejus acuta ut gladius anceps.* Siquidem omnia agit insidiose, simulate, fraudulenter, atque incredibili astutia, venationi et aucupio intenta omnes ingenii vires ad emungendum confert. Ceterum quum fellis et absinthii nomine tristia quæque, noxia, amara, tetra, calamitosa denuntiari soleant, tum tale quiddam etiam in Apocalypsi [7] designatur. Siquidem clangente tuba Angelo, cecidit de cælo magna stella, facis in morem ardens, qua ira Dei accensa in impios, denotatur (erat autem stellæ nomen Absinthium) eaque delapsa in terram, fluviorum partem, et aquarum fontes: conversa est tertia pars in absinthium, multique hominum in aquis interierunt, quod amaritudine imbuta essent. Ut autem naturales siderum concursus, aspectusque, et (ut vocant) constellatio astrorum feralis aliquando est et noxia, magnamque stragem hominibus et brutis, animantibus, satisque ac sementi infert: ita vis ista cælestis exitialis fuit humano generi, magnaque detrimenta intulit, vindicta Dei in reprobos inflammata.

(1) Cap. 3. (2) Psalm. 49.
(3) Cap. 51. (4) Cap. 23.

CAPUT XVIII.

DE CARDUIS, SPINIS, VEPRIBUS, TRIBULIS, RUBIS, LAPPIS, SENTIBUS, ET QUIBUS HÆ STIRPES IN SCRIPTURA ACCOMMODARI SOLENT, ET QUID DESIGNENT.

Stirpes istæ, quæ sponte fere atque invitis colonis nusquam non erumpunt, nihil propemodum commodi hominibus afferunt, sed aculeis infestæ sunt, ac sementi officiunt. Quocirca quum Deus maledictionem Adamo transgressori, atque ærumnas vitamque laboriosam impendere denuntiat, *Maledicta terra,* inquit, *in opere tuo,* in laboribus comedes ex ea, *in sudore vultus tui vesceris pane tuo, spinas et tribulos, sentes et carduos germinabit tibi et comedes herbas terræ* [8]. Sic Deus accensus furore in populum Israeliticum, qui nulla grati animi argumenta erga ipsum proferebat, sub vineæ nomine dira illi minatur, quod post tantam culturam, pro sapidis uvis labruscas produxerit: *Ostendam,* inquit, *vobis quid facturus sim vineæ meæ: auferam sepem ejus, et erit in direptionem; diruam maceriem ejus, et erit in conculcationem: et ponam eam desertam; non putabitur, nec fodietur, et ascendent opprimentque eam sentes, vepres, et spina* [9].

Qua figurata locutione indicat se extremam impendisse operam fovendis erudiendisque Israelitis salubri doctrina, mentesque illorum verbo suo continenter irrigasse, nec quicquam prætermisisse eorum, quæ ad animorum cultum spectant, sed frustra insumpsisse laborem, nec

(5) Cap. 25. (6) Prov. 6 et 7.
(7) Cap. 8. (8) Gen. 3 et 5. (9) Isa. 5.

quidquam se profecisse deplorat: quapropter illos pro desertis habet, ac patitur ruere in omne probrum ac dedecus, in cupiditates ignominiosas, et fœdas, in mores improbos et vitiosos, sic ut mens illorum inculta, nullisque ornata virtutibus, vitiis undique scateat, ut solum neglectum et cultura destitutum herbis noxiis. Rursus alio loco sterilitatem illis denuntiat, ac rerum penuriam, nullasque futuras fruges aut annuos proventus, sic ut terra maledictioni obnoxia, humus situ et squalore obsida non aliud quam spinas, vepres, ac tribulos profundat. Sic ut quocumque loco fuerint, mille vites æstimatæ mille argenteis, ibi in vepres et spinas locaque senticosa vertantur, adeo ut in universa terra nullus ager victum suppeditet, sed tota regio in solitudinem eamque vastitatem sit redigenda, ut fruges, ut alimenta, ut cibaria defutura sint, omniaque in agris horrida se proferant, squallida, siticulosa, inculta, omni nitore atque amabili viriditate destituta. Paullo autem inferius atrociora magisque horrenda impiis obventura denuntiat. Sic enim contra Idumæos, hoc est, Dei et Ecclesiæ hostes vaticinium [1] instituit: *Convertentur ejus flumina et torrentes in picem, et humus ejus in sulfur, et erit terra in picem ardentem, nec extinguetur in sempiternum, et desolabitur in perpetuum, nullo per eam transeunte, ululæ, ericius, noctua, ibis et corvus:* quæ alites et animantia hominum consortia fugiunt. *Nobiles ejus erunt absque regno, et principes ad nihilum redigentur*, hoc est, nullus erit Reip. status, nulla politia, nullus principi honor aut dignitas, nulla imperii majestas, nullus ordo vel consularis vel senatorius, sed mera inter plebem et optimates confusio, oppressis legibus, ac juris æquitate sublata: quum hoc etiam accedat ad malorum cumulum, ac miserandam rerum faciem, ut regum palatia solo sint æquanda, omnesque ædes splendidæ atque operosius ædificatæ diruendæ sint, atque ad nihilum redigendæ, sic ut hominum frequentia vacuæ, feris et alitibus lustra et latibula præbeant. Sic enim hæc quum isto, tum aliis locis amplificat, ac regionis vastitatem exaggerat in immensum [1]: *Et orientur in domibus ejus spinæ, urticæ, sentes, cardus, vepres: et paliurus in munitionibus ejus*, ut fere conspici solet in ruinosis palatiis, belloque diutis arcibus. Et erit inibi latibulum draconum, et struthionum statio, et occurrent in desertis iis locis inter se dæmonia, onocentaurus, Sylvani, pilosique Fauni et Satyri, nocturnæque Stryges et Lemutes. In iis etiam habitaculis residebit Lamia; nidulabitur bubo, vultures et rapaces milvi. Quarum rerum commemoratione horrendam vastitatem ac solitudinem, ruinasque celebrium locorum oculis objicit, eoque funesto spectaculo acrius percellit hominum animos, quod nulla in florentissima regione spectabitur negotiatorum frequentia, nullus populi concursus, nulla commeantium turba, nulla nundinatio aut mercatura, sed tantum monstra, harpyæ, et Chimæræ se oculis spectantium offerent, immanesque belluæ et nocentes feræ, quarum aspectus vel fortissimo cuique terrorem ac trepidationem incutit. In has deformes horrendasque bestias se nonnumquam dæmones et mali Genii transformant, variisque spectris ac præstigiis pavidas mentes territant, præsertim illas, quæ cognitione Dei non admodum imbutæ sunt, illiusque verbo fultæ. Hujusmodi etiam imagines monstrosas, ac simulacra inaudita animo menteque concipiunt melancholici, maniaci, phrenetici, deliri, ebrii, febricitantes, aut qui conscientia scelerum furiis agitantur. Istis enim variæ rerum species, et absurda phantasmata animo obversantur affecto cerebro, ac spiritu animali, tetris densisque vaporibus offuscato: sic ut illis ex vitiosa capitis affectione mentem, rationem, judicium, memoriam eripi contingat, ac perturbata imaginatione confuse de rebus obviis judicare.

(1) Isa. 34. (2) Isa. 13 et Sophon. 2.

CAPUT XIX.

DE FICU, CARICA, GROSSO.

Ficus apud Belgarum etiam extremos atque oceani accolas aliquando bifera, hoc est bis in anno fructifera, quæ æstate fervida fructus prorsus maturos profert. Sic anno redempti orbis 1540, desinente mense Julio, quum imperator Carolus ejus nominis quintus peragrata Belgica Selandiam tractusque maritimos perlustraret,

ac Zirizeam inviseret, oblatæ sunt illis melones inusitatæ magnitudinis mireque sapidi, et succulenti, ac ficus turgidæ adeo maturæ, ut Cæsar rei novitate delectatus (quod tale quiddam in frigida regione non speraret) assereret ne in Hispania quidem melius potuisse maturescere: verum id nobis non est perpetuum quod aliquando æstivis mensibus calor languidus sit, et remissior, quam ut possit hujusmodi fructus ad maturitatem producere. Fici arboris fructus duplicis est differentiæ. Nam caricæ ficus sunt tempestivæ, quæ ab arbore eximuntur antequam prorsus siccescant, deinde exsiccatæ in fiscellas ab Hispanis reconduntur. Grossi primitivæ ficus succosæ, præcoces, et intempestivæ, quæ non maturescunt, vel serius maturitatem assequuntur, unde serotinæ dictæ. Quum autem ficus flore destituta sit, ceteris florescentibus arboribus, ista grossos producit. Sumuntur autem ex hac stirpe ejusque fructu similitudines et exempla in arcanis litteris cum primis elegantia. Sic quum Christus vaticinatur Judæis [1] obventuras calamitates, et devastandam Jerosolymam, ne quem dies Domini inopinato opprimat multis exemplis ad excubias ac vigilantiam omnes extimulat, sumptaque similitudine a germinante ficu quibus indiciis adventus Domini observari possit commonstrat. Ut enim quum hujus arboris rami tenerescunt ac frondescere incipiunt, suosque grossos parturiunt, instare æstatem indicant: ita proditiones, pestes, bella, fames, terræmotus initia sunt dolorum atque in foribus esse judicii diem testantur. Ceterum ficus maturandi ac leniendi facultate pollere Isaias [2] etiam commonstravit. Siquidem cataplasma illum confecisse legimus ex contusis ficubus atque Ezechiæ regis apostemati admovisse, eoque præsidio illum sanitati restitutum, sicut Deus singulari suo beneficio, quo Regi vita in quindecim annos prorogata est, externam medicinam adhibuit, quæ illius munere corporibus humanis efficax est et præsentanea. Nahum propheta quum omnia humana præsidia invalida pronuntiat atque infirma, nec ullas munitiones, turres, propugnacula contra Dei vim subsistere, ficubus maturis illa comparat, quæ lævissimo motu atque agitatione arboris decidunt. Itaque Assyriorum genti sic insultat: *Omnes munitiones tuæ sunt ficus cum grossis suis, si concussa fuerint, cadunt in os comedentis* [3]. Quo indicat omnes illorum vires, robur, potentiam corruere atque ad nihilum redigi extenta exporrectaque manu sua. Deus autem per Oseam ex suavissimis hujusmodi fructibus sumpta similitudine expostulat cum populo Israelitico, quod a tam amabili propensoque Domino desciverit atque idololatria se contaminarit. Sic enim favorem erga ipsum, animique propensionem exprimit: *Tamquam uvas in deserto inveni Israel, et quasi prima ficulnea poma.* Quo designat non secus se affici erga Israelem, quam viator lassus ac siticulosus afficitur erga sapidam et succulentam uvam, quæ ex insperato se obtulit in vasta aliqua solitudine ac loco sterili, aut præmaturo ac præcoci ficus fructu, quo nihil illi ad reficiendas vires obtingere potuit gratius magisque acceptum. Atqui quum tanto illum amore complectatur, eoque se oblectet ut fructu aliquo delectabili, ipse non respondet amore mutuo, sed ad *Baalphegor*, hoc est, Priapi idolum rapitur, illiusque abominando cultu se contaminat. Sumuntur autem ex ficu ejusque foliis et fructu innumeræ passim apud Prophetas similitudines, quibus nonnumquam ubertatem, rerumque omnium affluentiam designant, piorumque successum et incrementa: nonnumquam sterilitatem, rerumque necessariarum inopiam atque improborum interitum. Sic Christus exsecratus est ficum frondosam quidem, sed minime fructiferam: qua denotavit fucatam quamdam speciem et ostentationem religionis operibus solidis fructuque fidei destitutam. Similiter Michæas vates sumpta metaphora a terra horrida et inculta atque ab arboribus spoliatis suis fructibus, ut finita messe, peractaque vindemia assolet, in hunc modum deplorat præsentis seculi statum, in eaque se incidisse tempora queritur, quæ nullos probos aut integros exhibeant: *Væ mihi qui factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non est botrus ad comedendum: præcoquas et maturas ficus desideravit anima mea, periit sanctus de terra, et rectus hominibus non est* [4]. Quo designat profligatam esse justitiam et æquitatem, extinctam

(1) Matth. 24; Marc. 13.

(2) Cap. 38.

(3) Nahum 3.

(4) Joelis 1; Isa. 34; Jerem. 5 et 8; Amos 4.

religionem cultumque Dei inundasse impietatem, omnia passim plena esse crudelitatis et nequitiæ. Sunt autem hujus generis multa in sacris litteris obvia, quæ hic congeri possunt, sed non visum est lectorem iis excutiendis defatigare.

CAPUT XX.

DE PALMA ARBORE EJUSQUE FRUCTIBUS, ET QUID IN SCRIPTURA SACRA ILLIS DESIGNETUR.

Palma arbor est trunco valido ac procero folio arundinaceo, gladiolo affini, fructus fert sapore dulci, Græci *dactylos* vocant, a digiti forma, Latini *palmulas*, quibus medici vires instaurant exhaustis et extenuatis. Humorem enim nutricium, quem *radicalem* vulgo vocant, fovent, ac corpori arido alimentum conferunt. Ceterum quum hæc arbor oneri renitatur, nec prementibus urgentibusque cedat, hoc insigne in certaminibus victori decerni solet, quod invictum animi robur palmæ naturam referat, ac sit rei fortiter atque animose gestæ, symbolum ac trophæum [1]. Sic martyres, qui invicto infractoque animo adversus tyrannorum sævitiam substiterunt, amicti stolis albis palmis manibus gestasse leguntur in victoriæ argumentum. Similiter qui justitiam colunt et æquitatem, qui Dei hostibus se intrepide opponunt, palmæ aliisque speciosissimis arboribus sunt similes. Unde David, *Justus ut palma florebit, ut cedrus in Libano multiplicabitur* [2]. Quum enim impii, ut herba, confestim arescant, tum pietatis cultores, ut palma, diutissime vigent et subsistunt, ac fructus suaves proferunt: denique ut cedrus celsa arbor et odorata, nulloque ævo putredini aut cariei obnoxia, gratissimam umbram ministrant. Hoc ipsum designat Job, quum rectæ administratæ justitiæ sibi conscius, confidenter pronuntiat, *In nidulo meo moriar et sicut palma multiplicabo dies* [3]; quibus verbis pollicetur sibi vitæ diuturnitatem, annosque florentes ac senectam viridem magna cum animi tranquillitate. In cantico vero Sponsi [4] comæ et cæsaries palmæ elatæ assimilantur, quæ comparatio desumitur a tenello termite ac caulículo, ipsoque germine, quod e palma prodit, vel ab ipso involucro atque integumento, ex quo tractus emergit qui *Phœnicobalanus*, *Coriota*, *palmula* vel *dactylus* dicitur, qui color Phœnicius, hoc est, spadiceus subest, sic ut designet illum rutilanti esse capillo, eoque firmo nec deciduo, quum palmæ folia non defluant. Hujusmodi autem coloris crines spectantur in Pannoniis, hoc est, Ungaris et Austriacis, quorum capillitium fere fulvescit atque aureo colore perfusum est. Ceterum quum Deus indignanter ferat populum suum vitiis et occæcatum et obstupefactum obsurdescere ad omnia salutaria monita, ac nullis afflictionibus, nullis calamitatibus expergisci ac resipiscere, nec ullis plagis induci posse, ut a Deo inferri has plagas agnoscat, sed in res fortuitas eas rejiciat, atque in ordinarium naturæ cursum referat, longe acerbiora magisque atrocia illis obventura denuntiat, ita ut præter bruchum, et locustam, erucam, rubiginem, quæ fruges vitiant ac depopulantur, vineas per Joelem [5] exscindendas pronuntiet, omnesque spectabiles ac fructiferas arbores exstirpandas, ita ut nusquam alimenta suppetant, nusquam ulla frugum spes affulgeat, quibus fames posset sedari. Sic enim prodigiosam sterilitatem, terræque vastitatem adesse indicat, atque ingruente præsentanea clade, somno vinoque sopitos excitat: *Expergiscimini ebrii, flete et ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quia periit in ore vestro. Posuit vineam in desolationem, ficum decorticavit* (ablato enim cortice arbores emoriuntur), *vitis exaruit, et ficus elanguit, malogranatum, palma, et malus, omnesque arbores exaruerunt.*

CAPUT XXI.

DE HEBENO, ET ALIIS QUIBUSDAM EXOTICIS QUORUM IN SCRIPTURA FIT MENTIO.

Quanta olim fuerit in Tyro totius Asiæ emporio celeberrimo negotiatio, quæ hominum frequentia, qui mercium apparatus, præter illustres historicos Ezechiel [6] vates amplissime describit, recenset enim

(1) Apoc. 7. (2) Psalm. 91.
(3) Cap 29. (4) Cap. 5.
(5) Cap. 1. (6) Cap. 17.

singulatim multorum regnorum ac provinciarum mercimonia rara et exquisita, quibus explere solent negotiatores hanc urbem, quod omnibus facilem aditum, accessumque commodum præberet, nulla natio hunc locum non frequentabat, eratque commeantium incredibilis concursus antequam ab Alexandro Macedonum rege in ruinam esset redacta, quod futurum hoc capite Ezechiel vaticinatus est. Inter innumeras autem merces, quas hic recenset vates, hebenum, ebur, resinam, stactem, calamum, balsamum, corallum, crystallum, et præter pretiosissima aromata, aurum, variasque gemmas commemorat. Hebenus lignum est nigerrimi coloris adeo ponderosum, ut etiam in tenuissimas laminas dissectum in aqua demergatur nec fluitet. Quum autem duæ sint hujus arboris species, una Indica, altera Æthiopica: ex postrema elaboratam vidi fistulam incurvam sesquicubiti longitudine, elegante nitore expolitam, ut fere conspici solet Gagates, duritie lapidosa ac plusquam buxea: ubi contrectavi, non satis discernere potui, an in lignum aut saxum, an etiam durissimum cornu referri deberet. Est huic affine exoticum lignum gentili nomine *Guajacum* appellatum, quod in scobem ac ramenta limæ attritu redactum, atque in aqua ad tertias decoctum salubriter exhibetur morbidis ficosisque corporibus, et qui labe venerea sunt contaminati. Usus sum autem magno successu aqua fœniculi, in qua hujus tritura macerata est, ad discutiendas oculorum caligines ac glaucomata sive suffusiones. Ad sudores vero provocandos hujus decoctum exhibeo cum fumaria, calthæ floribus, melissa, ficubus, atque ad exigendos variolos, ac puerorum exanthemata in extimam cutem evocanda. Ebur adstringendi spissandique est natura: quocirca pectines, qui ex hoc conficiuntur, capillorum defluvium prohibent, et caput confortant. Quoniam autem eximii sit candoris, præsertim ubi dentes primum ex elephantis mandibulis eximuntur, ideo Sponsa in describendo Sponsi corpore [1], ventrem illi eburneum attribuit, propter candorem et puritatem, sapphiris distinctum, quo castitatem designat: ea enim gemma castos commendat. Sponsæ vero collum turri eburneæ assimilatur, quod candidum sit, firmum, et erectum, nec obstipo capite progrediatur. Jeremias autem Nazaræos Deo consecratos ebori componit, quod vetustate rubescit. Sic enim deplorat illos ita deformatos, ut agnosci nequirent: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulcriores, denigrata est super carbones facies eorum* [2]. Ex quo conjice in quam calamitatem erant dejecti. Myrrha quæ ex arbore destillat terebintho assimili, corpora a putredine asservat. Stacte liquor resinosus et stillicidium myrrhæ, ejusque pinguedo, quæ vulgo styrax liquida creditur, quum medicis etiam in usu styrax calamita. Thus Deo dicatum, suffimen a fumanti vapore, ubi igni injicitur. Gutta thymiama ammoniacum ex arbore in arenam defluit, unde nomen sortitum Cyreniacus vel Syriacus, hoc est, concretus succus, quem *Benzoi* vocant, ad suffitus et odoramenta præcipui effectus et olfactoriola in peste, ut zibethum, ambra, seu succinum orientale, muscus, casia cinnamomo affinis effectuque par, quæ cor recreat, animique deliquio oppressos erigit, vulgo *Caneel*.

Aloe concretus liquor ex arbore smaragdini coloris, quam nostrates ex Hispaniis allatam laquearibus affigunt, ac biennio amabili virore absque ulla aquæ irrigatione conservant. Expressus ab hoc frutice succus putredini obsistit, ac vermes enecat, morbosque contagiosos impugnat. Lignum quoque aloes, quod *Agallochum* vocant, asphaltho non dissimile, Hebræis etiam in usu fuisse constat, quoniam halitus suavitatem commendat, ut lignum rhodium. His omnibus jam memoratis, ut etiam balsami nobili lacryma, Scripturæ decus et virtutis præstantiam designat, ac suavem gratumque halitum salutaris doctrinæ, qua mens hominis affatim perfunditur. Sic quum David [3] Salomonis nomine Christi splendorem, amplitudinem, magnificentiam, majestatem amplificat, *Myrrha*, inquit, *gutta, et casia in vestimentis tuis a domibus eburneis*. Quo indicat gratissimum esse odorem et fragrantiam, quæ ab ipso promanat, ac longe lateque se diffundere, ita ut omnes mortales reficiat ac recreet. Tale quiddam obvium est in Cantico: Sic Sponsa mirifice delectata suavissimo Sponsi colloquio, *Labia ejus*, inquit, *lilia*

(1) Cant. 5. (2) Thren. 4. (3) Psalm. 44.

distillantia myrrham primam et electam [1]. Quo designat sermones ejus, et eloquia plena esse gratia et veritate [2] quæque pios fulciant, atque ab omni vitiorum corruptela conservent, impios vero amaritudine imbuant, atque illos vel conficiant, vel ad pœnitentiam impellant, metaphora sumpta a myrrha, quæ tametsi mire odorata sit, insigniter tamen est amara.

CAPUT XXII.

DE TEREBINTHO.

Terebinthus arbor in Syria ac Palæstina spectabilis et amœna, folio fere lauri, flore oleæ coloris punicei, baccis primum herbaceis, mox rubris, maturitate nigris. Fundit hæc arbor æstivis caloribus terebinthinam resinarum præstantissimam, mire odoratam, adeo pellucidam, ut fundum poculi, in quo asservatur, conspici queat; medetur hæc vulneribus, ac dolores mitigat; intus vero humorum collectiones discutit, ac calculos atterit, meatusque urinarios pervius præstat, ac saniem omnesque purulentas concretiones in stillicidio ulceroso, cui fere ficosi obnoxii sunt, expurgat, atque urinæ liberum transitum, atque expeditum facilemque decursum perficit. Sumuntur ex hac arbore ac plerisque aliis insignes comparationes et similia. Sic Isaias [3] post illatam cladem Israelitis aliquid consolationis afflictis mentibus affert, illosque in spem emergendi erigit, qui a calamitate sunt reliqui, *Multiplicabitur*, inquit, *quæ derelicta erat in medio terræ, et adhuc in ea decimatio, et convertetur, et erit in ostentationem ut terebinthus et quercus, quæ expandit ramos suos, semen sanctum erit id, quod steterit in ea.* Quo indicat tale quiddam obventurum populo Judaico quale arboribus, quibus Aquilonio hibernoque frigore folia decidunt, aut ictæ fulmine, vel turbine convulsæ extinctioni videntur proximæ, tamquam omni vitali succo destitutæ, quum tamen aliquis vigor nonnihil insiti humoris illis subsit, quo ineunte vere, ac recurrentis anni amœnitate revirescunt, ac postliminio frondescere incipiunt. Itaque denuntiat Israelitis excidium ac vastitatem, qua vix decimus quisque superfuturus sit, sic tamen ut non omnia penitus in nihil sint redigenda, aut extirpanda funditus, sed futuræ sint aliquæ reliquiæ, atque homines aliquot a clade residui, qui tametsi visi sunt internecioni dati, sublata omni emergendi spe, reviviscent tamen, ac verbi Dei semine fulti, in pristinum statum ac dignitatem reducentur, non secus quam stirpes aliquot speciosæ, ut tilia et terebinthus, quæ brumali frigore concussæ exaruisse visæ sunt; rursus novo vere repubescunt, ac pullulare incipiunt, fœcundaque stirpe spectatissime se propagant. Ceterum æterni Patris sapientia Christus terebintho multisque aliis speciosissimis stirpibus se comparat: et quam avide quisque illius doctrinam amplecti debeat, obiter commonstrat. Sic enim Sapientia [4] sui commendatrix omnibus quibus propria salus curæ est, se approbat: *Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam; ego feci ut in cœlo oriretur lumen indeficiens: quasi cedrus exaltata sum in Libano, et ut cupressus in Sion, quasi palma in Cades, ut plantatio rosæ in Jericho, ut platanus expandi ramos juxta aquas in plateis, ut cinnamomum et balsamum odorem diffudi, quasi myrrha electa, quasi storax, galbanum, onyx*, hoc est, blattæ byzantinæ, seu onyx et stacte, *suavem odorem expiravi, ego quasi terebinthus expandi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ.* His omnibus et si quid amplius huc congeri posset, amplissime commendatur Dei Patris Sapientia Christus, quo certatim omnes eo se conferant, atque ab hoc uberrimo fonte aquam vivam, hoc est, salutarem doctrinam depromant, nec alio divertant, aut ad cisternas dissipatas se conferant, hoc est, aquas turbidas et cœnosas quæ arida corda non refocillant, aut reficiunt, sed potius veneno imbuunt, ut testatur apud Jerem. [5] Dominus. Ceterum de cedri et cupressi natura et viribus supervacuum est multa hic referre, quum apud Dioscoridem et Plinium, compluresque alios copiose earum natura et vires explicentur; hoc tantum indicasse sufficiat, multiplices desumi similitudines in arcanis litteris ex harum arborum radicibus, trunco, ramis, foliis, floribus, semine, ab earum specie

(1) Cant. 5, 13. (2) Joan. 1, 14. (3) Cap. 6. (4) Eccli. 24. (5) Cap. 2.

et decoro aspectu, ab odore et fragrantia, a durabili æternaque ligni materia, ab umbra salubri, quam viatoribus lassis præbent, a suavissimis fructibus, quos in hominum usus proferunt, quibus passim designatur decus et virtutis præstantia, dignitas et excellentia piorum hominum, mentisque integritas et mores inculpati, qui prosunt omnibus, nocent nemini. Nonnumquam indicant fastum improborum et superbiam, animi elationem, arrogantiam, tumorem, ferociam: sunt enim celsissimæ arbores, summæque proceritatis, atque in immensum fastigiatæ; quarum pleræque humilibus infirmisque arbustis detrimenta inferunt, ut oppulenti tenuioribus. Ut autem Deus concitata aeris intemperie altissimos montes et procerissimas arbores fulmine dejicit, ut juxta David, *confringit cedros, quercus, ilices, robora:* ita superbos et elatos, fastuque turgidos qui se adversus Deum erigunt, atque hominibus sunt infesti, convellit, dejicit, comminuit. Quo spectat illud Isaiæ: *Dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et arrogantem, quem humiliabit super omnes cedros Libani sublimes et erectas, et super omnes quercus Basan:* quo declarat Deum minimo negotio fortissimas quasque munitiones et propugnacula dejicere, opes et potentiam elatorum hominum comminuere, nec quidquam tam validum esse ac firmum, quod contra illius vim possit subsistere. Quod ipsum etiam Zacharias [1] populo suo inculcatum esse voluit, ne temere fidant humanis præsidiis, quum nullæ munitiones quantumvis vallatæ illi possint obsistere, sed confestim exporrecta ejus manu cedant, ac collabantur. Quocirca in hunc modum tamquam per fecialem (*Arault* nostri vocant, qui principis sui nomine vel pacem, vel bellum denuntiat) figurate Israelem alloquitur: illique dira minatur. *Aperi, Libane, portas tuas, et absumet ignis cedros tuos. Ulula, abies* (quo designat potentiæ inferioris proceres), *quia cecidit cedrus,* quoniam magnifici vastati sunt. *Ululate, quercus Basan* (quo denotat duros et intractabiles), *quoniam succisus est saltus munitus.* Simili cladi subjicit pastores, qui superbia elati imperabant plebeculæ cum austeritate et potentia, quod Ezechiel [2] alias deplorat; denique perfectos et optimates populi; qui tamquam leones sævitiam ac tyrannidem exercuerunt in subditos.

(1) Cap. 11. (2) Cap. 34.

CAPUT XXIII.

DE MYRICA SIVE TAMARICE, ET ERICA QUÆ VULGO A SOLITUDINE ET LOCO ARIDO « HEYDE » VOCATUR, EX QUA BELGÆ EXTERGENDIS PAVIMENTIS SCOPAS CONFICIUNT.

Myrica quæ tamarice, humilis est pusillusque apud nos frutex, quod Virgilius [3] etiam observavit, folio scabro, sabinæ non absimili, flore purpureo, concretu muscoso, quo apes impense delectantur. Huic affinis erica, sed improcerior, flosculo ex candore purpurascente, quo passim scatent solitudines Brabanticæ, a quibus quoniam nihil pretiosi profundunt, herba hæc nomen sortita est. Belgæ siquidem loca squalida, strigosa, senta, atque situ horrentia, nullis consita arboribus, nullis frequentata hominibus, raris ac prope nullis culta ædificiis, aut exornata villis, *Heyde* vocant, quasi dicas solitudinem et desertum, solique vastitatem: ingruente enim aeris tempestate, exortaque pluvia, tonitru, fulmine, coruscatione, ne minima quidem domicilia aut gurgustia se offerunt, in quibus possis diverti ac delitescere, nihil autem in iis locis spectatu visuque dignum, quaquaversum dirigis oculos, nisi humiles abjectique frutices et squalore obducti; a quibus Prophetæ passim similitudines desumunt, si quando hominibus calamitates et tristia quæque obventura denuntiant. Sic Jeremias [4], *Maledictus, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus.* Quibus verbis detestatur illum, qui in re corporea ac fragili spem et fiduciam suam collocat et in periculis aliunde potius, quam a Deo subsidium ac salutis præsidia conquirit: *hic enim myricæ erit similis in deserto,* quæ ex aeris temperie et clementia nihil boni aut commodi consequitur, sed in terra horrida, jejuna, siticulosa, salsa constituta, non diu subsistit: *Benedictus vero et felix qui confidit in Domino* [5]: erit enim ut arbor circa rivos aquarum plan-

(3) Bucol. Eclog. 4. (4) Cap. 17.
(5) Psalm. 1.

tata, quæ continenter humore irrigata, radices et ramos longe lateque diffundit, sic ut folium ejus semper existat viride, et tempore siccitatis fructum ferre non desinat. Rursus quum Deus excidium imminere denuntiat Moabitis, qui ex Judæis oriundi, nempe Loth Abraham fratre, infestissimi illis hostes erant: *Fugite*, inquit, *et salvate animas vestras, eritis enim quasi myricæ in deserto*[1]. Quo illos commonefacit, ut mature se ex suis stationibus subducant, ut saluti suæ prospiciant, ut celeri fuga vitæ suæ consulant, quoniam eorum civitates devastandæ sint, ac futuræ desertæ nullosque habituræ incolas, tum cives spoliandi omni honore ac dignitate, nulliusque futuri existimationis aut nominis, sic ut non pluris æstimandi sint, quam myricæ in vasta solitudine.

CAPUT XXIV.

DE RESINA, BELGICE « HARS. »

Resina est omnis illa oleagina pinguedo et gummosa concretio, quæ incalescente sole, ex pino, picea, abiete, larice, lentisco, terebintho profluit. Apud nostrates etiam cerasus et prunus mellei coloris resinam profundunt atterendis calculis idoneam, populus quoque alba, quæ vulgo *Abeelboom* vocatur, succini modo gummosum liquorem ex hiante cortice exhibet. Terebinthina ex omnibus principatum obtinet, proximum locum sortitur lentiscina, hoc est, *mastiche*, cui succedit pinea et abiegna: picea, strobilina vero et colophonia postremum locum occupant. Est autem resina duplicis differentiæ, ut et pix, liquida et sicca, quæ ad nos ex Norvegia advehitur; illam *Hars* nostri vocant, Hispani *Herpens;* alteram nempe concretam a speculi nitore, quoniam pellucida est, splendescit, *Spieghelhars*. Harum vis effectusque est dolores mitigare, vulnera astringendi glutinandique vi cicatrice obducere, præsertim resina terebinthina, cujus vires et effectus Jeremias metaphoricos ad animi vulnera transfert, quæ verbi Dei lenimento sanescunt, ac sanitatem consequuntur. Itaque in hunc modum expostulat cum Israelitis: *Numquid Dominus non est in Sion, aut rex ejus non est in ea? Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix populi mei? et cur valetudo ejus tam segniter procedit?* quasi diceret: Obvia est hæc parataque medela, quæ mentem animumque lacerum sanet, sed filia populi mei, salutis suæ oblita, non adhibet remedia vulneribus suis sordidis et purulentis, non admittit salutaria verbi Dei fomenta et cataplasmata, sed putrescit in vitiorum suorum sordibus, nec vomicas suas exercitato expertoque medico, nempe Deo, detegit, aut curandas offert, penes quem præsentanea sunt remedia medendis exulceratis mentibus, adhibito vino et oleo consolationis et misericordiæ, ut Christi parabola [2] indicat de Samaritano, cujus ipse typum gerebat, et viatore saucio ac vulneribus confecto, quo designatur genus humanum astu et malitia Satanæ, integritatis et innocentiæ integumentis spoliatum, omni vitiorum genere afflictum et desperationi proximum. Quum autem Deus in scelerum vindictam vulnera nobis infligat, hoc est, inedias, calamitates, clades, infortunia nobis immittat, vult ut ab eodem instaurandæ valetudinis præsidia petamus. Qua de re extat suavis cum primis et consolatoria apud Jeremiam [3] concio, in qua Deus indigne ac dolenter fert, quod homines aliunde quam ab ipso salutis ac sanitatis præsidia conquirant, et venentur, quod idololatriæ, superstitioni, ac ridiculis vanisque cultibus dediti, deserto tam liberali ac munifico Domino, tyranno fallaci, insidioso, noxio se dedant.

Quocirca non sine causa ad hunc modum cum suo populo expostulat: *Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina, quæ vel nihil prorsus vel maligne aliquid profundit? Cur ergo populus meus a me deficit, et se reversurum negat?* Similitudine desumpta a solo sterili et infœcundo, ab agris jejunis, aridis, siticulosis, squalidis, qui sementi inidonei sunt, nec ullas fruges aut fructus in usum aliquem effundunt, quum longe absit hæc sterilitas a cælesti Patre rerum opifice, apud quem est omnium, quæ excogitari aut mente concipi possunt, copia et abundantia, summa u-

(1) Jerem. 47. (2) Luc. 10. (3) Cap. 2.

bertas et affluentia, nulli non obvia et exposita; sicut liceat si visum est, ample et inculpate illius munificentia frui, illius exornari muneribus, ita ut omnibus modis culpandi sint, qui a tam munifico Domino desciscunt, quum nulla subsit legitima defectionis causa, nec quidquam in eo possit desiderari. Quocirca rei indignitate permotus, adducto alio exemplo, scelus exaggerare pergit: *Numquid*, inquit, *obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ*, qua redditur oculis spectantium commendatior? nulla certe ratione tam erit sui negligens, ut tale quiddam in animum induxerit. *At populus meus* nulla habita dignitatis suæque salutis ratione, *oblitus est mei diebus innumeris*. Ceterum quum Deus saluberrima ac maxime salutaria remedia afflictis mentibus adhiberi velit, insultat Ægypti populo, quod sinistra parumque apposita medicamenta vulneribus applicat, quibus exasperatur potius malum, quam mitescit. Proinde commonstrat unde petenda sanitas, a quo salus expetenda: *Ascende*, inquit, *in Galaad, et tolle resinam, virgo filia Ægypti, frustra multiplicans medicamina, sanitas non erit tibi*. Erat autem Galaad una ex sex oppidis, in quam, ut in asylum et perfugium se recipiebant, qui fortuito atque imprudenter nulla destinata malitia alicui vitam eripuerant, eaque civitas Levitis et Sacerdotibus assignata erat apud quos vigebat lex et verbi Dei ministerium [1]. *Siquidem*, ut Malachias [2] ait: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem ex ore illius requirent, quoniam sit angelus Domini exercituum*, hoc est, Dei legatus et interpres, cui incumbit docendi munus et doctrinæ studium. Quocirca propheta huc afflictum convocat, atque a Deo ejusque ministris petendum auxilium demonstrat, alioqui non solum irrita fore remedia aliunde conquisita, sed etiam damnosa; quod iis usuvenit, qui in alium, quam in Deum defigunt oculos, aut convalescendi spem et fiduciam collocant. Sic idem Vates contritæ et conquassatæ, convulsæque Babyloni, quæ est velut scelerum quædam officina, resinam adhibendam conclamat, si forte sanetur. Sed quum salutaria monita respuat atque aversetur, quum ad Dei verbum ejusque monita et vellicationes obsurdescat, ut insanabile ac morbo deplorato implicitum omnes certatim deserunt, atque alio se conferunt. Qua metaphora indicat Jeremias [3] concionatores sacros ac Dei ministros nulla non remedia adhibuisse sanandis ejus vulneribus, medendis animi vitiis, atque extremam impendisse operam eximendis menti erroribus: sed non successisse curationem, omnemque medendi operam frustra insumptam. Quocirca visum est illam relinquere suæ cæcitati, et subjicere Dei judicio, a quo illi miseranda clades et acerba calamitas, concitatis in illam hostibus ferocissimis, imminet: quod Christus [4] etiam Judæis eventurum denuntiat, qui tot provocati beneficiis in Prophetas ac servatorem, ejusque assectatores immaniter sævierunt.

(1) Num. 35; Deut. 19; Jos. 20.
(2) Cap. 2.
(3) Cap. 50.
(4) Matth. 19.
(5) Gen. 49.

CAPUT XXV.

DE VITE SEU VINEA, CUJUS PARTES ATQUE APPENDICES, SARMENTA, PALMITES, MALLEOLI, PAMPINI, CLAVICULI VEL CAPREOLI, UVA, RACEMUS BOTRUS, ACINUS VINACEUS, SEU ACINORUM GRANUM: ET QUAM APPOSITE HORUM PLERAQUE CONCIONIBUS AC VATICINIIS ADHIBENTUR.

Quum multæ passim in sacris Bibliis ad stabiliendam veritatem ac rei dubiæ vel obscuræ faciendam fidem Parabolæ, hoc est, rerum notissimarum similitudines narrationibus adhibentur, tum nullæ magis vel vaticinia, vel conciones illustrant, quam quæ ex vite ejusque sobole desumuntur. Primum enim se offert insigne illud vaticinium Jacob patriarchæ de Messia, qui ex Judæ semine oriundus salutem et reconciliationem, reditumque in Dei favorem et gratiam mortalibus attulit; *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de fœmore ejus* [5], hoc est, non desinet, nec abolebitur imperium, *donec veniat qui mittendus est*, nempe Sospitator ac salutis auctor *Jesus Christus, et ipse erit expectatio gentium*, hoc est, ad illum gentes se conferent, illius doctrinam amplectentur, illi fident, atque innitentur; illius imitabuntur vitam, mores et studia, *Ligans ad vineam pullum suum, et ad palmitem*

vitis asinam suam. Lavabat in vino stolam seu indumentum suum et in sanguine uvæ pallium suum. Quo crucis et effusi sanguinis mysterium exprimitur, cujus virtute expiati sumus, atque a diaboli mortisque tyrannide per resurrectionis efficaciam in libertatem asserti. Tale quid designat Isaias [1], quum inquit: *Erit in illa die radix Jesse. Qui stat in signum populorum, ipsum gentes conquirent et deprecabuntur.* Allusit ad erectum vexillum aut signum aliquod quod eminus conspici possit, quale nautæ *Baken* vocant, in quod velificantes interdiu continenter oculos defigunt, ut noctu in Cynosuram aut polum arcticum, quo cursum inoffense dirigant, nec uspiam impingant, aut diversi rapiantur. Ceterum quum vitis aspectu sit amœna, pampinorum ac foliorum pompa, claviculorum amplexu, uvarum turgescentium ubertate, in statu connubiali uxor numerosa prole fœcunda, huic stirpi comparatur, quum David [2] inquit: *Uxor tua sicut vitis abundans* quæ longe lateque palmites diffundit, *in lateribus domus tuæ.* Sapientia vero sui commendatrix; *Ego,* inquit, *quasi vitis fructifera, gratissimum undique odorem diffundo* [3], hoc est, suavissima eloquia et salutarem doctrinam omnibus profero, quo refici possint, tamquam succulenta ac sapida uva. Quisquis enim hujus sermones amplectitur, prosperos successus est habiturus, magnaque in virtute progressus et incrementa. Quam felicitatem Deus per Oseam [4] præclaris aliquot metaphoris Israeli, et quisquis in gratiam cum Deo redierit, pollicetur: *Sanabo,* inquiens, *contritiones eorum et diligam illos spontanee;* quo indicat liberalem, et spontaneam, gratuitamque peccatorum veniam: *Quia aversus est furor meus ab eis: Ero quasi ros Israeli, et germinabit quasi lilium aut rosa, et erumpet radix ejus ut arbores Libani, et propagabunt se rami ejus, et erit quasi oliva gloria et decor ejus, et odor ut Libani. Et germinabunt quasi vinea, et augescent ut triticum,* quo etiam affluenter fruentur. Horum commemoratione omnium rerum affluentiam ac prosperitatem indicat, ac florentissimum fore Reipub. statum, nec quidquam etiam defuturum eorum, quæ ad internum animi decus, mentisque ornamentum spectant; iis vero qui munificentiæ divinæ immemores, deliciis ac voluptatibus dediti sunt, ac luxuria diffluunt, contraria omnia eventura Isaias [5] denuntiat, nempe vineas extirpandas, nullam fore vindemiam, defuturum vinum iis, qui se inter pocula cantilenis, ac musicis instrumentis oblectare solent, ac plus nimio lascivire atque insolescere; illam denique subsequuturam cladem et vastitatem, ut populus quo civitates maxime illustrari solent, ad nihilum fere sit redigendus, sic ut pauci futuri sint residui. Nam tale quid illi eventurum prædicit, quale decussis olivis assolet ex olea, et racemis peracta vindemia. Ut enim in hujusmodi stirpibus non ita omnia decerpuntur, quin aliquid restet: ita ex ingenti clade quam perpessi sunt, exiguus aliquis numerus erit reliquus. In eodem argumento versatur per Jeremiam [6] Dominus, qui improbos non solum vastandos pronuntiat, sed etiam fame ac rerum omnium inopia opprimendos, adeo, ut desint uvæ vitibus, et non sint ficus in ficulnea, sic, ut decidentibus foliis, nihil ex his sperari possit. Quo designat nulla fore sedandæ famis solatia, quibus corpus possit subsistere, nulla afflictæ mentis fomenta, quibus possit fulciri; denique illos ad unum omnes, sicut ficus et uvas colligendos ut nullæ restent reliquiæ: quemadmodum si finita messe aut peracta vindemia nihil supersit spicilegii, nulla racematio. Ut autem maturescentes uvæ sapidæ sunt et succulentæ, palatumque et fauces sapore grato reficiunt: sic doctrina sana et salubris, sermo gratiosus et suavis, mentes hominum fovet ac refocillat. Quocirca Moses doctrinam perniciosam et noxiam, improborum hominum commercia, eorumque vitam, mores et studia uvis venenatis comparat, quæ animos hominum noxio ac pravo succo imbuunt, mentesque bene institutas, a Dei cultu et religione avertunt: *De vite,* inquit, *Sodomorum vinea eorum, et suburbanis Gomorrha: uva eorum uva fellis, et botrus amarissimus, sed et virus draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile,* hoc est, sermo illorum tam pestilens et venenatus est, ut confestim inficiat et perimat. Quo spectat illa apud Oseam [7] subsanna-

(1) Cap. 11. (2) Psalm. 127.
(3) Eccles. 24. (4) Cap. 14.
(5) Cap. 24. (6) Cap. 8.
(7) Cap. 3.

tio in hos qui superstitiosa doctrina imbuti, ac cultu pernicioso dementati, respectant ad deos alienos, ut ebriosi ad vini pocula et lagenas: *Ipsi*, inquit, *respiciunt ad deos extraneos, et diligunt vinacea uvarum*. Comparat enim illlorum vesaniam, qua rapiuntur ad idololatriam, temulentorum conditioni, qui semper ad calices et pateras vinique nidorem oculos ac nares habent intentas, ac conspectis poculis, vel temulentorum sodalitio exultant ac gestiunt. Ceterum quum in vineæ mentionem incidimus, illud obiter indicandum, Prophetas [1] vitis uvarumque et aliarum stirpium nomine, nunc rerum abundantiam ac fertilitatem, nunc inopiam et penuriam, nonnumquam populi raritatem vel interitum, aliquando frequentiam, et qui ex paucis in numerosam stirpem sunt propagandi. Sic Deus apud Jeremiam [2] eleganti metaphora Idumæos ita spoliandos pronuntiat, ut nihil ex illis sit reliqui, adeo ut hostes futuri sint illis paullo clementiores, quam ipse: *Si te*, inquit, *vindemiatores aggressi fuissent, reliquissent forte racemum*, hoc est, non prorsus te expoliassent, aut omnibus tuis bonis exuissent: *Et si fures*, nocturnique oppressores, *ædes tuas invasissent, rapuissent, quod visum illis fuisset satis*, non tamen omnia forte convastassent, sed passi fuissent aliquid superesse. *At ego*, ait Dominus, *ita spoliavi Esau*, ita abdita quæque detexi, *ut excussis omnibus angulis, nihil celari potuerit*, nec ulla supellex sit relicta: Quum autem prorsus odiosa sit et detestabilis Deo superbia, et fastus ex rerum affluentia ac prosperitate ortus, qua dulci fortuna ebrii insolescunt ac ferociunt, illam tamen acriter contundit ac reprimit, et tales quamlibet inultos prosternendos pronuntiat, ut segetes quas messores plenis ulnis exporrectisque brachiis vellunt, atque in manipulos complicant, sic ut etiam ii qui ex paucis futuri sunt reliqui, colligendi sint, ut spicæ finita messe; interim plerosque superfuturos pollicetur, allata alia similitudine, ut uvæ in vitibus, et olivæ in olea. Quemadmodum enim nusquam tam exacte perficitur vindemia, quin aliqua supersit racematio, nec tam diligens olivarum excussio, quin vel sub foliis aliquid delitescat, vel in cacumine aliquid se proferat: ita a clade et vastitate aliqui superfuturi sunt, qui in spem misericordiæ sunt reservandi: *In die illa*, inquit, *attenuabitur gloria Jacob, et pinguedo carnis ejus emarcescet. Et erit sicut congregans in messe quod restiterit* (ut in spicilegio assolet omnibus manipulis sublatis) *et brachium ejus spicas leget*. Interim *relinquetur in eo velut racematio, et sicut excussio oleæ vel duarum vel trium olivarum in summitate rami, et sicut quatuor aut quinque in cacumine arboris*. Quo indicat opulentos atque optimates fastu et arrogantia turgidos dejiciendos: ex tenui vero plebecula nonnullos superfuturos, quemadmodum exacta vindemia aliquot botri aut acini, quibus tenuiores se fovent ac recreant.

(1) Isa. 17. (2) Cap. 49.
(3) Levit. 14; Num. 19.

CAPUT XXVI.

DE HYSSOPO.

Hyssopus hortensis herba eodem etiam nomine Belgis cognita condimenti vice juri innatat, quod eximii sit odoris, ac sapore non ingrato, sic ut elixa quæque non minus salubria efficiat, quam sapida, nam pectus et pulmonem expurgat, capitisque pituitam extergit, quocirca in expugnando pleuresi ac morbo quovis laterali singularem effectum obtinet. Qua ratione visum est Deo herbam hanc sollemni sacrificio adhibere, quum vel leprosi lustrandi sunt, aut scelus aliquod piaculare expiandum, intincto hyssopi fasciculo in sanguine passerculorum vel vitulorum [3]. Quocirca David [4] adulterii atque homicidii scelere contaminatus, aspergi expiarique hyssopo cupit, quo abstersa omni macula, animi mentisque puritate nitescat. Respexit is ad veteris testamenti ritus et sacrificia [5], quæcumque enim purificabantur juxta præscriptum legis Mosaicæ sanguine cum lana coccina et hyssopo aspersa, puritatem sunt consequuta. Quæ omnia umbram quamdam et figuram exhibebant, ut Paulus ad Hebræos [6] testatur, Christi, cujus sanguine omnia nostra scelera expiata sunt, ac fidei accessu oblivioni data. Ceterum quum hyssopi mentio incidat in libris Regum [7], ac Salomon disseruisse

(4) Psalm. 50. (5) Exod. 24.
(6) Cap. 9. (7) 3. Reg. 4.

memoretur de arboribus a cedro Libani usque ad hyssopum quæ erumpit e pariete: non videtur mihi nostra designari, quæ non est exilis et minuta herba, sed aliquando spicato purpureoque flosculo in sesquipedalem magnitudinem assurgit. Quocirca adiantum, sive capillum veneris illum intellexisse interpretor, cirratis crispisque foliis, quæ nisi murorum aspergines persequitur: et quoniam rutæ foliis affinis est, hanc Belgæ *Steenruyte* vocant, hoc est, murariam rutam. Huic *Trichomanes* affinis iisdem semper locis proveniens, quæ recto stilo eoque junceo assurgit medii digiti longitudine, foliis minutis, utroque latere distincta, serie concinnoque ordine digestis, virore perenni, utraque herba eosdem habet effectus, atque ut hyssopus tussiculosis et anhelantibus, pulmonisque vitiis medetur. Vocantur autem nunc polytrichi nomine, nunc callitrichi ab effectu, quo capillum confirmant, et nigredine imbuunt, illumque crispum et densum perficiunt. Quoniam itaque exiguus est humilisque fruticulus, vix palmari altitudine, atque e parietinis erumpit, hunc pro hyssopo designari arbitror. Nam hic illius dicti sensus est. A celsissima quavis arbore ad minutissimam herbam, quæ parietinis innascitur, omnia illum exactissime habuit explorata.

CAPUT XXVII.

DE ARUNDINE, QUÆ GRÆCIS CALAMUS, BELGICE « RIET » VOCATUR, EJUSQUE DIFFERENTIIS, DE LINO STIPULA, QUISQUILIIS, ET PLERISQUE ALIIS, EX QUIBUS SIMILITUDINES DESUMUNTUR.

Arundinis plures sunt differentiæ; una species est lævore perpolita, enodis, nullisque distincta geniculis aut internodiis, quæ typha palustris vocatur, qualis Christo [1] pro sceptro regali in manum tradita, in affectati regni ludibrium. Est huic stirpi sceptri regalis aut imperatorii forma, cujus cacumen duarum fere palmarum altitudine, ac crassitudine pollicari, densa compactaque lanugine stipatur, quam si manu aut digitis demulceas, holosericum, aut villosam quamdam congeriem contrectare te credas, quæ tamen post dies aliquot dissolvitur in pappos, atque in diffusam lanuginem evanescit. Alia in locis humectis atque irriguis passim conspicitur, quæ *Canna palustris*, aut *Donax* vocatur, culmo geniculato, terete, fistuloso, lanuginosa in cacumina congerie, eaque diffusa, non compacta. Scatent hac passim urbanæ fossæ quæ mœnia ambitu muniunt, et in pomœriis paludosa loca ac stagnantia. Plebecula apud nos æstivis mensibus radicem hujus stirpis certatim eruit, quod habeat esculenti quiddam non sine nauseosa quadam dulcedine, quæ qualitas efficit ut apostemata ad suppurationem perducat, ac spicula spinasque atque aculeos corpori infixos extrahat. Quoniam autem arundo nutanti est cacumine, auraque levissima hinc impellitur, ob id illi assimilantur inconstantes, mobiles, lubrici, vacillantes, volubiles, et qui in dictis factisque, atque in omni vitæ actione non satis sibi constant, aut in sententia firmiter persistunt, nempe arundine magis volubiles. A quo vitio quum Joannes Baptista esset alienissimus, Christus [2] in laudem ejus constantiæ, et quod illius doctrina ac de Messia testimonium veritati forent consentanea, prolixam concionem habuit, qua persuasum esse voluit promiscuæ multitudini, illum arundini vento agitatæ prorsus dissimilem, ut qui nusquam vacillet, aut aliud stans, aliud sedens loquatur, vel levi momento a paullo ante probata sententia dimoveatur: sed constantem esse, stabilem, veracem, et ejus verbis nulla subsit vel levitatis vel inconstantiæ suspicio; quocirca æquum esse, ut quivis magnifice de tanto præcone sentiat ac loquatur, illumque non ex vulgata hominum opinione, sed ex rei veritate æstimet. Ceterum ut reliqua persequar, ex arundinis conditione desumitur proverbium: *Scipioni vel baculo arundineo inniti*, de eo qui spem suam ac fiduciam collocat in illo, qui non solum non fulcit aut præsidio est, sed etiam nocet ac detrimenta infert. Eadem utitur metaphora, Isaia [3] teste, Rabsaces in obsidione Jerosolymæ [4], qua invictum, Deoque fidentem Ezechiæ regis animum labefactare nititur, omnibusque machinis ac minis ad deditionem sollicitare. Apud Ezechie-

(1) Matth. 27. (2) Luc. 7. (3) Cap. 16. (4) 4. Reg. 18.

em [1] quoque Dominus eadem usus simi-
itudine insultat regi Ægypti, illique in-
ernecionem minatur. Quum enim Israeli-
as illius præsidio innixos fulcire studuit,
psc velut baculus arundineus confra-
tus, et sibi vulnus inflixit, et illos fœde
aceravit, lateribus humerisque undique
issolutis ac perforatis. Quo indicat o-
nnes illorum vires attritas et collapsas
sse, omneque belli robur convulsum et
issipatum. Sic enim Deus, ut David [2]
estatur, increpat feras arundines, hoc
st, hastatos ac lanceis armatos milites
onvellit, labefactat, prosternit ac dejicit,
netaphora desumpta a longis firmisque
rundinibus, quales etiam brachii crassi-
udine spectamus, quas in acie vibrare
olent, atque eminus cuspidem hosti ob-
icere; quod nunc Turcas in Palæstina
actitare audio ab iis, qui ea loca reli-
ionis ergo frequentant. Similem cladem
Deus stirpi Jeroboam [3] intulit, atque I-
raelitas idolorum cultui deditos concus-
it more nutantis in aqua arundinis,
osque evulsit e terra ubere et fœcunda,
uam a progenitoribus Dei munere erant
onsequuti. Quo designat illos ad nihilum
edactos, atque opibus, potentia, honore,
ignitate spoliatos. Ut autem Deus de-
umpta ab arundine similitudine, inani
ducia inflatos, et qui rebus caducis et
nomentaneis innituntur, nonnumquam
onvellit et dejicit; sic ediverso fragiles,
mbecilles, pusillanimos, vacillantes,
nœstos erigit, consolatur, fulcit, ani-
numque ægrotum ac labantem salubri
octrina fovet, instaurat, reficit. Quo
eferri debet insigne illud vaticinium a-
ud Isaiam [4] de Christi lenitate et man-
uetudine, quæ afflictas quasque mentes
n spem salutis erigit: *Ecce servus meus*
uem elegi, dilectus meus in quo sibi
omplacuit anima mea. Ponam spiritum
eum super illum, et judicium genti-
us annuntiabit, non contendet, neque
lamabit, neque audiet quisquam in pla-
eis vocem ejus, arundinem comminu-
am non confringet, et linum fumigans
on extinguet, non erit tristis, nec tur-
ulentus, et in nomine illius gentes
perabunt. Duabus hisces metaphoris,
empe arundinis conquassatæ, seu confra-
ti calami, et lini fumigantis [5] declarat,
uanta Christus erga contritas afflictas-
ue mentes mansuetudine et clementia,
quam salubri doctrina in ruinam inclinatos erigat, labentes fulciat, mœrentes soletur, imbecilles et vacillantes in fide instauret, et si quid aliunde accesserit damni atque incommodi resarciat, adeo ut plagas menti illatas leniter tractet et placide, nihil agat vi, minis, terrore, sævitia: ut nonnulli feroci et turbulento ingenio, qui lapsos sublata omni resipiscentiæ spe, sævius tractant, quam mansuetudo christiana exigat. Similiter nec linum fumigans extinguet.

Quæ similitudo desumitur a lychno pensili, sive elychnio, vel stupa, vulgo *Lement*, quod oleo imbutum flammam alit nonnumquam subobscuram et fumidam, minusque luminosam, ubi vel pinguedo desit, vel parcius illa fovetur. Itaque hac comparatione designat fidem modicam, debilem, vacillantem, inclinatam, quæ tamen non prorsus extincta sopitaque est, licet aliquando sit extinctioni proxima, quam Christus, et quisquis ejus ministerio fungitur, nec extinguit, nec opprimit, sed tantisper dum aliqua pietatis scintilla emicet, et subsit menti vel exiguus igniculus, nutrit, fovet, exsuscitat, atque animum Spiritus sancti flabello accendit et illustrat, ut discussa omni caligine, lumen fidei et pietatis perspicue eluceat ac longe lateque in usum proximi se diffundat. Ita autem Deus doctrinam suam, quæ est velut fomentum animæ mentisque pabulum, temperat et moderatur, ne quis nimia severitate possit ab instituta professione resilire, atque ab Ecclesia alienari; nec etiam lenitate et mansuetudine nimia, tamquam molli educatione corrumpi, ac severitate quadam oscitante ac supina ad omnem virtutem obtorpescere. Siquidem judicii severitate in officio continentur impii, imbecilles lenitate et mansuetudine. Sic in Evangelio quo cuique salus denuntiatur: *Dulcia permixta amaris*, hoc est, consolationes minis, et amara dulcibus, hoc est, minæ consolatione mitigatæ. Per fumum et vaporem, nebulas, per fœnum, festucas, paleas, stipulas, favillas, pulveres, quisquilias, aliaque rejectamenta designantur in Bibliis cum homines, tum res viles, leves, inanes, futiles, minutæ, nihili, nauci, nulliusque momenti vel pretii, et quæ plus detrimenti quam commodi adfe-

(1) Cap. 29. (2) Psalm. 76. (3) 3. Reg. 14. (4) Isa. 42. (5) Isa. 61.

runt. Ex his variæ et multiplices similitudines sacris Scriptoribus sumuntur, quibus narrationes suas exornant. Sic Deus impios ut paleas dissipandos pronuntiat, exurendos ut stipulas, ut pulverulenta quæque discutiendos, ut quisquilias aliaque ventiludibria dispellendos [1]. Quo spectat illa apud Job. sententia [2]: *Lucerna impiorum extinguetur*, hoc est, splendor eorum, gloria, honor, decus, magnificentia obscurabitur et exolescet: *Et erunt improbi velut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla quam turbo dispergit*, hoc est, repentino funditus comminuentur. Sic Isaias [3] triturandos pronuntiat Moabitas, et quicumque Dei verbo obsistunt, ut teri solent paleæ in plaustro, et non minore negotio absumentur, quam ignis deurit stipulam aridam. Non minus atrocia minatur iis, quibus consuetudo peccandi in naturam abiit, et vitiis suis jam domesticis atque assuetis occalluerunt: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, et pardus varietates suas*, hoc est, tegmen maculosum illi nativum, *et vos poteritis benefacere quum malis estis assueti. Quocirca ego vos dissipabo tamquam stipulam quæ vento rapitur in deserto* [4]. Simili clade perituros denuntiat apud Isaiam [5] illos, qui cultus adulterinos stabiliunt, et omne præsidium ac fiduciam in idolis constituunt: *Eritis*, inquit, *sicut quercus defluentibus foliis, et sicut hortus absque aqua. Et erit fortitudo vestra*, hoc est, Deus ille ficulneus, cui innixi estis, *ut favilla stupæ, et opus vestrum quasi scintilla, et succendetur utrumque simul, nec erit qui extinguat:* hoc est, omnis illa pompa ac spectaculum fictæ religionis abolebitur incendio, ut purgamenta lini et stupea congeries accensa face deflagrant. Ceterum ut reliqua persequar; Amos propheta [6] acriter insectatur negotiatores frumentarios, quod quum granaria habeant onusta frugibus, in annonæ penuria famelicam turbam deglubunt, ac præter stateras dolosas, trutinamque accisam ac parum æquam, qua populares defraudant, tenui plebeculæ pro sincero tritico quisquilias, paleas, glumam, acus, hoc est, peripsemata seu purgamenta, furfuribus deteriora obtrudunt, ac carius divendunt fallaci astu, ac inopia reddunt sibi obæratos atque obnoxios, ut non liceat alio diverti, e iamsi merces vilius prostent. Quonia nemo debitorum Græca fide, hoc es prompta numerataque pecunia empti nem cum creditoribus transigit. Qu si cui libeat hanc Prophetæ satyram scutere, quam contra hos instruit, q plus nimio quæstui inhiant, magnoq inopum detrimento pretia rerum inte dunt, dilucide perspecturus est, qua graphice atque ad vivum nostræ æta homines suis coloribus depingat, et qu Deus illis minetur, qui pauperes absc bent, atque egestate oppressis victu vitæque subsidia subtrahunt. Verum missis, sermonem referamus ad metaph ras, quæ ex inutili ac volatili hac cong rie desumuntur ad illustrandas res ver ac solidas. Deus quum apud Jeremian verbum ac doctrinam suam cum prin salutarem, efficacissimam in erigend pascendisque famelicis mentibus præc cet, tritico illam comparat, quod solidu alimentum corpori præstat, ut illa ar mæ: doctrinam vero inanem, supers tiosam, adulterinam, fucatam, instabile fallacem, noxiam, infrugiferam somno paleis: *Quid tritico*, inquit, *cum str mentis et paleis:* hoc est, quid vanit cum veritate, quid somno inani ac falls cum re vera, certa et indubitata? qu densissimis tenebris cum clarissima vangelii luce? Paleæ etiam metapho Joannes Christi præco utitur, quum criter instigat socordes ad amplectenda salutem, adesse enim Messiam *qui* cepto in manu ventilabro, *expurgab aream suam, et congregabit triticu suum in horreum: paleas vero exur igni inextinguibili* [8]. Quibus verbis i dicat pios recipiendos in æterna tabe nacula post exactos hujus ævi labore impios vero æternis incendiis destina dos. Ut autem Joannes magna severita commonefacit populum officii sui, hortatur ad resipiscentiam adhibitis p rabolis de securi arbori admota, m excindendæ, de secernendo tritico a p leis: ita Christus [9] cui semper fuit odio ac detestabilis hypocrisis, hoc est, mulata sanctimoniæ species, fictaque p tatis umbra, adducta trabis et festuc similitudine, acriter castigat illos q plus nimio sunt oculati in alienis vitii ac minutissimos errores curiosius obse

(1) Psalm. 1; Isa. 17. (2) Cap. 21.
(3) Cap. 5 et 25. (4) Jer. 13.
(5) Cap. 1. (6) Cap. 8.
(7) Cap. 23. (8) Matth. 3. (9) Matth. †

ant eosque exaggerant in immensum, quum vitiis suis maxime blandiantur, aque ita extenuent, ut in nihilum redere patiantur. Quo autem hujusmodi itiosi affectus et complures alii, nempe philautia, hoc est, cæcus amor, suique iducia, et fastus, arrogantia, animi elaio, proximi despectus, odium, ira, vindictæ cupiditas hominum animis eximanur, sacri vates ac sapientiæ professores nentes illorum ad modestiam suique cognitionem ac naturæ notitiam revocant, ut observare condiscant ævi hujus brevitatem, et quam sit inanis, fugax, fragilis, aduca, evanida vita mortalium: et cum nnumeris malis exposita, tum angustiis rctisque finibus terminata, brevissimis patiis circumscripta, sic ut ab iis appo ite spiritus ipsaque vita qua homo subistit, somnium censeatur, fumus, vapor, nalitus qui confestim evanescit atque in aera diffunditur, umbra, bulla, fœnum et herba cito arescens, flos et folium mox deciduum, et ut Job ait: ventus qui per aera volvitur. Quibus metaphoris designant sacri vates gloriam, decus, magnificentiam, et quidquid est humanæ sapientiæ, quidquid fortitudinis et prudentiæ, vanum esse, fluxum, caducum, ruinosum, nisi stabili atque æterno Dei verbo fulciatur, nisi cælesti virtute sustentetur. Hæc omnia Scripturæ testimoniis abunde stabiliri possent, sed opus in immensum cresceret. Quocirca quædam ad calcem designasse sufficiat, quæ studioso avidoque lectori, si perquirere velit, omnium specimen sunt exhibitura [1].

CAPUT XXVIII.

DE CUCUMERE ET PLERISQUE ALIIS HERBIS QUARUM IN BIBLIIS FIT MENTIO.

Cucumis vel cucumer notior est, quam ut describi debeat. Hunc autem et plerasque alias herbas Hebræis atque Ægyptiis fuisse usui Bibliorum historia commonstrat [2]. Quum enim Moses vexaretur a populo Israelitico, ac vulgus promiscuum flagraret desiderio carnium: *Quis*, inquiunt, *dabit nobis carnes ad edendum?* recordamur piscium quos in Ægypto comedimus. In mentem venerunt cucumeres, pepones, porri, cepæ et allia. Istis autem non solum plebeji utuntur, sed etiam patricii partim in obsoniis et condimentis, partim in acetariis cum oleo, aceto et pipere, ad acuendam cibi aviditatem. Erexerunt olim in vinetis et cucumerariis casas et tuguriola, quod etiam hodie Galli et Belgæ factitant, in quibus custodes excubabant, ne quis alienos proventus invaderet; peracta autem vindemia, ac sublatis cucumerum acervis, subducebant se excubitores, ac gurgustia deseruerunt, nullaque amplius conspecta hominum frequentia. Ab hac solitudine desumit similitudinem Isaias [3] contra Jerusalem, quam pronuntiat desolandam ac redigendam in vastitatem, ut vix tenue vestigium supersit, futura sit velut in deserto vineto et cucumerario tugurium vacuum. *Et erit*, inquit, *Sion, ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas obsessa quæ vastatur.* Baruch autem statuas, delubra et simulacra idolorum non plus terroris incutere ait, quam tugurium in cucumerario. *Nam quale est*, inquit, *formido aut terriculamentum in cucumerario nihil custodiens: tales sunt istorum Dii lignei, aurei et argentei; aut qualis est in horto rhamnus aut spina alba cui aviculæ insident.* Alludit ad Priapi statuam, quæ in hortis collocari solet ad abigendos terrendosque nocturnos fures. Quod hujusmodi versibus indicat Horatius, qui Baruch verbis prorsus consonat, ac pari irrisione vulgi superstitionem exagitat;

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Quum faber incertus, scamnum, faceretve Priapum,
Maluit esse Deum: Deus inde ego furum aviumque
Maxima formido, nam fures dextra coercet,
Obscænoque rubet porrectus ab inguine palus.
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.

CAPUT XXIX.

DE JUNIPERO.

Ut cucurbita umbraculum et velut opus topiarium Jonæ [4] præbuit, atque a solis æstu liberavit: sic juniperus Eliæ [5] ex itinere lasso ac defatigato umbram ex-

(1) Jacob. 1 et 4; Psalm. 36, 37, 101, 103; Job 8, 14; Isa. 40 et 9, 45; Oseæ 13; 1. Petr. 1; Eccles. 4.
(2) Exod. 11.
(3) Cap. 1.
(4) Cap. 4.
(5) 3. Reg. 19.

hibuit. Quum enim vates hic profugus cessisset furori Jezabelis, ac loca deserta peragraret, sub quadam junipero resedit. Hoc siquidem arbustum quum densius fruticetur, ad arcendum solis calorem non est incommodum. Quocirca mœsto et delassato fuit is secessus molesti itineris solatium, quum autem is paullulum respirat inedia tædioque confectus, finem vitæ sibi imponi cupit. Ceterum quum somnus (ut sic constitutis assolet) obreperet ac ille paullulum obdormisceret: ecce aderat genius, et illum ad cibum capiendum invitavit, oblato pane cinericeo, et aquæ poculo, quo refocillatus rursus iter ingressus provenit ad montem Oreb, in cujus spelunca noctem illam secure peregit, tutus ab insidiis illorum qui furibundæ mulieris mandato Dei Prophetas ad mortem rapiebant. Quæ documento cuique esse debent, Deum in vitæ hujus stadio miris modis suos exercere, verum non prorsus destituere, quos tametsi calamitatibus premi patiatur, nonnumquam tamen illos opprimi sustinet. Job [1] quum ex tanto opulentiæ et felicitatis gradu in extremas calamitates esset dejectus, deplorat se irrideri ac subsannari a sordidis infimæque sortis homuncionibus, qui præ ægestate atque alimenti inopia victum in sylvis venabantur, ac juniperi rubique baccis, atque herbarum radicibus famem sedabant, ut conspicimus hodie validos vagosque nebulones, quos nostri a liguriendis ollis (nam encænia festaque Genialia passim consectantur, *Pot boevem* vocant), radices iryngiorum, dauci, pastinacæ silvestris eruere, atque acinos rubique mora ex sentibus et virgultis decerpere.

CAPUT XXX.

DE LABRUSCA.

Labrusca vitis est silvestris, uvam proferens gustatu peracerbam, quæ non maturescit. Hunc fructum quoniam nihil gratum palato proferat, Deus moribus et naturæ hominum depravatæ apud Isaiam [2] accommodat. Quum enim formandis colendisque Judæorum mentibus nihil non operæ, nihil non laboris impendisset, omnis labor et industria frustra insumpta est. Quantumvis enim studiose atque ac curate vineam suam excoluerit, nihil effectum est, nec uvas ullas sapidas produ cit, sed labruscas, hoc est acerbas e immaturas uvas: expectavit ex tam diligenti cultura judicium, æquitatem, mores inculpatos, vitæ integritatem, gratitudinem erga tam sedulum atque industrium cultorem: sed vice versa, prolata sunt acerbissima quæque, iniquitas, injustitia, virtutum neglectus, odium, ira, indignatio, ingratitudo erga tam munificum animi mentisque cultorem. Eamdem vocem accommodat impiis, quibus Deus in oblivionem et contemptum devenit quorum irritum fore conatum indicat, ac frustra illos laborem insumpturos excolendis vineis; sic in die, inquit, plantationis tuæ labrusca proveniet: plantabis plantationem amœnam, sed germen alienum conseres, hoc est, tametsi amœnas plantaria humo commiseris ex generosa vite desumpta, sic ut omnia tibi spem optimam polliceantur optimæ vindemiæ, ubi adventare incipiet maturitatis tempus, pro suavissimo fructu labruscas percipies. Similiter in segete quæ maturius ad messem devenisse tibi videbitur, peribit tibi speratæ annonæ proventus; eo siquidem die quo demetendæ erunt fruges, ac messi insistendum, alieni subito irruent ac depopulabuntur segetem, nec quidquam in horrea convehes eorum, quibus tam sedulam curam impenderis. De his paullo fusius superius quædam enarrata sunt.

CAPUT XXXI.

DE MENTHA, RUTA, ANETHO, CUMINO, QUÆ CHRISTUS PARABOLIS ADHIBET IN INSECTANDA PHARISÆORUM AVARITIA, ET FUCATA RELIGIONIS SANCTIMONIA.

Herbæ istæ in crebro usu sunt apud omnes quum plebejos tum patricios, ac passim in compitis et triviis prostant venales. Quoniam autem holitores visi sunt aliquem quæstum ex iis consequi, Pharisæi decimarum exactionibus etiam hæc gravare cœperunt, atque aliquid lucri ex iis corradere [3]. Quocirca cum Christo invisa esset simulata religionis spe-

(1) Cap. 30.

(2) Cap. 4.

(3) Matth. 28; Luc. 11.

cies, atque avaritia Scribarum detestabilis et odiosa, insectatur illos acriter et severe, qui omnia ad compendium suum rapiunt, ac minutissima quæque consectantur, quum illa quæ multum habent momenti ad summam pietatem; et in quibus consistit columen religionis, negligant, nec ad ea magnopere sint intenti. Sic in extorquendis decimis adeo sunt superstitiosi, ut e vulgaribus holeribus mentha et anetho, quæ Belgis *Dil* vocatur, decimas exigant, quum pro nihilo dicant judicium, misericordiam, fidem, quæ virtutes illos commonefaciant, ne quem afficiant injuria, ut egenis subveniant, ne quem fallant perjurio, sed cuique fidem servent; itaque iis neglectis, quæ sunt in religione præcipua, suum negotium agunt, suumque quæstum ac commodum plus satis spectant: in maximis cæcutientes, in minimis mire oculati.

CAPUT XXXII.

DE SINAPIS VI ET NATURA, CUI FIDES AC DEI VERBUM COMPARANTUR.

Quo omnibus innotescat ac persuasum sit, quam salutaris sit doctrina evangelica, quæ mentes hominum in Deum ejusque notitiam erigit, ac fide solida imbuit, Christus multis variisque parabolis ex rebus passim obviis desumptis, nulli non mortalium ad hanc amplectendam auctor est et instigator. Comparat autem regnum cælorum, hoc est, doctrinam evangelicam quæ fidem alit ac fovet semini, margaritis, fermento, sagenæ, sive ferriculo, grano sinapis minuto quidem illi et exili, sed quod vi efficaci et adurente torpentem linguam vellicet, ac palato languescenti saporem gratum excitet: sic omnes nationes hujus semine comminuto, attritoque manuaria, vel trusatili mola affuso aceto vel omphacio condimenti vice utuntur. Quemadmodum autem sinapis minutissimum semen solo commissum, ubi adolevit, in stupendam proceritatem assurgit, ac longe lateque ramos diffundit [1]; adeo ut alitibus et umbraculum et nidulandi commoditatem præbeat: ita verbum Dei et fides minime otiosa, tametsi in speciem humilis videtur et exilis, se tamen sensim propagat, atque ut fructifera frondosaque arbor, vires, incrementa suscipit. Rursus ut sinapismus, hoc est, cataplasma ex contuso sinapis semine, membris stupidis vel lethargo, vertigine, apoplexia, paralysi, epilepsia oppressis motum sensumque excitat, atque inulcerata nonnihil cute, sanitati restituit: ita fides Dei verbo fulta stupidas torpentesque mentes erigit, et instaurat, atque ad omnia pietatis officia agiles reddit et expeditas. Quocirca ardor et acrimonia sinapis, saporque fervidus et ignitus, qui non sine narium vellicatione lacrymas elicit, ac caput sternutamento a pituita expurgat, apposite verbo Dei assimilatur, quod etiam mentes concutit, urit et inflammat, atque animos languidos et oscitantes ad pietatis studia incitat atque accendit, et nonnumquam pœnitentiæ lacrymas extundit. Quam sollicitudinem ac curam rerum terrenarum, qua fere discruciari solent anxiæ mentes, Christus animis hominum eximit, lilia nos contemplari vult, non hortensia quibus cultus adhiberi solet, sed agrestia ac sponte nata. Itaque horum exemplo in munifici Patris fiduciam nos excitat, qui nobis de pabulo et commeatu affluenter prospicit, ut alitibus de victu, de nitore cultuque vestium, ut liliis agri, quæ tam nitide tamque operose exculta sunt, ut ne Salomon quidem regum amplissimus conspici potuerit, vel cultior vel ornatior, etiam quum in summo splendore esset constitutus. Quamobrem Christus summo studio inhiare nos vult doctrinæ evangelicæ, ac rerum cælestium contemplationi insistere, adeo ut nihil nobis defuturum polliceatur earum rerum, quæ in hac fragili vita et caduca necessariæ sunt, ut etiam ultro ac spontanea Dei liberalitate sint accessuræ.

CAPUT XXXIII.

DE HEDERA, QUÆ ARBORIBUS AC PARIETIBUS TENACI AMPLEXU ADHÆRET.

Hedera quæ Jonæ prophetæ [2] adversus solis æstum umbraculum præbuit (quamquam alii cucurbitam satis apposite verterunt) ab hærendo nomen sortita est;

(1) Matth. 13; Luc. 13 et 17; Marc. 4.

(2) Cap. 4.

quod natura sit sequaci, omnibusque se affigat. Hinc Persius [1]:

> Heliconidasque et palidam Pirenen
> Illis relinquo quorum imagines lambunt
> Hedera sequaces.

Quum autem hæc arbor Baccho poetarum præsidi sit consecrata, ut Olea Minervæ, ob id poetæ hac coronari solent, quemadmodum lauro victores.

Sic Virgilius [2]:

> Pastores hedera crescentem ornate poetam.

Et quum Augustum orbis domitorem suo poemate celebraret, allegorice petit suo quoque carmini locum esse inter ejus triumphos, ac patiatur hederam, qua poetæ exornari solent, inter lauros Imperatoribus victoriosis dicatas, nonnullum locum obtinere;

> A te principium tibi desinet: accipe jussis
> Carmina cœpta tuis, atque hanc sine tempora circum
> Inter victrices hederam tibi serpere lauros (3).

Quum autem superstitiosa gentilitas Bacchi orgia, hoc est, sacra liberi patris tertio quoque anno (unde *Trieterica* dicta) solemni ritu celebraret, ex hac virente fronde serta et coronas confecit. Sic in libro Machabæorum [4] Antiochus Judæos coegisse legitur, ut detestatis patriis legibus, contemptisque divinis institutis, bacchantium more hedera redimiti orgia celebrarent, et qui id facere recusaret, morte plecteretur. Quod autem hæc arbor, quæ perpetuo frondet, nec umquam foliis destituta est, Baccho sacra sit, hinc ortum puto, quod ebrietati obsistat, ac discutiendis capitis doloribus ex temulentia contractis sit accommoda, foliis etiam aut ramusculis foris capiti admotis, sic, ut videri possit hujus arboris umbra Jonæ vati non incommoda, ut quæ capitis gravedinem ex æstu et lassitudine contractam discutiat. Mira autem describitur a Catone vis et natura hederæ. Si enim poculum ex ligno ejus conficiatur, et vino impleatur, si id dilutum sit atque aquæ mistum, continuo vinum effluit, atque inferne per lignum diffunditur. Tanta est enim inter hæc *antipathia*, hoc est, discordia, ut alterum alteri admisceri non sustineat, sed vasculum hederaceum vinum respuat.

(1) In proœmio.
(2) Ecloga 7.

Ceterum an hedera fuerit, quæ Jonam ab ardore solis tutata sit, et quam indignanter tulit exarescere, radice a verme erosa, nonnulli interpretes, tum etiam Augustinus ambigit, quum cucurbita in eum usum sit accommodatior, quam vox Hebræa designare videtur, quod amplissima folia proferat, atque claviculorum amplexu in sublime nitatur, opusque topitiarium citissime perficiat, sub quo captare opacum frigus, atque æstum solisque ardorem propulsare liceat: cum enim infrigidantis sit naturæ, fervido cæli statu foris corpus a calore tuetur: intus etiam atque in corpus admissa intemperiem ex æstu contractam mitigat, ut acetaria ex cucumere, melone, pepone, citrullo, lactucis, atriplice, portulaca confecta, quæ primis mensis inferri solent atque etiam eorum nonnulla naribus admoveri, quo spiritus collapsi recreentur.

CAPUT XXXIV.

DE MORO ARBORE ET FRUCTU EJUS.

Morus arbor Belgicæ nationi notissima, æstivis mensibus in usum refrigerandi expetita, caudice est vel trunco valido, cortice ubi adolevit, scabro nec ullo lævore perpolito; ligno intus colore buxeo et subflavo, foliis in expansæ manus modum dissectis, ficui non absimilibus, fructu oblongo, ovali, granoso, primum candido, quum pubescit, rubro, maturitate nigricante. Arborum omnium postremo floret, nec in folia floresque se expandit, nisi ver stabile sit, quasi nolit ullam hiemis injuriam aut aeris inclementiam perpeti, at quæ omnium primo fructum maturum et esculentum edat. Inficit morum manus sanguinolento colore ubi maturuit: eluit extergetque maculas ac nævos immaturum, hoc est, album ac nondum rubicundo colore perfusum, sic ut nihil necesse sit aquam aut quid aliud extergendis manibus adhibere, sed succum tantum mororum quæ adhuc virescunt. Fructus hujus arboris salubriter expetitur in refrigerandi usum æstivis præsertim mensibus, quibus potissimum viget, idque in prima mensa atque ante cibum assumptus: nam peracto

(3) Ecloga 8.
(4) Lib. 2, cap. 6.

prandio aut cœna in corpus admissus putrescit, ac morbis ex corruptione excitatis seminaria ministrat, ut cerasia, pruna, corna, persica, uvæ recentes, etc. quæ ante cibum refrigerant, sitimque sedant: ac calidam hepatis intemperiem mitigant ac reprimunt, nec vero gravate post cibum admittere soleo, modo horum fructuum succus deglutiatur non admisso in corpus cartilagineo illo stamine, quod a pediculo cui fructus adhærescit per motum se porrigit; sic enim vino exhilaratis fumos reprimit, ut poma succulenta, punica, arengia, limones et mala citrea, quæ absoluto prandio hoc efficiunt, ut quis minus ebrietati succumbat, et mens illi minus fumo ac vapore vini obnubiletur. Sic enim a naturali ratione non videri possit alienum, nec valetudini contrarium, quod Horatius cecinit;

> ..... ille salubres
> Ætates peragit; qui nigris prandia moris
> Finiet.....

Alioqui si affluentius devorantur mora, ut a lascivis ac petulcis puellis assolet, substituendum est, *Incipiet.* Conficitur ex mori arboris fructu, tum ex eo, qui ex rubo colligitur medicamentum aut ἐκλειγμα quod *Diamoron* vocatur, reprimendis uvulæ ac tonsillarum faciumque tumoribus aptum. Adimi autem aliquando hæc solatia ac naturæ fomenta improbis, qui vel Dei munificentiam non agnoscunt, aut ejus donis abutuntur, David [1] passim testatur, inter hæc alias quoque vitæ delicias complexus. *Consumpsit,* inquit, *bruchus et locusta fruges illorum, grando vites et pruina moros eorum.* Sæpius enim contingit aeris inclementia atque intempestivo gelicidio, florescentes vineas, moros, segetem, oleas ita confici, ut nullus proventus ex illis percipiatur. Ceterum quum in mori mentionem incidimus, obiter enarrandum quod in Machabæorum historia scriptum est [2]. Quum enim Antiochus Syriæ rex Judæis esset infestus, atque omni armorum genere oppugnaret, duos et triginta elephantos, in illorum dorso turribus ligneis erectis, armatoque milite instructis, in aciem produxit, et quo belluæ efferatæ in pugna essent ferociores objecerunt illis rubicunda velamina mororum atque uvarum rubentium succo perfusa; nam sanguinolento colore exasperantur elephantes, atque in hostem sunt atrociores, majorique impetu feruntur.

CAPUT XXXV.

DE SYCOMORO ET CAPRIFICIS.

Sycomorus utriusque partis nomen exprimit, adscito a ficu et more nomine, cujus fructus est sycaminos. Arbor adscribitur a Dioscoride et Plinio amplissima ficus similitudine foliis moro proximis, quæ fructus edit ignavi gustus, insipidos et immaturos, quos non ramis ut ficus, sed caudice ipse gerit, caprificis similes, et qui non maturescunt, dulciores tamen præmaturis ficubus, quas *Grossulos* vocant, nulla intus granorum congerie. Præbuit hæc arbor Zachæo [3] qui Christi videndi erat avidus, suggestum; quum enim statura pusillus esset in sycomorum se subduxit, vel ut procula sordidis ac caducis rebus, ut illi Jesus esset conspicuus [4], sic ut in Zachæo typus sit expressus gentium, quibus factus est aditus in cœlum confessumque fidelium per fidem in Christum, cujus quanta sit vis et efficacitas, ficus arefactæ portentosum ostentum declarat. Cujus exemplo Christus exstimulat Apostolos [5], ut illam in mentibus suis foveant, eaque pollicetur tantum accessurum roboris et potentiæ, ut si sycomoro imperent, ut eradicetur, et in mare se transferat, illorum jussis obsecuturam: tum etiam, si visum sit, montem loco dimovere; atque id exigat profectus Evangelii [6], confestim atque absque mora perficiet, quod facere jussus est, modo adsit in Deum fides minime vacillans, eamque vim habeat quam granum sinapis: quod tametsi minutum sit, tamen attritum, exerit acrimoniam suam, ac nares vellicat, totumque corpus excitato sternutamento concutit. Itaque apposite fides et doctrina evangelica huic grano comparatur, quod mentem hominis inflammet, atque in Dei amorem ac venerationem rapiat, qua de re superius. Ceterum ut ad sycomorum oratio recurrat, Isaias [7] acriter insurgit in populum Ephraim et Samariæ incolas, quod superbo atque elato animo Deo insultarent

(1) Psalm. 77. (2) 2. Mach. 2. (3) Luc. 19. (4) Matth. 2. (5) Luc. 17. (6) Matth. 1; Marc. 11. (7) Cap. 9.

atque illuderent. Quum enim illos cladibus ac calamitatibus afficeret, quo ad resipiscentiam revocaret, contemptui illis fuit Dei manus, et pro ludibrio habita: sic ut nihilo facti sint emendatiores; ut pueri insolentiores, qui a parente flagris cæsi, obstinate persistunt, ac se deteriora facturos pollicentur. Quum autem plagæ illos ad saniorem mentem revocare deberent, facti sunt obstinatiores, magisque præfracti, calcitrosi, refractarii. Sic enim allegoricos ac figurata locutione ludibrio habent illatas clades, incendia, ruinas ædibus suis immissas: *Lateres ceciderunt, et collapsi sunt quadrato lapide eoque expolito ædificabimus, sycomori succisæ sunt, cedros substituemus;* quasi dicerent, Exiguum est, nulliusque momenti damnum ac detrimentum, quod perpessi sumus, minimo negotio, parvisque sumptibus resarcietur: immo omnia magnificentius instaurabuntur ac spectabilius; pro lateritiis marmoreas ædes erigemus; pro sycomoro, hoc est, vulgari passimque obvio ligno cedrina laquearia erigemus, omniaque operosius perfici curabimus. Quamobrem quum obsurdescerent ad Dei vellicationem ac monita, omniaque illis essent non sine irrisione despicata, Deus irritatus scelerum continuatione, extenta manu atrocioria illis inferre meditatur, quod moniti atque acerbe castigati non referrent pedem, atque ad percussorem confugerent. Hujus arboris mentio etiam fit apud prophetam Amos [1], qui quum neque Propheta esset, nec ex Propheta oriundus, nullisque artibus liberalibus institutus, sed rusticanis negotiis ac pastorali vitæ assuetus, adscitus est a Deo in prophetici muneris functionem, illique mandatum est, ut contra Jeroboam regem, et Amasiam sacerdotem horrendum vaticinium fulminaret; cujus conatibus quum obsisteret Amasias, Amos primum excusatione se purgat, quod cogatur hanc functionem obire, tametsi nec Propheta sit, nec prophetis institutis ab incunabulis imbutus. Quocirca, quum hoc onus illi a Deo sit impositum, illi potius quam regi et sacerdoti obsequendum. Amasias instat et suadet, ne pergat vaticinium in regem proferre, sed in Judæam se subducat extra Israeliticos limites, suæque vitæ fuga consulat, ne illum ad vincula, mox ad supplicia rapi contingat. Amos exerte ac palam vocationem suam tuetur, nec in animo sibi esse testatur, ut eam deserat, aut ab imperata legatione sit discessurus. Itaque Amos ingenue fatetur, se non esse Prophetam, nec Prophetæ filium, sed armentarium seu bubulcum, aut pecuarium, qui sycomoros vellicet, hoc est, caprificos decerpat et colligat: *Verum abduxit me,* inquit, *Dominus Deus* (quemadmodum etiam David [2] de post fœtantes ad regni solium evectus) *quum sequerer gregem, et dixit ad me: Vade Propheta ad populum meum Israeliticum.* Itaque neglecto regis et Amasiæ sacerdotis mandato vaticinium suum libere exequitur, atque utrique internecionem denuntiat. Qua fiducia etiam usi sunt Apostoli quum interdictum illis esset a Pharisæis, additis minis, ne omnino loquerentur, neque docerent de nomine Jesu. Petrus enim et Joannes confidenter sed citra contumeliam responderunt: An justum sit in conspectu Dei vestris potius jussis obtemperare, quam Dei, vos qui legis præcepta tenetis, judicate: non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui [3].

(1) Cap. 7.

(2) Psalm. 77.

(3) Act. 4.

CAPUT XXXVI.

DE MALO PUNICO, VULGO « GRANAT APPELEN. »

Malus punica a Punica Carthaginensi regione, et a corticis colore nomen obtinet *Granata*, quod mala rubentibus granis scateant. In illa Hispaniæ parte, quæ *Bætica* dicitur, nunc *Granata* a Mauritanis avorum nostrorum memoria occupata (nam illos Ferdinandus Arragonum rex expulit) frequentissima. Arbor est non admodum procera, folio angusto, nitidi lævoris expolitique viroris, flore qui cytinus puniceo, sylvestri qui balaustium dicitur, rubicundo, pomo, quod duro cortice seu tegmine aut putamine coriaceo integitur, *Sycion* Græci, *malicorium* Latini vocant, perficiendis coriis idonea astrictionis ratione et quod atro colore illa inficiat, granis intus exuberantissimi ruboris, succulentis et angulosis numerosa congerie arctissime in se compactis, aut velut septis aut loculis, tenuique ac flavescenti intus membrana distinctis, sapore aliquando dulci, miti-

gandæ siti idoneo, aliquando acido ac vinoso hepati refrigerando accommodo et quum astrictionis sit particeps, cohibendis cruentis ac dysentericis fluxionibus. Sistunt enim acida poma omnium profluvia, ac partem affectam corroborant. Mali punici in sacris Bibliis frequens mentio, eoque designatur decus et ornamentum virtutis, vitæque integritas, tum etiam dulcia, puraque ac casta eloquia. Sic Sponsus convocans Sponsam suam, ac blandimentis verborumque lenociniis alliciens: *Dabo tibi*, inquit, *poculum ex vino condito* [1]; hoc est, aromatibus confecto, quale nostrum *Hipocraticum mustum*, hoc est, succum suavem mali punici recenter expressum, quo nihil palato gratius: hoc est, refocillabo te suavissimo meo colloquio, reficiam te salubri doctrina, et spirituali compotatione te exhilarabo. Rursus alio capite. Quum Sponsus incredibili amore Sponsam amplectatur [2], hoc est, mire afficiatur erga Ecclesiam suam Christus, cui Sponsæ aspectus, oculi, genæ, palpebræ sint visu gratissimæ: *Ut fragmen*, inquit, *mali punici, ita et genæ tuæ*, hoc est, sicut dimidiatus cortex mali granati confracti aut dissecti, qui fragrantissimi ruboris grana spectanda exhibet; sic malæ tuæ quæ non enormiter extumescunt, aut sunt inflatæ, aut indecore protuberant, sed decenter constitutæ amabili ac gratioso rubore perfusæ; quo castitas designatur, modestia, pudor, probitas, quibus rubicundus color attribuitur. Deinde paullo inferius: *Emissiones tuæ* sive propagines, *aut plantaria tua, paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus*, aliisque fragrantissimis herbis, quæ quod proxime assistant, omnia efficiunt suaviora, magisque odorata. Quibus designat gratissima quæque omniaque mentis solatia, ac fomenta, quæ numquam satiant, et quibus animus maxime reficitur. Quum autem in hoc Cantico Sponsus et Sponsa singulis fere momentis ultro citroque suavissimo colloquio se reficiant [3], quo languorem, qui amori inesse solet, excutiant, alter alteram identidem ad invisendos hortos invitat, quo spectent an vineæ florescant, an mala punica germinare incipiant, an aliqua ex floribus oblectamenta possint concipere; non enim patitur alter ab alterius amplexu se divelli, sed indivulse sibi mutuo adhærere cupiunt, atque alter alterius suavissimo colloquio ac consuetudine frui. Quoniam autem mala punica seu *granata* miris modis oculis blandiuntur [4], ac gustum saporemque suavissimum salubris succi exhibent, ideo Deus præcipit ad horum similitudinem confici orbiculata poma, ac tintinnabula foraminosa in formam mali punici, in quibus se spectandum exhibet rubicundum illud granorum blandimentum, quo in mentem revocaret obliviosis Judæis durum legis corticem, sed postmodum coruscante Evangelii luce subsecuturum suavissimum evangelicæ doctrinæ succum [5].

(1) Cant. 8. (2) Cap. 4.
(3) Cap. 6, 7. (4) Exod. 28, 39.

CAPUT XXXVII.

DE CITREO AC MALO MEDICO, LIMONIBUS ET AURANGIIS, VULGO « ARANIEN APPELEN. »

Non defuit etiam genti Hebrææ, cum in oblectamentum, tum condimenti usum malum medicum seu pomum citreum, cujus generis sunt vocati *limones* et *aurangia*, aureo croceoque colore, quorum pleraque orbiculata sunt, nonnulla oblonga atque ovali forma, præsertim citrea, et quæ *limonis* nomine passim innotescunt, eximii odoris, et quæ cor mire recreant; ex horum corticibus in laminas aut taleolas dissectis, ac melle conditis, aut etiam zaccharo incrustatis conficiuntur tragemata ac bellaria, quæ non solum palato grata sunt, sed cor etiam reficiunt, ac vires instaurant; in quem usum etiam hujus arboris flores melle condiuntur, antequam prorsus dehiscunt, aut se in folliculos expandunt. Spiritus enim extenuatos erigunt, ac tabidis aridisque corporibus fomenta ministrant. Est alia ab hac arbore *Citrus* etiam vocata sed quæ hujusmodi mala aurea non proferat sylvestri cupresso aut cedro non absimilis, sic ut nonnulli existiment ipsissimam esse arborem, quam lignum *Sethim* Biblia vocant, ex quo confici præcipit Deus trabes, mensas, contignationes, tabulata, laquearia, tigna. Est enim lignum a carie ac teredine vermiculisque alienum, nec ullo ævo corruptioni obnoxium. Ubi autem ascia perpolitum est ac dedolatum,

(5) 3. Reg. 7; 4. Reg. 25; 2. Paral. 3; Jer. 25; Agg. 2; Joel. 1.

crispani venarum discursu picturatum conspicitur, ut apud nos vestes polyanthicæ ac variegatæ, sive polymiticæ, hoc est vario et versicolore filo contextæ, quod in vulgari cameloto, atque etiam in byssina, sericaque textura perspicimus, quæ *Damascena* vulgo appellantur. Spectantur apud nos ex hoc ligno elaboratæ mensæ ductiles ac versatiles, tum ut nunc passim conficiuntur in hospitum inopinatum adventum emissitiæ et extractiles, quo plures accumbant, spectabili ac peramœna colorum varietate, lævore perpolitæ, quorum nihil non nativum est et genuinum, nec ullo pictoris pigmento fucatum. Quocirca existimo Deum ex hoc splendido atque incorruptibili ligno voluisse construi ea, quæ usui erant sacerdotibus in templo, sic ut arca fœderis, et quidquid in sacris Hebræorum spectabile erat, ex cedro et citreo ligno confectum fuerit [1]. Quum enim rebus externis afficerentur Judæi secus quam Christiani, omnia in illorum sacris splendida esse voluit, sumptuosa, magnifica, atque operosius elaborata, quo omnia essent augustiora, majorque religionis cultusque divini veneratio, ac populus melius in officio contineretur.

CAPUT XXXVIII.

DE CROCO.

Crocus radice bulbosa ac cepacea, in capillamenti exilitatem spargit folia juncis multo tenuiora, e quibus flosculus emergit, tametsi is aliquanto ante filia conspiciatur, cærulei coloris, in cujus medio velut crocea stamina ac filamenta se proferunt fragrantissimi odoris, adeoque intensi, ut cerebro vi soporosa officiat. Cor vero crocus ita recreat, ut digito annulari sinistræ manus affrictus confestim ad cor penetret; tanta est illi cum corde societas, ut vel foris vel intus adhibitus, absque mora per arterias illuc perferatur; quo fit ut corpori venustatem afferat, et colorem floridum conciliet, modo ne sit immodicus ejus usus; nam immoderatus risum perpetuum homini excitat, et (ut tradunt medici [2]) nimio gaudio hominem conficit, si trium drachmarum pondere exhibeatur. Quum itaque tantopere croco hominis cor reficiatur, non sine ratione Sponsæ hortulo ac viridariis crocus odoratissimis aliis herbis interseritur, ut sic fragrantiam suam tamquam in unum fasciculum coactæ inter se conferant cyperus, nardus, crocus, calamus, et cinnamomum cum præstantissimis *Libani* arboribus herbisque cum primis odoratis [3]. Quibus designatur decor atque omnium virtutum ornatus, oratio quoque Ecclesiæ et piorum hominum, qui suavissimum odorem Dei naribus offundunt, sic ut oratio ad Deum feratur, juxta Davidem, *tamquam incensum et sacrificium in odorem suavitatis* [4]. Ceterum quum crocus succos, liquores, lintea, vestes, lanam, colore vel luteo, vel flavo, vel fulvo imbuat, aut si exuberantius effusus est, rutilanti, rubentique ac rubicundo, fit ut isti colores rebus in quibus apparent, atque se proferunt, ex croco nomen sortiantur. Sic medici in æstuosis febribus et fervida hepatis intemperie lotium observant croceum, vel luteum, vel flavum, vel crocatum: quod festucas et filamenta croci referant, quæ ad rubedinem devergunt, ac rubenti colore perfusa sunt: ita intensior est color crocatus et croceus, qui crocum ipsum æmulatur, quam flavus aut luteus, aut quem a citreo pomo citreum vocant, nam isti colores dilutiores sunt. Sic caltha, vulgo *Calendula*, ab auri fulgore luteo, et subcroceo colore spectatur, sic viola lutea et muraria, quæ Mauris *Cheiri* dicitur. Sic unguentum quod croci colorem æmulatur, et eum recepit, crocomagina vocatur et crocinum. Sic oxycroceum a croco et aceto nomen obtinet. Quod vero ad vestes attinet croceo colore, tum coccineo ac purpureo imbutas: multa ejus generis in sacris litteris obvia sunt, quemadmodum etiam apud alios Scriptores paludamentum Imperatorium coccineum legitur. Hyanthinum, et vestis crocatula crocei coloris, Belgæ *Rowaens* vocant a Rotomago Galliæ civitate, ubi lana eo colore inficitur. Sic etiam Jeremias [5] lamentatur, redactam esse in nihilum Jerusalem, omne decus et ornamentum civitatis sublatum, nec in ea quidquam esse spectabile, aut visenda specie, sed omnia deformata: inductam extremam calamitatem, sordes, miseriam, inopiam: *Qui*, inquit, *delicate ac voluptuose vescebantur*

(1) Exod. 35, 37 et 38.
(2) Dioscor. lib. 1, (3) Cant. 4.
(4) Psalm. 40; Eccli. 46.
(5) Thren. 4.

tur atque deliciis affluebant in via conculcati sunt. Qui nutriebantur in croceis, hoc est, crocei coloris velamentis vel rubenti coccino, *amplexati sunt stercora.*

CAPUT XXXIX.

DE MYRTO, QUÆ APUD OMNES NATIONES NOMEN RETINET; ET DE MYRTO SILVESTRI.

Myrtus arbuscula, aut potius apud nos frutex et virgultum, perpetuo virens, Veneri dicata, ac sacrata conjugio, in quo exigitur castitas et concordia, folia profert oleæ aut ligustro angustiora, saturati viroris, baccas nigras junipero affines, sapore vinoso, ex quibus, ut etiam ex mollissimis ejus foliis oleum exprimitur: quo Esther [1] delibuta regi Assuero in matrimonium assumpta est. Conficitur etiam ex baccis vinum myrtites, quod pollet vi astrictoria, ac stomachum dissolutum confortat; id etiam ruptis atque ex alto delapsis commode exhibetur. Hujus arbusti ramis Hebræos adornasse ædes suas ac vestibula in encæniis, hoc est, solemnitate festorum quæ celebrari solent, ob templum post Persarum exilium instauratum, in *Scenopegiæ*, hoc est, tabernaculorum festo a fingendis tabernaculis nomen sortito Scriptura passim testatur. Sic Neemias urbis ac templi legisque instaurator præcepit populo reduci ex captivitate atque exilio in Jerusalem, ut velut in publica lætitia ac triumpho conferant se in montes ac sylvas, atque ex nemoribus afferant, olivæ, cupressi, citri, palmarum ac myrti ramos, quo conficerent ex virenti fronde umbracula, passimque inter se exhilarescerent, atque essent geniales [2]. Hic mos etiam Belgis vulgaris est, si quando solemnis aliqua annuaque pompa exhibetur, aut regem vel principem inaugurari contingit, aut parta ex hostibus victoria, longaque obsidione liberata civitate triumphus per vicos ac compita agitur. Id etiam Trojanos factitasse absoluta longa urbis obsidione, pulsisque (ut iis persuasum erat) Græcis Virgilius testatur [3]:

Nos delubra Deum miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

Ceterum Isaias (quem alias testati sumus, in illustrandis vaticiniis stirpes, herbasque suis narrationibus accommodasse) illos pronuntiat felices fore, omniaque illis ad prosperitatem ac successum optabilem futura adjumento qui Deo fidunt, ejusque bonitati et clementiæ innituntur, ita ut nihil incommodi sit accessurum, adeo, ut quæ nocitura videbantur, rebus mutatis, fructum non exiguum sint allatura, quod sic indicat: *Pro saliunca assurget abies*, a proceritate dicta, et quod in sublime abeat; *pro urtica* mordaci et contempta herba; vulgo *Netel, myrtus*, suavis, speciosus, et odoratus frutex. Quo designat pro noxiis infestisque fruticibus fœcundos, amabiles, salutares, frugiferos substituendos, hoc est, pro vitiis virtutes, pro servitute libertatem, pro exilio reditum regressumque in cælestem patriam. Rursus quum ostendit se non defuturum afflictis ac desperationi proximis, sed in extrema calamitate, clade, angustiis subventurum: *Irrigabo*, inquit [4], *scaturigine aquarum terram aridam*, ac siticulosam; *ponam in deserto abietem, ulmum, cedrum, myrtum, cupressum*; *ponam in locis incultis* ac squalidis, *pinum et buxum* arbores quæ perenni sunt virore, et quibus folia non defluunt. Quo Deus indicat se præter naturæ ordinem, præter spem atque hominum opinionem, rebusque deploratis adfuturum populo suo, sic ut in regione deserta speciosissimæ arbores se proferant, hoc est, hominum mentes jejunæ ac siticulosæ florentissima virtutum germina sint allaturæ. Paullo inferius idem argumentum prosequitur, ac pollicetur consolationem ac mentis tranquillitatem: futurum enim esse, ut instauretur Ecclesia, ac cœtus dispersus sit colligendus, ac pristino cultu ac nitore postliminio illustrandus, quod hoc tropo confirmat: *Gloria Libani ad te veniet, abies, pinus, buxus, simul ad decus et ornatum sanctificationis tuæ* [5]. Quibus verbis indicat non solum Ecclesiam ædificandam eximiis arboribus, quas sylva Libani suppeditat, sed quidquid in hominum societate excellens, magnificum, heroicum est, huc allatum iri, non solum plebejos atque infimæ sortis homines, quos minus despicit Christus, quam sublimes, sed reges et principes, satrapas atque heroas in

(1) Cap. 2.
(2) 2. Esdr. 4; 2. Mach. 10; Joan. 7; 2. Esdr. 8.
(3) Æneid. 2.
(4) Isa. 41.
(5) Isa. 60.

hanc societatem convocandos. Ceterum quum myrteti apud Zachariam prophetam [1] mentio incidat oblataque inter hæc Prophetæ visio, de illo pauca disseram: nam omnia ad amussim exequi nimis quam operosum, et ingenii nostri captum superat. Sortiuntur ab herbis atque arboribus nomina sylvæ ac nemora, quod hujusmodi stirpibus consita sint, ab arundine arundinetum. Unde in libro Sapientiæ [2]: *Fulgebunt justi, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent;* hoc est, Sanctorum fulgor et claritas impios, ut stipulas crepitantibus flammis deuret. Palmeta, quæ palmis scatent; myrteta loca myrto, et urbano, et sylvestri fœcundissima. In hoc autem vireto exhibita est Zachariæ visio quam populo indicat, quo prophetia visioni conjuncta majoris apud illos sit auctoritatis ac ponderis, atque acrius oscitantes socordesque mentes stimulet: *Vidi,* inquit, *noctu, et ecce vir insidens equo rufo,* hoc est, spadiceo colore, vulgo *Casiaenne bruyn, et ipse stabat inter myrteta in profundo, et post eum equi rubri, varii, et albi; et dixi: Qui sunt hi? Et respondit vir qui stabat inter myrteta* (quo Christum designari puto, qui Ecclesiam obscuratam ac deformatam vitiis emendatam cupit)*: Isti sunt quos misit Dominus, ut perambulent terram* ; quibus verbis commonstrat in valle hujus mundi umbrosa, atque opaca in qua malis boni permisti sunt, Deum singulari sua providentia curare res humanas, atque hominum commodis consulere ac prospicere, ipsamque Ecclesiam per Christum et Apostolos, aliosque verbi Dei ministros, qui in tanta ac tam confusa hominum multitudine ac diversitate, suis quique officiis funguntur, ut illis partitus est Deus, erigere, demandata illius provincia, ut tacite explorent, quid rerum geratur in terris, in quo statu consistant res mortalium, sic ut ea cura pastoribus incumbat ac munus delegatum sit, ut salubri exhortatione (quod Paulus Timotheo præcipit) additis minis extimulent homines, quo resipiscant, atque ad Deum, unde profugerunt, se conferant, quod ipsum, si obtineri possit, desituras afflictiones, nec futuras diuturnas, nec perpetuas. Itaque Propheta objecta populo sua hac visione ad resipiscentiam ipsum provocat; sic enim futurum, ut Deus illi factus placatior, pœnas atque vindictas remittat omniaque in pristinum statum restituat. Hæc de myrto amabili atque odorato arbusto sufficiant. Est huic affinis myrtus nemoralis, cujus baccis turdi, *Lysteert* vulgo, et merulæ *Meerlen* impense delectantur, ita ut earum caro saporem baccarum referat odoratum, sic ficedulæ unde nomen adeptæ, vulgo *Sneppe* ficubus saginantur. Huic sylvestri myrto affinis est frutex aut virgultum pseudomyrtus odore non sine gravitate jucundo, cujus folia et frutices exsiccatos vestibus interserunt, quo grato odore perfundantur. Refertur etiam inter sylvestres myrtos ruscus foliis quidem myrti, sed latioribus mucronata cuspide unitis, sic ut incautius attrectata digitis aculeum infigat, ut vespæ inhærent foliis, nullo petioli appendice, baccæ pisi magnitudine, myrteis minores, corallino, rubentique colore perfusæ, cujus radice utimur in ciendo lotio, et atterendis calculis.

CAPUT XL.

DE PINO.

Pinus arbor etiam Belgico solo assuescit, sed non assurgit in ullam proceritatem, folio existit tenui, rotundo, aculeato. Fructum seu nucem nihil necesse est describere quum passim obvia sit, ac nucleus in alimenti et medicamenti usum omni nationi veniat. *Pomum* Belgæ vocant, quum nux sit, sed quæ in hostem emissa ac capiti illisa illum prosternat. Unde extat apud Macrobium jocus urbanus Casellii jurisconsulti, lapidatus a populo Romano Vatinius, quum gladiatorium munus ederet, obtinuit ut Ædiles edicerent, ac proclamari per præconem juberent, ne quis in arenam nisi pomum mitteret: forte iis rebus Casellius consultus a quodam an nux pinea pomum esset, respondit: *Si Vatinium missurus es, pomum est.* Tanto ac tam acerbo odio flagrabat populus in perniciosum civem, ut illum extinctum potius quam salvum cuperet. Ceterum Prophetas pinum atque alias memorabiles herbas concionibus accommodare, alias demonstravi. Isaias [3] enim in detestandis statuis Ethnicorum atque idolorum simulacris

(1) Cap. 1. (2) Cap. 3. (3) Cap. 44.

miro artificio plerasque arbores narrationi accommodat, ac commonstrat, quanta cura ac sollicitudine ea studeant effingere atque elaborare fabri, quæ nulli usui sunt, nec ullam salutem conferunt, adeo intenti illi rei ut lima, malleo, calenti foco iis efformandis ad lassitudinem se exerceant, ac siticulosi efficiantur, antequam opus perficiant. Artifices vero lignarios (ut concionem prosequitur) normam, et perpendiculum, amussim adhibere, securim, serram seu runcinam, circinum, et si qua alia sunt instrumenta tornandis poliendisque lignis idonea, sic ut pars eorum succidat cedros, ilicem, quercum, pinum, ex quarum assulis, segmentisque ac scandalis dissectis ignem excitet coquendis panibus atque eduliis, aut ut iis incalescat, ex reliqua arboris parte sculpit Deum, et incurvatus adorat illum. Hæc propheta Isaias toto hoc capite prolixe enarrat, ac semel atque iterum repetit, quo homines meminerint, unde petenda auxilia, cui incurvanda genua, ad quem manus, oculi, corda erigenda, nempe ad Deum, cui soli honor et gloria, et qui per Christum servatorem nostrum Spiritu suo abunde nos imbuit, et contra omnia adversa reddit invictos.

CAPUT XLI.

DE BUXO, ERRORE VULGARI PALMA DICTA.

Miris modis hallucinari contingit plerosque in herbarum et arborum cognitione. Sic sunt qui anethum, vulgo *Dille*, quam Christus concioni adhibet [1], *Anys*, credant, quum *Anisum* sui generis sit, et Belgis nomen retineat, semenque proferat discutiendis flatibus aptissimum, sic ut anethi foliis utamur in condimentis, in oleraceis, in carnium elixarum liquamine, verum non illius semine: at anisi semen et feniculi in condiendo instaurando liquore cervisiario, in placentis, in bellariis, in pomis assis salubrem usum obtinet. Sic abies arbor celsa ac procera, ita ut hinc nomen sortiatur, quod abeat atque assurgat in immensum, non est populus alba, vulgo *Abeel* dicta, ut nigra populus *Popelier*, sed arbor Prophetis sæpius in concionibus ad populum eruditendum adhibita, si quando fastum deprimunt, ac superbiam elatosque ac sublimes deprimendos prædicant, ac etiam dejectos erigendos. Abies perpetuo virescit, foliis pinnatis pectinum modo refectis, flore croceo, specioso atque amabili. Huic picea, ut larix, pino, prorsus assimilis, ex qua mali navium, et antennæ eriguntur. Conspicitur hujus generis arbor in immensum fastigiata in cœnobio anachoritarum, quos *Carthusianos vocant*, Ziriceæ contermino, quæ fructum profert pino non absimilem turbinata specie, sed qui nucleum exhibeat non esculentum. Cæterum ut ad buxum deveniam, in magno errore versantur, qui buxum palmam esse existimant, quum ab hac per omnia dissideat, nisi quod utraque perpetuo viret, nec foliis spoliatur. Hunc errorem ex eo exortum opinor, quod nostrates hac fronde utantur die ante Paschæ solemnitatem octavo, qui Dominica Palmarum dicitur: nam eo tempore apud Belgas reliquæ frondosæ arbores desiderantur. Spectatur hæc arbor in singulis fere apud nos hortis, folio myrti exiguo, concavo, subrotundo, lævore perpolito, perenni virore, flore herbaceo, odore gravi, et quem non solum animantes, sed etiam homines aversentur, ligno autem duro ac ponderoso ita, ut in aqua demergatur, colore pallido ad flavum inclinato; sic ut ii, qui colore mustellino sunt, ac gilvo, minusque amabili, buxeo vultu esse dicantur. Non desunt, qui hujus arboris scabiem ramenta lima attrita morbidis corporibus exhibeant, et luem veneream seu morbum gallicum iis expugnare tentent, eaque pari effectu censeant cum ebeno seu guajaco ac ligno Indico, qui mihi toto cælo errare videntur. Lignum enim Indicum odoratum est, succo oleoso ac resinato imbutum, sapore non ingrato; at buxus arida est, exsucca, tetro virosoque odore, sapore insuavi, et qui venenosæ qualitatis sit particeps, si modo gustare libeat. Conficiuntur autem ex tornatili hoc ligno ac rasili materia pectines, pugillares, manubria, forabiles fistulæ, capuli, pyxides, trochi; in quem usum quam in medicamenti accommodatior. Novi enim sacrificum quemdam apud nos, sed non admodum firmi cerebri aut mentis sanæ, qui cineres buxi deustæ, atque in palmarum consecratæ, quem ritum Romana Ecclesia Dominica Palma-

(1) Matth. 23.

rum observat, cuidam adolescentulo ebibendos propinaret aqua lustrali immersos, adhibito inani ac ridiculo quodam exorcismo, ad dispellendas, ut adstantibus persuasit, febres, et vermes exigendos: non ita multo post, febris quidem depulsa; sed adolescens morte sopitus est, sic ut auctor fuerim meis civibus, ne quis tale quiddam iterum attentaret, quum buxeæ frondes deleteriæ sint, et exitiales, corporique humano noxiæ ac periculosæ, quod odor gravis etiam et virosus indicat, et sapor abominabilis atque amarulentus, quem palatum respuit atque aversatur.

Jam vero ut susceptum argumentum prosequar, hoc est, desumptas a Prophetis similitudines explicem, commonstrabo obiter buxum etiam adhibitam concionibus, eamque arborem scite atque apposite suis narrationibus Prophetas accommodasse. Quum enim hujus arboris lignum cornea sit, ferreaque duritie, sic ut si quid illi insculpatur, non facile obliteretur aut exolescat: Dominus præcipit Isaiæ [1], ut peccatum Judæorum, qui Ægyptiis fidebant, amplificet atque exaggeret in immensum, omnibusque palam faciat, quam fœde a Deo desciverint, et aliunde potius, quam ab ipso salutem sint venati: obiter hoc illi dat in mandatis, ut ita describantur eorum scelera atque asserventur in monumentis publicis, ut ne umquam in oblivionem possint devenire. Sic enim vult iratus sceleris indignatione: *Nunc ergo*, inquit, *vade et scribe hanc prophetiam super buxum*, vel in tabula aut pugillari buxeo diligenter et accurate exaratam, *ut sit in diem usque novissimum in testimonium et usque in æternum*, hoc est, istud effice, ut tam accurate hoc scelus obsignetur, ut sit indelebile, nec ulla vetustate contingat obliterari aut exolescere, sic ut et illorum oculis possit continenter objici, et aliis in memoriam revocari elapsis jam aliquot sæculis, omnibusque testatum esse illos detestabiles esse ob patratum scelus, edito exemplo atque exhibito specimine ne alios quoque eo impietatis devolvi contingat. Jeremias [2] quoque simili utitur metaphora, et proclamat: *Peccatum Juda scriptum esse stilo ferreo, ungue adamantino exarabunt in tabula cordis eorum, et in cornibus ararum seu altarium eorum quibus continenter adstat et in quibus ipsi et filii eorum sacrificia peragunt.* Stilo ferreo, et cuspide adamantina scribitur (nihil enim adamante durius, sic ut acutissima instrumenta exigat, quo perpoliri possit), quod indelebile esse vult, nec annorum decursu interire, sed perpetuo subsistere, nec ullo ævo obscurari. In cornibus ararum, tamquam in vestibulo primoque aditu et ingressu templi, ut semper habeant in recenti memoria, ut continenter versetur ob oculos. Sic David [3], *Et peccatum meum contra me est semper*, hoc est, oculis jugiter obversatur, mentique assidue incumbit, sic ut numquam has furias et ærumnas, has animi carnificinas excutere possim, nisi scelus pœnitentia expiatum sit, ac Dei misericordia expunctum ac deletum. Job [4] etiam tot calamitatibus oppressus, tantaque mole ærumnarum obrutus, concepta emergendi fiducia ab hujusmodi rebus desumpta similitudine, cupit id quod dicturus est in omne ævum perdurare: esse enim indubitatum certumque ac fixum, nec se quidquam ambigere aut desperare, quin felicem atque optatum successum res sit habitura. *Quis*, inquit, *mihi tribuet, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stilo ferreo et plumbi lamina, vel celte sculpantur, in* saxo vel *silice?* Quo perpetuo extent omniumque animis possint infigi, omniumque oculis objici. *Scio enim quod Redemptor meus vivit*, certoque persuasum habeo *me in novissimo die de terra surrecturum, et in carne mea visurum Deum Servatorem meum; quem visurus sum ego ipse et non alius; reposita est hæc spes* et fiducia *in sinu meo.*

Quibus verbis præter veram corporis resurrectionem (quæ ut in Christo peracta, ita in nobis, hoc est, ejus membris perficienda est) hoc agit apud amicos qui illi plus attulerunt molestiæ quam solatii, ut omnibus testatum sit se aliquando ex iis malis ac miseriis emersurum; tametsi enim a Deo afflictus sit atque in nihilum redactus, tamen certam se habere spem, eam concipere fiduciam, ut vindex et instaurator suus Deus hanc cladem ac calamitatem, in quam dejectus est, a se auferat, et erecturus sit ex sterquilinio in quo volvitur in pristinam dignitatem, sic ut res ex luctuoso ac funesto initio lætam

(1) Cap. 3. (2) Cap. 17. (3) Psalm. 50. (4) Cap. 19.

catastrophen seu exitum sit habitura non sine numerosæ prolis accessu ac rei familiaris amplissimo proventu. Quæ res indicat Jobi historiam [1] non esse commentitiam aut fabulosam, sed veracem, et cui fides derogari non debeat; sic ut ex re gesta proponatur nobis patientia ac malorum tolerantia, ut testatur Jacobus apostolus [2], et illo prior Ezechiel [3].

CAPUT XLII.

DE NUCE.

Quum Sponsa (quo nomine, et Ecclesia et pii cujusque anima quæ Christo insita est, designatur) omnes consectetur et captet odorum suavitates quæ e speciosissimis fructibus emanant, hoc est, nulla non requirat oblectamenta virtutum quibus se reficiat: *descendit in hortum nucum, ut longe lateque prospectet* atque *inspiciat an vineæ florescant, an mala punica germinent, an se poma proferant in convallibus* [4]. Quibus metaphoris indicatur omnium virtutum chorus. Intelligi autem hic debet non nux avellana vulgo *Hasenote*, ex corylo, sed juglans, quæ est arbor procera et ramosa foliis non sine gravitate quadam odoratis, latis et oblongis, fructu multis involucris ac tegumentis munito, calloso foris atque herbaceo cortice, ut Plinius [5] eleganter describit, intus compactilicarum loculo. Sunt enim huic nuci bifidæ putamini carinæ, nucleis vero quadripartita distinctio, lignea intervirescente membrana. Nux autem hæc *Basilica* vocatur, hoc est, regalis: quod a regibus e Perside in Europam translata sit, communi nomine *Juglans*, quasi Jovis glandem dixeris, quod eam primus hominibus Jupiter commonstrarit. Eduntur hæ nuces salubrius, minorique incommodo recentes et succulentæ quam aridæ. Nam raucescunt vetustate ac capiti gravedinem inferunt, unde Græcis nux *Caryon* dicitur, quod capiti noxam inferat. Ex hac medicamen diacaryon medicis in usu est, quod e nucibus confectum faucium vitiis adminiculatur reprimentis ratione. Virides autem decerptæ antequam putamina obdurescunt, melle et zaccaro condiuntur, diuque asservari possunt, roborando stomacho utiles, atque ori palatoque non ingratæ, sic ut mensis inferri possint, etiam inter bellaria ut cortices citri aliaque tragemata, hoc est, delicata quæque edulia quæ secundis mensis atque alio cibo saturatis apponi solent. Elicitur etiam ex nucibus virentibus necdum autem in cortice induratis in turbine ac meta distillatoria aqua ad multos usus efficax, nempe ad pestis contagia, ad faucium ad palati ulcera ac pustularum eruptiones, ad eluendas maculas, nævos, lentigines in facie: quod etiam præstat aqua quæ ex vitis sarmentis verno mense incisis profluit, qua de re nullum veterum mentionem fecisse memini. Ceterum quum nux regia foris ligneo sit duroque cortice, atque intus suavem sapidumque nucleum contineat apposite nec incommode illi accommodari vita humana vel potius christiana potest, atque Ecclesiæ decursus. In hac enim nubila serenis, dura mollibus, aspera lenibus, acerba mitibus, dulcia amaris, solatia castigationibus immista sunt. Durum aliquando est et operosum nucem frangere; quod ipsum, si dentibus tentes, periculum imminet, ne si imbecilles sint, illos frangas. Quo spectat illud Plauti: *Qui e nuce nucleum esse vult, frangat nucem.* Quo denotat, illi qui dulcia degustare velit, amara degustanda, qui aliquid commodi sectetur aut aliquod malorum solamen conquirat, ne laborem fugiat, nihil non faciat ac patiatur, quo salubria assequi possit.

CAPUT XLIII.

DE POMIS IN GENERE, E QUIBUS SACRI VATES SIMILITUDINES DESUMUNT.

Pomorum differentiæ et species apud Belgas innumeræ sunt, sic ut superiorem, nostra ætas vincat: nam insitio et inoculatio plurima genera peperit. Inter hæc sunt præcocia quæ præmature maturescunt, sed fugacia, ut omnes fructus verni et æstivi qui asservari nequeunt. Hiberna vero et autumnalia in multam hiemem immo in ver insequens illæsa intactaque servantur. Horum alia

(1) Cap. 42. (2) Cap. 5. (3) Cap. 14. (4) Cant. 6. (5) Lib. 15, c. 22.

dulcia, alia acida, acerba, austera, vinosa, mitia, diluta, aquosa, alia varii mistique saporis. Præbent autem hi fructus amabiles nonnulli hominum oblectamenta, atque oculis, palato, naribus blandiuntur, ut etiam pirorum infinitæ differentiæ, sic ut si quis ullius generis mala conspiciat, contrectet, odoretur, degustet, mire hoc blandimento afficiatur, sic ut etiam eo conspecto in mentem veniat Dei munificentia, qui tanta rerum varietate nos cumulatissime instruxit. Inter poma referuntur quæ orbiculata sunt, nam pira fere oblonga sunt et turbinata forma. Horum differentias enumerare non est hujus instituti, quum omissis cotoneis mespilis, citriis, aurangiis, persicis et volemis sic dictis quod manus volam impleant, punicis, armeniis, etc. hoc tantum admonere visum est, Deum has delicias homini indulgere, partim in alimenti usum, partim in sanitatis conservandæ tutelam, eumque nonnumquam adimere hæc vitæ solatia, si quando erga illius munificentiam sunt ingrati. Desumitur apud Amos [1] prophetam elegans metaphora ex pomis æstivis, quæ cito quidem maturescunt, et ut res novæ, homines afficiunt, sed quæ confestim putrescunt, nec asservari possunt. *Ostendit*, inquit, *mihi Dominus Deus vicinum*, hoc est, corbem seu canistrum, *pomorum æstivorum, et dixit: Quid tu vides, Amos? et dixi: Canistrum pomorum* (quibus designat fructus præcoces et primitivos). *Et dixit Dominus ad me: Finis super populum meum.* Hac metaphora pomorum quæ non possunt diu subsistere, indicat imminere populo interitum, instare corruptionem ut pomis maturis, quæ si diu asservantur, putrescunt, ut sunt pruna, cerasia, persica, corna quæ perennare non possunt, aut in hyemem perdurare, sic ut appositissima similitudine pronuntiet, maturos esse ut consumantur, atque intereant, aut proximos esse internecioni: eo enim pervenisse illorum nequitiam, atque ut æstivos fructus maturuisse, vel desituri sint nec amplius possint subsistere. Id ipsum urget Apocalypsis [2], ac Babyloniæ, hoc est qui Ecclesiam contaminant extrema minatur atque auferendas pronuntiat omnes ejus delicias, decus, magnificentiam, splendorem. Inter alia autem, *Recesserunt*, inquit, *anima tua desiderata poma, et præclara quæque et omnia pinguia perierunt a te, nec amplius illa invenies.* Quo indicat omnia quibus oblectare se solet et palatum reficere, ablata esse, pompam, strepitum, ferculorum apparatus, bellaria ac mellita repotia, in quibus suavissimi fructus mensis inferri solent, ut poma sapida ac succulenta, pruna, persica, aliaque secundæ mensæ deliciæ.

(1) Cap. 8. (2) Cap. 18.

CAPUT XLIV.

DE QUERCU ET ALIIS GLANDIFERIS ARBORIBUS.

Multa sunt in sacro Codice stirpium genera, quæ seriatim recensere immensi esset operis atque infiniti laboris. Quocirca boni consulet æquus lector, si non omnia ad amussim sum exequutus. Quum autem Prophetæ arbores concionibus adhibeant, non modo sativas, quibus hortus excolitur, sed etiam silvestres, quæ fere urbanis sunt proceriores, earum nonnullas obiter attingam. Sunt etiam nostris regionibus cognitæ fagus, populus, ulmus, quercus, robur, ilex, acer, suber, cujus cortice suffulta sandalia et calceamenta frigus et aquam arcent; aliæque glandiferæ arbores, quæ olim ante inventas fruges alimentum hominibus suppeditabant. Unde proverbium *Stultum est inventis frugibus glande vesci.* Prophetæ [3] per has arbores validos et robustos designant, qui inopes opprimunt, ac tenuioribus sunt infesti, quos tamen Deus minimo negotio convellit ac dejicit. *Ipse* enim *tangit montes, et fumigant, ipse cedros* in immensum fastigiatas *prosternit* et confringit, sic ut vix tenue vestigium tanti fastus appareat. Sic Deus apud Amos [4], *Ego exterminavi a facie eorum Amorrhæum, cujus altitudo ut altitudo cedrorum.* Quo designat et denotat fastum, superbiam, arrogantiam, ac Dei contemptum. Similiter Zacharias [5] mentem eripit fastuosis, et tamquam rebus desperatis ad lamenta, ejulatus, ac fletus provocat. *Ululate*, inquit, *quercus Basan, quia succisus est saltus munitus ac magnificentia va-*

(3) Isa. 1, 2, 4; Psalm. 28 et 103.
(4) Cap. 2. (5) Cap. 11.

stata est, hoc est ablatum est omne robur, omnis vis et potentia, omnis munitio qua substiterunt, apposite illis quernis arboribus comparat. Ut enim maxima duritia robori et quercui est, ita ut eorum nonnulla vix findi queant: vel cuneis, vel securi, vel serra dissecari: ita ut isti muniti ac vallati opibus ac numerosa clientela, ad eas opes ac dignitates honoresque, ut sublimes arbores evecti sunt, ut numquam deprimi potuisse viderentur. Verum Dei potentiæ nihil obstat. Superius fusius de iis tractavimus.

CAPUT XLV.

DE ROSA, ET EX ILLA DESUMPTIS METAPHORIS

Rosa apud omnes nationes flos spectatissimus, mireque odoratus, cor et cerebrum odoris suavitate recreat: intus vero adhibita, affectarum partium dolores mitigat, et confortat astrictionis ratione. Succus tamen aut earum dilutum clementer ac placide alvum proluit, flavam bilem expurgat, jecoris obstructioni auxiliatur, in quem usum conficitur apud nos *Rhodopharmacum*, hoc est, syrupus rosaceus solutivus, qui citra noxam alvum dejicit, et biliosa excrementa, quæ febres tertianas excitant, expurgat. Hujus amabilis floris multæ spectantur differentiæ. Vulgatissimæ sunt quæ albescunt, quibus succedunt rubentes et muricatæ, hoc est, quæ purpureo colore collucent, inter quas flagrantissimi ruboris *Milesiæ*. Sunt etiam apud nos puniceæ quæ prænestinæ dicuntur, vulgo *Provinciales*, colore qui Belgis *incarnaet* dicitur, quod venæ carnis colorem referant, ac subfloridum aut rutilantem. Sunt etiam damascenæ, sunt musculatæ minutiore flosculo candido, odoris eximii, ut cynorhodus urbanus et sativus, vulgo *Negelentier*, quæ Plinio [1] videtur rosa græca et *Lychnus*, alia a coronaria, flore roseo vel subrutilo minuto, odorato, quæ dos etiam foliis aculeatis inest secus quam vulgaribus rosis, quarum folia inodorata sunt. Quum autem rosa nihil sit fugacius, nec quod citius marcescat, aptissime huic vita humana fragilis, caduca et momentanea comparari potest, tum omnis splendor ejus, gloria, decus, magnificentia, fastus, superbia, quæ omnia ut flosculi citissime evanescunt. Notantur autem in Scriptura sacra qui luxum fovent et odoratis rebus abutuntur. Sic enim compellant se lascivi homines ac deliciosi, qui a morte nihil hominis superesse sibi persuadent: *Quum ætas nostra imbecilla sit ævi brevis, et ut fumus et umbra evanescat, agite fruamur bonis præsentibus, et utamur rebus naturæ: dum juventus adest. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non sinamus elabi florem temporis* [2]. hoc est, non frusta patiamur præterire amœnissimam ævi partem, nempe adolescentiam, quæ genialiter nulloque nubilo est transigenda. *Coronemur rosis antequam marcescant, nullum pratum aut viridarium sit quod non pertranseat luxuria nostra*, ubique relinquamus signa lætitiæ, nemo vestrum exors sit insolentiæ nostræ, *quoniam hæc est pars, hæc est sors et conditio nostra.* Hæc, inquit Sapiens, *cogitaverunt et erraverunt; Excæcavit enim illos malitia sua, nec Dei arcana cognoverunt;* itaque illorum conceptum improbat, quod non usum rei spectent, sed luxum et prodigalitatem rerum naturæ, nulla habita opificis ratione. Ceterum apud Ecclesiasticum comparatur animæ puritas, candor, integritas, decus, et virtutis præstantia rosis aliisque odoratis stirpibus. Sic Sapientia æterni Patris, sui commendatrix, *Ego*, inquit, *quasi cedrus exaltata sum, quasi palma in Cades, et quasi plantata rosa in Jericho* [3]. In iis enim locis erant præstantissimæ. Rursum quum ad amplexandam Sapientiam exhortatur: *Audite me, divini fructus*, hoc est, pii filii, *et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate ut lilium flores emittite* [4]. Paullo inferius quum Simeonis pontificis laudes prosequitur easque amplificat in immensum comparatione desumpta a naturæ rebus: *Ipse est*, inquit, *quasi stella matutina in medio nebulæ, quasi luna plena quum suis diebus lucet*, hoc est, vel tota, vel media sui parte a sole illustrata: *quasi flos rosarum vernis diebus, et quasi lilia apud aquæ rivos, etc.* [5]. Ex iis conjicito, studiose lector, quam illæ frigeant metaphoræ aut collationes qui igno-

(1) Lib. 2, c. 4 (2) Sap. 2. (3) Eccl. 24. (4) Eccli. 39. (5) Eccli. 50.

rat herbæ aut fruticis naturam, ex qua similitudo desumitur, atque ad ornandam concionem adhibetur. Ceterum quum inter scribendum id Horatii [1] in mentem mihi venisset,

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci,

lectorem delectando pariterque docendo, visum est vulgare quiddam de rosa adjicere, quo jucunda seriis mista minus satient. Inolevit apud Belgas ac plerasque alias nationes consuetudo, ut si quando lepidi sodales inter se convivia agitant, ascitis inter hæc præstantioris formæ aliquot puellis, stipulentur peracto symposio silentii fidem, *ne fidos inter amicos sit qui dicta foras eliminet*, eaque de causa ut id ratum habeatur, *sub rosa hæc peracta* dictitant. Unde passim in cœnaculis rosa lacunaribus supra mensæ verticem affixa conspicitur, quo quisque sit secreti tenax, nequid temere effutiat, sed omnia reticenda meminerit. Ita si quid licentius, parumque verecunde aut reverenter dictum vel actum sit, aut si in geniali accubitu inter se cantillent, lusitent, basient ac figant oscula, lascivient, titillent, insolescant, ante digressum *omnia sub rosa transacta* contestantur, interposita stipulatione silentii ac pactione reticentiæ impetrata, ne quis disseminare audeat vel minimum eorum quæ in hoc sodalitio peracta. Quo spectat proverbium, *Odi memorem compotorem*, in eos qui liberius dicta postridie in mentem revocant atque effutiunt, quum vino sint inscribenda atque oblivioni danda, quæ in conviviis incautius exciderunt. Ita Lacedæmonii ex Lycurgi præscripto in foribus primoque aditu, atque ædium vestibulo inscripserunt, HAC NON EGREDITUR SERMO. Unde autem hic mos receptus sit, ut rosa in cœnaculis erecta silenda imperaret, quæ inibi agitari solent, carmen istud graphice exprimit:

Est rosa flos Veneris cujus quo furta laterent
Harpocrati matris dona dicavit Amor:
Unde rosam mensis hospes suspendit amicis,
Convivæ ut sub ea dicta tacenda sciant.

Est autem myrtus et rosa Veneri dicata, his enim herbis odoratis exornari debet conjugium ac torus genialis, in quo, excluso tumultu ac dissidio, omnia decet esse placida, quieta, sedata, et si quid inciderit, silentio involvendum, ob id Cupido Veneris filius rosam Harpocrati silentii deo qui digito labellum compescit, consecratam esse voluit, eoque munere illum decoravit, quo exhiberetur hominibus loquacibus rosa velut silentii symbolum. Ut autem Harpocrates apud Græcos, ita Angerona dea apud Romanos silentio præfecta est.

(1) In art poet. (2) Lib. 4.

CAPUT XLVI.

DE ZIZANIA, ET LOLIO ALIISQUE HERBIS FRUGIBUS INIMICIS.

Zizaniorum nomine designatur omnis inutilis, vitiosa, noxia fruticatio quæ sementi ac frugum incremento officit, quæque sata strangulat ac necat, succumque quo nutriuntur depopulatur, sic ut segetes aliæque herbæ salutares aut maligne emergant aut prorsus suffocentur. Quum autem lolium tritico infestum sit, ac noxam inferat, inter zizania, hoc est, ea quæ extirpanda sunt, principatum obtinet. Conspicitur autem in segetibus folio angusto, pingui, oleoso, hispido, semine in spica exili, flosculo purpurascente ut phœnix cujus meminit Dioscorides [2], hujus prorsus affinis, quæ lolium silvestre vel murinum vocatur quod a muribus erodatur; est autem spuria atque adulterina tritici species, quæ aliquando a puro discerni nequit. Huic fere sociari solet inter segetes githago, vel pseudomelanthium, sive nigellastrum foliis porri, prælongo culmo, flore purpureo, semine in loculo papaveraceo, nigro, subrotundo, inodoro, farina intus candida si dentibus atteratur. Lolium autem Theophrastus provenire testatur ex tritici ac hordei corruptis uligine seminibus aut iis gelido imbre dilutis. Semen ejus panibus admistum, capiti dolorem, oculis caliginem affert, quod vaporosos humores in cerebrum deferat. Unde emanavit proverbium in excutientes, quique sunt caligantibus oculis, *Lolio victitare*. Sic Plautus:

Mirum est lolio te victitare tam vili tritico.
Quidnam? quia lusciosus. Verbero Ædepol, tu quidem cæcus, non lusciosus.

Ceterum quum zizaniorum nomine nullæ peculiares herbæ designentur, sed omnes illæ frugum et herbarum pestes

quæ extirpandæ sunt, ne frugiferas herbas opprimant, Belgæ communi nomine hanc inutilium herbarum congeriem *wiet* vocant, et *wien* eruncare atque eruere, fundumque a noxiis fructicibus purgatum reddere. Quocirca ineunte vere antequam sata adolescant, mature ac tempestive evellenda curant omnia frugum detrimenta. Virgilius [1] autem obiter complectitur quæcumque zizaniorum nomine comprehensa sint et satis noceant.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit, quum jam glandes atque arbuta sacra
Deficerent silvæ, et victum Dodona negaret.
Mox et frumentis labor additus ut mala culmos
Esset rubigo segnisque horreret in arvis
Carduus; intereunt segetes, subit aspera silva,
Lappæque tribulique interque nitentia culta
Infelix lolium et steriles dominantur avenæ.

Ovidius [2] quoque agros et novalia culta præstari vult,

Ut careant loliis oculos vitiantibus agri,
Nec sterilis culto sugat avena solo.

Hinc apposite Christus per zizania [3], hoc est agrorum pestes et vitia doctrinam noxiam, perniciosam, insinceram designat; denique improbos et perniciosos doctores, qui hæresi pestifera mentes hominum imbuunt ac perversa subdolaque interpretatione, instigante diabolo, cælestem ac salutarem Evangelii doctrinam deprimunt, ac falsa veris, vitiosa sinceris, dubia certis immiscentes, Verbum Dei ac pabulum animæ inficere student et contaminare, quos tolerari quidem vult Deus in spem emendationis et quo moniti resipiscant, non tamen prohibet, ut Chrysostomus [4] ait, hæreticorum conciliabula dissipare, ora obstruere, loquendi audaciam concidere. Quo spectat illud Pauli ad Titum [5]: *Hæreticum hominem*, hoc est qui pertinaciter inhæret pravæ opinioni ac destinata malitia pergit tueri falsa, *post unam aut alteram monitionem, velut insanabilem ac deploratum fugito*, sciens quod eversus est, quoniam ipse suo judicio damnatus est, suaque culpa perit, quod monitus in errore persistat. Et quamquam zizania extirpanda nolit Christus, factiosos tamen et qui Reipublicæ tranquillitatem excitatis tumultibus perturbant, magistratus imperio subjicit [6].

(1) Georg. l. 2. (2) Lib. 1 Fast.
(3) Matth. 13.
(4) Cap. 13 in Matth.
(5) Cap. 3.
(6) Ad Rom. 12.

CAPUT XLVII.

DE LIBANOTIDE CORONARIA QUÆ VULGO « ROSMARINUS » DICITUR

Quum Bibliorum interpretes non semper exacta herbarum cognitione sint imbuti, viri alioqui linguarum peritia ad miraculum instructi, fit nonnumquam ut stirpium aliam pro alia substituant, ambiguitate vocis Hebrææ decepti. Sic non desunt (inter quos est Franciscus Georgius Venetus [7] reconditæ eruditionis vir) qui libanotida, hoc est, nostratem rosmarinum coronarium pro hyssopo vertendam censeant, quæ vox a thuris odore nomen sortita est, quem fruticem aut virgultum Judæi in fasciculos manuales coactum ac complicatum, scoparum more, conspergendis lustrandisque hostiis immolatitiis accommodabant. Nominis autem vicinitate decepti (nam Latinam vocem refert *Esop*) hyssopum transtulerunt, quum ut isti censent, rosmarinum fuerit interpretandum. Quum etiam Judæi nostra hac ætate (ut audio) fruticis hujus fasciculo utuntur, ubi sacrificia sua peragunt, ac cæsis hostiis peccata expianda sunt, imbuto intinctoque hoc fruticulo animantium sanguini, quo adstantes conspergunt. Quod ipsum olim Ethnici factitabant (mutuato a Judæis expiandi ritu) ut Juvenal, Persius, Horatius passim testantur, ramusculo olivæ. Cujus rei extat luculentissimum exemplum apud Virgilium [8], qui pompam funebrem describit, qua Misenus Æolides generosi hominis more effertur. Sic enim rem prosequitur:

Postquam collapsi cineres, et flamma quievit,
Reliquias vino et bibulam lavere favillam,
Ossaque lecta cado texit Chorinæus aheno.
Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi dixitque novissima verba.

Hoc est, manibus ejus optima quæque precatus est, quo officio etiam nostrates mortuos prosequuntur, ubi sepulcro inferri contingit. Nostri autem sacrifici ex veteri instituto in hunc usum manipulo utuntur ex cetis confecto atque aqua sacrata adstantes conspergunt nulla quidem, ut mihi persuadeo, superstitione gentili, sed ut Dominicis diebus hoc sym-

(7) L. 27 de Hamundi.
(8) Æneid., lib. 7.

bolo baptismus in mentem revocetur, quo is ritus ac cæremonia sit instauratio ac velus repræsentatio ejus Sacramenti, quod semel adhibitum numquam iterari debet. Ceterum ut ad rosmarinum referatur oratio, scatent passim omnium horti vivaci hac fronde, folio tenui crebro, oblongo, crassiusculo; colore intus candido, superne viridi, suaviter odorato, flore cæruleo oleoso ita ut si in vasculo distillatorio ex hoc aqua eliciatur, oleum innatare videas; quod ego paralyticis et apoplectis salubriter admovere soleo, cervice ac nuca illo inuncto. Odor fruticis animum reficit, præsentaneam autem vim obtinet in expugnando morbo regio, qui vulgo ictericus appellatur, perfusa extima cute flavo felleoque colore: sic ut hæc vis etiam ad animum transferatur vitiorum nævis ac maculis deformatum. Rursum morbum comitialem qui menti vim infert, impugnat: sic omnibus auctor sum ut in elixarum carnium liquamine crebro ejus usum admittant. Odor accensi fruticis pestis contagia fugat, atque ædes suavis odoris fumigio a vitioso halitu tuitas præstat. Conficitur ex ejus floribus medicamentum, quod quoniam diu subsistit, *Consetuam* triviales pharmacopolæ vocant, cujus vis cerebrum mire confortat, si nimio humore oppressum est, memoriam collapsam erigit, et ne quis morbo caduco, apoplexia, paralysi, spasmo corripiatur, aut caligantibus oculis afficiatur, singulari vi ac efficacia instructa est. Quum autem thuris odor ac suffimentum Deo offerri solet, eoque homines illi litare, non alienum a ratione est Judæos thurificis fruticum odoribus esse usos ac rosmarini ministerio (quæ singulari vi pollet in expugnandis cerebri morbis, ubi mentis sedes est, et herba grato odore imbuta est) sua sacra peregisse; ut nunc christiani vivida ac ferventi per fidem in Christum oratione se Deo reconciliant, qui cultus illi omni thure ac suffimento est gratior magisque acceptus: quamquam nihil vetat basilicas atque ædes sacras odoribus perfundere ac virente fronde, herbisque redolentibus vel suffitu odoratas præstare, modo absit superstitio, nec columen pietatis in iis ut plerisque aliis constituatur.

Adhibetur enim hujuscemodi adiaphora, hoc est, indifferentia ad decus et ornatum religionis, atque ut habeat populus aliqua honesta oblectamenta quibus reficiatur. Sic passus est Christus deferri hoc honoris, ut impuberes ac promiscua multitudo faustis acclamationibus se prosequerentur, sibique congratulantes palmarum aliarumque arborum ramos passim per vias ac compita prosternerent [1].

CAPUT XLVIII.

DE AMYGDALO ARBORE, CUJUS PASSIM IN SACRIS BIBLIIS FIT MENTIO, ET DE QUA DESUMITUR INSIGNIS METAPHORA SEU COLLATIO A SALOMONE, ECCLESIASTICI CAP. 12.

Amygdalus arbor caudice procero assurgit multis ramis quaquaversum, ut nostra persica brachiata, folii salici proximis aut ligustro, aut ut ea quæ Belgis *Persica* et volema profert, flosculo candido, foliis distincto, quæ tametsi mense Januario aut paullo serius statu cæli adhuc rigido florescat, apud Zirizæos tamen fructus qui nobis *Amandel* dicitur, præcoci partu maturescit. Vidi enim ante sequiannum in nuptiali pompa generosi viri *Brunonis Wiengaerds*, in quem socer *Hieronymus a Seroskerka* Zelandiæ orientalis cis Scaldem Quæstoriam dignitatem transtulit, amygdala ex arbore recens decerpta ea maturitate ut cum Italicis vel Hispanicis certare possent, sic ut effracto lignoso putamine nucleum intus exhiberent candidissimum, denique succulentum, miroque sapidum adeo ut proceres aliquot Batavi qui illuc acciti erant obstupescerent atque incredibili admiratione afficerentur quum spectarent in tam despicata maritimi tractus regione tam speciosos fructus enasci. Muniti autem erant fructus amygdalini gemino tegumento atque involucro pulvinati primum calycis, mox ligneï putaminis, cui suberat nucleus membrana obductus, qui in aqua egelida aut tepescenti maceratus membranam totam exuit et se edendum zaccaro insperso exhibuit. Amygdalus non prorsus nostrati persicæ absimilis, nisi quod huic folia majuscula sint et flos puniceus, illi candidus, fructus persicæ orbiculatus, carnosus, succulentus, sapidus vinosus, foris lanuginosus, dura intus ac scabra nuce, amygdalis prorsus affinis,

(1) Joan. 12; Matth. 25.

nisi quod majori lævore sit nux amygdalina, nec ita foraminosa. Fructus amygdalini cortex nihil habet quod edi possit, sed tantum nucem ambit membranosum tegmen pulvini forma; intus vero exhibet nucleum nunc amarum nunc dulcem, quorum prior ebrietatem arcet præsumpta exsiccandi ratione: nam humiditatem vini ac vaporem consumit, eumque prohibet ad cerebrum efferri: ceterum amaritudinis ratione, et quod incidendi extenuandique vi pollet, viscerum internorum obstructiones amolitur, hoc est, hepar, lienem, renes a crassis humoribus expurgat, urinam provocat, calculum atterit, ut etiam nuclei persicorum; nævos, lentigines, maculas, in facie cuteque extima eluit abstergendi efficacia. Quum autem vulpes calidis et siccis tabescant, usu amygdalorum amarorum emoriuntur, nisi aquam confestim lambant, atque amaritudinem, quæ vitalem succum illis depopulatur, mitigent ac diluant. Dulcia amygdala (quo commeatu Jacob patriarcha [1] filios instruxit, quum famis tempore in Ægypto illos amandaret) corpus alunt ac saginant, pectus expurgant, tabidis conferunt, somnum placidum conciliant, delatis ad cerebrum suavibus ac soporiferis vaporibus: gummi vero eaque resinosa concretio, quam fisso per æstatem, hianteque cortice arbor exudat, astringit atque inspissat humores tenues, ac sanguinolentas excretiones cohibet. Ex hac speciosa atque fructifera arbore quæ præmature floret, atque albescente flosculo spectabilis est, desumit Salomon insignem metaphoram in Ecclesiaste capite ultimo, adjectis aliis quibusdam verbis translatitiis tam obscuris et intricatis, ut non cuivis sint explicabilia, et quæ Œdypo opus habeant conjectore, quibus tamen pro virili atque ingenii nostri tenuitate aliquid lucis afferre conabor. Toto autem hoc capite desumpta ex rebus novissimis, passimque obviis collatione commonefacit hominem officii sui, utque in ætate juvenili saluti suæ invigilet, cohortatur, antequam ætas ingravescat, et corpus senectutis incommodis opprimatur. Itaque Deus ante oculos constitui vult, atque in eum mentem continenter defixam, nec ullo more committendum, ut in virescente ille in oblivionem deveniat, sed viget ætas, atque adhuc in flore ævi consistit, omniaque membra suis officiis funguntur, Deum vitæ integritate ac moribus inculpatis demereri studeat. Eleganti autem periphrasi indicat, quo modo homo in ætate florida constitutus sensim deflorescat, atque, ut Job testatur, conteratur, et velut umbra aut fumus evanescat, sic ut singulis momentis detrimenta concipiat, atque in deterius rapiatur, omniumque membrorum usu et functione privetur. Accessu enim annorum (nam singula membra Salomon persequitur) caligant oculi, aures obsurdescunt, lingua titubat, et efficitur impedita, nares odorandi facultate destituuntur, tremunt manus, labascunt pedes, dorsum incurvescit, totaque corporis compages pedetentim dissolvitur. In hunc autem modum (ut auctoris verba enarrem) concionem suam prosequitur: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ antequam veniat tempus afflictionis*, hoc est, antequam te circumvallent senii incommoda et morbi, *de quibus dices, non mihi placent, antequam tenebrescant sol et lumen, et stellæ, et luna revertantur nubes post pluviam*, hoc est, nebula oculorum cum lacrymosa lippitudine, *quando commorabuntur custodes domus*, hoc est, costarum propugnaculum, quod interna viscera munit, ac tuetur, *et nutabunt*, seu vacillabunt, *viri fortissimi*, hoc est, pedes qui corpus librant ac fulciunt, *et otiosi erunt molentes in minuto numero*, hoc est, quum edentulus eris, cibumque ægre conficies mandibula: *et tenebrescent videntes*, hoc est, oculi, *et claudentur ostia in platea*, hoc est, via et meatus, quo cibus in stomachum defertur, in humilitate vocis molentes, *et consurgent ad vocem volucris. Et obsurdescent omnes filiæ carminis*, hoc est, aures quæ sonorum modulatione affici solent. *Excelsa quoque timebunt et formidabunt*, hoc est, quum pedes labant, editiora loca non conscendent, vel aliquid ex alto delapsurum metuant. *In via florebit amygdalus, et impinguabitur locusta*, hoc est, pedes intumescent ob debilem concoctionem; nam locustæ exporrectis pedibus saliunt, quod senibus est denegatum. *Et dissipabitur capparis. Antequam rumpatur funiculus argenteus, et vita aurea recurrat, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam, et revertetur pulvis in terram unde venit,*

(1) Gen. 43.

et Spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Hæc partim allegoria, qua Salomon aliud dicit, aliud intelligit, partim metaphora (qua verba commoditatis gratia transfert per similitudinem a propria significatione ad alienam) extimulat hominem oscitantem, sueque salutis negligentem, ut opificis ac Creatoris sui memor sit, illumque identidem ob oculos constituat, nec umquam in oblivionem devenire patiatur: atque id præcipue in adolescentia atque ætate juvenili, quæ minus provida, segniter saluti propriæ invigilat, suisque commodis prospicit, quod ipsum eo magis amplificat, quod successura sint deteriora, quibus id perfici non possit. Quocirca acriter stimulat mentes ignavas et socordes, ut ab ineunte ætate in Deum mentem habeant erectam, antequam senium ingravescat, et accelerari contingat dies malos ac tempora, annosque plenos incommoditatis, molestiæ, afflictionis. Nam silicernio ac capulari seni omnia sordescunt vitæ oblectamenta, voluptates, deliciæ, tripudia, cantilenæ, risus, joci, lepores, omniaque fastidiuntur edulia, cupediæ, condimenta, bellaria, nec ullis rebus quamlibet suavibus afficiuntur, quibus fere juventus occupari ac detineri solet. Hanc autem occasionem redimendæ salutis eo magis arripiendam prædicat, quod in ætate decrepita et inclinata animus una cum corpore flaccescat, mens obnubiletur, memoria, ratio, intellectus, omnesque animæ facultates extinguantur, extincta luce; insitoque naturæ lumine sopito. Etenim (ut ordine ac continua serie Salomonis caput illustrem) senio confectis oculi cæcutiunt, ac præter caliginem lippitudine vitiantur, ut sol et luna illis vix conspici possint. Tunc manus quarum in perficiendo opere utimur agilitate ac ministerio tremulæ efficiuntur, atque ad opera manuaria inutiles. Tunc pectus anhelosum est, ac spiritus propter costas, subsidentes ægre ducitur. Tunc pedes qui corpus ut basis ac columnæ fulciunt, labant ac incurvescunt, sic ut in ingressu scipionis adminiculo indigeant. Tunc dentes qui cibum molunt ac conficiunt, operaque mandibularum alimenta conterunt, imminuti officio suo perfunguntur, ut edentulis assolet. Tunc visus imminuitur, atque oculi, qui velut ex cavernulis atque animi fenestris prospectant, deficiunt et obscurantur, aut conniventibus ac collapsis palpebris earumque musculis minutim ac velut per nebulam vident, ut ii qui vix in platea obvium discernunt. Tunc fauces ægre cibum deglutiunt, occluso ob siccitatem gulæ meatu, ac tramite per quem alimenta in stomachum deferuntur, dentibus etiam invalidis, exesis, infirmis qui cibo elaborando atterendoque non gnaviter insistunt. Tunc somnus tenuis est et exilis ob cerebri siccitatem, ut senex ad aviculæ sonitum expergiscatur. Tunc offuscatur vox, et stridet ariditate exasperante vocalem arteriam, prorsusque ad cantillandum est idonea. Tunc ad levissimum strepitum expavescit, totusque meticulosus ac pavidus semper aliquid sibi imminere, ac e sublimi delapsurum metuit, sic ut non temere per compita, et plateas ingrediatur, nisi subinde respectet. Tunc florescit amygdalus, hoc est, caput albescit canitie sic, ut eminus conspici queat, quemadmodum amygdalus arbor, quæ candidos in summitate flore producit, ac longissime se spectandam exhibet. Tunc vox exilis erit imminuta, ac stridula. Tunc lævissima quæque illi erunt oneri ita, ut ne muscam quidem perferat. Tunc peribit appetitus, qui fere capparis condimento irritari solet, totumque rerum carnalium desiderium abolebitur. Hæc aliaque incommoda homini obventura commemorat Salomon, ingravescente ætate ac devexa, antequam mutua animi concordia ac confœderatio, qua hæc conglutinata sunt, dissolvatur, et priusquam ex hoc corpore animum emigrare contingat in sedes illi destinatas. Quocirca homini has ærumnas in mentem revocat, quo in ætate florida ac virenti in Deum defixos habeat oculos, illique suam vitam, mores, ac studia approbare studeat: *Antequam* (ut concionem prosequitur) *rumpitur funiculus argenteus:* quo designat spinalis dorsi medullam, quæ ex cerebri substantia argenteo splendidoque colore producta (ut etiam in brutis animantibus conspicitur) a basi occipitis, hoc est, capitis parte postica uno producta per quatuor et triginta vertebras (qui et spondyli dicuntur) ad os caudæ, quod ad anum desinit, porrigitur. Quum autem istæ spinæ seu dorsi contextus, cui costæ velut curvatæ trabes adhærescunt, atque affixæ sunt, sit velut carina (nautæ *kiel* vocant) cui totius navigii moles incumbit, tota vis, robur, fortitudo, munimen-

tum humani opificii ac structuræ in spina ejusque medulla consistit, sic ut scite Salomon homini imminere interitum pronuntiet, quando illam convelli vel rumpi, vel dissolvi contingat, sub contracti argentei funiculi metaphora, quod instante morte evenit. Ceterum quod sequitur, *Frangitur aut quassatur fons aureus*, ea figurata locutione, cor vitæ fontem designat, a quo arteriarum rivi (ut ab hepate venarum propagines) producuntur, qui et spiritus vitales, et rubicundum sanguinem secum devehunt, membraque fovent et irrigant. Per hydriam autem vel quæ conteritur juxta fontem vel scaturiginem renes intelligit et vesicam meatusque urinarios, qui fere in senibus collapsi et in angustum contracti non præstant officium suum, sic ut accelerati interitus causam præbeant. Sequitur, *et confringatur rota super cisternam, vel conquassatur et corruet currus fratis rotis in foveam.* Quibus verbis denotat caput quod fere moribundis inclinari solet, et in humeros devolvi. Est autem caput rotundum et globosum, quod ut rota versatilis quaquaversum movetur dextrorsum, sinistrorsum, nunc in pronam, nunc in supinam partem, cui movendi et sentiendi facultas sit tributa, ex eoque spiritus animales orti per corpus diffunduntur, ac motum sensumque nervis impertiunt: imminente autem morte caput primum fere labascit ac corruit (ut in oculis perspici potest, qui omnium primo moriuntur, aut mortis indicia proferunt) ac totum corpus in præceps rapit, fractisque omnibus membris ut axe currus aut vehiculi, omnem corporis structuram in foveam dejicit. Hunc itaque subesse sensum Salomonis verbis, testantur subsequentia: *Nam tunc*, inquit, *pulvis in terram ex qua desumptus est, et Spiritus ad Deum qui dedit illum, revertetur.* Ceterum ut ad amygdalum regrediar, Jacob patr. [1], cui postea videndo Deo Israeli nomen inditum est, a socero Laban parum civiliter aut pro æquitate rei tractatus, miro usus est astu ac stratagemate, subdolo quidem ac fraudulento, nisi industriam interpreteris atque ingenii dexteritatem, qua mercedem avaritiæ prætextu denegatam, atque hereditatem fraude retentam ad se derivaret, ratione physica ad id perficiendum usus: accepit enim virgas ex amygdalo, corylo, populo, castanea, easque decorticatas in alveo ac canali posuit ante ovium oculos, ut quum potum venirent, in earum conspectu conciperent: cum autem omnibus animantibus atque etiam feminis formæ ac species rerum imaginatarum concipiuntur ex rebus objectis illæque fœtibus imprimuntur, factum est ut pedes fœtus ederent versicolores ac variegatos, maculisque distinctos, sic ut Jacobus non pœnitendam sortem sit consecutus. Ceterum extat in Bibliis [2] insigne miraculum de virga Aaronis amygdali in morem spectabili florum ac fructuum amœnitate germinante, qua Deus perfracto populo voluntatem suam testatam esse voluit, et palam facere omnibus, quem præfici velit divinis ministeriis ac sacerdotis munere fungi. Absorptis itaque terræ hiatu soloque dehiscente Dathan et Abiron una cum primariis aliquot conspirationi contra Mosem et Aaronem consociatis, qui se divinis rebus ingerere tentabant nullo Dei mandato aut vocatione; cæsis interim ex promiscua plebe ac gregaria multitudine quatuordecim millibus et septingentis, demandavit Deus Mosi ut acciperet duodecim virgas, inscriptis singulis virgis principum nominibus, inter quas erat Aaronis Leviticæ tribus. Et posuit singulas Moses in tabernaculo testimonii, postridie ingressus Moses tabernaculum oraculi, unde a Deo responsa peti solebant, invenit germinasse fruticis in morem virgam Aaronis Leviticæ familiæ, ac turgentibus geminis flores emersisse, qui foliis dilatatis amygdala protulerunt. Proferens autem Moses virgas omnes de conspectu Domini, spectandas illas exhibuit universis filiis Israel, qua re visa, acceperunt suam quisque virgam. Aaronis autem in signum rebellionis in tabernaculum relata est: quo sedato sopitoque murmure ac fremitu inconditæ multitudinis ea virga exemplo sit, ne amplius contra Deum ejusque ministros insurgant. Historia hæc illustre documentum omnibus exhibet, nempe, ut nemo sibi usurpet aut vendicet ullam functionem, aut ultro se illi ingerat, nisi Dei jussu et vocatione accitus, vel etiam communi consensu ac suffragio eorum, quibus ea res per Dei Spiritum demandata est, quemadmodum Paulus ad Hebræos [3] testatur Christum non sibi arrogasse eum honorem ac dignitatem, ut constitueretur

(1) Gen. 30.

(2) Num. 16 et 17.

(3) Cap. 5.

Pontifex, qui peccata abolet effuso suo sanguine, sed hac perfunctum legatione jussu Patris, qui illum constituit perpetuum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Cui itaque virga, hoc est, regendi docendique munus commissum est, ac delegata functio propagandi Evangelii, ille se alacriter operi destinato accingat, suæque vocationi gnaviter insistat. Atqui ut Aaronis virga prius arida, virtute divina virescere incepit, ac præterea fructum salubrem proferre; ita quoque par est, ut ministri verbi Dei germina virtutum proferant, ac salutari doctrina illos, quorum cura iis demandata est, imbuant, ut fructus bonorum operum per fidem in ipsis conspiciantur. Quod Christus sedulo inculcavit Petro ter ab illo stipulatus amoris confessionem, et pascendi gregis diligentiam. Videtur autem mihi admodum apposite ac convenienter nux amygdalina posse statui vitæ christianæ symbolum, in qua ut superius de juglande diximus, aspera mitibus, amara dulcibus, dura mollibus ac suavibus mista sunt: nam per ligneum durumque putamen adversitates, labores ærumnæ, incommoda designantur: per nucleum dulcedine imbutum suavitas et solatium, dolorumque fomentum et mitigatio.

CAPUT XLIX.

DE PLATANO EJUSDEMQUE NATURA, A QUA SIMILITUDINEM DESUMUNT SACRI SCRIPTORES.

Platanus arbor est externa atque adventitia, umbrarum gratia ex Asia in Europam advecta, sic ut Plinius [1] testatur ad Morinos usque Belgarum olim extremos Romani imperii tributarios esse delatam. Diffundit hæc arbor amplissime ramos cortice crasso, folio vitis aut ricini, hoc est, ejus stirpis quæ vulgo *Palma Christi* dicitur, ob folia in expansæ manus effigiem articulata, catapotiæ majoris etiam nomine cognita quod semen cui inest vis purgatrix, pilulis quæ Græcis *Catapotia* dicuntur, ab orbiculari forma, sit inclusum, verum platano, quam huic frutici folia paullo minora sunt, longo pediculo, hoc est, petiolo quo folium aut fructus dependet, rubicundo, flosculo parvo ac pallido, baccis rotundis atque orbiculatis, scabris ac lanuginosis. Præbet hæc arbor, quod patulis sit diffusa ramis, ac quaquaversum exporrectis, scenas et umbracula, ut apud Belgas fagus, vulgo *Buchen*, laxatis ac deflexis exspansisque in omnem partem cultoris industria ramis, eaque elegantius tilia seu philyra Belgis *Linden*, cujus apud Barabantos ramosa illa arboris propago, et natura et arte exculte umbram exhibet, et exclusio solis æstu opacum frigus affert, sic, ut subsidentes mire afficiat frondosa concameratio, ac lassos languidosque suaviter reficiat. Non desunt, qui quum tiliam hæc præbere commoda videant, ac salubri umbra astantes recreare, platanum existiment: alii fagum, quod Virgilius [2] cecinerit;

> Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi;
> Silvestrem tenui Musam meditaris avena.

Verum magno errori involuti sunt, quum illis nulla in foliis cum platano sit affinitas. Arcent quidem illæ arbores, ut platanus, solis ardorem, ac caput ob densam foliorum pompam ab æstu tuentur, sed non conspicitur ea species et forma foliorum in nostratibus arboribus, non emanat ex fronde ea suavitas et expiratio; quæ salubri halitu proximos afficiat. Est enim platanus ea vi imbuta, ut venenata quæque arceat, ac serpentes longe abigat, adeo, ut vespertilionibus hæc arbor adversetur, nec facile sub ea nidulentur, ejusque umbram ferre sustineant.

Quocirca sacri scriptores hanc etiam narrationibus suis accommodant, ex eaque similitudines desumunt. Sic Sapientia [3] sui commendatrix, atque in enarrandis propriis encomiis occupata, commemoratione excellentium arborum, indicat se omni virtutum genere exornatam, ita, ut sibi adsit decus, honor, dignitas, amplitudo, sublimitas, favor, gratia, venustas, quibus dotibus suos sectatores etiam illustrat, fatetur se frondescere ac fruticare, ut platanum arborem speciosam, quæ irrigata aquarum affluentia augescit, atque incrementa suscipit. Arbor enim hæc impense humore

(1) Lib. 12, c. 1. (2) Eclog. 1. (3) Eccli. 24.

delectatur, ac sitibunda est adeo, ut vini irrigationem non respuat, quod ipsum factitasse Hortensium Macrobius [1] refert, quo vivacior esset, ac magis spectabilis. Ut autem platanus ramos ac propagines longe lateque diffundit, ac tam gratam umbram exhibet, ut Xerxes Persarum rex totos dies illa se oblectaret: ita Sapientia, quæ ab Altissimo promanat, omnes qui eo confluunt, ac sub ejus umbra se recondunt, suavissimo Divinitatis afflatu fovet ac recreat, illorum curam ac tutelam suscipit, illosque ab omni injuria atque incommodo defendit. Sic orat David [2]: *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Et Jeremias plorabundus queritur se hoc solatio destitutum populi Judaici personam sustinens [3]: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris; cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus,* hoc est, illius præsidio fulti subsistemus et tuti erimus ab omni insultu. Ceterum quum sint in Palæstina ac Syria, totoque illo felicis Arabiæ tractu amœnissimæ summæque proceritatis arbores ob soli ubertatem atque aeris temperiem, Propheta, ex rebus obviis ducta similitudine, regum atque imperatorum magnatumque splendorem, magnificentiam, sublimitatem, potentiam, majestatem celsissimis arboribus ut cedris comparat. Et si qui alii sunt paullo inferioris notæ principes vel satrapæ, quorum non tanta est potentia, ut cum summis certare possint, aut cum illis paria facere: sed tamen in aliquo numero censeri possint, et quibus obtigit non pœnitenda dominatio, non cedro sublimi atque immensæ altitudinis arbori, sed abieti vel platano aliisque minus proceris aut speciosis arboribus comparantur. Itaque Deus apud Ezechielem amœnissima utitur metaphora in describenda amplitudine ac sublimitate Pharaonis, quantoque utatur successu ac prosperitate, quid incrementi florentissimo regno accesserit, quos progressus acceperit, sic ut pronuntiet nullum regem illi parem, nec quemquam illius magnificentiam adæquare: illum tamen ex tanto fastigio ac gloria minimo negotio dejectum iri, quemadmodum celsissimæ arbores securi dejici solent, ac convelli. Sic enim Propheta narrationem prosequitur, qua Deus superbo elatoque regi, cui ut numquam Deus in mentem venit, ita ejus populo fuit infestus, exitium minatur: *Factum est*, inquit Ezechiel [4], *verbum Domini ad me: Fili hominis, dic Pharaoni Ægyptiorum regi, et populo ejus: Cuinam assimilatus es in magnificentia tua? Ecce Assyrius cedro similis est in Libano, pulcher ramis, frondibus umbrosus,* tanta proceritate et altitudine ut inter condensas frondes sit cacumen ejus: *aquæ nutriverunt eam:* abyssus seu terræ profunditas qua radices aluntur, in altum illam evexerunt, quumque extendisset ramos suos, hoc est, vires et potentiam assequutus esset Pharaonis dominatus, in ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cæli, et sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiæ saltuum, et sub umbraculo illius habitabant plurimarum gentium cœtus. Qua metaphora indicat Pharaonis imperio multas nationes esse subditas, illique tributarias ac vectigales. Eratque pulcherrimus in magnitudine sua, in dilatione arbustorum suorum, hoc est, propagando imperio ac dilatandis proferendisque finibus. Erat autem ejus radix juxta aquas multas, quæ affluenter illam irrigabant. Quibus verbis designat opes illi accrevisse in immensum ob negotiatorum frequentiam, atque ultro citroque commeantium turbam. Cedri non fuerunt altiores in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitates ejus, et platani non sunt æquatæ illius frondibus. Quo indicat nullam provinciam ei parem, nec Judæam quæ sanctissima religione exornata est, nec ullas alias nationes, quæ Dei cultum amplectuntur, illi conferri posse. Ob tantam autem, inquit, pulcritudinem et eminentiam æmulata sunt eam omnia ligna voluptatis quæ sunt in paradiso Dei, hoc est, invidia quadam et æmulatione moti sunt finitimi, qui Deum colunt et venerantur. Urit enim aliquando pios felicitas et successus impiorum, ita, ut improborum prosperitas illos propemodum vacillare faciat, atque a studio recti dimoveri. Quod ipsum testatur David [5], quum inquit: Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Hujus quoque rei indignatione motus Jeremias cum Deo disceptat, et quo-

(1) Lib. Sat. 3. (2) Psalm. 16. (3) Thren. 4. (4) Ezech. 31. (5) P. 72.

dammodo cum illo expostulat, quod via impiorum prosperetur; et bene sit omnibus, qui prævaricantur et inique agunt. In eodem argumento versatur Habacuc [1], et cum Deo propemodum rixatur: Quare respicis contemptores, et taces, conculcante impio justiorem se? quasi diceret, cur connives? cur dissimulas, et quodammodo mussas ad scelera et iniquitates improborum? Job [2] quoque indignatur impios in tantam felicitatem evectos, ut reliquos habeat contemptui. Quare, inquit, vivunt impii, sublevati sunt et confortati divitiis? Domus eorum securæ et pacatæ, et non est virga Dei super illos, etc. Hæc autem tametsi in speciem inter felicitates referenda videntur, adeo ut piorum animos fatigent, et velut in lubrico constitutos ad ruinam propemodum impellant exitus, tamen declarat, quam sint fallacia, incerta, momentanea, caduca, fluxa, temporaria quibus illi fruuntur, quum Deus subito et repente omnia evertat, ac in nihilum redigat, ut ne vestigium quidem tanti fastus et potentiæ appareat: quod etiam alio loco indicat David [3]: *Adhuc pusillum, et non erit peccator, et quæres locum ejus, et non invenies.* Et paullo inferius: *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat; quæsivi, et non est inventus.* Quo denotat improbos in maximam sublimitatem attolli, sed ex florenti rerum statu, ex quieta possessione deturbari, illorumque pompam ac strepitum evanescere ut fumum, sic, ut ne posteritas quidem in ullam regni partem aut hereditariam possessionem admittatur, sed evertatur florentissima familia, et aboleantur ædes et palatia splendida, a quibus fere reges et magnates nomen sortiuntur. Exempla quotidie suppeditant Belgarum aliquot proceres gestamine regio decorati, quorum opes, decus, magnificentia, defluxerunt, et nominis celebritas extincta est, quod in tanto splendore, in quo erant constituti, nulla habita sit Dei ratio, nec suam felicitatem supremo numini acceptam referre studuerint. Quo spectat hæc Ezechielis metaphora, qua Deus regi amplissimo interitum minatur, eo quod cor ejus elatum esset contra Deum, sic ut aliis prædæ sit futurus, atque ad internecionem delendus; ipsis etiam confœderatis in eamdem calamitatis sortem dejectis, quibus accedunt multa alia detrimenta, quæ Ezechiel hoc capite multis metaphoris amplificat. Huic prorsus affinis est illa apud Isaiam Dei comminatio contra fastum, superbiam, tyrannidem, crudelitatem, sævitiam regis Babylonis super cujus interitu etiam lætatæ sunt abietes et cedri Libani, ut Propheta disserit. Qua metaphora indicat duces ac satrapas, omnesque illius jugo oppressos exultare atque exhilarescere ruina atque interitu tyranni suavissimi. Comparatur illi ob magnificentiam ac splendorem regni, Lucifero sideri, argentei ac clarissimi splendoris, qui planeta nocturnis horis atque inclinata jam die, solem subsequutus, Vesperugo et Hesperus dicitur, Belgis *Avent sterre*, de quo Virg. [4]: *Ite domum saturæ venit Hesperus, ite capellæ.* Matutinis autem atque antelucanis horis, primoque diluculo solem præcedens Lucifer vocatur Phosphorus; denique ab amabili venustate ac splendore, lucidoque colore Venus a qua et dies nomen sortitur. Cui rei hæc subest ratio, quod Veneris stella ratione epicycli moram ac retardationem faciat in signorum spatiis, quo fit ut tardius progressa, post occasum solis appareat velut itineris ejus comes, mox tamen maturans iter, ociore ambitu utitur, ac transiliendo se eripit a necessitate moræ, justumque cursum perficit, ac solem matutino tempore præcedens radianti splendore cælum illustrat. Huic sideri quum rex Babylonius memoratur assimilis, successu rerum magnarum elatus, suæque fragilitatis oblitus, divinos honores sibi deferri passus est, oppressaque Dei religione, ac profligatis ejus cultoribus pro numine coli voluit, cujus insolentiam ac superbiam, læsæque majestatis crimen indigne ferens Deus, illum ex sublimi imperii solio deturbavit, omnique gloria ac decore spoliavit (quemadmodum angelum Satanæ qui Divinitatem affectabat, Deoque proximas sedes ambiebat) et ea ignominia affecit, ut etiam sepulturæ honor illi sit denegatus, illata etiamnum memorabili clade regno Babylonico, ejusque incolis, atque indigenis undique prostratis, quæ ruina ac tam magnifici regis interitus passim provocavit populares et

(1) Cap. 21. (2) Cap. 21. (3) Psalm. 36. (4) Eclog. ult.

finitimos, qui ejus pompam ac strepitum vel inviti spectare ac venerari soliti sint, ad dicacitates, scommata, dicteria, sic ut mortuo cadaveri insultarent, quod opulentissimus rex, qui solo nutu omnes territabat, ex tanta sublimitate ac fastu in tam acerbam ac servilem conditionem sit præcipitatus adeo, ut non sit inferendus sepulcro more regio, sed (ut Jeremias [1] Joachimo regi Judaico minatur) sepultura asini sit humandus. Quo indicat corpus, ut asini et equi, feris et alitibus palam objiciendum. Quo spectat illa Isaiæ [2] ironia et insultatio: *Omnes principes nationum dicent: Detracta est ad inferos superbia tua*, hoc est fastus, strepitus, magnificentia, voluptates, deliciæ desierunt: *concidit cadaver tuum. Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes*, hoc est, corpus demortui nullo erit oblitum unguento aut aromate, ut regibus assolet, quo a putredine corpus conservetur: sed a lumbricis ac vermiculis arrodetur, ut infimo cuique cerdonum contigit. *Quomodo de cælo cecidisti, Lucifer, qui oriebaris mane ante coruscantem Auroram? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, et sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Tu vero in sepulcrum detractus es in profundum lacum.*

Quod denotat eum vita, opibus, potentia exutum, et morte absorptum, qui humanæ conditionis oblitus, se efferre supra humanam conditionem studuit, Deique honorem sibi vindicare. Quæ rerum vices documento sunt regibus ac mortalium cuique, ut se contineant intra limites, ac meminerint eas esse vices rerum humanarum, ut minimo momento summa in imum aliquando devolvantur, eoque magis si homo fastu ac superbia intumescat contra homines, et cristas erigat adversus Deum. Sic Paulus [3] infelicem ac funestum exitum denuntiat homini illi sceleroso ac perdito, qui effertur supra solium Dei, et se extollit supra omne quod dicitur Deus, aut numen religiose colendum, et a quo cujusque salus et incolumitas dependet, adeo ut in templo Dei suadeat ostentans seipsum pro Deo, et exercens palam sævitiam ac tyrannidem in sanctos, qui volunt pie vivere in Christo Jesu: quem Deus suo tempore conficiet potenti spiritu oris sui, atque mentita falsaque Divinitatis specie jactantem abolebit claritate adventus sui, quo detegetur omnis impostura, et evanescet (multis obstupescentibus, qui ejus fraudulentis prodigiis et portentis dementati erant) ut fumus ejus doctrina, et fucata fictaque religionis ac pietatis species.

CAPUT L.

DE FRUTICE, VIRGULTO, SURCULO, TERMITE, MALLEOLO, PALMITE, GERMINE, GEMMA, QUI ET OCULUS IN ARBORIBUS AC PLERISQUE ALIIS, DESUMPTÆ SIMILITUDINES, QUIBUS PROPHETÆ VATICINIA ILLUSTRANT.

Frutex appellatur quidquid ab radice multiplici caudice ac ramosum se profert, sed quod ad justam arboris proceritatem non assurgit. Virgultum est e terra emergens fruticosa virgularum congeries, quæ compluribus ramulis ac lignosis surculis constat, nec ut herba emoritur. Hæc aliquando excolitur, ut arborescat. Surculus est germen quod ex ramis simplex et individuum oritur, qualis nobis in ramusculorum summitate ad insitionis usum accommodatur, *Inte* Belgæ vocant, quo efficitur, ut

Aliena ex arbore germen
Includas: uvidoque docens inolescere libro (4).

Est autem surculus in arbore velut succrescens soboles et propago, ut in familia nepotum et agnatorum successio. Unde *Surculare*, hoc est, adnascentes arboribus surculos adimere. Malleoli et palmites a sarmentis, hoc est, prælongis vitis virgulis, porriguntur, novellæ sunt vineæ germinationes, inter quas sunt pampinarii, qui nihil aliud quam pampinis ac foliorum pompis luxuriant, quibus nihil speres quam ostentamenta stirpis: ut ficus Evangelica Christo detestata [5]. Sunt enim stolones et inutilis fruticatio resecanda ferro, ignique destinanda. Qua metaphora Christus impios atque improbos designat. Alii palmites fructuarii sunt, a quibus insequente æ-

(1) Cap. 22. (2) Cap. 14. (3) 2. ad Thess. 2. (4) Georg. 2. (5) Joan. 5.

state fructus speratur, nam ineunte vere palmites concepto humore, velut animati, protuberare incipiunt: ac velut parituri extumescere, sic ut gemmæ in iis se proferre incipiant. Quod Cicero indicat, in vitibus primo vere existit, tamquam ad articulos sarmentorum ea quæ gemma dicitur vel oculus, quod extumescat. Unde *gemmare* vites dicuntur, ac turgescere in spem futuri fructus. Indicavit id etiam Virgilius [1],

. . . . . jam venit æstas
Torrida, jam læto turgent in palmite gemmæ.

Germen est id, quod ex ipsis arborum surculis primo vere exit, ex quo mox folium producitur. Sic vere novo germinare dicuntur arbores et pubescere. Ex qua re post ver advèntare æstatem conjicimus: ut etiam indicat Christus [2] sumpta similitudine a ficu germinante ac proferente grossos suos, quæ metaphora superius explicata est de ficu. Termes avulsus est ex arbore ramus foliis vestitus, et fructibus onustus, præsertim ex palma et olea, de qua Paulus apostolus [3] similitudinem desumit contra illos, qui fastu tumidi, ac sanctimoniæ specie inflati alios despiciunt, ac concipiunt de se opinionem, quam pro humana fragilitate majorem. Hæc præfari visum est, lector candide, quo plus lucis afferret plantarum cognitio, ex quibus concinnæ similitudines et metaphoræ desumuntur; neque enim solum ex arboribus, herbis et fruticibus sacra historia similitudines mutuatur, sed etiam ex earum partibus et appendicibus, radice qua alimentum alliciunt, trunco, per quem diffundunt, cortice, quo muniuntur, ramis, fronde, foliis, flore, quibus exornantur, fructu, semine, quibus propagantur. Sic Isaias [4], ut rem aggrediar, quum de Christo [5], ejusque ministerio vaticinatur, atque illum oculis hominum spectandum exhibet, describit tam salutarem summi Patris Legatum nulla specie, nulla formæ dignitate fuisse, sed abjectum, despicatum, ita, ut nullus propemodum illo afficiatur, aut illum ut gratiosum hominem ac favorabilem complectatur. Similem dicit Christum virgulto aut surculo, qui emergit ex terra arida, jejuna, squallentique ac siticulosa sic, ut nullam spem pollicere posse videatur hominibus (nam coram Deo nihil illo sublimius) ut in ullam sublimitatem possit evehi, suamque propagare doctrinam, aut ulla ratione efficere, ut aliquam spem de eo quispiam concipiat instaurandæ salutis, vel aliquid magni ab illo sperare, adeo, ut quum multi abjecti hominis specie offenderentur, eo res deventura videatur, ut vix decimus quisque fidem sit habiturus tam magnificis promissis eorum, qui illum prædicant, ac testatum orbi volunt Christum esse Servatorem, salutisque humanæ vindicem, et assertorem. Quum enim in eo nihil fuerit spectabile aut visenda specie (nisi devicta morte exhibito resurrectionis triumpho, ac consummato salutis humanæ mysterio) profecto non mirum cuiquam, aut absurdum videbitur tam paucos amplecti ejus professionem, ejusque doctrinam arripere: quum vix dignum deputent, in quem defigant oculos, ac spectare sustineant, et abjectior sit, quam ut ejus consuetudine ac familiaritate uti cupiant. Longum autem esset omnia persequi, quæ in hoc capite Isaias commemorat de propagatione regni Christi, propterea lectorem ad hujus Prophetæ interpretes relego, Hieronymum, Rupertum, Tuicensem, Adamum Sasboudum recentiorem, et si qui alii in illustrandis Isaiæ vaticiniis fuerunt occupati. Omnium autem Christianorum interest locum hujus Prophetæ accurate eruere, in eoque identidem immorari, ac singula meditando excutere: quoniam in eo nobis proponuntur, quibus maxime illustratur Christi et humilitas et gloria, et quid nobis contulerit, quantaque passus sit, ut excussa servitute ac tyrannide diaboli, in libertatem damnatos assereret. Revocat nos ad Christi exemplum Paulus apostolus [6] rigidus Christianæ religionis assertor et propugnator, atque hortatur ut ita simus affecti, sic animati, ut Christus Jesus, *qui quum esset in forma Dei, non se rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed seipsum exinanivit, ut assumpta servi forma factus sit homini similis et in forma repertus, ut homo factus obediens usque ad mortem crucis* ignominiosam, *quapropter Deus illum extulit in summam sublimitatem, et donavit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu se fle-*

(1) Eclog. 7.
(2) Matth. 24. (3) Ad Rom. 11. (4) Cap. 53. (5) Joan. 16; ad Rom. 10.
(6) Ad Philipp. 2.

ciat omne genu, cœlestium, terrestrium et inferorum [1], hoc est, nulla vis, nulla potestas tanta, quæ non submittat se illius imperio. Sic Paulus, ut etiam Isaias [2], duplicem Christi naturam complexus est, humanam, qua obnoxius fuit et expositus calamitatibus et miseriis hominum: et divinam ob consequutum imperium, quo devicta morte et diaboli tyrannide, extinctoque peccato, mortales omnes in libertatem asseruit, sic ut nemo non illi assurgat, nemo non caput inclinet, nemo non genua incurvet, ubi tam sacrosanctum Jesu nomen vel proferri, vel exclamari audit. Ceterum ut in argumento suscepto progrediar, quum Isaias nusquam non Christi gloriam illustret, atque illius regnum, hoc est Evangelicam professionem propagandam prædicet, consolatur afflictos et mœrentes, qui se destitutos omni præsidio existimant, ut concepta spe et fiducia in Deum mentem erigant. Futurum enim indicat (assumpta metaphora surculi vel fruticis) instauratum iri spirituale Davidis regnum per Christum, omnesque pios qui se desertos credunt propugnatorem habituros et vindicem, excussoque tyranni jugo, libertatem assequuturos, quod hoc vaticinio confirmat: *Egredietur*, inquit, *virga*, seu virgultum, vel surculus, *ex radice Jesse et flos subsequente fructu ex caudice ejus. Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Quo indicat Christum omnibus donis cumulatissimum, quibus suos instituit ac locupletat. Eamdem similitudinem paullo post repetit: *In die illa radix Jesse*, quæ inclinatis rebus Judaicis propemodum extincta videbatur, ut aridus truncus *instaurabitur et erigetur*, ita ut omnes nationes, tamquam in scopum oculos habituræ sint defixos in Christum, qui stat erectusque est in signum, ac velut vexillum populi, atque illum requirent; eo se conferent, illum certatim gentes deprecabuntur. Ceterum ex radice, quæ humorem e terra elicit, ac vitalem succum per ramos undique diffundit, sumuntur in Bibliis similitudines perelegantes, quas partim rebus prosperis ac secundis Prophetæ accommodant, atque ubi successum pollicetur Deus, vel etiam incrementa virtutum: partim rebus deploratis applicant, quum scilicet improbis extinctionem atque interitum denuntiant. Sic Job [3] cum floreret opibus et potentia, ac frueretur rerum omnium affluentia, omnesque proceres illum passim honore prosequerentur; *Radix mea*, inquit, *erat humore perfusa.* Metaphora sumpta ab arboribus, aqua salubri irrigatis, quæ non arescunt, sed florum et frondium pompa spectabiles sunt. *Et ros morabitur in messione mea.* Quo denotat omnia felicissime successisse, nec quid detrimenti aut jacturæ accessisse rebus suis. Quum autem radix fundamentum sit, quo arbores fulciuntur et alimentum percipiunt, Deus apud Oseam [4] pollicetur resipiscentibus atque iis, qui illi fidunt, uberrima quæque, opesque stabiles et diuturnas: *Ero*, inquit, *quasi ros Israeli, et germinabit sicut rosa aut lilium, et erumpet*, hoc est, dilatabit, diffundetque se *radix ejus et propagabunt se rami illius.* Quo designat non facile moriturum illorum felicitatem, sed ut validas arbores, stabilem fore diuturnam. Salomon [5] autem, quum inanem atque evanidam impiorum spem indicat, qua frustrandi sunt votis suis, nec sunt consecuturi ea, quæ animo conceperunt; *Desiderium*, inquit, *impii monumentum est pessimorum*, hoc est, ea cogitant ac meditantur, quæ interitum afferunt: *Radix autem justorum proficiet*, hoc est, pullulabit fructumque salutarem proferet. Unde Sapientia [6] radicatam se dicit, seu firmas defixisse radices, ac propagatam in populo honorifico, sic ut assurgat in immensum, ut cedrus et cupressus, hoc est, longe lateque diffundat virtutes suas quibus sui studiosos obumbrat, ac saluberrimo halitu fovet ac recreat. Ediverso, quum Deus interitum minatur improbis, ac confirmat non fore stabilem aut diuturnam illorum potentiam, quantumvis illa vallata sit et munita, radicem illorum eruendam pronuntiat. Quo spectat illud Jobi [7]: *Ego vidi stultum firma radice, ac maledixi, ac detestatus sum pulcritudinem ejus.* Cui et illud consonat [8]: *Cunctis diebus suis superbit impius, et numerus annorum et tyrannidis illius incertus est: Non ditabitur nec perse-*

(1) Matth. ult. (2) Cap. 11. (3) Cap. 29. (4) Cap. 14. (5) Prov. 12. (6) Eccli. 24. (7) Cap. 5. (8) Cap. 15.

verabit substantia ejus, nec mittet in terram radicem suam; hoc est, non erit diuturnus: *ramos ejus arefaciet flamma, et auferetur spiritus oris ejus ab eo.* Hæc omnia indicant omnem astum, strepitum, superbiam ad nihilum redigenda. Non mitiora denuntiat David homini scelerato ac nefario, qui rebus fluxis ac caducis fisus, innocentes opprimit. *Destruet te,* inquit, *Deus in æternum, et evellet te de tabernaculo et radicem tuam de terra viventium* [1]. Quo indicat illum radicitus extirpandum, ac funditus eruendum, sublata omni spe propagandæ familiæ; nam extincta radice nulla amplius est posteritatis spes. Eadem metaphora Christus usus est, quum os obturat Pharisæis, et discipulos libertate dicendi offensos placat: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur* [2]. Quo indicat, omnem doctrinam aut institutionem vitæ, quæ non innititur Christi solido fundamento [3], et quæ plus habet superstitionis, quam veræ pietatis, extirpandam. Solent fere in nihilum redigi et aboleri, quæ humanis conciliis, nec adhibito Deo statuuntur, omniaque dissipari atque obsolescere, quæ non Scripturæ immobili auctoritate fulciuntur, vel ad ostentationem et quæstum excogitata sunt. De germine, hoc est, rudimento florescentis plantulæ ineunte vere, par est ratio; nam ex eo desumuntur similitudines, vel in bonam, vel in deteriorem partem. *Sic vinea Domini exercituum Israel est,* ut Isaias [4] testatur, *et viri Judæ germen ejus delectabile.* Rursus eodem capite in deteriorem partem: *Radix impiorum sicut favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet,* hoc est, improbi perdentur, nec in ullam magnitudinem assurgent. Rursus quum idem Propheta [5] consolatur populum, et pollicetur gratiam Servatoris non defuturam; *In illa die,* inquit, *erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis,* seu honorificus. Quo ostendit plurimum ornatus ac dignitatis accessurum iis, qui in fide persistant, ac salutem Christi favore et munificentia consecuturos. Quo spectat illa exultatio, qua sibi tacite ac velut in sinu plaudit ac gratulatur homo pius, quod tot tantisque donis sit cumulatus. Sic enim omnia sua dona ac munera, quibus affatim ornatus est, ad Deum cum gratiarum actione referens: *Gaudens,* inquit, *gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Sicut enim terra profert germen suum, et sicut ortus semen suum germinat: sic Dominus Deus germinare facit justitiam et laudem coram universis gentibus. Quibus verbis, indicat se omni virtutum genere excultum, atque id Dei beneficio, cui uni debetur laus et gloria. Ut enim terra fertilis et fœcunda, virentibus herbis exornata testatur Dei erga inferiora hæc munificentia, ita justitia, pax, tranquillitas, ac ceteræ virtutes quibus mentes humanæ exornatæ sunt, declarant summam Dei erga homines beneficentiam et amorem, sic ut merito hæc Dei munera nos ad gratitudine provocare debeant.

Palmites vitis, qui se longe lateque diffundunt, explicant, dilatant, atque umbracula contra solis æstum præbent, felicitatem, honorem, dignitatem, magnificentiam, decus, amplitudinem, successum in Scriptura designant. Sic David [6] eleganti allegoria vitis et palmitis, Hebræorum res secundas commemorat, quas calamitates postmodum sunt subsequutæ. Sic enim cum Deo sermocinatur: *Vineam de Ægypto transtulisti,* quo designat populum Judaicum; *ejecisti gentes et plantasti eam,* hoc est, curam adhibuisti illis excolendis et instituendis. *Quæ* vitis *extendit palmites usque ad mare, usque ad flumina propagines suas,* hoc est, exporrexit imperii terminos. *Ut quid diripuisti sepem ejus, et vindemiant eam omnes, quæ hac iter faciunt?* hoc est, diripiunt, convellunt, lacerant, dilaniant potentiam populi Judaici, quod destituti sint protectione tua, tuoque præsidio orbati. Idem argumentum tractat Isaias, a vinea ac palmitibus desumpta similitudine. Extat autem insignis locus apud Ezechielem [7] exhibita parabola ænygmatica, qua declarat Deus producta in concionem aquila prægrandi ac rapaci, qua regem Babyloniæ regno Israelitico inhiantem designat, cui talia insignia attribui solent, ac vinea frondosa, multisque palmitibus exporrecta, nihil stabile esse aut diuturnum, nec temere hominum

(1) Psalm. 51.
(2) Matth. 15; Joan. 15. (3) I. ad Cor. 3.
(4) Cap. 5. (5) Cap. 61.
(6) Psalm. 79. (7) Cap. 17.

potentiæ fidendum : esse enim regum ac principum fœdera, amicitias, pacta, societates infidas, florentissima magna ruinæ obnoxia. Illa enim Deum dissipare et exscindere, ut vineam foliorum ac frondium pompa luxuriantem : erigere autem humilia, abjecta, despicata. Quod ipsum in postrema capitis parte his verbis indicat, *et scient omnia ligna* vel arbores *regionis*, hoc est, superbi, elati, sublimes, reges, *quia ego Dominus humilio lignum sublime, et exalto lignum humile, et siccavi fecique exarescere lignum viride* et succulentum, *ac frondere* ut virentem arborem, *lignum aridum. Ego Dominus locutus sum, et faciam.* Quo indicat erigere se humiles et despicabiles, atque e sublimi deturbare arrogantes. Quod ipsum agnovit diva Virgo [1] et cantico illustri testatum voluit omnibus, Deum clementia uti erga illos, qui eum reverentur : dejicere autem illos et profligare, qui animi fastu contra Deum et homine insolescunt, divites famelicos pati, esurientes autem assatim saturare et implere bonis. Paullo post idem argumentum prosequitur Ezechiel [2] vaticinio fulminato contra Joatham, Eliachim et Sedeciam perjurum et fœdifragum. Sic enim primo illos suis depingit coloribus et indolem illorum exprimit ; *mali*, scilicet, *corus*, ut habet proverbium, *malum ovum : Quare mater tua leona inter leones cubavit? in medio leunculorum nutrivit catulos suos et eduxit unum de leunculis, et leo factus est, didicit prædam capere, homines devorare, eo capto e gentibus non absque vulneribus nec sine sanguine, ita ut victoria non fuerit incruenta. Mater frustrata sua expectatione et spe, sumpsit alterum e leunculis suis*, Joachimum scilicet, *et leonem*, hoc est, tyrannum, *constituit eum, qui incedebat inter leones, et factus est leo ac didicit prædam capere, atque homines devorare, didicit viduas facere civitates, depopulari, atque in desertum redigere, qui etiam vinctus catenis abductus est ad regem Babylonis.* Quo autem magis exaggeret rei atrocitatem, atque amplificet regis crudelitatem, quæ etiam illi ab utero materno adfuit, repetit capitis initium, usus metaphora physica in hunc modum : *Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquas plantata est.* Quam metaphoram, et quæ subsequuntur, nemo nisi physicus, et qui in re medica sit exercitatus, recte interpretari poterit. Alludit enim ad infantis gestationem in utero ; nam rubicundo ac sanguinolento sanguine fœtus alitur, ac sensim incrementa capessit ; itaque indicat matrem, a qua crudelitatem suxit, mire fœcundam esse, et sanguine, in quo fœtus volvitur, redundantem, ut vineam fertilem in locis irriguis : eoque evenit, ut materno sanguine affluenter pastus et signatus vires validas et robustas conceperit. Quod indicat, quum inquit : *Fructus ejus et frondes ejus creverunt in aquis multis*, hoc est, humorum in utero abundantia. *Et facta sunt illi virga solida in sceptro dominantium.* Quo designat imperatoriam dignitatem, et regalem pompam ac strepitum. *Et vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum.* Quo indicat illius potentiam ac magnitudinem longe exporrectam, et exaltatam staturam ejus inter comantes frondes. Quo designat illum longe superasse magnificentia sua vicinos reges et satrapas, ac latius propagasse ditionis terminos. *Quum autem in tanto regni fastu ac* strepitu *constitutus cæpisset alienari a Domino Deo suo, ipse ut speciosa ac diffusa vitis avulsus est, et emarcuerunt atque* arefactæ sunt *virgæ arboris illius, eaque vinea transplantata est in desertum loco arido* et siticuloso [3]. Quo designat exilium et captivitatem, in quam abductus est, ac privatus honore, dignitate, dominatione, magnificentia regia. Quod iis verbis indicat : *Non est in ea* (nam persistit in vineæ metaphora) *virga fortis, nec sceptrum dominantium*, hoc est nulla est imperii majestas, nulla magnificentia, nulla auctoritas, quæ illum extra contemptum possint vindicare. Hactenus de palmitibus ac vitis propagine, a quibus Christus etiam similitudinem desumit, atque homines, qui illi per fidem insiti sunt, ac bonorum operum fructum proferunt, fructuosis palmitibus assimilat. Improbos vero omni ornatu destitutos, nulloque fidei ac charitatis succo imbutos, aridis et infrugiferis, qui ut inutiles frutices et sarmenta igni destinantur. Qua de re uberius in capite de Vinea, ubi Joannis Evangelistæ locus explicatur.

(1) Luc. 1.
(2) Cap. 19 et 21.
(3) 4. Reg. 23 ; Jerem. 59 et 52.

Ceterum rami, qui multiplices ex caudice atque arboris trunco, velut erectis brachiis se diffundunt, simili metaphora ut palmites concionibus adhibentur. Designatur autem hac voce robur, potentia, firmitas, incolumitas, decor et ornatus familiæ, totiusque posteritatis propagatio, ac soboles, denique consanguineorum, affinium, cognatorum, nepotumque series. Sic Sapiens quum illi felicitatem ac florentes annos pollicetur, qui Sapientiam amplectitur; *Radix Sapientiæ*, inquit, *timere Deum, et rami ejus longævi* [1], hoc est, in multos annos illi vita prorogabitur et longum habiturus est ævi decursum. Extat autem insignis apud Paulum [2] concio metaphorica de ramis avulsis ex olea, et in illorum locum aliis insitis, in qua solidis argumentis ac demonstrationibus Judæos non ita excisos ac diffractos ostendit ac convicit, ut sublata sit omnis recuperandæ salutis spes: sed illos denuo inserendos, si fidem amplectantur. *Si enim primitiæ*, inquit, *sanctæ et conspersio sancta est. Si fermentum sanctum, oportet et totam massam statui sanctam, quæ fermento undique imbuta est. Si radix sancta et rami sancti erunt.* Si Abraham primus credentium pater fidem amplexus est, et illi imputatum est ad justitiam: quid vetat et nepotes ac posteros stirpis suæ auctorem exprimere, ac fidem eamdem amplecti, ut superius fusius a nobis explicatum? Ceterum ut comantes ac longius exporrecti rami aliquando felicitatem denotant, ac rebus lætis ac secundis adhiberi solent: ita nonnumquam illos rebus adversis sacri Scriptores accommodant, eoque nomine calamitates obventuras denuntiant, nec improbos diuturna prosperitate usuros, quod hujusmodi verbis indicatur apud Job [3]: *Cunctis diebus superbit impius, sed nec ditabitur, nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam, ramos ejus arefaciet flamma*, hoc est, omnia cedent in deterius, et abolebuntur, et si videantur ad tempus florere improbi, suosque ramos diffundere, omnia tamen sublapsa confestim dilabentur. Id ipsum Sapiens obventurum pronuntiat generationi perversæ, quum inquit [4]: *Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas nec stabile fundamentum collocabunt.* Etsi rami tempestive suoque tempore germinaverint, infirmiter positi, a vento concutientur, suisque sedibus commovebuntur: *Confringentur enim rami inconsummati*, hoc est, imperfecti, et qui nondum justum robur ac firmitatem sunt consequuti, *et fructus illorum inutiles, acerbi ad manducandum*, nec ad ullum usum idonei. Quo indicat, ut ex orationis serie intelligi potest, nec progenitores, nec filios, nec nepotes usui esse Reipublicæ, nec aliquid commoditatis aut subsidii afferre rebus humanis quandoquidem ut concionem prosequitur: *Ex iniquis* et nefariis *progenitoribus prognati filii, testes sunt nequitiæ adversus parentes.* In Ecclesiastico seu Concionatore [5] prorsus idem argumentum tractatur, quod instituitur contra adulteram, quæ alteri quam viro legitimo corporis sui usum concessit, seseque mæcho subjecit, ac præbuit (ut Plautus ait) usurariam. Quod crimen ita exaggerat ut primum declaret illam publicitus infamia notandam, et proles quas putat heredes posse constitui, patri putativo, nullo honore, nullaque dignitate habendas, quibus etiam hoc incommodi atque infelicitatis accessurum pronuntiat, ut hujusmodi proles non figant radices, nec rami earum fructum proferant, hoc est, non propagabitur ulla posteritas, nec erit illis ulla sobolis spes. Cui sententiæ ista ejus auctoris consonet: *Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, et radices immundæ super cacumen petræ*, sive in summa rupe *se extendent* [6]. Quibus verbis indicat (ut Christus de semine concionatur, quod incidit in loca aspera ac petricosa) illos impuros non posse radices figere, nec in ullam spem posteritatis emergere, sed mox ubi quid ex eorum stirpe exortum sit, emarcescere atque in nihilum redigi. Tale quiddam etiam Isaias [7] exprimit, quum inquit, *Ante messem totus effloruit; et immatura perfectio germinavit. Et scindentur ramusculi ejus falcibus, et quæ relicta fuerint abscindentur.* Qua metaphora declarat impiis omnia prospere succedere ad tempus aliquod, accelerari iis annonam, messem præmature adesse, fructus propere maturescere: verum quum jam omnia maturuisse visa sunt, ac fructu fruituri videntur, segetes, rami, sarmenta, palmites, propagines exscinduntur,

(1) Eccli. 1. (2) Ad Rom. 11.
(3) Cap. 15. (4) Cap. 4.
(5) Eccli. 23. (6) Eccli. 40.
(7) Cap. 8.

hoc est, tota felicitas, successus, prosperitas corruit, ac vana spe illusi sperata vindemia, messisque desiderio, atque avide expectata jam flavescente segete frustrantur. Flos, ex quo fructus speratur, gaudium est et amœnitas seu blandimentum arborum, quod vernis mensibus oculos hominum oblectat ac suavi odore nares reficit. Herbæ autem aliæ aliis temporibus florescunt, nunc vere, nunc æstate, nunc autumno, nonnullæ etiam hieme, ubi cælum clementius est, nec omnia gelu rigescunt. Indicatur non solum in sacris litteris, sed etiam apud alios scriptores floris nomine quidquid præstanti excellentique specie est. Sic prima indoles, adolescentia, juventus, ætas florida et pubescens floris nomine designatur, tum etiam decor et species, venustas, pulcritudo, blandities, ac pleraque alia sagacia in homine, et quæ cito evanescunt, nec stabilia sunt aut diuturna, licet ad tempus spectatu grata ac peramœna. In eodem significatu adhibentur concionibus, folium, herba, omnisque nitor et herbescens viriditas, tum fœnum, stipula, ac pleraque alia, quæ cito languescunt, nec diu subsistunt. Sic Paulus [1] doctrinam inanem, fucatam, adulterinam, infrugiferam, superstitiosam, noxiam, damnosam, ligno, fœno et stipulis comparat. Qui enim hujusmodi doctrina minus salutari imbuti sunt, nec solido fundamento innituntur, primum omnium ingruente tentationum procella labascunt ac corruunt, nec prorsus in adversitate subsistunt, ut nec arida nutrimenta ac fomites contra ignis vim. Ceterum floris nitor spectabilis in Scriptura passim accommodatur rebus caducis, fragilibus, momentaneis, ruinosis. Sic Job [2]: *Homo natus de muliere repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur*, hoc est, se expandit, se dilatat, sed conteritur, *et fugit velut umbra*. Cui illud Davidis [3] affine est: *Homo sicuti fœnum, dies ejus sicut flos agri, sic efflorebit*. Quibus verbis indicat rem mox perituram, quamlibet speciosa sit, aspectuque amabili et gratiosa. Quo autem sua cuique fragilitas identidem ob oculos versetur, atque ex adverso verbi Dei vis et efficacia, Isaiæ [4] elata voce exclamandum præcipitur: *Omnis caro fœnum et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia Spiritus Dei sufflavit in eo.* Vere fœnum est populus, exsiccatum est fœnum, et cecidit flos. *Verbum Domini manet in æternum.* Quo palam facit omnem pompam, fastum, strepitum, splendorem, magnificentiam, denique quidquid in homine excellens est, et magnificum, seu externa seu interna spectes, scilicet prudentiam, ac scientiæ conjunctam sapientiam, et si quid aliud humanæ menti insitum est, flatu Dei evanescere. Quapropter nemo rebus tam caducis et momentaneis inniti debet, aut illis fidere, sibique inaniter harum rerum possessione blandiri, sed fulcire se verbo Dei, quod stabile est, firmum, diuturnum, et mentes hominum solida ac salutari doctrina imbuit: revocant nos ad æternas has opes Petrus et Jacobus apostoli [5], ac sectanda præcipiunt non fluxa, non temporaria, non evanida, quæ tamquam flosculi ad Aquilonis flatum, aut solis ardorem emoriuntur: sed cælestia, ad quæ Christo duce, ejusque verbo perduci nos contingit. Plures sunt ejus generis apud Prophetas metaphoræ, atque ex foliis floribusque desumptæ similitudines, quarum commemoratione ob oculos ponit mortalium res fragiles et caducas, prorsusque instabiles, quibus tantopere intumescunt homines. Sic Isaias fastum ac superbiam Ephraim, quorum nomine designat omnes iisdem vitiis obnoxios, foliis ac floribus mox evanescentibus, ac defluis comparat. Sic enim illis interitum minatur [6]: *Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti. Pedibus conculcatur corona superbiæ ebriorum Ephraim, et erit flos deciduus exultationis ejus. Et sicut fructus temporaneus et præcox.* Ut enim nec fructus nec præcocia poma diu subsistunt, ita nec illorum felicitas diuturnam prosperitatem est habitura. Nahum quoque propheta declarat eadem similitudine nihil tam speciosum, ac spectabile, nihil tam blandum et amabile, quod Deus non concutiat ac conterat, ubi exarserit in nefarios atque improbos ira illius, sic ut flores et germina elatorum hominum discutiantur, hoc est, omnis illorum pompa, et splendor ad nihilum redigatur; quod iis verbis indicatur: *Infirmatus est Basan et Carmelus, et flos Libani elanguit:* hoc est, virtus, robur,

(1) 1. ad Cor. 3.
(2) Cap. 14.
(3) Psalm. 102.
(4) Cap. 40 et Eccli. 14.
(5) 1. Petr. 1; Jacob. 1.
(6) Cap. 1 et 28.

potentia ruinosa est, omnis nitor, decor, species, venustas deflorescit ac deformata est.

Floribus succedunt fructus et semina, de quibus quoniam similitudines desumuntur, hoc obiter indicandum. Semen duobus modis, ut et fructum, usurpatum in sacris litteris, pro tribu atque illustri familia vel prosapia, pro sobole ac totius posteritatis propagine, pro successione hereditaria, pro stirpe, genere, cognatione, quæ omnia pollicetur Deus in humanæ vitæ decursu, optatum felicemque successum habitura, ubi quis mandatis ejus obsequitur, atque morum integritati insistit. Quod indicat David in Psalmis, quum inquit: *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum nec semen ejus quærens panem. Semen illius in benedictione erit, et justi hereditabunt terram. Semen vero* seu generatio *impiorum peribit* [1]. Sic Eliphaz unus disceptantium cum Job commendat Dei castigationem, eaque sic erudiri hominem pronuntiat, ut totum se committat ejus arbitrio, ejusque voluntati se subjiciat, quod sciat se castigari, vel ad emendationem, vel ut exploretur illius constantia, qua ratione consequitur homo, ut omnia illi prospere succedant, et accedat optima benedictio: *Spectabis*, inquit [2], *multiplex semen tuum, et progeniem tuam*, hoc est, proles, nepotes, et posteros, *et herbam terræ numerosam. Ingredieris in abundantia sepulcrum, sic infertur acervus tritici in tempore suo*, hoc est, generosi hominis more et magnifice te efferri continget comitante magna procerum multitudine. Rursus, quoniam semen herbis ac arboribus inest, atque id similem speciem producit, seseque ex alia in aliam stirpem propagabat, Prophetæ quoque et isto in concionibus illustrandis utuntur. Designat autem semen successum, uberem proventum, annonam, fructiferam benedictionem, beneficentiam, uberrimos fructus. Ita quum Deus apud Isaiam pollicetur felicitatem ac rerum omnium affluentiam iis, qui illi fidunt, illiusque mandatis insistunt: *Dabitur*, inquit [3], *pluvia semini tuo ubicumque seminaveris in terra; et panis frugum terræ erit uberrimus et pinguis: pascetur in possessione tua agnus spatiose, et tauri tui, et pulli asinorum, qui operantur*, vel colunt, *terram, commistum migma*, hoc est, hordeum, purumque pabulum, *comedent, sicut in area ventilatum est*, hoc est, ventilabro, vannoque accurate expurgatum a paleis. Quibus verbis designat rem familiarem amplissime augendam omniaque ex voto atque animi sententia successura. De fructu par est ratio; nam et herbarum arborumque fructus in Bibliis designat ubertatem rerum, abundantiam, fertilitatem, beatitudinem, prosperum successum, opera bona et mala, inopiam, annonæ caritatem et penuriam, justitiam vitæque integritatem, impietatem, nequitiam, mores improbos: quæ etiam frumenti ac frugum nomine designantur. Sic Oseas [4], quum ad optimam frugem, ad decus, probitatem, justitiam exhortetur homines suæ salutis oblitos, qui rebus improbis assuescere cœperunt: *Seminate vobis*, inquit, *justitiam, et metite in ore misericordiæ*, hoc est, misericordia, clementia, bonitas, vobis cordi sit, et in ore versetur, *innovate vobis novale, dum tempus inquirendi Dominum.* Quo suadet immutandum vitæ institutum, quo possint vitam, mores, studium approbare Domino Deo. *Etenim hactenus*, ut propheta inquit, *arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii.* Qua metaphora indicat nihil illos aliud, quam fraudes, sycophantias, perfidiam, imposturas, dolos machinari, quibus innocentes opprimunt. Quocirca monet, ut excussis atque extirpatis vitiosis fruticibus ac zyzaniis in exculto novali puræ mentis, probitatem mansuetudinem, justitiam, humanitatem inferant. Quod etiam apud Jeremiam [5] accurate Dominus præcipit: *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas*, hoc est, reddite corda vestra exculta, optima semente integritatis, justitiæ, innocentiæ, bonitatis, extirpatis spinis ac sentibus nequitiæ. Hac enim ratione omnia prosperrime homini succedunt. Quod Deus apud Isaiam palam testatur insigni consolatione, qua pii hominis mentem in spem ac fiduciam erigit consequendæ salutis. Sic enim securitatem rebus afflictis ac desperatis nuntiat [6]: *Dicite justo, quoniam bene ille erit, quoniam fructum adinventionum seu manuum suarum comedet.* Quo illum com-

(1) Psalm. 36. (2) Cap. 5.
(3) Cap. 30. (4) Cap. 10. (5) Cap. 4.
(6) Cap. 3.

monefacit ut securo sit animo, bene speret, optimam spem concipiat: quoniam ingruente calamitate et afflictione famis aut belli, fruetur secure rebus, quas sua manu, suoque labore a Deo Optimo Maximo sit consequutus. *Impio* vero, ut idem ait, *male erit, quoniam secundum opera manuum ejus rependetur illi.* Ceterum fructus pro sobole etiam et posteritate sumitur, ac liberorum propagine. Quod munus David Deo acceptum refert, quum inquit: *Ecce hereditas Domini, filii merces fructus ventris* [1]. Quo indicat prolium propagationem Dei donum esse. Rursus quum Deus sub Davidis nomine Christi regnum fore sempiternum pollicetur [2]: *Juravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Illuc producam,* et germinare faciam *cornu David: paravi lucernam Christo meo. Inimicos ejus induam confusione. Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea,* vel diadema meum. Quibus verbis amplificat fortitudinem, decus, magnificentiam imperii, quod longe lateque sit propagandum, et sub Davidis typo Christi Servatoris regnum spirituale ejusque Ecclesiam, hoc est, cœtum fidelium, numquam extinctum aut oppressum iri, nec ulla numquam vetustate, ulla temporum injuria abolendum: quamlibet sæviant inimici, quantumvis doctrinæ Evangelicæ insultent, illamque lucem extinctam cupiant, atque omnes machinas ad illam opprimendam admoveant. Quo spectat illud Christi de inconcussa fide, et inexpugnabili soliadaque professione nominis ejus: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* [3].

Quisquis enim tam immobili ac tam firmo fundamento nititur, non est quod metuat se ab illo posse dimoveri aut divelli. Quod Christus etiam alias testatus est, similitudine adducta ex viro prudente ac sagaci, qui ædificium suum construit non in fluida arena aut fundo palustri et uliginoso, sed in solido saxo aut firma rupe, ne ingruentes tempestates, fulmina, tonitrua, imbres, venti, flumina et concursus aquarum totam molem convulsam dissipent ac discutiant. Qua similitudine designat illum, qui fidem solidam, ac vividam, non umbratilem amplexus est, eamque factis exprimit, inconcusso infractoque animo subsistere adversus imminentes tempestates, quæ nullis non momentis homini Christiano impendent. Quam securitatem David [4] etiam illi pollicetur, qui Deo confidit, illiusque præsidio totum se committit, atque omnem suam spem ac fiduciam in Dei misericordia per fidem collocat. Hac enim ratione fit, ut ab omni quantumvis exitiosa peste et periculis tutus sit, et secure subsistat, seu illa noctu, hoc est, tacite et latenter ingruant, vel interdiu, hoc est, palam et aperto Marte grassentur. Quod Altissimus, cui fidit, umbra alarum suarum illum muniat, suaque protectione tutum præstet.

(1) Psalm. 126. (2) Psalm. 131. (3) Matth. 16. (4) Psalm. 91.

DE GEMMIS ALIQUOT

IIS PRÆSERTIM
QUARUM D. JOANNES APOSTOLUS IN SUA APOCALYPSI MEMINIT:
DE ALIIS QUOQUE, QUARUM USUS HOC ÆVI APUD OMNES PERCREBUIT

LIBRI DUO

AUCTORE

FRANCISCO RUEO

DOCTORE MEDICO INSULANO

DE GEMMARUM ORTU

LIBER PRIMUS

CAPUT I.

DE LAPIDUM ET GEMMARUM GENERATIONIS CAUSIS DIVERSIS.

Unumquemque lapidem ex altero maxime duorum elementorum, terra scil. vel aqua, conflari apud omnes rerum naturalium peritos, tam inconfesso est, atque naturali rationi pervium, ut nullus, ni vel liberide cæcior, addubitarit. Porro qui lapides non perspicui sunt, ex terrea crassioreque quadam substantia, humido tenaci persuasa, generationis materiam mutuati sunt. Qui vero pellucidi visuntur, ex aqua præsertim consistunt, cui subtilis quædam terrea, nec obscura materies immixta est, ut et in crystallo ac beryllo glaciei speciem plane referentibus videre est. Quamquam et hæc intelligi velim, non quod duo reliqua rerum principia, ignem dico ac aerem, ab illorum mixtura separem. Apud principes namque philosophos complures convenit, omne mixtum ex quatuor elementis constare. Verum enim vero ita quæ diximus accipienda sunt, ut alterum illorum, terram nimirum vel aquam, in quovis lapide præcellere intelligas, etiamsi aliter Plotinus sentire videri possit, de quo alibi fusius egimus.

Quod autem ad effectricem vocatam causam attinet, duplicem eam utriusque philosophiæ principes numerarunt: altera namque suprema, altera vero inferior, princeps causa est Deus ipse Optim. Maximus rerum omnium creator et servator, in quo, cum quo, et per quem sunt omnia, et sine quo (D. Joanne apostolo teste) nihil factum est. Quem et Aristoteles Ens entium, supremamque vocabat intelligentiam, asserens omne opus naturæ, opus essa intelligentiæ. Illum itaque Deum, ut omnium rerum creatorem, ita singulorum primariam et simpliciter necessariam causam, ut etiam lapillorum gemmarumque Christiani omnes norunt. Quandoquidem sapientis est oraculum: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul;* quod equidem bifariam interpretatum invenio: quibusdam quod dicitur simul, non ad creationis instans referentibus, verum ad instans propositi divini, ut scilicet sit sensus, quod Dominus Deus decrevit ab æterno omnia creare.

Ita enim librum divo Augustino relatum, qui de mirabilibus sacræ Scripturæ inscribitur, habere reperio. Simul itaque Deus universos lapides singulasque gemmas creavit, dum videlicet unica solaque sua voluntate multiformem quantamvis specierum ac individuorum diversitatem fieri voluit: in qua voluntate unica simplicissimaque singula simul fecit, quæ ab eorum ortus principio per tempus dispensare non desistit. Quamvis et hic accedere possit germanior forsan intellectus, cui philosophi complures et non obscuri, ipsa quoque ratio subscribunt: scil. quod Deus omnia simul creavit, dum omnium formarum ac rerum futurarum rudimentum, principium ac seminarium quoddam materiæ primæ, ante generum, specierum atque individuorum discretionem, infudit. Illa siquidem materies, divisionis adhuc et productionis expers, moles erat quædam informis, omnium tamen formarum seminio ab ipso creatore perfusa: unde tandem aliquando, et iis mediis, quibus supremus opifex ab æterno præscit et vult perfecta rerum productio et fœtura existimularetur. Ideoque et hi admittunt omnia quidem simul esse creata, non autem simul esse facta. Confirmat et id sententiæ divus ille Augustinus super Genesim adserens, quod quæ a natura generantur, secundum rationes seminales in materia consistentes, producuntur: quod et multo copiosius disseruit, tertio de Trinitate c. 9, ut scilicet inaudias materiam in se habere, et quasi fovere

cunctarum formarum rationes seminales sibi a primæva constitutione ingenitas insitasve, ex quibus tandem agentis actione, pro modo expertis, educantur, extimulenturque formæ naturales, elementorum commixtionem essentialiter consequentes, ut et hinc quæ in potentia materiæ tantummodo inerant vere, et (ut dicunt) in actum ab agentis actione producantur. Verum de his alibi fusius. Nunc vero hæc de principe illa causa et gemmarum plasmatore sufficiant. Quæ tametsi cunctis sat esse queant: quia tamen pulcrum, decorum atque utile est homini haud usquequaque indocto, nosse quibus secundis mediisque causis, unde cuncta de quibus disceptatur, originem capessunt, non pigebit hoc loci aliarum quoque inferiorum causarum commeminisse: hoc namque pacto fiet, ut absolutior de his nostra sit traditio. Quamquam enim Deus omnium sit causa immediata, quædam tamen solus et citra alicujus coagentis admissionem efficit, ideoque (ut ajunt Theologi) eorum causa est tota. Nonnumquam, sua liberalissima bonitate, cooperantes alias secum adsciscit affovetque causas, et hoc propter connexionem universi: ita tamen ut nulla alteri adversetur. Proinde (ut inquit Bonaventura libro 2°, quæstione 2ª circa finem) *quia divina voluntas non cognoscitur, nec ipsa ab actione excludit operationem causæ creatæ, nec etiam ab earum cognitione humanam capacitatem arcet. Ideoque bonum et perutile est, sese exercere in cogitatione causarum creatarum.* Ante hunc item multis seculis Pindarus asseruit, quod quicquid intra se terra occultat, et ultra cælum positum est, homo contemplatur. Nec id infructuosum putes: quoniam, divo Paulo auctore, invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. Verum unde digressi sumus pedem referre libet. Prætermissis itaque nunc superioribus causis, in sequentium duorum capitum gratiam, non vulgarium philosophorum placita narraturi dicimus, quod a primario illo omnium principio, inferior humiliorque gemmarum causa dici potest, facultas cælestis orbis moti, ab ipso Deo transfusa, pro ipsius orbis diversarum partium varia positione quam astrorum periti aspectum appellant. Porro quid sit cæli orbium, planetarum, sydera-rumve aspectus, situs sive configuratio, non est hujus instituti: quamobrem mathematices peritis relinquo. Hoc unum præfatus quod pro variorum aspectuum ratione et materiei multijuga preparatione diversas in subjecta hæc corpora cælum creditur transfundere virtutes. Qua de re philosophi illi propinquiores sensibilesque causas scrutati, cælo ipsi extenso vim illam mineralem lapidificam tribuendam censuerunt, mediate vel immediate, ut dicunt, hoc est, intercurrente alia causa vel non. Mediate quidem, quod tametsi corpora cælica loca non raro mutent, apparet tamen sedes eas lapidificas facultatem illam, semel ac efficacissimo cæli conatu conceptam tam contumaciter retinere, ut lapides per multum ævum gignendo jam dictæ potentiæ fidem propalam testentur.

Hinc fieri arbitror quiddam mirabile et silentio minime premendum. Relatum mihi jampridem est a domina quadam fide digna, quod domina Heverensis e Luxemburgorum illustri genere oriunda, duos habeat servetque hereditarios adamantes, qui alios crebro, tanto naturæ miraculo producant, ut eos quicumque statis temporibus intueantur, συγγενὲς, id est, congenerem sibi prolem eniti, palam judicent, cujus causam, siquidem in naturæ tam raro opere nobis philosophari licebit, putaverim esse, quod vis cælestis parentibus tenaciter insinuata (quam adamantificam quis nominaverit) aerem circumfusum in aquam primum congruamque substantiam, demum in adamantem gemmam duraverit transformaveritque. Quod ne justo plus admiretur quispiam, auctor est Theophrastus esse lapides qui pariant, nimirum quod virtus illa cælestis tenaci materiæ, uti præstruximus, semel transfusa subjectæ contumacius cohæret substantiæ, quæ videlicet quo vehementiorem cæli actionem experta est, eo pertinacius hanc retinere intelligitur.

Vicina autem et conjuncta seu instrumentalis lapidum causa duplex annumeratur. Vel enim calidum quoddam est (si ex elementis corpora substantialiter fieri statuamus), aut caliditas (si solas in mixtis qualitates asservari sentiamus) in materia terrea persistens, et humidum tenax per terræ molis tenuissimas quasque partes diducens, digerensque hac ratione singulorum elementorum, terræ

præsertim et aquæ portiones tam apte et amussim confundens atque conglutinans, sed et ab omni excrementosa fæce despumans, ut pro lapidis gemmæve forma producenda materiam ipsam recte præparet. Aut demum ea causa frigidum quoddam est, sive frigiditas in aquea substantia terrestris et siccæ materiæ actionem perpessa consistens, sua constrictione (frigidi namque est constringere) omnem superabundantem humorem adeo exprimens, ut etiam impendio induret, adeoque tantum ejus relinquat, quantum ad decentem partium connexionem sit necessarium, ut et hinc inultandæ formæ materia disponatur excolaturque. Qua de re non diffitentur philosophi illi, quod quamvis lapilli hi a frigido coaluerint, a calido tamen, citra alterius humoris appulsum, liquari contumaciter recusant: quod videlicet tanta in illis humidi siccique naturalis commixtio germanitas et necessitudo, ut suo omni ex parte contrario affici renuant: nec non, nisi familiaris qualitatis illicio affecti, ad externæ qualitatis actionem conniveant. Quamquam non deesse compertum habeamus, qui duo tantum elementa recipiant; ac frigidum ut a natura, ita ab omni actione secludant, qui debile calidum gemmarum causam constituunt: de quibus alias.

CAPUT II.

QUID SINT, ET UNDE VIM SORTIANTUR GEMMARUM PROPRIETATES OCCULTÆ.

Auctor est Galenus non simplicium pharmacorum libro, quod gemmæ vires habeant partim secundum substantiæ totius proprietatem, partim secundum qualitates effectricis, hoc est, manifestas, quas cum potentiis hic emanantibus ea medicinæ pars quam Græci φαρμακευτικην, Latini *Medicativam* appellant, in primis contemplatur, cujus considerationem præsens institutum non amplectitur. Porro substantiæ totius proprietatem philosophi vocant occultam, quod substantia virium, quibus stupenda illa munia absolvuntur, humanæ rationis fugiat captum: ut ne summis quidem viris illarum aliquam penitius assequi contigerit aliter quam multo usu. Nimirum quod omnis proprietatis vera ex methodo cognitio colligenda sit, ab ejus causis proximis evidentibusque, quæ bifariam discriminantur; vel enim ex mixtionis modo, vel ab ipsius formæ specificæ ratione. Porro commixtionis modus miscibilium, mixtura et conglutinatione perficitur, quæ exacte pervestigari humana diligentia nequeat, vel eo maxime nomine quod infinita sit illorum commiscendorum proportio. Ejus vero quæ speciem affert formæ rationem, vel ideo imperscrutabilem intelligere est, quod ipsam prodire autumant, partim quidem (uti præstruximus) ex potentia materiæ, formarum rudimentis seu seminis a primæva constitutione perfusæ, partim autem (ut magnæ philosophorum illustrium turbæ placet) ab ideis in mente divina consistentibus (quas divus Augustinus primordiales vocat) id est, ab ipso Deo, hinc ab anima mundi (si Platonicis consentimus) et aliis inferioris ordinis cælicis corporibus in elementa primum influentibus, deinde et per ea media et formam jampridem inseminatam et ceu inchoatam (tamquam scilicet mentis alicujus et voluntatis divinæ ministris) disponentibus. Cujus præparationis absolutam considerationem humana etiam quantumvis diligens aut sublimis sagacitas non assequatur. Cum itaque reconditarum illarum facultatum causæ humano sensu nequeant prehendi nemini dubium esse suspicor, quin omnibus pervium, quod nulla illarum proprietatum rationabili, hoc est, per rationem humanam deducto inventoque experimento, sed casuali dumtaxat eventu comperta exploratæque dici possit: vel omnino aliquo revelationis modo, uti per somnia nonnumquam legimus contigisse. Quomodo scitum est sylvestris rosæ radicem adversus canis rabidi morsum, aquæ pavorem, omnisque potus metum et grave fastidium afferentem, præstare. Mater scilicet, cujus filius in Lusitania Hispaniæ finitima belligerans, morsus periclitabatur, per somnum (visa in fruteto illius radice sibi suaviter applaudente) præmonita, quam et deinde qua potuit diligentia filio misit, ex lacte potandam, filium obsecrans ut religioni parens matri obsecundaret biberetque. Quo unico simplicique remedio, miles ille præter omnem exspectationem servatus, occasionem præbuit cognoscendæ ejus radicis occultæ contra illam affe-

ctum factum facultatis. Est igitur mixti latens occultave proprietas facultas quædam per ea, unde ipsum essentialiter consistit, insita: perque privatas operationes, multo usu periculove solo, vel aliqua relevatione, citra rationem cognita. Quod demum mixtionis ac conglutinationis meminimus, illud obiter lucidioris doctrinæ gratia his quoque connectere libet (forsitan enim tantæ diversitatis occasionem scisciteris ac libenter audias) quod tam discrepantis mixturæ et coaptionis causam philosophi sunt arbitrati esse, vim quamdam cælestem subjectæ materiæ partem varias licet, pro sua virtute permiscentem; adeoque vel vario hujus permixtionis tenore, eam materiam ad novam formam, decenter apparentem, in quam tandem adamussim dispositam et excultam mirificæ illæ transfunduntur virtutes, formas consequentes specificas. Porro hac dicendi consequutione eo tandem devenimus, unde earum quæ in gemmis sunt proprietatum facultatumque reconditarum causæ, quas ante præstruximus, nobis sese ultro ac præter exspectationem diligentius perscrutandæ, ac in conspectum revocandæ insinuent. Celebris est itaque philosophorum sententia, quod omnis causarum turba ab una eademque principe pendet, ducitur atque conservatur: ad quam et propter quam, ceu ad communem omnium finem causæ omnes sua munia tamquam communi quodam et insito consensu dirigunt. Deinde et omnia fieri desuper a summo bono, hoc est Deo ipso; eademque esse et optima, et ordinatissima. Proinde non irent inficias, gemmas et earum virtutes a Domino Deo esse, eumque etiam solum cunctorum causam dici posse veram, alias aut causas improprie et ceu per analogiam nominari non differentur. Verumtamen quamquam philosophis illis cognitum id et optime perspectum esset, nihilo tamen magis conquievit mira infatigabilisque illorum aviditas discendi, et in suis operibus creatorem admirandi contemplandique desiderium. Quinimmo insito quodam cælesti ardore vigoreque ad propinquiores rerum causas, ceu videlicet primæ illi ac veræ utcumque instrumentarias animorum suorum pene divinam atque perspicacissimam sublimitatem intenderunt. Hinc itaque, cum bono, mentem, hoc est, primam sapientiam, quam et boni verbum illorum quidam nominat: et cum mente, intellectum, totum utrumque mundum (intelligibilem dico et sensibilem) statuere sunt opinati. Quum vero bonum ipsum mentem et intellectum unum quid esse, ac unica simplicissimaque substantia persistere adstruunt, unicum esse rerum omnium et singularum principium profitentur, semper omnibus adstans, cuncta fovens, vivificans, excitans, complens et roborans. De quo sacer ille Orpheus ita cecinit:

Cuncta fovens atque ipse ferens super omnia [illegible]

Hinc et divinus ille Plato divino Sole collustratus ita in Sophista ait: *Animalia cuncta mortalia plantasque et quæcumque terra ex seminibus, radicibusve nascuntur, et quæcumque inanimata in terra consistunt, sive liquefieri possint sive non, numquid ab alio quodam opifice fabricata quam a Deo facta esse, cum prius non fuissent, dicimus? An multorum doctrinam sermonesque sectabimur dicentium ista, natura ipsa, gigni a causa quadam fortuita sine mente hæc agente, vel cum ratione potius scientiaque divina, quæ ab ipso Deo sit orta?* Nos enimvero christiana fide ac veritate edocti, primum hoc rerum omnium principium, singulari substantia et tribus personis conformi, simplicissimaque voluntate, unitate, majestate, æqualitate, ac omnipotentia comprehendimus et veneramur, Patremque vocamus, quem illi bonum simpliciter: Filium et verbum Patris, nos mentem, primamque sapientiam illi: Spiritum quoque sanctum nos appellamus, quem illorum diviniores boni intellectum et amorem nuncupant, vel animam cuncta vivificantem et animantem alii. De quo Plotinus libro de intellectu cap. 2, ita infit: *Quisnam est potissimum qui tradit animo sapientiam? hic profecto necessario est intellectus (inquam) qui non alias quidam intellectus sit, alias vero expers intelligentiæ: sed verus potius intellectus, qui hanc ob causam seipso sit pulcer. Sed numquid hoc velut primo, nobis est quiescendum: an potius super mentem quoque progrediendum? nempe mens ipsa nobis in altum progredientibus prior occurrit, quam principium omnium primum, quasi in ipsius boni vestibulo constituta, omnia in seipso nuntians et significans, velut quædam ipsius*

boni figura. Deinde et ejusdem libri c. 3: *Eadem quoque,* inquit, *transferens ad universum, in eo similiter perveniet ad intellectum cognoscens eum effectorem revera totiusque artificem,* hactenus Plotinus. Porro in intellectu mundum quemdam intelligibilem haberi voluerunt, hoc est, omnium rerum, idearum plenitudinem, sed et in mente omnium juxta et singularum creandarum, gignendarum ac producendarum, id est, futurarum rerum ideas, æterna, simplici congeneaque substantia, solis relativis rationibus ab invicem dispescitas, persistere intellexerunt, easdemque ideas principes esse rerum omnium causas arbitrati sunt, ab eisque ceu quosdam actus, pendere et esse animas omnes intellectuales intelligentias, corpora cælestia, et quicquid in inferiori hoc mundo est uspiam. Proinde proximam creati mundi causam, item et cunctarum proprietatum, menti et intellectui, hoc est, verbo Dei et Spiritui sancto detulerunt: quamquam ne ipsum quidem bonum ab hac creatione separarint, ut ex locis jamjam citatis et aliis non raris philosophorum auctoritatibus patere liquido potest: quemadmodum sacras etiam litteras legere est Deo patri per verbum, et in Spiritu sancto, tamquam uni principio mundi creationem tribuere. *Qui fecisti,* inquit Sapientia, *omnia verbo tuo;* et Psaltes, *Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Verum enimvero omnibus exploratum velim, Ideas illas in mente divina nihil esse ab ipsa Dei substantia et præscientia, id est, omnium præcognitione et voluntate æterna, discretum. Quem, inquam, Deum certum est non tantum singulorum generum, verumetiam specierum, ac individuorum omnium exactissimam propriissimamque et constituere, et ab æterno præscire substantiam, compositionem, formam ac vires tum proprias tum communes, et si quid præterea illis insit. Ut et hinc accipias divinas illas Ideas cujusvis speciei ac individui principes esse causas, non modo quod sint, verum etiam cujusque earum potestatis tam communis quam propriæ. Cui et id mihi pulcre arridere videtur quod plerisque philosophis placere invenio: nempe quod virtutibus certis, id est certam stabilemque rationem habentibus, non fortuitis sed efficacibus, potentibus, indeficientibus, nihil frustra in vanumque ex sese moventibus, moveantur vires in rerum omnium natura consistentes, sed de his in alio nostro opere fusius ac sincerius diis faventibus disseremus. Porro a mente ipsa et intellectis illorum plurimi volunt effusam creatamve animam unam intellectualem, universo orbi communem, quam idcirco mundi animam vocant. Eamdem sub mente illa mundi regina rectriceve, toti mundo præesse, atque per eum totum diffundi, ut scilicet tamquam primæ illi causæ ministrans, cuncta per eam et sub ejus imperio moveret, cogeret, foveret, moderaret, efficeret, primariæ illius causæ, Dei videlicet ipsius præcepto parens, obsecundansque. Quapropter et in animam illam mentem impressisse senserunt rerum omnium primarias principesque rationes seminales, tantum ab Ideis divinis nobilitate dissitas, quantum ignobiliori subjecto ad obsequium infusæ hærent. Quas forsitan intellexerit quispiam rationem esse omnium producendarum rerum, ac mediorum, quibus Deus ipse eas producere ac proferre voluerit constitueritque cum facultate qua media illa promovere ipsa possit anima: si tamen similis quædam anima pio alioqui christiano admitti debeat. Verum philosophorum quorumdam placita narramus, non approbamus. Illam præterea animam sentiunt per omnia in omnibus diffundi: et omnia menti obedientem, eique ministrantem promovere ac vegetare, ut et hinc non ab re dici possit instrumentum primum eorum, quæ Deus ordinato communique eventu, hoc est, secundum naturam efficit: qua de re hanc animam a mente et intellectu primam vitam nuncuparunt. Cui quoque mentem substantiam ac rationem; intellectum vero ut esset intellectualis, impertivisse in litteris fecerunt. Eam denique per omnia flatum spirare vitalem spiritualemque prodiderunt, dum suo scilicet spiritu per omnia penetrans omnia videt, tangit sentitque: et id quidem modo quodam suo, nostris sensibus longe impari, incognito et multis hominibus discriminato, quo denique unico flatu spirituque, actu lucido, vi calida et omnis generationis fomite; ceu scilicet interioris vitæ quadam propagine, atque verius tamquam divinæ virtutis vehiculo semper ubique pullulare animam illam universalem mundi existimarunt;

quum et forsitan intellexerunt sub Deo ipso, principium esse intrinsecum, quo formarum in materiâ rationes seminales ad sui scaturiginem promotionemque moveantur ac emergant. Sed hæc missa fiant: discaveo namque longius me fortassis evagatum vel a ventis præmature concedere. Jam itaque quæ diximus paucis perstringentes addamus, Deum Opt. Max. omnipotentem, summum denique bonum ac liberalissima sua bonitate, rebus cunctis pro sola sua voluntate, harmoniam, concentum ordinemque et a se et ad sese præstitisse: quem stabilem ac inconcussum eatenus esse vult, quatenus aliter non disponere decrevit. Harmonico præterea illo consensu sibi omnium creatori ministrare voluit: primum quidem (quod ad hunc materialem inferioremque mundum spectat) secundum philosophos illos, ipsam mundi animam ac ejus spiritum: deinde cælum ipsum extensum orbibus, figuris, astris maximis, planetis, stellis et luminibus consistens. Illam itaque animam, hoc quoque cælum, principi causæque sub cælo formatarum generatarumque rerum et transfusarum proprietatum rationem quamdam iniisse, ideo philosophi illi putarunt, quod ad mundi dispensationem, tametsi non ex necessitate, uberrima tamen Dei bonitate, quadantenus admittuntur. Quod et Avicenna ipse in suis Metaphysicis sensisse videtur: *Quæcumque*, inquit, *hic fiunt oportet præexistere in motibus et conceptionibus stellarum et orbium. Ab iis enim ipsa etiam elementa nonnumquam et artes quædam similiter et res artificiosæ accidentalis saltem externæ causæ quamdam sibi denominationem vendicat.* Placet itaque philosophis illis formam et ex ea vim occultam omnis mixti esse, primum quidem ab Idæis illis divinis, id est, a Deo ipso omnium creatore et plasmatore, ministrantibus ei anima mundi (si Platonicis consentimus adserimusve) deinde et ipsis orbibus cælicisque corporibus, planetis, syderibus, figuris, luminibus, et si quid præterea cælo extenso similis rationis insit: post hæc et elementorum temperaturis cælicis influxibus affectis, causis inquam præparantibus, et materiam ad novam formam cooptantibus.

Habent itaque (juxta philosophorum illorum sensum) virtutes illæ reconditæ suam originem ab expressis, specificis, determinatisque formis a cælo tamen materiali per vires præparatorias, in archetypo per ideas ac formas exemplares, quæ omnes causæ ad cujusvis rei generationem absolutam (quod ad communem ordinatamque Dei constitutionem pertinet) convenire illis videntur. Unde tandem id esse verum commonstretur, quod jamjam dicebamus, quod Deus scilicet rebus omnibus pro libera sua voluntate, altissima ac præstabilissima bonitate, harmoniam, concentum et ordinem a se et ad sese quemdam instituit, indeque rerum omnium cum prima causa, Deo ipso, sympathia, connexio, correspondentia, consensusve, divinum de singulis decretum natura sequens, non inepte statuatur, hoc est, ut omnes vires creaturis rebusque artificiosis insitas a Deo ipso (qui omnium est actus primus, et actionis omnis principium creaturis impermiscibile) ministrantibus eis jam dictis causis, quæ ideo secundæ vocantur, pendere ac esse intelligas. Quo tamen pro libera et omnipotenti sua voluntate (amissis quandoque iis, quorum meminimus mediis ac ministris) immediate ex seipso ea facit quæ vult, quibus quoque miraculi nomen est. Ceterum ex his luce meridiana clarius patere mihi persuasi, diversos in rebus effectus pendere non solum a materiæ varia alteratione seu præparatione, sed a diverso cæli afflatu, maxime autem a discriminatis formis discrimine, inquam, non solum speciem consequentem; sed et cuivis individuo proprio. Tametsi materiæ apparatum rebus gignendis ac perficiendis non obscuri esse momenti certum sit. Qua ratione videre est individua ejusdem etiam speciei, alia aliis etiam esse clariora, vel viribus ignobiliora, pro videlicet symmetria, puritate vel confusione eorum substantiæ. Nemini namque rerum naturalium gnaro dubium esse suspicor, cælicos influxus impediri posse vel omnino minui propter ineptitudinem materierum in quas suas exercerent potentias. Cui et illud subscribit Virgilianum:

Igneus est ollis vigor et cælestis origo.
Seminibus quantum non noxia corpore tardant.

Cui etiam pulcre et id Platonicum adstipulatur, secundum merita materiæ infunduntur vires cælestes. Proinde ex cunctis his divinioribus meditatis, multis nominibus claret Democriti illius extollenda multum sententia, qua diis, id est,

divinis virtutibus omnia esse plena, constanter asseverabat. Is quidem cælestium vires cum inferioribus hujus mundi generum, specierum ac individuorum naturis ac proprietatibus conferens, sed et eorum cum superioribus, maxime vero cum bono ipso, connexionem perpendens, a summo ipso bono singula et esse, et propriorum muniorum exercendorum potestatem adipisci doctus, in iis ipsis Dei vires adeoque Deum ipsum clarere cernebat. Quas virtutes nonnulli divinas illices vel idcirco appellarunt, quod contemplantium animos ad Deum alliciant tam insignem opificem, vel quod potentiæ illæ divinæ omnem in omnibus promoveant functionem, quod et Ovid. præsensisse videtur hoc carmine:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Porro, nescio quo tandem suggerente Mercurio, a proposito scopo dilapsus quodammodo forsitan videbor: præstat itaque eo recurrere unde discessi. Incoatam tamen jamdudum hanc disputationem in medium communeque theatrum adductam prius libet absolvere. Quædam enim digitulo tantum tegimus quæ dilucidiori enodatione egere fortassis videbuntur, quam sic accipias velim. Vulgata multum est Aristotelis sententia quod necesse sit mundum hunc contiguum esse superioribus lationibus, hoc est, cælo extenso, ut inde vis omnis illius gubernetur, et ut hinc plurimis creditum conspiciam quod cælum omnium gignendorum sit causa effectiva. Quapropter ut pro philosophorum celeberrimorum tantum non divinis meditatis rem hanc omnem explicemus, operæ pretium facturus videbor, si his quoque adjiciam duplex philosophis sublimioribus esse cælum, primarium videlicet et princeps, cælum cælorum, quod et spirituale a quibusdam nuncupatur: idemque illis esse intelligitur, atque anima illa mundi, quæ ascita sibi quadam simplici plurimum, sed congenea consentaneave substantia, spiritus evadit per omnia diffusibilis, omnium post Deum ipsum et ab eo functionum primarium ministerium. Neque desunt qui sincerius existimant cælum illud esse in mente divina ceu omnium rerum prototypum; quamquam et intelligentias quasdam esse creatas cælo extenso movendo atque dirigendo non inficientur. Quod et divus ille Augustinus sentire videtur super Genesim dicens, quod Deus sic mundum ordinavit, ut spiritum omni creaturæ perficeret.

Cui etiam subscribere videtur Bonaventura lib. 2, dist. 14, 2 art. his verbis: *Sicut congruum est Angelos deputari ad ministerium hominum, sic etiam congruum est, ipsos deputari ad motum et regimen cælorum, cum in hoc ministrent homini viatori et divinæ subserviant majestati. Et hæc positio est magistrorum tam in theologia quam in philosophia: quia concors pietati et fidei rationi plurimum esse videtur.* Hæc ille. Alterum cælum velut prioris umbram quamdam et instrumentum statuunt, et in eo sphæras situ disponi pro earum excellentia naturis et viribus senserunt. Quas omnes et vicissim singulas ad primam communemque mundi illam animam, verius autem ad spiritualem illam intelligentiam: et hinc ad Deum ipsum, ineffabili quodam ac obsequentissimo consensu conspirare sunt arbitrati. Item signa, planetas, sydera, et quicquid præterea in cælo hoc extenso constitutum est, uti superioribus servire, ita inferioribus et submissis potentias suas transfundere, ut et hinc sub terra quædam, quasi cælica gigni cernere sit: dum videlicet corpora illa cælestia propriis lumine radiis ac viribus, id est, afflatibus, materiam formarum avidissimam dispumant contemperantque, in ea semiuriam introducendæ formæ rationem ad sui propagationem exstimulant, atque ad formæ susceptionem plasmatori rite præparant. Sicuti namque hæc illa virtute præcellunt, nobilitate ac situ: ita et inferiora vires suas ipsa transfundere superiora præstabilioraque universi ordo poscere videtur, et benignitas creatoris voluisse perspicitur. Nimirum ut qua ratione est movens aliquod non mobile, similiter et alterans sit quoddam non alterabile, iisdem dico qualitatibus. Neque enim quod varios affiant influxus, est (ut plerique putarunt) quod qualitatis diversæ participes sint, sed quod illa viribus a creatore donata multijugis. Quum namque instituta sint incorruptilia illa cælestia ut urgerent, regant, et sub creatore tueantur afferantque infima hæc, multimodæ transmutationi obnoxia, æquum fuit, ut multiformes eis impartirentur virtutes, quibus scilicet juvent extimulentque subjectæ naturæ vim: non profecto ut sibi

simile quicquam producant, sed ut Deo pareant atque subministrent. Quod revera præstare cælica corpora philosophi putarunt cum vi luminis, tum virtutibus propriis speciem totam consequentibus, per radios lumenque in inferiora hæc demissis. Deum scilicet cælicorum corporum radii ad terram (quæ ceu punctum ac centrum ad cæli ambitum et capacitatem existimatur) transmissi assumpta etiamnum forsitan quadam tenuiori et sibi consentanea elementorum, per quæ penetrant, substantia arctantur: proindeque densiores effecti et potentiores, materiam rite et ad portionem æquant coaptantque, et præinfusas in eum seminales rationes ad actum invitant, donec ad formam tandem materia illa ad amussim, hoc est, pro divinæ ideæ ratione disponatur, ut et hinc non paucis sensualibus philosophis (ut præscripsimus) visum sit atque receptum, cælum illud extensum cunctorum quæ hoc in inferiori mundo generantur causam esse effectricem: quod tam rationi profecto alienum est, quam si instrumentum, non autem artificis intelligentiam, operis alicujus formam artificialem efficere putarent. Quamobrem ut cælica illa corpora ministratoriæ, vel si mavis instrumentariæ causæ speciem quamdam a Deo iniisse eorum quæ stata natura consuetudine producuntur, primoribus illis et fere divinis philosophis judicentur, numquam tamen veræ, h. e., creatricis aut plasmatricis causæ rationem illis concesserint.

Ceterum pro christiana nostra veraque philosophia hoc loco non pigebit subnectere verba divi illius Augustini, summi profecto et divini philosophi et doctoris nomen meriti, quibus Deum formarum omnium specificarum et proprietatum singularum auctorem esse et causam veram principemque propalam testatur. *Invisibilium*, inquit, *seminum creator, ipse creator est omnium rerum, quoniam quæcumque nascendo ad oculos nostros exeunt, ex occultis seminibus accipiunt progrediendi primordia: et incrementa debitæ magnitudinis, distinctionemque formarum ab originalibus tamquam regulis sumunt.* Et mox subdit: *Itaque apostolus Paulus discernens interius Deum creantem atque formantem, ab operibus creaturæ quæ admoventur extrinsecus, et de agricultura similitudinem assumens, ait: Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* Hactenus Augustinus. Atqui pro hujus capitis suprema manu subnectendum duximus, quod proprietatis effectus bifariam discriminatur: aut namque utilis est, aut nocuus. Utilis censetur, quo homini quidpiam invitatur, afferturve emolumenti, ut (verbi gratia) ejus functiones aut vires conservet, vegetet, roboret, reparet, absolvat, et ab internecione vindicet: Vel etiam ad meliorem facilioremque vitam quicquam afferat utilitatis. Nocuus autem huic ex diametro contrarius judicatur. Deinde utilis inutilisve dicitur proprietas vel toti corpori, vel privatim cuidam parti. Toti siquidem corpori venenato, singulis item sigillatim ejus particulis, theriaca ex usu est, speciatim vero hyacinthus, granatus, margaritæ, aurum, cor sedesque virtutum: corallium autem et achates stomachum et ventrem solantur, et a noxiis causis asserunt. Simili modo napelli vis deleteria toti juxta ac singulis quibusque partibus inimica cognoscitur. Ceterum proprietatum quæ ab adversis defendunt, quædam hoc moliuntur noxium, ad se primum quidem convellendo, deinde immutando. Qua ratione amethystus umbilico admotus vini vaporem cum primis allicit, et scammonium bilem revellit. Alia vero quod flagitiosum est, deturbant, ac tandem propellunt, veluti jam dictæ theriacæ cum aliis medicamentis adversus venena valentissimis contingit, quod et smaragdo, lapidi cyaneo et aliis nonnullis familiare esse perpetuo eventu conspicitur. Alia denique præsentem esse vel imminuere causam diversam certo indicio commonstrant, uti electro atque adamanti coram toxico madere contingit, et torchois vel findi vel omnino ruinam aut maculam quamdam efferre dicitur appetente periculo. Eorum rursus quæ viribus occultis nituntur, quædam ad actionem corporis extimulatione egent, quemadmodum pleraque pharmaca in actum (ut physicis vulgatum sermonem usurpemus) reduci necessum est, priusquam ad opus proprium emergant. Alia vero citra omnem a corpore immutationem propria munia exercent, quibus exercendis sola debita applicatione opus est, quod scilicet vires suas actu, vel habitu saltem solam accidentalem potentiam constituente nacta, sunt: ideoque sola egent convenienti ad

objectum admotione, utque impediens nullum adsit. Qua de causa corallium etiamsi stomacho diutius adhæreat, nihil a corpore detrimenti admittit; pariter nec sapphirus anthracem sanando vires vel tantillo perdit, quamquam et id ei quidam falso adscribant.

CAPUT III.

DE RATIONE ET CAUSIS VIRIUM IN GEMMIS.

Cognationem certe non obscuram ea, quæ huic capiti inserenda sunt, cum iis quæ novissime disseruimus, habere videntur: utriusque enim capitis idem fere objectum, eadem pene ratio, idem propemodum argumentum, ut et hic quoque bonam eorum, quæ præstruximus, partem adjectam intelligi velim: quam et adjecissem profecto, nisi prolixitatis nimiæ καὶ ταυτολογίας, id est, repetitionis accersi metus fuisset. Institutum itaque adgressi dicimus præclaras multum in gemmis excellere virtutes. Ideoque et in magna illas antiquitus fuisse majestate tam conspicuum est, ut eum nihilo consultius facturum existimem, qui illarum dignitatem multis encomiis commendare niteretur, quam qui solis lumen leviculo quopiam fulgore clarius efficere, aut luxuriantibus aliquot (longe tamen imparibus) pictorum more coloribus illud assequi conetur. Sed enim tantarum virtutum tamque vere stupendorum muniorum causas persequi non omnibus ex æquo facile fuerit. Qua de re, paucis libet de illarum potentiarum ratione quædam recensere, non floccipendenda: fuerunt enim qui gemmas vivere, et a sua anima speciales, adeoque fere divinas functiones exercere crediderunt, quorum judicium receptum hactenus non est. Aliter Alexander ille græcus sensit, namque quod illarum proprietates elementis, unde constituuntur, referunt acceptæ, nimirum quod hæ in mixto alia edant opera quam extra ipsum, in quo qualitatem elementalem, id est, innatum temperamentum, tamquam instrumentum ad opus moveri ratus est. Cujus sententia, etiamsi plerisque placeat, multis tamen non mediocribus philosophis vel ideo absurditatis expostulatur, quod instrumentariæ tantum causæ recordatus, effectricem, quæ princeps est, prætermisisse videri potest, quam pervestigare præsentis est negotii. Hermes autem ille Trismegistus cælum gemmis occultas proprietates transfundere perhibet: e quo gignendorum seu producendorum omnium facultates tam singulares quam vulgares in hæc inferiora transmitti non dubitavit asseverare, duplici, ut inquit, modo. Aut videlicet nobiliter et ex amussi, quoties materia in quam cælum vim suam exercet, ejus orbis ac luminis quamdam speciem seu cognationem refert: ad quam scilicet quo propius accesserit gignendus lapillus, in hunc felicius ac abundantius propter materiæ symmetricam connexionem, atque consensum, cælum fuisse operatum intelligatur. Sed et ideo multa admiratione dignas gemmis esse proprietates inditas asserit, quod lumine et perspicuitate cælo quadantenus patentiores demonstratæ, ejus actionem perfectius admiserunt, conceperuntque. Unde scilicet tandem hominis spiritus effecti specificis patescant gemmarum proprietatibus, qua ratione topazium, carbunculum, adamantem occultis gratiarum proprietatibus præditas esse confirmant, viri non pauci nec incelebres, ut non devoratis tantum, sed et etiam gestatis, suas edere liceat cælicas potentias: primum quidem in hominis spiritus, demum in humores et solidiores ejus partes, quibus a peste ac venenis defendatur. Sed enim a cælo hoc ipsum, quicquid recondita vi possunt, gemmas accepisse, vel hoc argumento confirmant, quod magnos parva mole mirificosque promant effectus. Nulli namque elemento concessum volunt parvo corpore plurimum subito præstare, uti nec ignem pusillum magnam unico impetu lignorum congeriem urere, vel aquæ pauxillum terræ plurimum perfundere. Quæ vero cælica vi nituntur, ex haud multa materia (seu scilicet vim eam in non magnopere reluctantia objecta, facili opera, diffundant) admiratione etiamnum dignas suas functiones absolvunt. Nimirum quod contrariis adversantibusve causis non agunt, et a validissima cælesti potentia in actionem exstimulantur. Quo modo (ut physiologis quibusdam non vulgaribus placet) corallium, carchedonius, chrysolithusque gemmæ, ab Jove præsertim ac Venere id sunt indeptæ virtutis, quo ab atræ bilis melancholiæve symptomatis vel ferentem adserere valeant. Deinde et Mercurio Achaten sacram perhibent, ideoque et facundiam invitare, et homini

contra venena amuletum esse testantur. Adversus quæ etiam e Creta collectam dictamnum a Phœbo (qui Pythonem transfixisse fingitur) id est, a sole omnis vitæ et propaginis fomite mutuatam esse profitentur facultatem. Sed et herba pentaphyllon cælica vi palam prædita creditur non venenatis modo auxiliari potens, sed unico folio diariam febrem, si bis in dies singulos sumatur: ternis, tertio quoque recurrentem: quatuor autem foliis quartanam febrem pellere atque conficere posse laudata. Nec injuria profecto; quum nempe febres hæ variis pugnent tum naturis, tum intemperantiis, haud facile fuerit (si me non omnia fallant) explicare, quam ob causam naturalem, unico simplicissimoque hoc remedio, pentaphyllo scilicet, tam dissimilis rationis affectus abigi queant, si non virtutem hanc cælum ipsum illi impendisse causeris. Quid præterea Phœbo sacræ Pæoniæ, a comitiali morbo vel portantem vindicare posse, præter cælum, concesserit naturalis sensualisque philosophus? Neque enim pauca reperias medicamenta quæ similis caliditatis, siccitatis, ac modicæ adstrictionis conformes promant qualitates, quarum ratione tametsi geminas edant operationes manifestas, adversus tamen illum affectum tam præstabilia esse minime experiaris. Sed hæc quorsum? nempe ut mirum non sit, quod philosophi illi arbitrati sint, cælum gemmis occultas profundere potentias: quum præsertim similes potestates in obscurioris substantiæ herbas palam sit illud insinuare creditum. Quid præterea? Nonne a veteribus observatum est quarumdam arborum, oleæ, inquam, populi albæ et salicis folia solstitiali tempore converti: fieri etiam ut ipso brumali die frondes quædam revirescant? Ut et hæc Marcus Varro stupenda discrimina nominarit, quibus videlicet anni tempus discernatur, et ex foliorum versura solstitium, ex recens autem erumpente quarumdam herbarum virore brumalis dies internoscatur. Quæ ne juste quis miretur, non pigebit et hic quoque contexere, quæ M. Cicero ex Stoicorum placitis refert: *Probatum est*, inquit, *a Stoicis in ipsa bruma musculorum jecuscula augeri, pulegium aridum florere brumali die, item inflatas rumpi vesiculas, et semina malorum, quæ in iis mediis inclusa sunt, in contrarias partes se vertere. Ostreis et conchyliis contingere, ut cum luna pariter crescant et decrescant.* Unde manifestum esse puto (uti etiam præstruximus) quod et philosophis diligenter probatum receptumque invenio, quod rebus supernis vis quædam infra est vehemens, quæ maxima ex parte cum inferioribus convenit: indeque sympathia quædam et ceu consensus emergit, quo animantium motus tacitique concentus cælicis corporibus (in rebus quæ stata natura fiunt) concordare videntur. Quo nomine hæc quoque inferiora cælicis suis numinibus adscripta reperio: Apollini namque aries, leo, gallus, crocodilus, cantharus, a Chæremone Porphyrioque tribuuntur. Ex arboribus vero palma, lotus, laurus soli feruntur acceptæ. Nimirum quod coram intuearis loti folia prius quam sol emergat contrahi, et eo exorto sensim explicari. Mitto quæ de heliotropio, et aliis non raris herbis, ut litteris proditum est, ita re ipsa quivis non negligens explorator proprio obtutu cernere potest.

Porro de lapidibus multa, nec tamen dissimilia a Philosophis Ægyptiis ac Magis perhibentur, qui quosdam lapillos syderum imagines plane repræsentare adstruunt, quos et ideo ab iis virtutes in sese concepisse crediderunt, et experimento comprobasse testati sunt. Quid namque philosopho naturali mirum existimare similitudinem gemmarumque cum cælo cognationem majorem, efficere ut ejus viribus obnoxius pateant, atque hinc valentiores emergant, quum maxime similitudo et extimulata tandem germanitas materiei aptam præparationem, et cælo obnoxium consensum non obscure subindicet. A cunctis siquidem physiologis receptum est, quod agentium actus fiunt in patiente disposito (libet enim eorum vulgatam multum sententiam ad verbum referre) quodque singulæ similitudines sese nativo quodam affectu appetunt. Verum ne hæc quidem absurda judicaverit, qui monimentorum magicorum astrologicorumque non invitus meminerit, hi quippe in rebus similitudinem non mediocre ad effectus naturales habere robur certa veluti hypothesi statuere. Sed ut magica omittamus, quibus vel solo nomine multi terrentur, astrologicum aliquod afferemus exemplum. Inter omnes astrorum peritiores convenit (quibus etiam medicorum non vulgarium bona pars facto periculo subscribit) leo-

nis imaginem adversus calculum amuletum esse: si tamen stato tempore, hoc est, sole leonis primum gradum occupante in auro sculpta, a collo portetur. Cujus rationem nemo crediderim, aliam facile attulerit saltem naturalem, quam consensum appetitumque quemdam rerum cælestium cum congenea figuratione, in convenienti materia ab ista saltem harmonia invitatum procuratumque. Propter quem virtus illa cæli, quæ constituto illius configurationis tempore pollebat, a jam dicta parilitate, et materiæ, id est auri, ad mensuram præparatione, in aurum jam dicta imagine figuratum allicitur, transfunditur, commeat quæ proximum gestantis, scilicet corpus sua vi afficit, qua a calculo ipsum tueantur. Verumtamen nolim intelligas philosophos illos, vel etiam me sentire virtutem hanc esse imagini, sed auro tali effigie figurato et efformato transfusam, ut scilicet subaudias illos existimare, quod præparatio, qua per sculpturam dictæ imagini fabricandæ necessariam, aurum cælicis radiis et influxibus concipiendis abunde disponitur, efficit, ut materia hæc patentior reddatur cælicis afflatibus admittendis, et (ut ait M. Vitruvius lib. 1 de Architect. cap. 6) de latentibus cæli rationibus, artificiosis rerum inventionibus, divinitatis exprimere veritatem rerum peritus vir posse credatur. De quibus fusius supra disseruimus. Sed enim ne philosophorum illorum placita absurdiora putes, quam ut humanam apparentemque saltem aliquam non habeant rationem: maxime autem quo feliciora, sublimioraque ingenia oblectemus (non vero quod ita esse statuamus) annotanda in primis et hic nobis videtur Platonis illius celeberrimi, et multorum non mediocrium philosophorum celebrata vulgataque sententia, quod scilicet mundus est animal unum, una quadam anima intellectuali (ea est, de qua paullo ante disceptavimus) sub mente principe omnium creatrice vita donatum, quæ (menti obsecundans) congeneo sui spiritu per omnia diffuso universum orbem alit, fovet, moderatur. Cui et id Maronis egregii illius non minus philosophi quam poetæ subscribit:

..... omnia
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus,
Mens agitat molem

Quibus non obscure ostendit naturam hanc transmutationi obnoxiam a natura stabili ordinatriceque regi; singula etiam artus et particulas esse quasdam mundani illius ac magni animalis, eademque saltem communi vita vivere; adde et communi quodam spiritu in propria munia exstimulari. Ideoque et illorum est consilium, unam in omnibus vitam sub mente ac vigore, quæ cuncti ejus vi et imperio peragat. Ita et tamen ut ad suas functiones obeundas tum cælicis, tum nonnumquam etiam rudioribus instrumentis utatur. Quapropter et in hac communi omnium vita sentiunt singulas formas cum invicem, tum per animam illam universalem ad omnium ultimum finem, hoc est, supremum ipsum bonum, tandem conspirare, ut et quæcumque fiant mundi opera, sigillatim mundi partes sint; vel ad eas spectent, ut et ad totum. Quod et ipse Pythagoras suis numeris demonstrare contendebat, dum unitatem omnem numerum constituere, dualem primum atque ex unitate et binario ternarium (id est, Trinitatem quamdam) comprehendi, deinde et in simplicem unitatem alium omnem numerum resolvi, multa ingenii dexteritate disserebat. Verum unde digressus est noster tandem redeat sermo. Senserunt item et philosophi illi, quod citra substantialem proximamque causam non possit in hoc inferiori mundo naturaliter produci substantia, nec sine vivente causa vivens quippiam generari: deinde et duce quodam communi diversa quæque conciliari. Proinde et per substantialem illum mundanæ animæ ubique præsentem spiritum, omnia consensum, cujus nunc commeminimus, participare volunt. Adde, quod et inter philosophos convenit, quod lumen intelligentiæ est actus: intelligentias quæ et superiora lumine et spiritu non modo communi, sed et proprio agere. Quid igitur illis arduum fuit opinari spiritum illum universalem, cæli vim materiæ ad eam rite paratæ admovere, unde rationis ejus seminalis virtus ad opus pridem a creatore inseminatum suscitetur. Præstat tamen chimericam illam animam, christianis incognitam, philosophis in hanc persuasionem ductis relinquere: et attendere iis, quæ ratio divinis oraculis subnixa suadet, et quotidiana naturæ consuetudo commonstrat. Naturam autem sic operari videmus, ut cæli lumen non desit, et rationum seminalium elementis, id est, in ipsa materia,

latentium per id excitetur fœcunditas. Quemadmodum quippe prudens agricola terram sementemque sic sua arte ac diligentia præparat, quo speciem rei, cujus in semine rudimentum aliquod a natura delitescere scit, cælum omnibus numeris felicius absolvat: ita et solertissimam providissimamque naturam, vel hominem artificiosum aurum lapillumve sic aptare posse putant, ut quæ in iis per creationem cœpta est virtus vel insita; per naturam, vel artem ejus, quam proxime æmulam, ad perfectionem tandem extimuletur. Proindeque nulli jam mirum sit, quod philosophi illi senserunt, cælum et artem sese invicem non raro juvare cælicis concipiendis viribus, et materiis decenter adparandis, cælestium motiones et situs observare docuerint, vel ideo saltem, quod hæc ad materiam pertineant, aliter vel aliter aptandam. Nempe quod elementa pro illorum motu, positione, propinquitate, aut distantia qualitates evariant, quas non pauci rerum naturalium proximas effectricesve causas existimant, vel saltem in hoc superioribus ministrare, quod pro eorum mixtura et temperamento formam quamdam edant, quæ ad specificam quam plurimum disponat. Ut et id sit evidens, quod superiore capite prætexuimus, Deum ordinem quemdam constituisse omnium rerum et a se ad se. Quem Deum credi non abs re potest, supra ea quæ ab universali rerum naturalium confluxu quæque species et quodvis individuum recepit, proprietatem quamdam humano captui, non ratione, sed solo experimento perviam ad hominis usum, liberalissima sua pietate infudisse, atque impartivisse. Ut et utilitatem inde homo capesseret, et tanti, tamque reconditi operis admiratione illectus, ad Dei, et Domini sui omnium creatoris contemplationem amoremque raperetur convolaretque. Hic namque ordo universi, et hæc rerum proprietatumque admiranda varietas, dum ab intellectu diligentius avidiusque introspicitur, illuminatis tandem mentis oculis, principium suum, quod est bonum ipsum, id est, Deum, refert, incomprehensam sublimitatem, ac majestatem simplicissimam, sapientissimam, potentissimam, benignissimamque virtutem atque bonitatem esse. Sed institutum tandem absolvamus: forsitan enim longius palati discessimus. Itaque tametsi Trismegistus ille non absurde videri possit sensisse, quod cælum lapillis vires abditas impertiatur, proxime tamen earum causæ non meminit, quam inter philosophos convenit in materia consistere, et inde suas promere functiones. Qua ratione patet, cælum ipsum materiale ac extensum non esse principem proximamque, vel si mavis, conjunctam causam earum quæ in gemmis latent potentiarum. Quamobrem quum superius ostenderimus, reconditarum virium causas a nulla fieri complexionali qualitate: sed nec ab aliquo elemento aut forma elementorum temperiem primarie atque essentialiter consequente, voluit Albertus ille Magnus cum numerosa non mediocris litteraturæ ac judicii virorum turba, quod species seu substantialis gemmarum forma sit delitescentium, quæ ex iis experimur facultatum causa effectrix atque immediata. Quamquam nec illi forte negarint substantiali illi formæ vim aliquam adjici cælestem, quæ vel seipsa, nonnumquam autem gemmarum adjuta temperaturis elementalibus, præcipuæ illi causæ suffragetur. His autem non de nihilo subtexendum videtur, quod quæ gemmæ natura purissimæ nascuntur, et ab omni sorde defecatæ, nullam artis præparationem ambiunt, nisi ut rite corpori admoveantur, et nihil obstet. Quæ vero terra, aut crusta, obductæ pretiosum intro condunt thesaurum et gratam pulcritudinem, mangonum officio, abjecta crusta, et virtutibus et illecebris diffundendis, idoneæ reddantur. Neque etiam tibi persuasum velim gemmas æqualiter suis functionibus corpora quævis etiam humana efficere. Quandoquidem pro corporum cum cælicis orbibus et afflatibus, unde vim lapilli mutuati sunt non modicam, majori vel minori consensu, aut eorum corporum conveniente vel adversante temperamento et innata proprietate, efficacius aut segnius gemmas operari contingit.

LIBRI SECUNDI

PARS PRIMA

DE GEMMIS XIII

QUARUM DIVUS JOANNES IN APOCALYPSI MEMINIT

ARGUMENTUM.

Jactis instituti nostri fundamentis, ab ipso secundi hujus libri limine prætexendum videtur, quod divus ille Joannes apostolus Apocalypseos, id est, revelationis libri capite penultimo; dum civitatis sanctæ Jerusalem de cælo descendentis, ac Dei claritate illustris structuram describeret, tredecim gemmarum non sine magno sacramento (quod ne in aliena messe metamus, in præsentiarum prætermittimus) commeminit. Quas non pigebit, ex ordine eo loci servato, hic quoque recensere. Neque enim video qua meliori ratione Dominus omnium Deus nobis commonstraverit, divinas quasdam gemmis inesse naturas et proprietates, quam iis ipsis cæli muros, hoc est, ejus virtutes, vel (si mavis) Christi Jesu cum duodecim ejus Apostolis, Ecclesiæ videlicet capitis et columnarum amplitudinem, majestatem, cumulatam denique nobilitatem et invincibilem virtutem per gemmas designando. Sunt itaque omnes eæ: jaspis, sapphirus, carchedonius, smaragdus, sardonyx, sardius, chrysolithus, beryllus, topazius, chrysoprasus, hyacinthus, amethystus: novissimas vero fecit margaritas. De singulis autem his hoc libro primum ex ordine disserere consilii est.

CAPUT I.

DE JASPIDIS SPECIEBUS ET VIRIBUS.

Jaspidis plura ab auctoribus enumerantur fastigia. Ea tamen quæ apud Indos nata grammatias, aliis polygrammos vocata est: quæque virens, smaragdo quadantenus similis pellucet (ut et hinc sola substantiæ crassitie ab hoc descíscere fere videri possit) supremam obtinuit majestatem. Ab hac vero diversa multum Cypria visitur, colore glauco, substantia pingui, Gallis jaspis alba dicta. Persica æri similis, ærizusa nominata, conspicitur. Thermodoontiaca autem jaspis, cærulearum optima est. Cappadox, ex purpureo cæruleum refert in materia opaca, ideoque non fulget. Phrygia ruboris nonnihil admisit. Thracica Indicæ æmula. Chalcidica turbulenta ac variæ multum substantiæ, omnium minime jucunda. Cunctarum vulgo præstantissima est, quæ purpuræ quippiam complectitur. Secundum habet locum, quæ roseum quiddam nacta est. Tertiam obtinet dignitatem, quæ smaragdum: quartam, quæ autumnale matutinum serenumque cælum imitatur. Est et quædam jaspiachates seu jaspidem et achaten quoque complexa, vires utrarumque perstringere credita. Sunt et aliæ (auctore Vincentio) peregrinæ jaspidis species ex Thetel enumeratæ. *Nam invenitur*, ait, *in jaspide scutum habens in collo, et cuspidem in manu, et sub pedibus serpentem, qui habeat contra omnes inimicos virtutem. Item et alius, in quo sit homo, habens fasciculum herbæ in collo cujus virtus sit omnes discernendi morbos ac sanguinem restringendi; quem Galenum in digito gestasse referunt. Deinde et cruce signatum viridem reperire est, ne quis submergatur efficacem.* Hactenus ille. Hic itaque fere indigitavimus optimam principemque jaspidem virentem illam et Indam, quæ (quod pro cæ-

teris amuletum esse credatur) polygrammos nuncupata existimatur, quæ tamen celeberrima asseritur, si ex viridi purpureum quidnam complexa, alba præcingatur linea. Unciis undecim magnam vidisse Plinius testatur, indeque arte consculptam Neronis thoracatam effigiem. Porro quod ad vires attinet, omnes pro singulari adversus perniciosissima quæque venena amuleto toto Oriente deferri, idem Plinius in scriptis relinquit. Verum enimvero eam quæ grammatias dicitur, alba insignem lineam præferunt, quæ si geminata candidam efferat crucem a nonnullis firmiter prædicatur ferentem adeo contra aquæ injurias adserere, ut et hunc a submersione vindicare, Gal. medicinæ usui illas esset confirmat, quod suo adhæsu stomachum firment, quem ventriculi os esse idem auctor dixit, illiusque rei se periculum fecisse profitetur, totque videlicet ex jaspide a collo ita suspenso, ut stomacho e directo responderet. Affirmatque sibi coram exploratum esse sculpturæ expertes nihilominus prodesse, quam si dracone radiato figuratæ fuissent: quales Nechepsus rex insculpi instituitur, ut idem Gal. refert. Adde quod jaspis mulieribus menses cohibet drachmæ pondere devoratus sanguinem sudoremque compescit, hydropem et febres arcet, oculorum aciem suo virore reficit, Venereorum petulantem appetentiam retundit: partum proprietate quadam occultiori moderari creditur. Sunt qui ab adversis casibus gestantem liberare, phantasma pellere, conceptioni adversari, et oculos ab omni sorde purgare jaspidem dicant.

CAPUT II.

DE SAPPHIRO.

Jovi Phœboque antiquitus sacram sapphirum in duo partiuntur præcipua discrimina. Sunt namque quæ Orientales seu Indæ, sunt et quæ Podiæ, a loco scilicet suæ generationis, appellantur. Invenio quoque illam et Syrtitem, ab inventionis loco, vocari. Quamquam non ea putaverim esse, cujus Plinius meminit libro 37 hist. natur., cap. 10, his verbis: *Syrtitæ*, inquit, *in littore Syrtium, jam quidem et in Lucania inveniuntur, e melleo colore refulgentes, intus autem stellas continent languidas.* Tametsi namque nomine et originis loco convenire videantur, color tamen hujus syrtitis, e melleo croco refulgens, manifestius reclamat, quam ut a quoquam suspicari deceat, hanc syrtem esse sapphirum. Sapphiri namque cælesti colore conspicui sunt. Porro earum quæ apud Medos reperiuntur, supremam sibi majestatem vendicarunt, quæ serenissimi vernique cæli colorem efferentes, cæruleæ conspiciuntur et seu transfusas nubeculas (immixta etiamnum levi quadam purpura) repræsentant, ut videlicet sulphuris primum accensi colorem referant, aureis insuper punctis colluceant scintillentque, ita tamen ut visus aciem materiei crassitie retundant, ut et admotarum rerum imaginem speculi instar minime reddant: sunt itaque hæ optimæ sapphiri. Multæ tamen aliæ visuntur, quæ quo magis ab his vel substantia vel colore desciverint, eo viliores censebuntur. Inter quas tamquam subcandicantes quasdam nubeculas ostentant, præferuntur, ut ab optimis primum sibi locum occupaverint. Supremam olim sapphirum auctoritatem habuisse, ut apud divos gratiam ipsa perhibet antiquitas. Tam quippe diis, Phœbo maxime, gratam hanc gemmam causantur, ut tum præcipue sua huic sacra placuisse creditum sit, cum inter hæc sapphirum (tamquam videlicet Concordiæ signaculum) etiamsi non citra fastum superstitionemque ostentarent. Qua de causa pontificibus in primis dein etiam regibus, summis denique viris, præ ceteris dignam, ob propemodum divinas illius facultates, philosophi judicarunt. Venereos compescere affectus creditur, ideoque castis præcipuo usui esse perhibetur: deinde animi in Deum propensionem, devotionem, pietatem, constantiam, pacis ambitionem, deorum munera optimaque (quod ad hanc vitam spectat) beneficia invitare conciliareque fertur: ut vel hinc ecclesiasticis præsulibus omnium maxime dignam rude etiam vulgus profiteatur. Addunt et contra iracundiam, et invidiam, fraudes et tristitiam pollere. Adeo scilicet contra effrenes animi mores efficax est credita. Verum hæc ad animam pertinent.

Corporis præterea incrementum moliri, solidas principesque fovere et asservare partes, cordis oculorumque vires

reficere, horum excrescentias et pustulas inhibere: ruptas quoque membranas cogere Galenus et Dioscorides auctores sunt. Addunt et adversus scorpionum ictus et intestinas exulcerationes bibi, venenis etiam pestiferis resistere, et contra veneficia omnia, adde etiam et incantamenta præsidio esse, febrientes cordis venis pulsantibus admota juvare, sudorem arcere, sanguinem continere carbunculis abscessibusque calidis, pestiferis præsertim, mirum in modum adversari tradunt. Commentitium puto quod a plerisque dicitur sapphirum carbunculo extincto viribus destitui. Sunt et qui falso jactent sensisse Dioscoridem, quod sapphirus araneam in pyxide repositam occidit, si diutius supra animantem pendula amoveatur.

Mitto præterea, quæ de hoc lapillo superstitiosorum magorum præstigiosa vanitas nugatur.

CAPUT III.

DE CARCHEDONIO.

Carchedonium e carbunculorum esse generibus Plinius inter Latinos philosophos locupletissimus testatur. Quamquam et hic prænonitum te velim fere omnia tam græca quam latina Apocalypsis exemplaria calcedonium habere: quum tamen de hoc nomine vocato lapide nihil apud auctores classicos invenerim: de charchedonio autem multa. Ut et hinc non abs re putem scriptorum incuria utraque exemplaria jam olim vitiata esse, quo præstruere visum est, ne sacri textus veritatem ac dignitatem neglexisse videremur. Porro carchedonios putant imbro divino generari. Luna plena maxime reperitur. In Nasamoniis montibus nascitur, deinde et apud Thebas in Ægypto: verum quam prædicti obscuriores ac magis fragiles, venenosi et morientis carbonis haud absimiles. Neque etiam desunt viri non incelebres, qui juxta Basileam Argentinamque claras multum et insignes Germaniæ civitates quosdam carchedonios reperiri adstruant. Præterea auctor est Symphonianus Campegius in Lotharingia quoque carchedonios oriri miræ magnitudinis, et si ferro percutiantur sonoros, quos et vi præditos scribit adversus raucedinem, vocemque clarificare. Ego vero absolutissimo carchedonio cum Lotharingo collato, hunc non putaverim (tanti viri pace dictum sit) esse vere carchedonium. Quandoquidem optimus colore conspicitur medio inter beryllum et hyacinthum, accedente etiam levicula quadam et subardente purpura, ut et proinde facilis sit suspicio coiisse beryllum cum hyacintho. Ideoque carbunculis pallidior et subobscurior visitur, quamquam et sole vel igne acrior excitetur. Dicunt etiam carchedonios umbra purpureos ostendere, sub dio vere flammeos videri, et soli expositos scintillare. Qui autem a Lotharingis passim circumferuntur rubri semper æqualiter conspiciuntur, tantum abest, ut prædictos gratia et proprietatibus adsequantur. Quamobrem spurium potius Lotharingium charchedonium esse judicaverim, vel omnino ignobiliorem ejus quamdam speciem. Præterea commune omnibus carchedoniis invenio, quod ceram signandam suo contractu ita quidem liquefaciant, ut ejus adhærentem partem convellant carchedonii (ut in omni gemmarum genere) masculi acrius, feminæ languidius fulgent. Scalpturæ contumaces esse carchedonios invenio. Ceterum facultates eis tribuunt non obscuras contra cacodæmonas, et atræ bilis symptomata, hoc est tristitiam timoremque. Neque desunt qui victoriam ei promittere audeant qui illum secum gestaverit. Fertur et festucas calefactus trahere. Præcipuæ autem dignitatis sunt mares qui stellas intus ardenteis ostentant, vel cælesti hoc schemate divinas fere ejus vires attestante.

CAPUT IV.

DE SMARAGDO.

Viridium gemmarum jucundissima primaque habita smaragdus. Nullus namque color oculis æque placuit, quod horum acies virore maxime demulceatur, ut et ea propter viridaria visus et animi recreandorum gratia petantur. Ideoque fit ut nullis lumina nostra lapillis quam smaragdis plus oblectamenti consequantur. Nihil quippe cum herbis de viriditate meliori ratione certaverit, quum

etiam quarumdam virorem non raro smaragdus superet. Porro optima apud Scythas in altissimis montibus, ac in metallis aureis nascitur, unde non sine magno discrimine ac negotio solet adipisci. Gryphis alitibus ferocissimis in iis auro nidificantibus, et illas tutantibus ab arimaspis unico in fronte media oculo insignitis, viris armatis eo auri et smaragdorum cupiditate nimia consuetis accedere. Ceterum quantum reliquas virentes gemmas smaragdi superant, Scythicæ cum substantiæ puritate, tum viriditatis illecebra reliqui sui generis species antecellunt. Secunda vero sibi dignitatem Bactrianæ vendicant. Ab his autem Ægyptiæ. Quamquam et in Britannia majore (quam nunc Angliam vocant) reperiri non ignobiles, auctor est Albertus Magnus. Post generosissimas itaque quæque pro sui puritate et viroris constanti pertinacia, superior aut inferior æstimanda fuerit. Porro præclarissima smaragdus virenti jucunditate amœnissima prata proxime repræsentat, solaque præ omnibus aliis intuitum ubertim explet, et multo labore hebetatam oculorum aciem reficit: ut vel hinc apud scalptores maximam inierit gratiam. Quin etiam e longinquo sese efferunt smaragdi, quod vicinum circumfusumve aerem suo inficiant tinctu. Tametsi vero duodecim ejus enumerantur omnia fastigia, principis tamen et absolutissimæ descriptionem hic adnotasse sat nobis fuerit; ea siquidem cognita reliquas pro suis metiri meritis, ac æstimare haud difficile fuerit. Selectissima itaque smaragdus ea est quæ viridissima, lucidissima ac purissima existens, suo quidem virore oculos constanter explet, satiatve: ita vicinum aerem proprio tinctu inficiens, ut neque soli, neque umbris seu lucernis cedat: quin potius perpetuo contumacique virenti fulgore semper irradiat, sui semper præbet conspectum substantia pertinaci ac durissima. Porro smaragdorum quæ planæ ac leves sunt, speculi speciem referunt, et imagines rerum admotarum supinæ repræsentant. Ideoque in scriptis est: Neronem gladiatorum certamina smaragdo conspexisse. Vires huic adscribunt præstantissimas adversus venena omnia: ut et hinc octo granorum hordei pondere in polline devorata, venenatos a morte vindicare potens jampridem explorata sit. Affirmant etiam serpentis oculos diffluere, si optimam smaragdum diutius intueantur. Comitiali præterea morbo vel a collo pendulam vel annulo gestatam ceu amuletum generosum prodesse; hemitritæumque sanare confirmant. Jam vero apud omnes convenit lapidem hunc rerum Venerearum impatientem esse. Ut etiam Albertus ille Magnus adseverare non dubitarit regi Hungariæ cum uxore rem habenti smaragdum quem annulo portabat, in tres divulsum fuisse partes. Proinde palam esse creditum comperio, ad castitatem non mediocrem hunc lapillum habere proprietatem. Addunt denique et ipsam memoriam fovere, visum recreare, opes augere. Mittò quæ de lapillo hoc superstitiosorum magorum nugacissima impostura mentitur. Porro qui non usque adeo virent, vino et oleo abluti (auctore Plinio) emendantur.

CAPUT V.

DE SARDONYCHE.

Sardonychas olim Romanis in magno fuisse pretio auctor est Demonstratus. Porro numerosa specie visuntur: quarum India parens est, celeberrimæ habentur; post has Arabicis laudem detulerunt, circuli præclaro candore, nec tamen nimis gracili, verum in umbonibus nitido. Optimæ autem judicantur, quæ colore constant, veluti carnibus humanis ungue interfuso (qualem audio vulgus incarnatum vocare) utroque nihilo secius colore utcumque pellucido atque languido, ceu scilicet quis rubricam visum transmittere intelligat affuso etiamnum colore, utcumque glauco. Itaque Indicæ præstant. Colorum quoque varietate suam ostentant dignitatem, ut vix in alia gemma depingenda naturæ divina sagacitas magis reluceat. Ex his namque generosiores, radice tamquam a basi quadam nigricante (quam quis non injuria, e nigro ad cæruleum desciscere crediderit) onychas primum quadantenus repræsentant: hic imitante sardium subrubente zona præcinguntur, a qua deinde linea alba in gyri modum ambiuntur; tandem vero lata atque diversa intercapedine in ampliorem, nec minus artificiosum ac candidum circulum meant.

Postrema omnibus iis zonis, veluti basis quadam altera substernitur, quæ ut Arabibus nigerrima est, ita Indis cerea vel cornea conspicitur, quasi videlicet in candido pingui unguis humanus transfundi, accedente etiam subobscura quadam nubecula, existimetur. Ideoque nemini mirum esse debeat, si quis sardonychas ex sardii, sadæ et onychis coitu fieri suspicetur, quum sardonychas palam sit trium illarum gemmarum referre colores ac substantias. Præferuntur quibus candidæ vel purpureæ zonæ sese ex ordine, citra alterius rei intermixtionem recipiunt, et albicantes circuli, immixta levi purpura, cælestis arcus anhelationem quamdam referunt. Melleæ vero et fæculentæ rejiciuntur cum iis etiam, quibus circulus aliquis sese quidem diffundit, non autem recipit. Adversus venerea pollere, et animi fastum, item nocuos effectus arcere creditur.

CAPUT VI.

DE SARDIO.

Sardium a Plinio sardam vocari invenio: tametsi non desint viri non incelebres, qui ab hac sardium multum discriminari judicent quod videlicet hic rubet, illa vero alba visitur. Forsitan vocum vicinitas Plinio imposuit: fuit autem sardius apud antiquos non infimi nominis: nunc autem nullus aut minimus ejus usus. Porro colore conspicitur rubro, verum subobscuro, ut si quis imaginetur terram rubricam pellucere quidem, sed subobscura offundi nubecula. Adeoque is sui generis optimus censetur, et quo latius ab hac perfectione reliqui abibunt; hoc minus nobiles judicabuntur. Timorem pellere, audaciam præstare, a veneficiis maleficiisque gestantem adserere, sanguinem e naribus fluentem compescere, animo lætitiam, ingenio quoque acumen invitare, perhibetur; præterea retundere injurias creditur: ut vel hinc sardonychas innocuas esse confirment, quod sardium complectuntur. Sardii item mares acrius fulgent, ideoque præstantiores habentur, quod et aliis fere gemmis commune est.

CAPUT VII.

DE CHRYSOLITHO.

Chrysolithos multiplici discrimine partiuntur, quarum ignobiliores Arabicæ dicuntur, quod vario colore ac turbulento conspectu sunt. Reperio etiam et chrysolithos in Germania nasci, in jugis scilicet Mysniacis et locis conterminis, splendore tamen ad candidum languido, quam aliæ magis fragiles. Selectissimarum India nutrix, quæ quadantenus cæruleæ sunt, marinæ aquæ virorem ita præ se ferentes, ut aurum in collatione quadam veluti argenti facie cogant albicare. Porro partibus respirationis, adeoque asthmaticis chrysolithum conferre tradunt. Adversus pusillanimitatem, et contra melancholicos, metus stultitiamque pro amuleto defert. Dæmonas pravos pellere, sapientiam, animi quoque constantiam promovere creditur. Nocturnis item pavoribus, et molestis intersomniis adversari crebro sum expertus. Addit et Thetel Judæus philosophus, chrysolithos avem, reperiri insignitas femina una manu altera vero piscem continente: mercatoribus utiles quod stultitiam pellant, invitent autem solertiam, qua illi suis negotiis bene absolvendis maxime egent. Quamquam et id suam abunde redoleat vanitatem.

CAPUT VIII.

DE BERYLLO.

Beryllorum India parens est, ita ut raro alibi oriantur. Est autem beryllus una ex virentibus lucidisque gemmis. Probatissimæ sunt quæ limpidi maris virorem proxime referunt. Ab his chrysoberylli paullo languidiores, fulgore in aurum vergente, laudantur. Sculpuntur singulæ forma sexangula, quo color alioqui hebes et languidus angulorum excitetur repercussu: vix namque aliter politæ fulgent. Porro quamvis decem ejus faciant genera, sat tamen nobis esse putamus principem indicasse, vel hoc præsertim nomine, quod hac cognita, facile cuivis fuerit reliquas species ad jam indigetatæ berylli faciem metiri. Oculis humentibus, ructibus, suspiriis, jecineris quoque malis, illius ex qua dilutum (infusionem nostri seplasiarii vocant) non

mediocriter auxiliatur. Invenio et hanc gemmam adversus hostium injurias, et contra segnitiem pollere, ingenio prodesse, et conjugatos invicem conciliare.

CAPUT IX.

DE TOPAZIO.

Quæ de topazii inventione varia afferuntur, tamquam a nostro instituto aliena (quod et in singulis fere capitibus observare adnititur) omittimus. Porro topazium gemmarum amplissimam tradit Plinius, ut etiam Arsinoæ Philadelphi uxori statuam præbuerit quatuor cubitorum in delubro auro sacram. Duplex ejus differentia est, priorem prasoiden, id est porraceam, alteram autem chrysopteron: rectius autem chrysopterin, hoc est ad silicis herbæ virorem inclinantem nuncupant. Neque enim a voce Græca πτερον, Latinis alam significante aut pennam, verum a voce πτερίς, silicem herbam indicante, chrysopterin derivari putaverim: est namque silicis viror quam porri dilutior. Ut sit chrysopteros, vel si mavis chrysopteris topazius aureo colore transfusa insuper blanda quadam viriditate ad glaucum accedente. Qualem topazium mihi æstate superiore commonstratum fuisse reminiscor, substantia quidem non mediocriter tenui, multum autem pellucida, colore tamen ex flavo in pallidum languido, immixto etiamnum aqueo quodam virore, adeoque silicis foliorum viriditatem repræsentante. Solæ autem hæ præcellentium gemmarum limam admittunt, usuque atteruntur. Topazii laus non vulgaris profecto: quandoquidem vires ei adversus sanguinis eruptiones tribuuntur: ideoque vulneri admota sanguinem e vestigio compescere: iracundiam præterea ac venerea cohibere creditur. Nec desunt qui facto periculo audeant affirmare, quod manus topazium habens, ab aqua bulliente citra jacturam eripi possit: ut quæ aquæ fervorem usque adeo temperet, ut ab ea omnem bullam mox pellat et calorem nocuum. Mirum vero, quod vires pro lunæ augmento aut decremento evariet: ut et hinc lunaticos juvare perhibeatur. Sunt qui hunc lapillum stultitiam pellere, delirium avertere, a momentanea morte ferentem vindicare, et phrænitidi obnoxiis amuletum esse prodant.

CAPUT X.

DE CHRYSOPRASO.

Chrysoprasum et chrysoprasium Plinius scribere videtur, nam lib. 37, c. 8, topazii genera discriminatim narraturus in hunc modum scribit: *Duo ejus genera faciunt. Prasoidem atque chrysopteron similem chrysoprasio.* Nec ita multo post subdit: *Vilioris tubæ est prasius, cujus alterum genus sanguineis punctis obhorret. Tertium virgulis tribus distinctum est candidum.* Præfertur his chrysoprasius porri succum et ipsa referente, sed hæc paullulum declinans a topazio in aurum. Ejusdem vero lib. cap. 5, beryllorum discrimina descripturus: *Vicinum* (inflt) *genus huic est pallidius, et a quibusdam proprii generis existimatur vocaturque chrysoprasius.* Item et ejus libri cap. 11: *Colos* (inquit) *appellavit chrysolithum aureus, chrysoprasum herbaceus.* Puto tamen vel scriptorum vel typographorum oscitantia chrysophrasio, pro chrysopraso, et phrasius pro prasus substitutum esse, vel hac ratione, quod utramque asserit porri succum referre, cui chrysoprasi et prasi voces longe melius respondent: sicuti et ibidem his pro is, et chrysopterin pro chrysopteron reponendum censeo, ut scilicet in hunc modum Pliniana lectio castigetur. Et duo ejus genera faciunt prasoidem atque chrysopterin similem chrysopraso et demum vilioris turbæ est prasus (nisi tamen phrasius vocem adjectivum quoddam esse censeas) cujus alterum genus sanguineis punctis obhorret. Tertium virgulis tribus distinctum est candidum. Præfertur his chrysoprasus porri succum et ipsa referente. Palam enim est Plinium eo loci chrysoprasum tribus prasi generibus conferre, eumdemque præstantiorem habere velle. Sed hæc missa.

Chrysoprasus itaque lapis porri viriditate ad aurum inclinante conspicitur: ideoque herbaceum colorem imitatur. Optimus itaque est qui aureis guttis conspergitur. Mirum quod lumini tam importunum scribunt quidam, ut genuinum decorem per solas tenebras ostentet. Vires ei tribuunt contra sacram auri sitim. Cordis vires reficere, et oculorum imbecillitatem finire creditur.

CAPUT XI.

DE AMETHYSTO.

Præcipua inter violaceas gemmas amethystolaus et auctoritas: ejus autem plura enumerantur fastigia. Porro Indicæ supremam sibi vindicarunt majestatem: post has vero Arabicæ, Armeniacæ, Ægyptiæ et quæ in Gallatia reperiuntur. Infimæ omnium quæ in Thaso aut Cypro gignuntur. Singulæ tamen violas utcumque referunt, fulgent quoque, scalpturæ ut si quæ aliæ faciles. Absolutissimam purpuram Indicæ repræsentant: inter quas eæ quidem præcellunt, quæ veluti ex carbunculo irradiantis in murice rosei cujusdam nitoris jucundam anhelationem effundunt. Quarum quæ blando quodam aspectu tamquam ignitam ejaculentur scintillam generosissime atque efficacissimæ putantur. Neque etiam hic adnotare pigebit, quod accedunt quidem amethysti omnes ad vini ruborem, verum eo non adepto in violaceum finiuntur, ut purpuræ videlicet fulgor usqueadeo igneus non sit: sed ut vini colorem evariet. Quamquam inveniam et amethystos quosdam ad hyacinthos deficere, alios vero ad vinum magis: nullæ tamen vinosi coloris expertes omnino laudantur. Quæ vero ad crystallum ceu subalbida quadam ac levi purpura desciscunt, cunctis ignobiliores habentur. Veneris gemmam coloris luxus et illecebra vocari fecit. Aristoteles auctor est amethystum umbilico admotum vini vaporem primum ad se trahere, deinde eum discutere: proindeque a crapula et ebrietate ferentem vindicare; homini præterea contra toxica amuletum esse comperio. Addunt et alii malas illum arcere cogitationes et præcox felixque ingenium efficere. Ad hæc vigilantem et principibus gratum reddere eum a quo portetur. Sunt qui grandinem avertere et omnia prospera invitare illum tradant. Mitto hic quæ de hoc lapillo superstitiosi impostores credulis nimium auribus insusurrant, tamquam videlicet christiano instituto indigna, qualia fere sunt etiam quædam ex iis, quæ partim paullo ante partim etiam et in aliis hujus libri capitibus, e certis tamen auctoribus, retulimus, cujus te vel ideo monitum cupimus, ne qua egregio illi censori, aut alii similis farraginis homini calumniandi ansa relicta videatur: quæ ea venia a nobis prodi posse judicavimus, qua ab aliis, prodita fuisse vidimus, quamquam ea omnino prætergressi simus, quæ præstigiosam illam magiam plus redolere cernebantur, quam christianam eruditionem deceret admittere.

CAPUT XII.

DE HYACINTHO.

Hyacinthus a sui nominis flore nomen habet: ejus namque colorem quam proxime repræsentat. Est itaque hyacinthus colore quidem fulvo, ab amethysto (Plinio teste) differens quod quæ in hoc emicat viola, in illo dilutior conspicitur, ut quis scilicet ab amethysto ad aurum immixta etiam levi quadam sed subobscura purpura, desciscere dixerit hyacinthum. Triplicem ejus invenio differentiam; est enim qui ad rubrum plus inclinat, igniqueque purpurascit magis, cui nonnulli primam adjudicarunt, auctoritatem. Est et alius, e fulvo croceum repræsentans, quique igne obscurior redditur. Tertium e fulvo ad cæruleum non ingratam præ se fert anhelationem, inde sapphirini nomen habet, cui alii supremam majestatem adjudicant, vel hoc nomine quod hyacinthi, sapphirique naturas complecti ex utriusque tinctura videatur. Hic præ omnibus aliis aera sentire perhibetur, sereno scilicet cælo seu gratulabundus, impensius superbiens, nubilo autem aut omnino obscuro injucundior, humiliorque adparens. Probantur qui nec obscuriores nec clariores sunt, quique igni admoti utcumque purpurascunt. Mirum quod temporum constitutionibus quoque affici videantur, ut cælo placido pelluceant: ingrate vero tamquam ejus injurias ægre ferentes, tristi aspectu compareant, ut vel hinc cælestis illum esse naturæ, non ab re quis asseveret. Probatissimus quisque frigidissimus ore sentitur, et scalpturæ contumax vix tandem cedit. Porro quod ad facultates spectat, pertinaci frigiditate corpora densare atque reficere, somnum conciliare, virtutes (cordis præsertim) tueri, a populatim sæviente peste, cum manifesta sua qualitate, tum recondita quadam proprietate gestantem adserere, creditur.

Ideoque pro amuleto collo suspenditur e regione cordis, ut cutem contingat. Nec desunt qui hyacinthum confirment divitias augere, et animi alacritatem efficere, præterea et a fulguribus portantem defendere.

CAPUT XIII.

DE MARGARITIS.

Omnibus certe notiores sunt margaritæ, quam ut earum delineatione opus esse suspicer. Porro quod ad earum originem attinet, varia est auctorum sententia, cujus tamen diversitatem dissimili earum genesi acceptam tulerim, non autem illorum aut ignaviæ aut oscitantiæ; nec enim video cur cuiquam mirum videri debeat, si pro diversa cæli constitutione illarum generatio variet. Quid namque prohibet aliter nasci eas, quæ ab Erythræo mari, quæve a Taprobane et Troidis, vel etiam ab Arabiæ petuntur littoribus? secus autem quæ a Paria vicinisque Austrinis vel etiam occiduis Septentrionalibus Oceanis ab edoctis urinariis solertissima petuntur arte. Proinde Plinium rerum naturalium peritissimum nullius inscitiæ aut negligentiæ insimulandum censeo quod de margaritarum natalitiis aliter scripserit quam Austrinarum, Occiduarumque nuper inventatum regionum lustratores litteris prodidere quorum monimenta prætereo ne prolixior fiam. Sat namque nobis in præsentiarum fuerit apud omnes convenire, conchas pro sua ætate ac magnitudine majores, pro roris vero (appetente genitali tempore) concepti puritate vel obscuritate generosiores vel ignobiliores eniti. Qua ratione uberiorem has cum cælica natura, quam cum æquorea consensum et cognationem obtinuisse manifestum puto. Flavescere deinde has vel igne, vel omnino senecta atque etiam crassescere, lævoremque sensim deponere omnibus in confesto est. Invenio præterea et concham prævisa manu apprehensura, se se continuo comprimere, utpote suas operiturum divitias, gnaram scilicet, quod harum causa imperatur, inimicam quoque manum si forte comprehenderit, amputare: justissima (vel Plinio auctore) tantæ temeritatis, luxus et avaritiæ pœna. Est et prætexea apud Vogesum in Lotharingia montem amnis margaritarum ferax, verum non usque adeo splendidæ sunt. Mirum tamen, quod quæ per genesin gratia in eis desideratur, per columbas resarcitur: quæ scilicet devoratas puriores tandem eas cum fecibus reddunt restituuntque. Præferuntur quam candidissimæ, lucidissimæ, rotundissimæ, levissimæ, et minimi ponderis sunt, maxime autem si natura perforatæ sint. Porro præcipua margaritis laus est, quod siccitate innata corporis redundantias absumunt: ut vel hinc vires, spiritus, cor et principes corporis partes recreent. Ideoque contra cardiacos et melancholicos affectus plurimum celebrantur, magnoque usu commendantur. Adde quod a vulgaribus pestiferisque morbis defendunt, et diarrhœis magnopere conferunt, hac tamen ratione, ut vel in polline vel alio quovis modo insumantur. Oculorum præterea abundantem humorem finire, ideoque et visui prodesse, oculis scilicet quam tenuissimo earum pulvere immisso, traduntur. Neque enim solo gestatu quippiam illas posse reperio, quam inexplebili humano luxui arridere.

LIBRI SECUNDI

PARS SECUNDA

DE CETERIS ALIQUOT GEMMIS ET LAPIDIBUS

CAPUT XIV.

DE CARBUNCULIS.

Posteaquam de tredecim illis, quarum sacra Apocalypsis meminit, gemmis, sermoni coronidem imposuimus, pro nostri absolutione instituti, de aliis qui nunc passim in usu sunt lapillis, operæ pretium fuerit disserere, a pretiosissimisque carbunculis ordiri. Carbunculos itaque (ab igniti carbonis colore ita vocatos) inter ardentes igneasque gemmas supremam sibi vindicasse majestatem, apud omnes convenit. Porro in numerosas divaricantur species: sunt namque qui garamantici, indici, æthiopici, alabandici nominantur, singuli scilicet a suæ generationis loco. Persuasum autem habeo

præsenti huic nostro argumento abunde facturum me satis, si carbunculorum quatuor genera explicavero. Itaque verissimo generosissimoque, immo et imperatoribus dignissimo proprie vocato carbunculo, balagium, rubinum, ac granatum gemmas vulgarissimas annumerabimus: hæ siquidem inter ardentes ignem a certissimo carbunculo propius repræsentant. Porro selectissimorum carbunculorum multiplicem invenio differentiam. Quidam enim colore vehementer igneo, in modum ardentis prunæ translucent, ita tamen ut extremus earum igniculus in amethysti violam desinere videatur: sed et per tenebras lumen diffundunt non injucundum: sunt et alii qui pinnato fulgore pellucent. Alii alba præcincti venula, qui coloris præstantia atque illecebra nullis aliis cedant, quibus etiam familiare esse perhibent inter ignitas prunas ceu mortuos languidosque comparere: super effusa autem aqua, carbonibus extinctis, e vestigio priori gratia ceu redivivo colore gloriabundus resplendere: tanto naturæ miraculo, ut hinc carbunculi genus hoc præcipuum nonnulli reputent. Hunc carbunculum apyrorum nuncupari comperio, quod ignem non videatur sentire. Demum, et hunc sequitur qui sandastros quibusdam, aliis garamantites vocatus est. Hic ex India vel Arabia, qua meridiem spectat, petitus superiorum splendore, atque igneo colore nobilis, aureas insuper guttas continet, veluti stellantes: intro quidem semper, numquam tamen in facie conspectas, hoc etiam ordine disseminatas, ut hyades cum guttarum numero tum serie judicari valeant. Ideoque et hoc carbunculi genus viri quidam non incelebres, ceteros albis (quod ajunt) equis præire confirmant, quod præ aliis longe uberius cælestes complectatur virtutes, syderumque concepisse similitudinem videatur. Qua de re Chaldæis sacrum quibusdam æstimatum est. Gemmarum omnium carissimæ sunt carbunculi, ut eadem sit earum cum reliquis comparatio, quæ auri ad metalla quævis analogia. Jucundiores tamen existimantur quæ amethystizontes dicuntur: quarum scilicet extremus igniculus in violam desinit, ac purpuræ quamdam effert anhelationem. Porro in omni carbunculorum genere, mares feminis excitatius fulgent, feminæ autem ceu pinguiores crassius nitent. Quod autem ad vires attinet carbunculi singulis quibus gemmæ omnes aliæ præditæ sunt virtutibus commendantur, ut vel hinc omnium nobilissimi sint habiti. Soli siquidem ejaculato igne fulgoremve rutilo solem imitari vel hoc schemate palam conspiciuntur. Ut et hinc præ ceteris Phœbo dicari creditum sit, quem cunctis syderibus tamquam regem præesse adstruunt philosophi. Ideoque et solum hunc lapillum suam in reliquos posse figuram imprimere, quum tamen alius nullus in idem præstando sit. Aristoteles auctor est.

Ceterum carbunculis proximam sibi gratiam dignitatemque balagius coloris jucunditate et illecebra fecit. Lapides quidem colore rubro et prælucido, sed qui superaffuso sublanguido quodam fulgore carmesinum vulgo dictum colorem quadantenus referat. Sequitur deinde rubinus lapis ita vocatus, laudatus maxime si per tenebras in speciem blandæ cujusdam scintillæ micare videatur et simplicissima consistat substantia. Illis denique granati succedunt longe obscuriore ac minus grato colore, tamquam videlicet opaca quadam umbra vel nubecula rubinum offundi judices. Lapis certe non rarus, proinde et hoc ævi in minimo pretio habitus. Porro harum gemmarum ut quæque magis minusve ad verum carbunculum accedit, ita commendatior aut ignobilior, et clarioribus aut obscurioribus proprietatibus donata censetur. Balagio itaque similes ac carbunculo facultates, sed imbecilliores tribuunt. Rubinum adversus pestilentem aerem pro insigni amuleto portant, et contra terrentia somnia. Granatum præterea melancholiæ adversari et cor reficere credunt. Adulterantur autem omnes vitro rubore infecto; sed et elanguidos foliis bracteisque quibusdam rubicundissimis substratis excitatiores reddunt, ut non sit facile a spuriis veras secernere, scalpturæ verissimæ contumaces sunt, adulteratæ cote deprehenduntur; quod fragiliore ac molliore sint compareantque materia, sed et centrosa scobe dinoscuntur, nonnumquam etiam pustulis argenteis intus nitentibus.

CAPUT XV.

DE ADAMANTE.

Maximam in rebus humanis sibi gloriam ascivit adamas, multo quidem ævo solis regibus, et iis paucis agnitus. Nunc autem tam creber, ut omnibus pene in deliciis sit et luxu. Est autem generosissimus adamus colore ferro candenti haud absimilis. Fatiscit hircino sanguine, maxime si aliquot ante dies hircus petroselino, silere montano et divino sit educatus: plumbo item dissolvi reperio.

Porro in sex adamantem partiuntur genera. Indicus non in auro nascitur, sed quadam cum crystallo cognatione, candore placido translucet. Huic proximus est Arabicus, minori tantum, nec alibi quam in sincerissimo auro generatus. Incudibus et ferreis malleis uterque deprehenditur; ita namque iis uterque resistit, ut indomitus citra omnem jacturam a ferro et incude sese explicet. Quin immo pusilla tametsi mole, ignibus etiam vastissimis injectus medius pertinax atque illæsus ita permanet, ut nullam prorsus ignis actionem admisisse (etiam si multos dies ibi perseveret), palam ostendat, unde et indomitam antiquis vocari gemmam invenire est. Est et alius adamas cenchros nominatus milio magnitudine respondens. Alius deinde Macedonicus cucumeris semen æquans. Hunc sequitur Cyprus in sulphureum desciscens, qui licet a prioribus fulgoris languore deficiat, præcipui tamen in medicina usus est Plinio. Postremus vero siderites ferreo fulget nitore. Hunc ab antiqua petitum minera passim dici audio, atque ideo ab inerti vulgo reliquis præferri. Sic vulgus ignavum suo ducitur sensu, ut crebro utilissima quæque pro optimis reponat. Hic namque siderites ictibus cedit et malleis, adeo videlicet, ab adamantis natura palam degenerans, ut vel hinc solam apud eos nominis gratiam usurpasse credatur, qui rebus externis contenti ad omnem veritatem oscitare consuevere. Neque pigebit etiam secundo recensere, non sine magno naturæ miraculo fieri, ut vis illa adamantis indomita, qua scilicet suarum partium integram contra ferri ignisque injurias connexionem pertinaciter tuetur, ab hirci sanguine calido quidem et recenti ita afficiatur, ut tandem conniveat et atteri pariatur. Indeque seposito omni superbo, quo antea gloriabatur, fastu, malleis et incudibus cedat, ut sese in minimas etiam partes frangi, mangonum usui, permittat, qui in iis postea fragmentis nullam duritiem non superant. Porro maxima adamantis quantitas avellanæ nucis magnitudinem et formam æquare perhibetur. Generosissimus itaque et selectissimus judicabitur adamas, qui jam narrata descriptaque invicta natura præditus, crystallo paullo obscurior, ferrum candens nitore refert, cæruleoque quodam interfuso splendore, ita quidem refulget, ut flammeum solaremque quemdam radium transmittere videatur; quasi scilicet vario translucentique suo fulgore quamdam cælestis arcus anhelationem repræsentent. Porro vires adamanti fere divinas tribuunt philosophi, efficaciores tamen in auro, quamquam quibusdam placere inveniam ferream quamdam tenuissimam bracteam substerni debere. Contra venena et incantamenta amuletum esse præsentaneum testantur, qui adamantem præsente toxico madere confirmant. Ideoque pestiferis causis resistere creditur: negantque ferentem fasciuari posse, adeo scilicet cacodæmonibus invisus esse perhibetur. Insaniam, metus quoque vanos, ac terrentia intersomnia arcere fertur. Gemma reconciliationis prædicatur, quod hostilem demulceat furorem, et viri cum uxore necessitatem foveat. Ab incubis et succubis eum asserunt, qui adamantem portat. Vanum omnino et præstigii quamdam præ se ferens imaginem eorum nugamentum puto, qui adamantem dicunt uxoris insciæ ac dormientis capiti suppositum statim prodere, sit pudica, necne. Vel hac ratione quod ipsa a mariti consortio, quasi fugibunda statim excidat, si quidem fideli toro injuriam impudica fecerit. Adamante scilicet marito castoque toro indignam mulierculam hoc schemate palam ostendente. Huic lapillo natura rerum omnium parens tale cum magnete dissidium ingenuit, ut illo præsente omnem vim tractricem a magnete direptam plane conspicias. Quin magis tractum ab hoc ferrum feroci quadam vi ab admoto adamante revelli cernere est. Ut et hinc multis visum esse suspicer adamantem aliis gemmis junctum ipsarum ad se virtutem omnem trahere, quod non cre-

diderim. Ceterum num reconditas illas vereque admirandas proprietates ad dæmonum imposturas demandabimus quod earum causam naturalem nemo (ut puto) afferat exactam, uti censori nostro ac similibus viris parum circumspectis, nihilque suæ ignorantiæ concedere volentibus forsitan videtur? absit non ab hoc tantum uno, sed et a quovis alio vere docto et pie christiano. Quinimmo ea propter in Dei et Domini nostri omnium creatoris propensiorem admirationem feramur, ejusque magnificentiam ardentiori studio ac necessitudine efferamus.

CAPUT XVI.

DE ACHATE.

Maximam tempus auctoritatem ademit achatæ, non quod viribus minus quam antiquitus polleat, sed quod copiosior sit: qua enim occasione solet in rebus humanis elationem fastumque raritas afferre: eadem etiam multitudo, et crebrior familiaritas contemptum parere consuevit. Plinius auctor est Pyrrhum Epirotarum regem achaten habuisse, novem Musis cum Apolline citharam manu tenente insignem: nulla arte, sed sola naturæ solertia ac virtute, sponte maculis ita discurrentibus, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia.

Porro tam est vulgaris achates ut delineationem ejus et genera scribere omnino supervacaneum arbitrer. Probatissimæ vero sunt perspicuæ, quæque leoninæ pelli similes sunt, vel etiam nigræ albis intersectæ lineis. Mercurio sacram achaten rudis nimirum antiquitas credidit, eamque præsertim, quæ apud Indos nata est, ubi vario colore, guttis etiam Phœniceis conspersa visitur. Ceterum omnem achaten venenis pestiferis, araneorum atque scorpionum ictibus adversari, prudentiam ac facundiam præstare, ab adversa fortuna tutari, visum fovere, cor recreare, sitim ore contentam arcere, adstruunt. Nec desunt qui tum maxime efficacem scribunt, cum setis leoninis involuta defertur, quod quam a vanitate quoque absit, judex esto.

CAPUT XVII.

DE ALECTORIO.

Alectorius lapis in ventriculo capi reperitur, obscuri crystalli similis et colore et substantia, nisi quod paullo crassior apparet, non excedens fabæ magnitudinem. Probatur, quæ intus velut stagnantem ingesti cibi micam, modicam nec usque adeo obscuram ostentat. Sunt quoque qui audeant affirmare caponem, in quo alectorius sit absolutus, bibere numquam, ideoque strenuis militibus ex usu esse creditur. Proinde Milonem Crotoniensem ejus gemmæ in ore contentæ præsidio, nullo umquam certamine superatum prædicant. Porro alectorio vires tribuunt non incelebres contra pericula quævis. Præterea Venerem ciere, homini constantiam, mulieribus virorum gratiam conciliare, ferenti quoque facundiam præstare, potens creditur. Sed et sitim ac cordis æstum arcere ore inclusa experimento non raro constat.

CAPUT XVIII.

DE TORCOIDE.

Torcoiden tam in magno pretio esse fere apud omnes conspicuum est, ut multi suo tunc demum luxui aliqua ex parte satisfactum putent, cum præclaram quamdam nacti fuerint.

Duo itaque sunt ejus fastigia, a suæ scilicet propagationis loco nuncupata. Inferior siquidem Hispanica: altera Indica seu Orientalis nuncupatur. Utraque tamen consimili, crassa et minime perspicua substantia. Porro Hispanica colore utcumque virente, subobscuro adeoque ingrato conspicitur: ideoque respuitur ceu vilissima. Indica autem ex herbaceo, cyaneo quodam lactescente nitore gratiam init non vulgarem. Colorem igitur præbet seu in cæruleum ex viridi, lacteum quiddam perfusum imagineris. Raro citra rimam venulamve reperta. Probatissima tamen est, quæ simplicissima, et persimili substantia, purissimoque et citra omnem labem colore suam commendat jucunditatem. Mirum quod de divinis ejus virtutibus causantur. Novi revera virum quemdam insulanum, mihi quidem multa necessitudine devinctum, qui dum

viveret torcoiden in deliciis habebat, annuloque aureo perpetuo gestabat. Is cum forte, ex sæva ægritudine in fata concederet, eumdem quoque retinuerat. Tumque naturæ quodam veluti miraculo contigit, ut torcois illa, quæ superstite etiamnum suo domino cum numerosis sui generis myriadibus de pulcritudine ac integra puritate certare potuisset, tamquam heri sui necem lugens, longe tum obscurior appareret, adeoque continuo rimam per medium porraceam efferret, ut et hinc tum maximam suæ majestatis partem deposuisse videretur. Proinde de ea mihi aliquando comparanda aviditatem abegi. Ego namque cum ob perjucundas lapilli illecebras, tum ob ingentes vires, quibus idem vir, facto periculo, gemmam eam pollere constanter asseverare solebat, eam si quando liceret, quavis etiam ratione comparare constitueram. Sed enim meus me fefellerit error, nam dum in auctione venui expositam eamdem illa litura et vitiis conspersam contemno, hanc alter civis vili coemptam e vestigio mihi ostendit. At cum illam ego pristina, ceu postliminio rediviva sinceritate et majestate (renovato domino) perspicio, occœpi mecum vehementer mirari, inopinatum naturæ ac admiratione dignissimum portentum, deinde et a renata, meam damnare infelicitatem. Vel hoc eventu coram edoctus divina quadam lapillum illum facultate donatum esse. Porro ostendendis prodigiis illustris plurimum est torcois, ut et vix credibili virtute ferentem ab imminenti periculo (tamquam videlicet innato contra adversa quæque quodam amuleto medicamentoque) fortiter vindicare celebretur. Adde quod cor et oculos recreare, et hilaritatem prosperitatemque adsciscere creditur.

CAPUT XIX.

DE CORALLIO.

Corallium et lithodendrum appellari invenio, quod arboreus lapis appareat. In mari mollius primum crescit, inde vero duratur. Cumque sub aqua quidem vireat, statim atque hanc superavit, rubescit. Adstruunt candidas illud intra aquam proferre baccas, quæ extra eam in sanguineas degenerent: easque et forma et magnitudine ad hæc, et colore corna sativa repræsentare. Mirum quod tactum lapidescit si vivit, proinde restibus primum revellunt, aut ferramento acri præcidunt: qua de re corallium theophrastus, a radendo, Græcæ voci alludens illud appellavit. Porro arborem esse corallium, vel ipsius rami palam ostenderint. Diversam præterea a ferro ignito naturam corallium exhibet; illud namque ut aqua, ita et hoc molliore aere ilico duratur. Commendatissimum est quod rubicundissimum vel albissimum, æquabili usquequaque concremento, forma fruticis, ac terenti facile cedens. Quod autem in lapidis exactam duritiem colit, scrupulosum, inane, lacunosumque est, damnatur. In magna antiquitus, apud Indos præsertim, fuisse auctoritate corallium in litteris comperio. Hi namque pro eo suos olim consuevisse uniones permutare traduntur. Nunc autem quod crebrius est, in magno adeo non est pretio. Dæmonas infensos arcere perhibetur. Ut et hinc suspicandum sit prudentem vetustatem, corallio per diversas formas (non sine licet fastu quodam aut illecebra nunc usurpetur) effigiato, et ex ordine infilato, preces Marianas docuisse numerare. Magnus illius in medicina usus percrebuit. Quandoquidem refrigerat siccatque mediocriter: ideoque sanguinis rejectionibus, et eruptionibus prodest. Album vero corallium a collo suspensum, ut stomachum vel pectus contingat, e naribus consuetum fluere sanguinem raro compescuisse vidimus. Cor præterea et ventriculum, vel ingestum, vel extra, ut adhæreat admodum, roborat. Surculos ejus pro amuletis infantulorum, collis appendunt: fulminibus et marinis æstibus tempestatibusque resistere æstimatur. Proinde Jovi Phœboque sacrum putatum est. Religiosum præterea gestamen esse amoliendis periculis comperio, ut decore ac religione gaudeat. Ad hæc et contra vesicæ tormina et calculi mala, in pulverem ustos surculos, et ex aqua potos auxiliari fertur; item et lienem absumi, si id medicamentum sæpius potetur. Oculis deinde prodesse, ulcerum cava explere, cicatrices tenuare, denique et surculos ex vino potos vel ex aqua (si febris urgeat) somnum conciliare Plinius auctor est. Nec desunt, qui affirment illius pollinem erosis dentibus infarctum, ægros dentes radicitus eruere, demum et gengivas firmare. Commen-

titium omnino puto quod coralli pulvere fruges evadant uberiores. Quamquam et coralli pulverem inveniam amaras aquas dulces efficere.

CAPUT XX.

DE CORNEOLO.

Corneolus gemma est vulgaris minii colore, sublanguido tamen, ceu videlicet in humanam carnem perspicuitas perfusa sit. Rheno frequentissima est. Probatur quæ purissima juxta ac nitidissima consistit substantia, colore carneo translucido sanguinem propalam cohibet, lividentes dentes suo polline emendat omnem ab eis detergens sordem. Iracundum animum placare creditur.

CAPUT XXI.

DE CYANEO GRÆCIS, CÆRULEO LATINIS, VULGARIBUS AUTEM LAZULI VOCATO LAPIDE.

Magnam profecto auctoribus peperit obscuritatem, legentibus vero perplexionem, cærulei seu cyanei, nominis diversa significatio: aliis scilicet sub hac voce cæruleum arenam cum cyanea gemma confundentibus: aliis autem solam eadem dictione metallicam arenam complectentibus. Plinius namque naturalis historiæ lib. 33, capite ultimo ita infit: *Cæruleum arena est, hujus tria genera fuere antiquitus: Ægyptium, quod maxime probatur: Scythicum hoc diluitur facile, cumque teritur in quatuor colores mutatur, candidiorem, nigriorem, crassiorem, tenuioremve. Præfertur huic etiamnum Cyprium. Accessit his Puteolanum et Hispaniense, arena ibi confici cœpta.* Dioscorides item lib. 5, c. 97 sic habet ad verbum: *Cærulei origo ex ærariis metallis est. In Cypro copiosus ex arena littorali secundum quosdam sub cavatos specus maris invenitur, quod et magis probatur.* Galenus vero simplicium pharmacorum libro nono, inter metalla cæruleum reponit. Deinde Paulus Ægineta de cæruleo Dioscoridis sententiam pene ad verbum refert: quam etiam Plinius, eo quo diximus capite, imitatus palam ostendit non de gemma se facere, sed de metallico cæruleo: quod ærosa quadam substantia, non tamen lapidea, consistere ad oculum videre est: ut vel hinc in confesso esse debeat, iis locis auctores illos, Dioscoridem, Galenum, Paulumque (dico) non de cæruleo lapide, cyaneave gemma disseruisse, verum de metallico illo cæruleo quo ad generosas imagines pictores uti consuevere. Galli azurum vocant. Sed enim Plinius idem ille libr. 37, quem gemmis dicavit ita habet: *Reddetur et per se cyanos accommodato paullo ante jaspidis nomine colore cæruleo. Optima Scythica, dein Cypria, postremo Ægyptia. Adulteratus tinctura, idque in gloria regis Ægypti adscribitur, qui primus eam tinxit. Dividitur autem hæc in mares feminasque. Inest aliquando et aureus pulvis non qualis in sapphirinis; sapphirus enim et aureis et punctis collucet, cæruleæ et sapphiri raroque cum purpura. Optimæ apud Medos, nusquam tamen pellucidæ.* Quibus verbis statim ab ipso lumine videtur Plinius utrumque confundere, cæruleum scilicet metallicum gemma cærulea. Primum quidem vel hoc maxime, quod Scythicæ, Cypriæ et Ægyptiæ rationem habuerit, quemadmodum etiam superiore lib. 33, de arenoso cyaneo singulariter agens cyanei Ægyptii, Scythici et Cyprii meminit. Hinc revera non mediocrem hoc loco video imposuisse difficultatem viris etiam doctissimis, aliis videlicet de utrisque confuse Plinium intelligentibus, aliis de solo arenoso cæruleo hos torquentibus sermones, auctorem insimulantibus damnantibusque tamquam hanc inter gemmas arenam male collocarit. Inter quos Hermolaus ille barbarus, vir alioqui peritissimus, ac de re medica et Plinio optime meritus (pace tanti viri, pro veritate tamen dixerim) nescio qua judicii adumbratione perculsus, non veretur Plinium negligentiæ calumniari. Mihi vero (absit omnis arrogantia) Pliniania lectio rectius consultiusque hoc loco, id est, lib. 37, cap. 9 castiganda videtur, et in hunc modum suo auctori reponenda: Reddetur et per se cyanos nomine, accommodato paullo ante jaspidi colore cæruleo. Ut his scilicet verbis et jaspidis et cyaneæ gemmæ substantia convenire quidem, sed colore alterum ab altero discriminari declaret ostendatque, ut et quis ex jaspide cyaneum lapillum ementiri posse intelligat, si illi colorem cæruleum addat. Cui et

id optime adstipulatur, quod mox subnexuit. Adulteratur, inquit, maxime tinctura. Quod demum hoc loci Plinius non de cærulea arena disserat, manifestant hæc ejus subjecta verba: Inest aliquando et aureus pulvis cum iis quæ sequuntur, quæque supra retulimus. Nam et ea non arrosæ illi arenæ, sed cyaneæ (vulgato nomine lazuli vocatæ) gemmæ ita ad amussim consentanea esse constat, ut nemini dubium (meo tamen judicio) esse debeat Plinium hoc loci de sola cyanea gemma agere: neque etiam facile credendum fuerit tam celebrem auctorem, ac rerum naturalium tam indefessum, acrem ac peritum indagatorem scriptoremque, vulgatissimam hanc gemmam latuisse. Neque etiam vel leviter suspicandum puto, quod agnitæ nusquam meminerit, quum præsertim diligentissimum sese naturæ mirabilium perscrutatorem, præconem, promulgatoremque semper exhibuerit. Sed neque huic nostræ opinioni refragatur, quod jam citatis locis Ægyptii, Scythici, Cypriique cærulei meminerit. Quid namque impedit utramque cæruleam arenam dico a gemmam cyaneam tribus jam indigetatis locis oriri? Sed enim libri 33, cap. ultimo ad Ægyptum maxime probari scribit, secundo loco Cyprium, novissimo vero Scythicum reponit: quibus accessisse adnotavit et Puteolanum et Hispaniense. Ubi vero de cyanea gemma (quæ ei cyanos per se vocatur) hoc est libri 37, cap. 9 scribit, omnibus Scythicam præferri dicit. Deiñ Cypriam commendat, novissimam autem Ægyptiam æstimat. Ecce quam hic ultimam facit, illic primam effert: ut et hinc non de iisdem Plinium diversis his locis scribentem intelligere debeas. Quinimmo sapphirum hunc capite cum cyaneo lapillo postea complexus, ita infit: Cæruleæ et sapphirí raro (ubi etiam conjunctionem que semovendam puto) cum purpura, etc. His ego certe rationibus eo sum abductus, ut Plinium illis locis non de arena cyanea aut gemma tantum, sed libro trigesimo tertio de arenoso cæruleo, libro autem trigesimo septimo, de cyanea gemma capiendum existimem. Quis enim (obsecro) tam inerti, aut in Plinium alioqui gravissimum auctorem infenso ingenio fuerit, ut ea, quæ cyaneæ gemmæ (emendata licet lectione) Plinius propalam tribuit arenosæ illi arenæ quadrare inaudiat: quam nemo lapidea substantia vel pulvere aureo gloriari recte quidem dixerit? Potius itaque lazuli vulgo nuncupatæ gemmæ consentire hæc profecto videbuntur: cum ea substantia sit lapidea, jaspidi scilicet germana, aureumque pulverem coram ostentet. Qua de re subinde vehementer mirari subiit, hoc loco Plinii sensum tot tamque celeberrimos auctores Plinianæ lectionis etiam studiosissimos hactenus (quod legerim) ita fugisse, ut utrumque confuderint, magno humanæ conditionis detrimento: dum nempe apud omnes fere seplasiarios arena pro gemma in medicandis corporibus quam ineptissime usurpatur. Sed hæc quorsum, eo nempe ut melioris doctrinæ gratia omnem de medio tolleremus implicationem, et aliquam Pliniano sensui afferremus restitueremusve lucem. Est itaque cyanos cæruleave gemma lapillus substantia quidem jaspidi haud absimilis colore cæruleo. Probatur aureo pulvere conspersa. Unde et stellarum lapidem dici invenio, quod stellis similiter lumini expositus aureo pulvere scintillet. Præfertur quæ cæruleum sui nominis præstantissimum (quem nostri azurum vocant) colorem assequitur, consimili undequaque substantia et concremento. Lapis est sculpturæ non usqueadeo contumax. Vidi ego ex eo cantharidem tam affabre tamque graphice conflatam, ut eminus veram judicarem: pulvere nimirum aureo tam apposite, quod in animante fulvum natura fecit, imitante, ut eum lapillum ad is muneris procreatum quivis sanæ mentis non immerito judicasset.

Porro quod ad vires attinet. Adversus melancholicos affectus ejus pollen toties ablutus, dum ejus dilutum peregrinum nullum præ se ferat saporem, efficacissime ingeri, litteris et experientia confirmatur. Melancholicum enim humorem per inferna deponit, non lotus vero, cum infernis superiora, non citra magnum laborem, commovet. Nec desunt qui pueris a collo gestatum nocturnos arcere pavores testentur. Oculorum aciem reficit atque demulcet. Collo appensus prægnantes ab abortu adserere perhibetur. Volunt autem appetente partu semoveri.

CAPUT XXII.

DE CHELIDONIO.

Chelidonius vel chelidonia (utroque enim genere dicitur) lapillus est parvus, perspicuus minime, e juvencularum hirundinum ventre exsectus. Mense augusto, luna crescente, reperiuntur optimi, magnaque ex parte bini, aliquando autem singuli, in earum scilicet ventriculis aut jecusculis. Dicuntur namque (auctore Plinio) matres exclusis pullis hunc dare lapillum devorandum. Invenio et hic quoque solertissimæ naturæ non supprimendum miraculum: nempe quod illarum pulli per conjuncta rostra in sese reconditas has gemmas prodant. Dicunt etiam et has debere erui priusquam primigenius pullus terram contingat. Quamquam ne hoc quidem sua vanitate carere putem. Hanc bifariam discriminari tradit Plinius: aut enim est ruffa, aut nigra, vel potius ex pullo nigricans, hirundinum vel pavonum colore, minimeque pellucet, sed aspectu ingrata visitur; sunt et earum aliquæ, parte quidem una nigricantes, altera vero purpurascentes, nigris intercurrentibus maculis. Probatissimas esse comperio, quæ substantia purissima ac simplicissima, et aureis guttis insigniuntur. Porro singulæ tametsi jucundæ sint et pusillæ, magnis tamen virtutibus præditæ adstruuntur, ut et de ipsis recte id occini possit;

Regnat in exiguo præcellens corpore virtus.

Ruffam siquidem sub ala sinistra gestatum lunaticos, hoc est, comitiales, insanos, et laguidos sanare perhibent. Præterea et facundiam, et apud homines gratiam, promovere confirmant. Nigricantem vero similiter portatam testantur reges et principes conciliare, et cœpta negotia pro animi sententia absolvere, omniumque gratiam invitare. Ejus vero ex aqua dilutum, oculorum aciem reficere dicunt. Neque superstitione vacare putem, quod ruffam in panno lineo mundo, nigram autem in croceo tantum involutas suis præstare potestatibus nugantur, cui et id accedit quod parentibus præsentibus erutis vires effluant.

Hic magna mihi profecto incessit admiratio de viri cujusdam de litteris alioqui bene meriti, non levi oscitantia, qui in scholiis suis in Marbodeum ubi agit de chelidonia auctorem citaturus, quo chelidoniam gemmam oculis ostendere proficeret; Plinium adduxit libri 8, cap. 27, et libri 25, cap. 8 et 12, quibus in locis non de gemma, sed de ejus nominis herba palam est Plinium disseruisse; siquidem, ut rem per capita ex ordine recenseamus, ita habet dicti jam capitis 27 titulus: Quæ animantia quas herbas ostenderint cervi, lacerti, etc. Demum in contextu de chelidonia agens ita infit: *Chelidoniam usui salubberrimam hirundines monstravere, vexatis pullorum oculis illa medentes.* Deinde libro vigesimoquinto, ubi constat Plinium de herbarum viribus disceptationem ex professo instituisse, capite octavo sic habet: *Animalia quoque invenere herbas, in primis chelidoniam: hac enim hirundines oculis pullorum in nido restituunt visum, ut quidam volunt erutis etiam oculis.* Capite denique ejusdem libri duodecimo, posteaquam Centaurium utramque majorem scilicet et minorem oculos juvare tradidit, ita subnectit: *Jam chelidonia supradictis omnibus mire prodest.* Ex quibus luce meridiana clarius esse constat Plinii locos hos ab Amstelrodamo nostro citatos non posse ad chelidoniam gemmam torqueri, verum de similis nomenclaturæ herba tantum debere intelligi. Quæ ideo annotavimus, ne quis ejus auctoritate falsus, in similem errorem impingat.

CAPUT XXIII.

DE ÆTITE.

Ætitæ quatuor genera refert Plinius, vulgato tamen nomine singuli, aquilæ lapides vocantur. Vidi ego cinereo colore ætiten, alterum albo, tertium pullo. Sonitu dignoscuntur, si quatiantur: tum enim in sese conceptum lapillum manifeste produnt. Lapis est cortice duro, scabro et minime lævi. Sunt qui aquilam in nido marem et feminam habere adstruunt, negantque illam sine eis ova parere: ideoque solis iis, quæ e nidis ejus alitis erutæ fuerint, vim medicam concedunt. Nihil igne hic lapis deperdere creditur. Porro ætites gravidis, quæ ob uteri imbecillitatem fœtum ægre continent, brachio sinistro alligatur magno earum usui, parturientibus autem

brachio admoveri debet: feminibus item alligata citra dolorem (notatu dignum) fœtum dicitur extrahere. Nec desunt qui, hanc velint statim a partu auferri, ne uterus sequax partum vitiet. Mirum quod furem prodere fertur, si quis in pane conditum offerat: neque enim mansum, vel etiam cum ea decoctum quicquam, fure devorare posse confirmant. Tritum et cerato exceptum comitiales strenue juvare comperio. Mitto quæ de hoc lapide præstigiosi illi ac toto cælo aberrantes magi nugantur: neque enim uxorum furta deprehendere, vel futura præsagire hunc citra incantamenta posse crediderim. Quo ego quæ de furis proditione prænotavi, referrem, si non auctorum ridicula, et non digna fide gravitas et fides reclamaret.

CAPUT XXIV.

DE MAGNETE.

Natura, ut saxis vocem homini obloquentem, immo et echo resonantem dedisse videri potest: ita et magneti sensum manusque tribuisse quodammodo non inepte existimetur. Ferri namque indomita propemodum pugnacissimaque natura trahenti illi extemplo cedit, utque propius accessit ab eo continetur et quodam veluti complexu cohæret. Sunt qui ab inventore, ita vocato in India pastore, nomenclaturæ illius rationem afferant: quibusdam autem siderites, aliis herculeus nominatur. Hic tametsi in Ida primum repertus sit passim tamen apud Hispanos et in aliis quoque locis nascitur. Qui vero a Troade petitur, qui et albus pumici haud absimilis comparet, femineus est, et non usque adeo efficacis potentiæ, ideoque respuitur. Æthiopicis laus et præcipua commendatio, iis præsertim, qui ad cæruleum magis inclinant, quales maxime in Æthiopia Zimiti regione arenosa reperiri invenio. Æthiopici argumentum est, quod magnetem quoque alium trahit. In metallis ferreis oritur. Hunc Germani atque Itali habent ferrugineo tamen seu pullo magis colore: qui qua parte cæruleum propinquius refert, acrius trahit. Auctor est tamen Diogenianus probatissimum magnetem argenti adeo similem esse, ut incautos facile fallat, quem et ad maleficia præstantiorem esse testatur. Porro omnibus præfertur, qui maxime trahit, et qui ustus hæmatiten fere repræsentat. Quod autem ad vires attinet; potus triobolorum pondere ex succo fœniculi hydropicis aquam detrahit: ferro item intoxicato vulneratis præsenti remedio subvenit, oculorum medicamentis imponitur, præterea et ad epiphoras: adusta vero crematus tritusque sanat. Commentitium puto quod de magnete quidam nugantur: Nempe quod in somnis ignorantis feminæ capiti subditus, adulteram lecto deturbat: fidelem vero probamque uxorem ad mariti amplexus, etiam dormientem proclectet. Vanum insuper, nec e re publica esse judico, quod quidam magnetem furibus suo fumo atque nidore usui esse narrant, quasi scilicet ad furta lapis natus sit. Hic subit vehementer mirari, admiratione non vulgari dignam hujus lapidis tractricem virtutem, qua videlicet ferrum non solum, quod contingit coram trahere; verum etiam et suo contractu similes in id transferre vires trahentes, unde et aliud quodcumque congeneum ferrum convellere possit, ut viderim non raro plures acus hac ratione sese suspendere, tamquam scilicet mutuis sese manibus invicem comprehendissent. Quinimo non desunt, qui facto periculo affirmare audeant, ferrum a magnete in libra posito tractum nihil magneti ponderis adjicere, ceu nempe ferri gravitas vi lapidis absorbeatur. Porro tractricem hanc virtutem ab Ursa cælesti magnetem mutuatam esse conjectant, argumento quod arcus hoc astricta libere in solaribus horologiis pendens ad Ursam saltem minorem fere moveatur; magnetis potentiis acum sequacem trahentibus: Ursa vero utrumque acum et lapilli in ea virtutem, seu sibi affinem congeneamve, convellente atque alliciente, eademque vi sidus hoc appetente. Quod sita est, facultas illa magneti cum ab initio perfusa est, tum perpetuo Ursæ radiis et influxu vegetatur. Proinde si quis eorum, quæ de lapilli hujus trahente potestate diximus, rationem expetat, non inscite responderi possit, virtutis ejus causam esse cum lapilli specificam formam, tum ejus germanitatem cum ferri natura, et eorum quidem utriusque consensum cum Ursa illa cælesti, cui et obnoxior sit lapillus ipso ferro. Quibus et id adstipulari video, quod solum ferrum magnetis viribus patere palam conspiciatur, eas-

que contumacius retinere perpendatur. Adhæc, quod (auctore Plinio) vulnera asperiora fiunt ferro magnete contacto. Porro huic lapidi contraria invenio theamedem gemmam, omne a se ferrum respuentem profligantemque. Est et Plinio genus aliquod magnetis, vitri liquorem alliciens. Lapillo item illi cum allio discordia est non obscura: is siquidem allio illitus tractricem omnem facultatem perdere fertur. Dissidet etiam cum adamante, qui et juxta positus illum trahere non sinit, quinimmo convulsum jam ferrum admotus ilico revellit. An autem vires hæ occultæ mirificæque cacodæmonum imposturis adscribi debeant, an potius inde avidius admirandus atque laudandus Dominus omnium creator Deus, ac per ea quæ in hoc lapide facta sunt, sempiterna ejus virtus et divinitas magis cognoscenda, et in mirabilibus suis operibus benedicenda, tuum esto judicium lector.

CAPUT XXV.

DE HÆMATITE.

Quando superiore capite hæmatitis meminimus, non ab re quædam et hic de eo recensere operæ pretium videtur. Duo itaque hæmatitis genera Plinius facit: alterum a magnete cognominatum, sanguineo exterius colore, ideoque tritus is sanguinem refert, ferrum tamen magnetis modo minime trahit. Hunc pro vero magnete a non paucis pharmacopolis damnoso errore venumdari vidimus. Alterum autem hæmatiten dicit item Plinius venis rubentibus discerni, hoc est, ab optimo descivisse judicari, ita enim Plinium intelligo. Hic siquidem Dioscoridi probatissimus est, non qui intermistas habet venas rubentes, sed et qui puro colore (ut ejus verbis utar) niger est, durus, in se æqualis, et nulla infectus sorde nulloque zonarum excursu. Itaque duæ nobis præcipuæ hæmatitis species relinquuntur. Altera exercitiis rubens, interius autem nigricans, ut magnetis colorem quadantenus imitari videatur, altera vero omni ex parte nigra. Quamquam nec me fugiat alia etiam a Plinio numerari illius fastigia, verum duo hæc nostro instituto successerint. Neque enim de singulis gemmis, sed de selectissimis vulgatissimisque disserendum suscepimus. Porro quod ad vires attinet oculis cruore suffusis mire prodest, muliebre profluvium sistit, et cum mali punici succo iis qui sanguinem rejiciunt confert. Vesicæ præterea utilis est, et serpentium ictibus. Ex lacte oculos a lacrymis vindicat. Immo et ipsos procidentes ingenita vi continet cohibetque. Calfactoriæ et extenuatoriæ est facultatis.

CAPUT XXVI.

DE SUCCINO.

Variæ multum de succini ortu auctorum sententiæ sunt. Prætermissis tamen de ejus origine et natura opinionibus diversis, sed et de eo ridiculis poetarum fabulis, in India atque Germania Plinius [1] tradit nasci defluente medulla arboris e pinearum genere, quemadmodum e ceraso gummi, et ex picea resina redditur. Erumpere namque humoris abundantia, succosumque primum esse, deinde vero vel rigore vel tempore autumni densari atque durari confirmant, et intumescentibus tandem marinis æstibus rapi, ac in littora nonnumquam transportari adversa. Indeque succino nomen, quod pini arboris succus esse credatur, argumento quod attritum pineum refert odorem, accensumque tedæ modo nidore flagret. At liquidum primo stillare indicio quidem sunt quædem intus translucentia. Porro succinorum tria esse præcipua genera litteris proditum est. Primum, quod melleo colore conspicitur: secundum quod Phalernum vinum: tertium, quod candidum refert, quod et odore præstantissimum est. Præferunt quidam Phalernum, fulvum scilicet ac translucens consimili undequaque substantia et concremento, ea tamen lege ut non nimio ardore flagret, sed levem tantum ignis ostentet anhelationem, non autem igneum fulgorem adsequatur. Apud multos autem album odoris illecebra commendat. Rude quidem primum et austerum legitur, tandem vero adipe lactentis suis incoquitur, deinde expolitur. Porro quod ad succini virtutes spectat, infantibus pro amuleto ligari, lymphationibus prodesse, ac lotii difficultatibus, invenio. Præterea in polline exhibitum albos menses, stomachi fluxiones, ventusque profluvia si-

(1) Plin. l. 37, cap. 3.

stere crebro didicimus experimento. Cor et cerebrum vel odoris præstantia propalam recreat. Ex melle teritur ad oculorum finiendas humiditates. Attritum et calfactum festucas, quisquilias et levissima quæque allicit et trahit, præter Ocimi tamen surculos, quos auctore Plutarcho, rejicit repellitque, una etiam cum iis quæcumque oleo perfusa fuerint. Succinum seplasianorum officinis charabe, barbara Arabum voce dicitur. Hoc genere et lyncurium vel (ut aliis placet) lycurium contineri coloris, substantiæ et proprietatum congenea germinatas, multis persuasit: forsitan enim fuerit secundi generis, hoc est, Phalerni ruborem referentis species quædam ardentior. Fabulosum omnino esse suspicio est, quod plerisque gemmarum perscrutatoribus videtur, lyncurium ex lyncis animalibus urina mox a dejectu contecta, solis deinde ardore concreta ac durata consistere.

CAPUT XXVII.

DE FICTITIARUM VERIS GEMMIS DIFFERENTIA, ET DIGNOSCENDI RATIONE.

Non mediocrem fidei ac majestatis partem gemmis ademit de republica pessime meritorum hominum pertinax avaritia et luxus. Quandoquidem inde factum est, ut tam subtili dolo fere omnis generis gemmæ adulterentur, ut a fictis veras dignoscere vix sit aliquis modus. Sunt quippe qui ex veris, at vilioribus, alterius generis lapillos ementiuntur: uti jam usus percrebuit multo contumacique igne sapphiro adamantem fingere et tanta arte imitari, ut multis hic fucus non raro imposturam faciat: vocantque album sapphirum. Quibus longe perniciosiores sunt, qui nitro, vitro ac aliis vilissimis materiis, adjecto coloris mendacio, optimas ita æmulantur, ut sua nequitia naturæ opus, sagacissimamque et invincibilem artem tantum non assequantur, qui utinam a republica amandarentur: suis namque id genus fallaciis tam huic quam auctoribus qui solerti studio et diligentia de verarum gemmarum natura et viribus doctissime disseruerunt, ita quidem imponunt, ut dum qui ementitas decepti, pro germanis emerunt, easque iis non esse præditas facultatibus deprehendunt, quibus philosophi naturales donatas esse confirmarunt, et gemmas et de ipsis definientes auctores vel vilitatis, vel mendacii, atque temeritatis damnent, vel etiam plerumque male audiant qui certissimas absolutissimasque commendant. Ut itaque impostorum vitari queant scelestissimi fuci, paucis gemmarum probandarum rationem persequi libet; ubi primum te monuerimus et has multo ævo senescere, proindeque et gratiam et vires sensim multis seculis deponere. Pellucentes igitur lapilli sereno ac matutino cælo, omnino autem in horam quartam probari debent. Re namque compertum est iis horis ac aeris constitutione penitius longe introspici posse quicquid vitii habeant. Porro et pondere internosci comperio, quamquam et hic diversas multorum auctorum esse sententias animadvertam: nonnullis enim placet generosas graviores esse: aliis contra sentientibus, ea scilicet levissimas minimique ponderis esse, quod et facto periculo deprehendi, nec id citra rationem fuerit, vel hoc præsertim nomine quod fictitias cum ab ignobiliori, adeoque et minus efficaci gente, tum ex longe obscuriori ac magis terrestri substantia fieri palam sit, quibus etiam Plinius adstipulatur lib. 37, cap. ultim. *Experimenta*, inquit, *pluribus modis constant. Primum pondere graviores sentiuntur. Post hæc corpore: fictitiæ pustulæ in profundo apparent, scabritia in cute et capillamento, fulgoris inconstantia*, etc. Quibus coram ostendere videntur, quod a falsis intelligat veras pondere superari. Cui et id suffragatur quoque, margaritas præfert, quæ minus graves sunt. Examinantur denique et corpore. Ementitis quippe bullo in profundo comparant, quas et scabra cute et capillamentis, staminum tenuissimorum instar intercursantibus, conspicias: fulgore item inconstante atque injucundo, nitore videlicet priusquam aciem complectatur elanguido. Certissimarum si quidem splendor colorve non in facie tantum (ut in adulterinis) sed et per omne corpus, quibusvis etiam forma et situ gratissimæ jucundissimæque visuntur, ceu scilicet ad sui decoris spectaculum blanda quadam oculos alliciant comitate: quo namque diutius inspiciuntur, hoc magis delectant, ac gratiæ non inefficaci illicio obtutus explent. Lau-

datæ item limam non capiunt: ut vel hoc solo veras a falsis dispiscere mangonum magna pars norint. Sunt tamen qui smaragdum et topazium excipiant. Deinde et ignibus propinquæ non spuriæ, illæsæ evadunt: excepto tamen chrysolectro ignium rapacissimo. Ad hæc duriores maxime commendantur, nimirum quod lapidi propria sit duritiei. Quod autem ad optimarum delectum pertinet, æqualibus cavas vel extuberantes postponunt. Oblongas quadratis prætulit antiquitas: verum nunc anteponunt quadratas, ut quibus angulosis minima olim fuerit auctoritas, nunc versa vice clarior sit gratia. Illas sequuntur quæ lenticulæ forma, deinde quæ triangulæ. Omnium vero novissimæ æstimantur rotundæ, quamvis forsitan omnibus præferri deberent si figuræ rationem spectes.

Nostris vero his lucubratiunculis ad umbilicum tandem perductis, postremo te quoque benevole lector admonere visum est, nil tibi mirum esse debere, quod gemmas quandoque masculino, aliquando autem feminino genere scripserim, nimirum cum utroque genere ac promiscue illas collocari apud classicos auctores crebro legere sit. Cujus quidem rei vel unicus mihi testis et auctor est idoneus Galenus ille medicorum ab Hippocrate abunde princeps lib. 9 simplicium pharmacorum.

CLARISSIMO AC ERUDITISSIMO VIRO

FRANCISCO RUEO

MEDICO

INSULIS ARTEM APOLLINEAM PROFITENTI

FRATER PASCHASIUS BALDUINUS CANONICUS PHALEMPINENSIS

S. P. D.

Hac Epistola super his duobus Ruei libris judicium continetur primum: deinde de Hebraicis gemmarum nominibus, deque earum admiratione, usu abusu, et viribus tractatur.

Perlecto libello, quem de viribus ac natura gemmarum nuper elaborasti, non potui tibi non gratulari, optime Francisce, hoc a te argumenti genus esse tractatum ac illustratum, tum quod tuam professionem non dedeceret ejusmodi studiorum inquisitio, tum quod nos quibus potissimum sacris operam navare opus est, permolesta animi anxietudine atque labore levaveris. Ea enim nonnihil ad sacra pertinere nullus, reor, inficias ibit, quum tam sedulo ac serio illis interserantur, ac ordine disponantur. Atque penitius ista exquirere, quia per varia profanorum scripta disperguntur, atque ea mente ab eis explanantur, ut ad temporale commodum proficiant, per otium nobis non conceditur. Sed et pontificiis decretis plus nimio eisdem incumbere vetamur, cogimur quoque præscriptis divinis sacras evolvere litteras: *Scrutamini Scripturas,* inquit ipse sacrosanctorum oraculorum conditor: *Quia vos putatis, in ipsis vitam æternam habere,* etc. Quod vero Joannis Apocalypseos locum tibi potissimum delegeris, ibique traditum ordinem tenueris, ac deinceps ceterarum gemmarum, quæ celebriores habentur, non omiseris eluci-

dationem, maxime probo. Certissimum enim ac solidissimum locum, qui in divinis litteris habetur, et qui tuo congrueret instituto, selegisti, utpote cujus interpres et auctor idem esset, de quo ambigere nefarium sit. Illa autem nomenclatio, quæ in Exodi libro digeritur cap. 28, incertior ob variam interpretum translationem, et diversas scriptorum opiniones habetur. Si voces Hebraicæ perinde compertæ essent, atquæ Græcæ, nulla fuisset eligendi ratio, nisi forte quia hæ ad sacerdotalium ornamentorum splendorem, illæ autem ad civitatis divinæ cultum et ornatum pertinent. Nunc quia Hebraicus sermo paucissimus fuit agnitus, qui externarum linguarum habuere peritiam, tum ob venustatem, tum ob solitariam Hebræorum vitam, qui ab aliis gentibus segregati, earum commerciis rarius uterentur. Græcus autem tam nobis familiaris ut in quotidianum usum nostrum transierit, merito quod sic usitatum habetur, præ altero tibi in explanationis materiam sumpsisti, ne ambiguis fundamentis jactis totum, quod superstrueretur, vacillaret. Hebræi siquidem maxime hujus ætatis, tanta caligine in horum notitia cæcutiunt, ut plusquam talpas exoculatos credere fas sit: nisi forte quorumdam lapillorum Hebraica vox in externam linguam derivata antiquæ veritatis vestigia etiam ceteris nationibus reliquerit, ac inde a primis avis ad nos usque permanarit illorum incolumis nomenclatura. Quorum præter sapphirum, qui ipsis univoce quoque dicitur, et jaspidem *Jaseph* nominatum nullum crediderim hac ratione cognitum: tametsi etiam in jaspide aliud interpretes nonnulli sentiant, eumdem in beryllum vertentes, ceterorum nomina ad linguam nostram translata variant, aliis alia suspicantibus. Unde non satis compertum habetur, an idem divus Joannes sacris illis gemmis antiquitus per Mosen proditis alludere vel convenire voluerit; quandoquidem in nominum descriptione cum interpretibus antiquis non plurimum dissentit, hoc est, tantum in carbunculo, achate, ligurio et onychino, quarum vice chalcedonium sive carchedonium, sardonychen, hyacinthum et chrysoprasum constituit, ut non satis liquidum sit de interpretum fide, quum jam omnis illorum versio in dubium a nonnullis vocata sit. Arbitror tamen illum non eosdem lapillos adjicere voluisse, quum onychis, qui apud Mosen inter duodecim gemmas memoratur nullam mentionem fecerit, quem plerique omnes in eo nomine ab Hebraica voce *scoham* translatum vocitant; nisi forte sardonychen idem Joannes pro illo statuerit quod Josephus facere videtur, cujus onychini lapilli in tuo opusculo vix recordatus es quum tamen præ ceteris in veteri instrumento ejus mentio frequentius repetatur. Arbitror id consulto tibi accidisse, quod malignioris sit naturæ, nec inter celebriores gemmas supputetur, neque tantæ sit dignitatis et usus ut curæ tibi fuerit illum enucleatius explicare. Quod item in lyncurio, quem nostrates theologi aut physiologi ligurium appellitant efficere visus es, nisi quod succini naturam demonstrans ejus aliquantulum memineris. Porro ceterorum qui sacris libris continentur, quos tamen Apocalypsis non habet, gaudeo te non fuisse oblitum, quatenus non minus e re theologica fuerit, hos noscere quam illos. Carbunculum et achaten Exodi liber cap. 28, atque Ezechiel nobis exhibent, adamas quoque ab eodem Ezechiele cap. 3, et a Zacharia usurpatur, quamvis hoc potius interpreti Latino quam veritati tribuerim. Neque enim Hebraicus sermo ibi permittit gemmam omnium nobilissimam intelligi: quum durities indidem tantum, non præ signis eminentia petatur, ut etiam fit e silice illic memorato. Intellexerim itaque pro illo aliquod saxi genus: quod etiamnum Græcus interpres ostendit, in petram eam vocem vertendo. Sunt qui in Exodo ac Ezechiele loco jaspidis adamantem collocent, tanta est Hebræorum oculis offusa caligo. Nec non sunt alii, qui pro vitro, quod Job cap. 28 ab interprete positum est vocem Hebraicam *Zezucith*, in adamantem vertendam autument. Idipsum pene in omnibus gemmis reliquis usuvenit. Hebræis ut subinde novam vel aliam pro alia excogitent: sic sunt cæci errorum magistri, quibus illæ diræ a sacro Psalte profusæ imputantur. Obscurentur, inquit, oculi eorum ne videant. Est quoque eodem cap. Job vocabulum, quod in corallium trahunt, quum nusquam in sacris habeatur: id autem est pro quo, excelsa, traduxit interpretes Latinus, minus considerate vocem Hebraicam pro altera sumens. Invenimus quoque alteram vocem, in eminentia, in eodem capite versam quam etiam volunt esse cujusdam gemmæ symbolum Gabis ea dictio scribitur. Hæc autem dixerim, ut tuum consilium ap-

probem, qui divi Joannis gemmis explanandis, reliquas etiam usu et dignitate celebriores, non omittendas censueris, inquies eas quæ sparsim in divinis litteris leguntur, tametsi clarum non sit, quæ sint verisimile fuerit contineri. Non abnuerim tamen illud primum seculum, quo sacræ conditæ sunt scripturæ, hoc est, Mosis ætate, non usque adeo fuisse edoctum, ut omnium gemmarum permoverit naturas et vires, quum inficiari non queamus, illud tunc primum omnem ruditatem exuisse, et perspicuum sit ab ætate Plinii, non parum immutatam esse earum gemmarum æstimationem, et quibusdam non parum pretii accessisse quum eo tempore primum vel secundum dignitatis locum obtinerent uniones, nunc autem vix quartum sortiantur, H. S. id est, sestertium centies una Cleopatræ Ægypti reginæ margarita: quæ summa non minus æstimatur ducentis et triginta quatuor millibus trecentis quoque et septuaginta quinque ducatis. Potuerunt itaque eo rudi seculo adamantes, et nonnulli alii lapilli primæ nunc indicaturæ fuisse ignoti: et qui maximæ tunc dignitatis fuere, temporis accessione, nobilioribus cedere cœperunt. Ecce quo me protraxit tuus de gemmis et lapillis operosus labor. Cernis quis tandem Epistolæ finis erit, si cuncta examussatim pergam edicere quæ fœcundum hoc tuum argumentum parere possit, si mysticas a singulis gemmis significationes eruere parem: si duodecim fundamenta his lapillis ornata, portasque singulis margaritis extructas, theologorum more ad morum fabricam, et sacramentorum expressionem trahere velim. Quem hæc contemplatio, atque tam decori habitaculi adumbratio, ad vitæ purioris splendorem non pertrahat? quis pravos mores ad rectitudinis lineam hujus civitatis tam speciosæ desiderio non corrigat? quis tam obesæ mentis et hebetis ingenii, qui non ex his perpendat, quanta munditie propollere debeant civitatem tantis ornatam miraculis ingredi cupientes, quum nihil coinquinatum, ut palam divus ipse Joannes asserit, in illam recipiendum sit. Jam paullisper non pigebit animum attendere in eos, qui horum lapillorum gestaminibus gaudent onerari, vel ut se ad exercitia spiritualia inde promoveant, quod in illis mirificis vestibus quas sacerdoti magno apparatas legimus, factum credimus: vel ut eorum fulgoribus sese venditent, apud vulgus ignobile gloriosam quampiam ex his captantes, et quiddam divinum sibi arrogantes, quod Tyrio regi impingit propheta Ezechiel, quem in medio ignitorum lapidum ambulasse sugillat: de quo paullo ante dixerat: *Eo quod elevatum cor tuum quasi cor Dei.* Et post: *Omnis lapis pretiosum operimentum tuum.* Ejusmodi homines quis non fateatur degeneris esse animi, qui propriis ornatibus privati, hoc est, virtutibus denudati, exoticos et externos cultus asciscunt, tiaras, digitalia, cingulos, et quid non, frequentissimis lapillis infarciunt? perinde ac si in illos vertendi essent, animi nativa ornamenta fastidientes. His omnibus si vel mentis mica inesset, cura diversa, ea nimirum quæ omne factitium et commentitium aspernatur, in primis appeteretur, qua honestos mores illis ipsis lapillis designatos induere satagerent. Excellens quidem naturæ opus et non exiguum miraculum est gemmarum natura et vis, si spectetur materiæ temperamentum et quædam lucis cum elementari crassitie copulatio, et eo præcellentius quod durabilius: et tam est mirabile, ut ipsa natura suam totam vim in earum opificium collegisse ac effudisse videatur. Quamobrem has gestaturis, quia summopere intuentium oculos alliciunt expedit, ut in cujusdam insignioris operis symbolum aut signum adsumantur, quo mens haud in paucis naturæ gradibus illas antecellens vegetior, et ad suæ operationis promptitudinem accommodatior reddatur: et ad æternam beatitatem, ad quam benignus conditor illam destinavit, compendiosius perveniat. Hoc præcipuum horum lapillorum munus crediderim, quod si defuerit indignum prorsus celsitudini humanæ gestamen poterit judicari, ne unde corpus quod corrumpitur ornatum aucupatur, inde majus dispendium animus cælestibus natus incurrat, et ne nimio lapillorum fulgetris addictus, lapideus etiam ipse animus evadat, ac proinde a sua conditione decidat: nec ab iis honoris subsidium quærat, quibus ipse opinionem honoris elargitur. Hac ratione agnoscant reges et pontifices, et quicumque horum gestiunt adjacenti luce gloriosiores apparere, eorumdem vires, illasque ad animi vegetationem transferant, ut in sapphiro sit castitas et cælestium amor, in carbunculo ardens charitas, in adamante justitiæ constantia, in smaragdo facilis humanitas, et in ceteris simile aliquid quod menti

virtutem tribuat: ne quiddam simiaticum referant, hoc est, ne sicut simia in purpura fastum quemdam ostentent, et se ridendos præbeant. Nolim tamen salubres gemmarum vires attenuare, corporibus humanis oppido quam profuturas, si commode illis applicentur. Quas vires et proprietates ut reliquarum rerum, corpori humano conducibiles, fuerit physicorum vestigare: illa vero signa quæ mentem moveant, theologorum, ut in eadem re tractent medica physici, et divina theologi, atque sic unumquodque membrum in mystico Christi corpore, suo munere digne perfungatur. Vides, optime Francisce, tui libelli lectione me non parum fuisse delectatum, qui tot verbis gaudium testatum reliquerim et affectus hos velut œstro percitus, vel potius numine afflatus ediderim, ne prorsus perditum laborem tuum autumes. Nam si ejusmodi fructus neutiquam sequantur, frustra fuerat a sacris tuum argumentum petisse, quandoquidem luce clarius est in his gemmas esse memoratas non ut corpori decorando servirent, sed animi virtutibus vel conquirendis vel conservandis proficerent, sed neque alioqui plurimum decuisset eumdem libellum cujus ἐνεργουμένων dicare, quibus sacra tractare semper incumbit: sed neque me censorem statui oportuisset, cujus vires tantæ rei expediendæ impares sunt. Non pauca etenim e philosophorum adytis, nonnulla e theologorum placitis in medium deduxisti, de quibus certum ferre judicium difficile fuerit, quando nec summus philosophus possit omnibus his sufficere, et theologus interdum connivebit, nonnumquam dissimulabit, modo nihil sit oraculis cælestibus ac ecclesiasticis dogmatibus repugnans. Ejusmodi sentimentorum nonnumquam narratorem non assertorem suspicio, quod habeas non infimos auctores quibus acceptum feras quod expromis et quibus te tuearis; quum liberum sit in plerisque utramque partem fovere. De quibus nunc esset longius quicquam disserere, præsertim quum probe calleas quid intus habeam. Relinquo sua astrologis apotelesmata, theologorum turbam non modo refragantem, sed manibus pedibusque illo adrepentem interim dissimulo, de quibus nihil mihi libet scribere, quando prolixior ipse fuerim quam putaveram præsertim tibi occupatissimo, cujus seria interpellare, piaculi quiddam refert. Vale.

DE ASTROLOGIA

LIBER UNUS

IN QUO OBITER INDICATUR, QUID ILLA VERI, QUID FICTI FALSIQUE HABEAT,
ET QUATENUS ARTI SIT HABENDA FIDES:
IN QUO DENIQUE MULTÆ RERUM PHYSICARUM ABDITÆ
AMŒNISSIMÆQUE CAUSSÆ EXPLICANTUR;
TUM PROVERBII ORIGO: « QUARTA LUNA NATI »

AUCTORE

LEVINO LEMNIO

MEDICO ZIRIZÆO

CLARISSIMO ORNATISSIMOQUE VIRO

UTRIUSQUE JURIS CONSULTISSIMO

D. CORNELIO A WELDAM

INVICTISSIMO CÆSARI CAROLO A CONSILIIS

LEVINIUS LEMNIUS MEDICUS

S. P. D.

Quamquam urbis nostræ viri primarii, totusque fere Senatorius ordo diu multumque me invitarint, atque identidem invitent, ut rem medicam, quam supra annos undeviginti apud nostros exercui, aliquo scripti genere illustrem, atque exteris quoque testatum faciam, qua usus sum medendi dexteritate, quo successu; hactenus tamen ob multas magnasque caussas constanter iis sum obluctatus. Primum, quod assidue in ea medicinæ parte versarer, quæ tota in actione consistit; atque hinc ultro citroque invisendis ægrotis essem occupatior, quam ut illi negotio vacare, aut ullam operam impendere liceret. Deinde quod dicendi artibus tenuiter instructus, nec doctrina satis excultus, scribendi difficultatem, variosque eventus, atque ancipites exitus pertimescerem. Et quamvis illos aliquo obsequio, officioque demereri par est; atque his nostram approbare industriam, quorum consilio et auctoritate medicis salaria decerni cœperunt; ea tamen hujus consilii mei ratio subinde a scribendo deterruit, quod tale quiddam me præstare, efficereque posse diffiderem. Nunc vero propemodum expugnari animum meum patior, postquam tam instanter id a me exigunt, insistuntque tot amplissimæ dignitatis viri, et tu præcipue vir clarissime, si quando principis tui munia, et delegatas functiones, summa cum laude, ac pari Reipubl. commodo, apud nostrates Belgas obire soles; quum non ita pridem studiose apud me hoc egeris, ut vulgari more, prognostica in vulgum proferrem; ideoque eo agebas instantius, quod hæc soleam per singulos lunæ, solisque decursus, et curricula non ἀμφιβολικῶς, aut ambigue civibus nostris denuntiare. Nam in his sciscitandis urgendisque defatigare ingenium meum consueverunt illustres viri D. Hieronymus a Seroeskerka, Equestris ordinis et dignitatis heros, D. Livinus a Burgk urbi nostræ a Secretis, cujus in rebus politicis ante complures annos spectata virtus et prudentia, tum Jacobus ille Susius, cui præter generis claritatem, et nominis splendorem raras ingenii dotes naturæ parens est elargitus. Quæ cum illis, tum plerisque aliis, quibuscum versari et consuetudinem habere consuevi, innotescant: hactenus tamen ab his publicitus exhibendis abstinui, quod viderem passim evagitari, et proscindi conviciis artis hujus professores, tum vanitatis atque imposturæ insimulari: tametsi ut ingenue fatear, paullo impudentius,

et acriori, quam par est, stomacho id quidam factitasse videri possent; nisi quorumdam nugitas, et prognosticandi libido superioribus seculis crevisset in immensum, sic iniquum illis petendum fuisse interpretor, ut æquum ferrent. Ego vero, vir ornatissime, artem ipsam utilissimam, omnibusque amplectendam esse censeo, modo quis ea legitime utatur; modo ne cum pietatis jactura conjuncta sit, et morum integritati officiat, modo ne quid detrimenti Resp. ex illa capiat. Itaque non verebor hanc versare aleam et (quo tibi nostroque Magistratui gratificer) Astrologiæ aliqua ex parte assertor esse, et extra contemptum, quantum ipsa patitur, hanc vendicare; cujus quota pars medicis usui sit, et necessaria, Galenus in lib. De diebus decretoriis (modo ne supposititii sint, atque illi falso inscripti) tum Hippocrates De aere et locis demonstrare mihi videntur. Ceterum ne quis temere quibusvis assentiatur, judicium delectumque iis adhibendum statuo, quæ ab Astrologis prodire solent. Multa enim merito improbari in hac prognosticandi temeritate, quædam minus recte, et præter rationem impugnari. Itaque commonstrandum duxi, quousque progredi fas sit, et in quibus culpandi divinaculi quidam, quorum improbitate effectum est, ut ars ipsa contemptui esse, et despicata haberi cœpta sit. Hæc autem vir magnifice sub tuis auspiciis, et nominis tui favore perficere statui, ut qui in medendis, profligandisque morbis, intuenda sarciendaque sanitate Lemnii experimentum sumpsisti, atque illum cumulatioribus, quam ejus tenuitas est merita, laudibus exornasti: ita ejusdem in his, quæ minoris sunt momenti, qualecumque ingenii specimen accipias. Deus opt. max. diu te nobis conservet incolumem, una cum D. Antonio Carsio singularis ingenii viro; cui præter antiquæ nobilitatis insignia, exacti excussique judicii laudem defero: quem ut habes ejusdem urbis civem, ita nactus es in celebri illo Hagensi consessu ejusdem honoris ejusdemque dignitatis collegam, et municipem.

Ex Zirizæa, anno inchoatæ salutis, MDLIII Nonis Martii.

LEVINI LEMNII

MEDICI ZIRIZEI

DE ASTROLOGIA

LIBER UNUS

Astrologia, artium vetustissima, ob divinandi, nugandique temeritatem, atque impudentiam plus quam conjecturalis et commentitia, a veteribus explosa est; adeo ut hujus professores ab eruditis aliquot proscindi convitiis et sugillari cœperint, prorsusque vanitatis, atque imposturæ insimulari, quod ipsum nemo unquam in artis contumeliam ab his esse factum in animum induxerit, nec calumniandi morbo, aut libidine arti præclarissimæ; aut iis, qui illo ex professo sunt addicti, insultasse, sed ea mente in hoc argumento incaluisse, quod perspicerent credulam vulgi turbam ac promiscuam plebem plus satis illis fidere, illorumque responsa tamquam ex tripode dicta arripere, sic ut omnem spem ac fiduciam in illorum dictis collocarent, iisque fixius inhærerent. Denique cum hujus doctrinæ professores nihil non pollicerentur, multorumque mentes inescarent, vel incantarent potius spe fallaci atque ambigua, certatim a cordatioribus horum professio cœpit irrideri, atque exsibilari. Sic Corn. Tacitus [1]: *Mathematici*, inquit, *genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in nostra civitate et vetabitur semper et retinebitur.* Sic Seneca: *Patere*, inquit, *mathematicos aliquando verum dicere, qui Claudium, postquam princeps est factus, singulis mensibus, singulis annis efferunt: et tamen mirum non est si errant, horam ejus nemo novit.* Favorinus quoque apud Gellium [2] prolixe contra illos agit, illorumque professionem magno verborum apparatu subruere, atque inter cetera hujusmodi argumentis convellere tentat. Aut adversa dicunt eventura astrologi, aut prospera. Si prospera, et fallunt, miser eris, frustra exspectando. Si adversa dicunt, et mentiuntur, miser eris frustra timendo. Si vera respondent, eaque sunt non prospera, jam inde ex animo miser eris, ante quam fatum finies. Si felicia promittunt, eaque ventura sunt, tum plane duo erunt incommoda, et exspectatio te spei suspensum fatigabit, et futurum gaudii fructum spes tibi defloraverit. Nulla igitur hujusmodi præsagiis habenda fides. Erasmus itidem tali utitur dilemmate, contraque illos sic ratiocinatur: Aut vera prædicunt astrologi, aut falsa, aut ambigua: si ambigua, perinde est, ac si nihil prædicant: si falsa, contumelia est deludi mendacio: sin vera, aut læta sunt, quæ dicuntur, aut tristia: si tristia, miser eris ante tempus, et conduplicabitur malum; frequenter enim metus impendentis mali, est ipso malo gravior. Consequitur igitur, inutilem esse futurorum scientiam. Jam vero Cicero non patitur viros cordatos mollibus cogitationibus effeminari. *Nam si ante*, inquit, *mors ipsa adveniet, quam Chaldæorum promissa sumus consecuti, spoliati magnis quibusdam bonis, destituti, illusique videbimur. Quod si desiderando pendemus animis, cruciamur, angimur.* Et cum hæc persuasio Judæorum quoque mentes occupasset, multosque averti a Deo curiosa astrorum observatione indignaretur Jeremias: *Juxta vias gentium*, inquit, *nolite discere, et a signis cœli nolite metuere, qua timent gentes: quia leges populorum vanæ sunt.* Pari zelo incitatus Isaias sic insultat populo Ju-

(1) Lib. 17.

(2) Lib. 19, cap. 1.

daico splendidis promissis deluso, atque avida spe futurorum destituto: *Stent, et salvent te aruspices cœli, qui contemplantur sydera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent futura tibi: ecce facti sunt ut stipula, ignis consumpsit illos.* Postremo, quo probatio sit efficacior, Christi testimonia proferam: qui cum nolit nos anxie discruciari futurorum exspectatione, sollicitam illam observandi curam animis nostris his verbis eximit: *Nolite quærere, quid esuri sitis, aut bibituri, et nolite in sublime tolli*, hoc est: Nemo vestrum sit tam diffidentis fluctuantisque animi, ut supervacua, et nihil profutura sollicitudine divexetur, ut qui ex astrorum cursu procul in futurum consulunt, ac sciscitantur a genethliacis, quos eventus successusque sint habituri. Hæc autem, et pleraque alia, quæ hic congeri possent, et quibus invadi a nonnullis mathematici solent, ipsorumque placita luxari; non eo accipi velim, quasi astrologia despici, contemnique mereatur: quum non artis, sed professorum vitia hic designentur, qui ad imposturas nonnumquam illa abutuntur, fumosque imperitæ multitudini offundunt. Habet enim mathematice suas apodixes, nec omnino incertas, nec fallaces: sed intra has professores ejus non consistunt, ut qui nulla certa et probabili ratione, nulla demonstrationum peritia fortunas, eventaque rerum, et contingentium caussas explorata compertaque habere se exerte profitentur, qua persuasione incautis miris modis imponunt, et ignaras mentes ludificantur. Sic minutula quædam, ut pluvias, ut tempestates, fulgura, coruscationes, tonitrua, caritatem atque annonæ penuriam, morbos denique populares, quos ἐπιδημίας Græci vocant, quotannis denuntiant cum fere nihil tale subsequi soleat, sed magna ex parte in contrarium omnia devergant; quo sunt eam existimationem passim consecuti, ut plerique illos hallucinari, et cæcutire in affectionibus pronuntient, tum raro scopum attingere et collimare. Quum autem eorum plerique sint a pietate sinceroque Dei cultu alieni, nec (ut sacri vates factitabant, quos ob id videntes Scriptura vocat) ex Dei præscripto suas prædictiones moliantur, nec ad amussim evangelicam illas exigant, non verentur tamen inconsiderate decernere quas clades sit acceptura Respubl. quis futurus rerum status, quis cursus, quæ fortuna cuique obventura sit, regibus, satrapis, dynastis, heroinis, opulentisque matronis, nam tales potissimum captant ac venantur, spe et cupiditate lucri. De plebeis vero atque tenuioris fortunæ infimæque sortis hominibus, qui Deo opt. max. etiam num curæ sunt, et ex quibus nonnumquam emergunt ad opes, ad principatus, ad imperia, nulla mentio. Observatum est anno inchoatæ salutis vigesimo nono supra sesquimillesimum, grassante cardiaca sudorifera (quem affectum inter contagiosas ephemeras refero) morbisque aliis populatim ingruentibus prorsus fuisse elingues, ac pisce magis mutos. Insuper cum ab anno incarnati Servatoris trigesimo ad hunc, qui nobis volvitur, quinquagesimum secundum, jam quartum Oceanus, dissipatis aggerum molibus, maximam Belgicæ partem oppresserit, tantamque hominum pecudumque stragem dederit, ut nemini non terrorem et miserationem, tum luctuosum funestumque spectaculum incusserit, a nullo tamen astrologorum hæc calamitas vel est prævisa, vel denuntiata; magno argumento, hæc ipsa non tam siderum concoctionibus, ad quas omnia illi reducunt, quam ultioni divinæ esse assignanda. Quod si istarum rerum professores dexteritate quadam, atque artifici conjectura uti norint, facile efficiunt, ut eventus illorum dictis respondeant, aut non penitus adversentur repugnentque. Nam plerique illorum vafricie quadam atque Ulyssæa calliditate regiones omnes perlustrant, et studia populi observant, tum in quem favor hominum inclinet: qui rumores disseminentur, vel in laudem, vel in probrum cujusque: quot huic regi cum finitimo controversiæ, aut simultates; quæ sit inter fœderatos conspiratio; inter civiles contentio; inter competitores concertatio; sic illis fere astra minari ajunt, qui opibus minus valent, quique armorum, atque amicorum præsidio sunt destituti. Nunc rex Britanniæ periclitatur; nunc imperator invictus sinistri aliquid exspectat; nunc Galliarum rex aliquid monstri alit, et quo regni limites proferat, bellum meditatur etiam quum tale quiddam nunquam illi in mentem venerit; nunc Turca infestissimus christianorum hostis cervicibus nostris imminet, atque Europam

terra marique invasurus dicitur; nunc ecclesiastici proceres ditione seculari spoliandi, quod nonnullos, qui his non optime volunt, affectare imperium videant. Sic modo huic, modo illi minitatum est fama, favore, opinione, ac fortuna nutante, aut in hunc, aut in illum minus propensa. Hæc quum non malitiose, nec petulanter, insolenterque a me dicantur, sed eo studio, ut quæ vitia arti subesse sentiam corrigantur: nolim me fraudi esse, aut a quoquam interpretari malignius, quum nemo me hujus artis sit studiosior, illique addictior. Nam is demum huic arti debitum honorem deferre videtur, qui, inspectis observatisque sideribus, mentem in illorum opificem erigit, quique horum vires, et quam habent in res inferiores efficaciam Deo asserit, illud exclamans identidem:

Tu stellas numeras, quarum tu nomina solus
Signa, potestates, cursus, loca, tempora nosti (1).

Vel ut familiarius cum illo agas, verbisque popularibus illi suas laudes et magnificentiam decantes: *Tu numeras stellarum myriadas, et singulis nomina imponis. Verbo tuo, Domine, cæli stabiles sunt, et spiritu oris tui consistit omnis virtus et ornatus eorum. Tu præcipis soli, et non oritur, et stellas claudis veluti obsignaculo. Video cælos opera manuum tuarum, lunam et stellas quæ tu fundasti* [2].

Quæ cum evidenter demonstrent, Deum nihil temere, nihil frustra, aut fortuito, sed omnia provide et solerter in hac mundi universitate constituisse; nec passim stellas, omni vi ac facultate destitutas, vagari otiosius: certo statui potest a viris etiamnum Christianis inferiora hæc motibus cælestibus duci, influxuque siderum servari, foveri, ac vegetari herbas, frutices, arbores, virgulta, metalla, fodinas, et subterranea quæque. Sic lunæ impulsu suos æstus habet oceanus, et continenter dissultat ac reciprocatur: sic soli secundum Deum debetur, quod non intermittit statis vicibus; cælum nitescere, arbores frondescere, vites lætificæ pampinis pubescere, rami baccarum ubertate incurvescere, segetes largiri fruges, florere omnia, fontes scatere, herbis prata convestirier [3].

(1) Ovid.
(2) Psalm. 8, 33, 146; Job. 4.
(3) Apud Ciceron. Tusc. 1.

Nec solum vi et calore solis vegetabile quodque, ut stirpes, atque arbores fructiferæ maturescunt, et incrementa sumunt; sed mentes quoque humanæ vigent, atque illustrantur. Nam magna ex parte sagaciora exsistunt, minusque obstupescunt, quæ huic sideri vicina sunt, quæque sol ipso fulgore suo propius irradiat; ad quod sic allusit Dido Virgiliana:

Non obtusa adeo gestamus pectora Pæni:
Nec tam aversus equos Tyria sol jungit ab urbe.

Et quoniam sidera non unam servant faciem, sed varias formas, ac diversos colores sibi asciscunt, vel ex situ loci, cælique ambitu, quem permeare solent, vel ex objecti natura, et re quapiam illis offusa (ut gemini nuper conspecti soles, et totidem irides præter solitum aversoque a sole curvamine exporrectæ), ideo curæ est rerum physicarum studiosis, quid illa portendant, exactius observare, atque ex his prænuntiare serenitates, ventos, pluvias, turbines:

Ac tempestates dubio prædicere cælo,
Et quando infidum remis impellere marmor,
Conveniat, quando armatas deducere classes (4).

Sic nautæ apud Belgas biduo ante solis et lunæ congressum, et totidem diebus post hunc, oceani assultum observant, quem indigenæ voce gentilitia *Sprinckstroom*, vel *Chierstroom* vocant: nam eo tempore mare intumescit, solito altius, et fluctus crebrescunt. Cujus rei ignarus Cæsar [5], cum in Oceano Gallico infidam stationem esset nactus, amissis armentis, convulsisque antennis et artemone, propemodum classem elisit. Similem Oceani æstum et luna plena constanter fieri videmus, quo tempore conchylia, et testacea quæque turgescere, et impleri contingit. Hæc autem et pleraque ejus generis tempestatum et rerum futurarum præsagia, quæ ex physicis prænotionibus eruuntur, non improbat, nec observari vetat Christus, quum inquit, *Hypocritæ, faciem cæli nostis dijudicare* [6]. Sed vult iis, quæ menti cultum afferunt, parem adhiberi diligentiam, eorumque observatores esse tum oculatos, tum curiosos. Medico vero eatenus observanda siderum ratio, quatenus

(4) Virgil. Georg. 1.
(5) Comment. belli Gall.
(6) Luc. 12.

ad quadripartitas anni varietates, ad corporum mutationes, ad morborum insultus spectat. Sic Galenus cum primis inquit: *Necessarium unaquaque in regione, ubi artem medicam obire instituis, perspexisse cujusque sideris emersus obitusque, quia tempora anni ab his circumscribuntur.* Quod ipsum rectissime præcepisse mihi visus est; quum corpus humanum magnas ex hac vicissitudine mutationes sustineat, humoribus aliis vel emergentibus, vel subsidentibus. Sic evidenter perspicimus vere efflorescere sanguinem, et spiritus erigi; æstate flavam bilem effervescere, atque iras exacui; autumno restagnare melancholiam, mentemque dejici, atque obnubilari; hibernis mensibus redundare pituitam et corpus veterno opprimi. Jam cedo, in quam caussam aliam referri velis muliebris profluvii statas fixasque periodos, quam in lunæ motum? Nam quibus naturalis is fluxus est futurus, exactis triginta plus minus diebus, quibus lunare curriculum conficitur, excitare solet, quod si serius, vel citius fluor ille decurrat, præter naturæ ordinem, atque ex morbo id fieri constat. Sic juvenculis, atque iis quæ nubiles sunt, maturæque viro, a decimoquarto ætatis anno, ad primum et vigesimum pubescente luna, ipsaque in cornua modo falcata, menses profluunt, observata climacterici anni ratione. Ab ea vero ætate ad vigesimum octavum, aut trigesimum primum, luna medio orbe divisa, hunc sexum prolui contingit. Quæ vero ab eo annorum decursu ad trigesimum quintum provehuntur, luna plena eaque in orbem circinata, mensium profluvio obnoxiæ sunt. Effœtis autem, et quarum ætas ad quinquagesimum annum vergit, sensim desinent muliebria, aut madores non confertim, nec affluenter, sed collapsis meatibus, et conniventibus locis, quarta luna, jamque senescente, promanant. Atque hinc proverbiali schemate, QUARTA LUNA NATOS dicimus, quibus sinistra, parumque auspicata rerum omnium sunt initia. Quod ipsum non tam ad diem quartum, licet in eo humores etiam rarescant subsidantque, quam ad postremum lunæ quadrantem refero. Nam qui senescente luna, aut post hujus dodrantem nascuntur, partim ob sideris defectum, partim ob enitentis debilitatem ægre atque laboriose in lucem prodeunt.

Cum enim parturienti loci dehiscere aut dilatari incipiunt, confestim erumpere humoris profluvio, musculos membranasque macerari, ac lubricas fieri contingit, qua uligine vulva destituta, ut quarta luna assolet, cunctantius partus absolvitur, adeo ut vix magno conatu ac molimine ex tam angustis aridisque latebris infantulus eluctetur. Tale enim quiddam in partu imaginari debemus, quale in navigiis, magnisque molibus subducendis observamus, quæ uncta oleoque perfusa commodius propelluntur; vel trochleis, unguine, sevoque illitis ac delibutis fune ductario quaquaversum minimo negotio incitantur. Ceterum in conceptu et partu omnia contraria exiguntur: in illo enim moderata siccitas et scabrities, in hoc lævor, et mera lubricitas exquiritur, labraque uda atque hiantia. Sic sternutamentum in conceptu, oscitatio in partu noxia est: quod per illud dilatari ac diduci, per hanc præter rationem concludi constringique uterum contingat. Porro iis quæ parturire incipiunt, salutaris sternutatio; quæ vero concepturæ sunt, oscitatio: sic ut post congressum maritalem oscitare mulierum, firma plerumque conceptus argumenta præbeat: sternutare vero effluxum ejus quod adhæsurum erat, indicat. Quamobrem instante urgenteque partu, aut secundis hærentibus sternutamenta ciere utile est, quod hisce Aphorismis Hippocrates astruit[1]: *Mulieri quæ strangulatu uterino molestatur aut difficulter parit, sternutatio superveniens, bonum.* Item Aphorism. 49: *Ut secunda procidat, sternutatorio apposito, et nares apprehendito et os.* Puerperæ itaque, ut incepta persequar, commodum facilemque partum luna plena experiuntur, quod uterus humore mucoso affatim madescat, cujus adminiculo infantem procliviter desilire contingit atque elabi. Quamobrem mulieres, quæ obstetricandi munus obeunt, ruptis secundis, ac profluente humore lubrico, sedulo instare operi par est, atque parturientem, ut alacriter eniti studeat, placide extimulare, præsertim ubi quarta luna pariendi labor inciderit. Quod si illam occasionem atque hujus rei conficiendæ opportunitatem præterlabi sinant, tam difficile partus absolvitur, ut toto vitæ tempore illa enitendi difficultas et delassatio utrique ad-

(1) Lib. 5, Aph. 35.

hæreat; sic ut in posterum dubia sint valetudine ac vacillanti, omnibusque membrorum functionibus improspere utantur, maxima tamen calamitatis pars in fœtum recidere solet. Nam hoc illi accedit ad malorum cumulum, ut vitam agat ærumnosam, atque infelicem plerumque in aggrediendis rebus successum habeat: siquidem non tam corporis viribus quam consilio et prudentia, quibus res maximæ perfici solent, sunt destituti. Hinc igitur proverbii origo profluxisse mihi videtur, quæ tamen apposite ad conceptum referri potest. Qui enim concepti sunt utero destituto humore, quo fœtus alitur, quo vires et incrementa sumit, non possunt omnibus numeris suis perfici, omniumque partium facultatibus absolvi; quod fere usuvenire solet iis, qui quarta luna arentique vulva, ut Esdras ait, concipiuntur [1]. Sic videre est illos, qui a provectioribus, vergentibusque annis matronis progenerantur ob corporis ariditatem plerumque esse graciles, macilentos, strigosos; ob spirituum vero densitatem rigidos, præfractos, refractarios, totosque ἀγελάστους atque a gratiis alienos: nisi forte in ea ætate progenitores blandi atque hilares, tum modice vino concalefacti procreandis liberis operam dederint. Visi sunt enim seniculi aliquando inter se juvenari et lascivire, suaque habere blandimenta, ac vernis mensibus in amplexus ruere. Nam ea pars anni proverbium nobis peperit: *Nullus equus est tam effœtus, tamque exhausto corpore, quin mense Majo hinnitum edat.* Quo intelligunt neminem tam senilis aut devexæ ætatis, quin in amœnissima illa anni parte aliquid inesse juvenilis animi testetur, aut aliqua hilarioris erectiorisque mentis indicia proferat. Hinc elice, qui fiat, ut infantium nonnulli vividi sint, alacres, erecti, gesticulosi, moribusque plane comicis: et quod ad externas notas attinet, corpore succulento, colore florido, vultu blando, facie honesta et liberali, ut quibus bifida illa oris compago decenter sit expressa; non os distortum; non frons tetrica et superciliosa; non labra deformiter exporrecta, et protuberantia; non dentes exserti, et prominentes; sed quod ad oculos, ad lineamenta, totiusque corporis speciem attinet, prorsus amabiles, et gratiosi. Cujusmodi constitutionis hominibus temperamentum æquabile et symmetron Galenus [2] attribuit, quod omnes facultates tum naturales, tum animales inculpatas inoffensasque obtineat. Alii vero his dissimiles, et toto diametro oppositi taciturni sunt, cogitabundi, atque animo plane demisso, dejectoque, aut quam pro ea ætate sedatiore; colore denique exsangui, aut qui albo est deterior gilvo, aspectu vero torvo, fronte obducta:

Obstipo capite, et figentes lumine terras,
Murmura qui secum, et rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello (3).

Quos ego vel ex morosis, vel seniculis, vel valetudinariis prognatos judicare soleo; quibus fere, dum progignendæ soboli dediti sunt, vires flaccescant, ac languide remisseque connubiali munere perfunguntur. Sunt etiam plerique minus salaces minusque fervidi, et qui gravate huic rei operam impendunt; hi quo uxoribus gratificentur, atque illas pacatiores magisque commodas experiantur, pensum concubitus persolvunt quidem, sed frigide, flaccide et oscitanter. Quo fit, ut proles, si quas excitent, degeneros minusque generosæ exsistant; quod illis spiritus cum humoribus parcius contractiusque distribuantur. Hinc arrepta est occasio quibusdam, ut dies, et signa quædam inominosa vitent. Cum enim per totius corporis partes luna volvitur, studiose cavent, ne quod membrum aliquid incommodi sentiat. Sic luna cum scorpio inhæret (quod infecti genus non in terris tantum ictibus infestum et exitiale est) in re venerea sibi inducias imperant, nec consultum arbitrantur illas partes defatigare, quas luna perreptat, et quæ scorpioni attributæ assignatæque sunt. Non desunt, qui in ipso interlunio concubitum fugiant; quod non abs re mihi facere videntur: quum eo tempore venæ arescant, et natura iis præsidiis, quibus res ista perficitur, sit destituta. Quod si ejusmodi conditionis homines vel casus, vel necessitas, seu debiti solutio (sine qua constare nequit pax domestica) ad concubitum impulerit, cum fere meticulose sese operi accingant, nec exacte rem ipsam perficiant; fit, ut vel fructus præsentis operis frustrentur, vel qui concipiuntur, aut non sint vitales, aut macilenti et squallosi ex humoris defectu in vitam

(1) Cap. 5. (2) De temp. 1. et 1. (3) Per. Sat. 3.

prodeunt. Similes animorum affectiones in infantem recidere solent, si quando vel ira, vel mœrore, vel quavis alia perturbatione mentem opprimi, aut obnubilari contingat [1]. Sic Socratem dicere solitum accepimus: *Corporibus ebrietate diffusis, aut ira percitis non impendendam operam procreandis liberis: nam fœtus moribus et membris mutilos obliquosque procreant.* Sic Diogenes aliquando conspicatus adolescentem lascivum, atque improbis moribus; *Ebrius te*, inquit, *proseminavit pater*. Nec sane aliunde, quam ex perturbati animi motibus proveniunt tot vitiati atque ante diem exturbati conceptus, tot abortus informes et inelaborati, tot prodigiosi partus, tot monstra portentaque hominum, tanta denique deliratio, tantusque error mentis, et alienatio; adeo magni refert, quo quisque sit animi affectu, qua corporis constitutione, ubi propagationi prolium est deditus, aut in rem veneream incumbit. Auxiliantur autem his rebus efficaciter astrorum concursus: eaque ab Aristotele [2] verissime est prolata sententia: *Homo generat hominem et sol.* Quæcumque enim in humore et calore consistunt, eoque perfici debent, solis ac lunæ motibus subdita sunt. Quod ipsum observantes agricolæ, ligna quo minus carie infestentur minusque vermiculis et teredini obnoxia sint, silenti luna cædere solent: utpote humore excrementitio minus imbuta. Quæ vero seruntur, plantantur, inseruntur, et inoculantur:

> Aut ubi cultores aliena ex arbore germen
> Incidunt, udoque docent inolescere libro (3),

crescente luna tempestivius ea perficiunt. Nam citius adolescunt, atque incrementa capessunt succulenta quæque, atque affluentius humore perfusa. Sic colonis curæ est, frumenta senescenti luna in horrea convehere, quo sicca permaneant, atque a gurgulionibus minus impetantur. Quod si humida tempestate, aut statu cæli austrino sata, demessasque fruges inferri contingat, vel renascuntur, vel asservata promptissime vitium contrahunt. Sic zythus, eaque potio, quæ cerevisia Belgis dicitur, ex hujusmodi fruge decocta citissime acore vitiatur, tum panis confestim mucidus fit, situque obducitur. Atque ut refero, quod cerevisia (ut triviali voce utar) mense Martio cocta, serius acescat. Quia maza polentaria, aut cremor ille frumentaceus (cujus decocto hujusmodi liquamen et colore fulvescit, et sapore tantum non vini naturam asciscit) ex aeris temperie minus corruptelæ sentiat. Nam eo tempore lupi salictarii flores, atque frumenta tempestive recondita, in eumque usum macerata, perennare solent, et per totius anni decursum nihil vitii aut noxæ contrahere. Sic aqua cælestis, quæ mense Majo delabitur, ob aeris salubritatem omnis corruptionis expers est, quum id tempus inter calorem fervidum, et frigus intensum, ceu intra duo extrema constitutum, maxime temperatum exsistat, diffusa scilicet undique florescentium stirpium herbarumque suavitate et fragrantia. Quo fit, ut nihil contagii concipiat, aut quod illi putredinis causam præbeat, assumat: adeo ut illam post triennium in usum deprompserim defæcatissimam, atque omnis vitiosæ alienæque qualitatis expertem. Cum igitur res inferiores sic afficiat cæli qualitas, tantaque vi polleat, sol ipse dux et moderator omnium; ipsaque luna (ut cetera præteream) suas vires conferat, licet aliena atque ascititia luce splendescat: non temere profecto, nec abs re siderum meatus observant medici:

> Nec frustra signorum obitus speculantur, et ortus,
> Temporibusque parem diversis quatuor annum (4).

Multi enim morbi statis fixisque temporibus recurrunt, atque impulsu siderum agitatis humoribus, postliminio recrudescunt. Sic qui morbo comitiali convelluntur, atque epilepsia concidunt, quum autem luna inchoatur, aut impletur, magna ex parte huic malo involvuntur, statu fere cæli nubilo atque austrino, ipsoque sidere iis corporis partibus infixo, in quibus delitescit is humor, qui huic malo causam præbet et seminarium. Ideoque circa ea tempora purgationes his moliri studeo, tum coercere morbi sævitiam amuletis, atque alexipharmacis; inter quæ præsentanea comperi Pæoniam masculam, Galeno etiamnum celebratam, scyllam, et illi congenerem Pancration, fruticulum, quem viscum vocant; quem graphice his versibus expressit Virg. in lib. 6 Æneid.:

> Talis erat species auri frondentis opaca
> Ilice, sic levi crepitabat bractea vento;
> Quale solet silvis brumali frigore viscum
> Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos,
> Et curvo fœtu teretes circumdare truncos.

(1) Plato de Rep. 6. (2) 2. Physion. (3) 2. Georg. (4) 1. Georg.

Alcis animantis ungulam, postremo humani cranei scobem aut ramenta: eaque omnia vel exsiccantis ratione vel totius substantiæ vi et proprietate. Quamobrem accurate siderum ratio observanda medico in explorandis excutiendisque morbis; in exhibendis catapotiis, in secandis venis, in ciendis ex morbo suppressis mensibus: sic, quo ars naturæ adminiculetur, juvenculis, atque iis, quæ in ætate florida hoc præsidio ad præcavendos morbos opus habent, in novilunio aut plenilunio circa malleolos venam ferire jubeo, aut cucurbitulis coxis admotis scarificari. Sic horum decursu præsagia critica stabilire fulcireque soleo, succenturiata Hippocraticis. Nam hecticos, tabidos, marasmo et marcore affectos, quosque immodica siccitate atque atropia, hoc est nutriendi defectu implicari contingit. Silicernia denique et capulares senes silenti luna, æstuque maris subsistente, extinctum iri denuntio. Plethoricos vero, et quos morbis ex plenitudine aut humorum redundantia tentari video, ceu peripneumonia, pleuritide, lethargo, apoplexia, catoche, caro, catalepsi, morbisque aliis pituitosis et intercutaneis, luna plena, æstuque Oceani, exundante interituros pronuntio, aut saltem plerosque eorum pro morbi conditione manifestam alterationem subituros, subsequente critica sanguinis eruptione, vel ex quavis parte alia spontanea humorum purgatione. Hæc vero verbosius a me dicuntur, quod astrologiam plurimi faciam, nec velim quemquam ab hac professione deterreri, sed incitari potius, et calcar adjici, modo in his versetur, quæ generi humano sint usui et absit in observando superstitiosa vanitas, atque in pronuntiando inconsulta temeritas. Nam ad hunc modum is, qui sapientiam conscripsit, seu Salomon, seu Philo, observasse memoratur astrorum decursus totiusque cæli ambitum. Ex his enim vices rerum varias, atque innovationes insolitas subsequi videmus. Non enim temere, aut ex nulla causa firmamentum opus tam spectabile, et visenda specie, oculis hominum exhibuit Deus: sed ut Mose teste [1] sit in signa et tempora, in dies et annos. Divinatricem vero astrologiam, sed judiciariam (quam nonnulli profitentur verius, quam præstant) non omnino improbo, modo intra fines suos ipsa consistat, modo ne religioni fiat injuria, et pietati jacturam inferat, modo ne nos, nostraque omnia siderum necessitati superstitiosus astringat. Quod autem præter artes innumeras, mathematica potissimum sit amplectenda medico, neminem, qui in operibus naturæ sit exercitatus, quique in rerum contemplationem mentem habet erectam, ignorare existimo. Quis enim rei medicæ candidatus ab astrologiæ placitis tam est alienus, qui quotannis non observet, quid astra efficiant, et quas vires exserant in terrena concretaque ex elementis corpora cælestes causæ? Sic vel ex plebe quivis facile perspexerit, caniculæ ortum, atque ardentium stellarum congressum urere corpora, et siticulosa efficere, febres æstuosas excitare, siccitates, et squalores (ut Hippocratis verbo utar) inducere: sub qua tempestate ac cæli statu canes aguntur in rabiem, homines extenuatis resolutisque spiritibus flaccescunt et resolvuntur, sues grandinosi fiunt atque strumosi, pecudes et jumenta lassitudine ulcerosa, languoreque morbido efficiuntur, præsertim ubi aura æstivis mensibus egelida est, aut flantibus Etesis et Euronoto tepescit. Nec solum quicquid spirat ac vitale existit, his injuriis expositum est, his malis obnoxium, sed inanima quæque, atque ipsa alimenta ex aeris ambientis qualitate noxia contrahunt ac vitiantur. Sic etiam apud hos qui polo Arctico subsunt, carnes rancescunt, et vermiculis scatent, panis mucore, situque obducitur: zithus et quæ Belgis *Biria* dicitur, primo quoque tempore evadit acida, restagnant apud os putei, et velut cocytus, aut camerina mephitim quamdam exhalant, vestes a tineis, a blattis papyracea eroduntur, fruges rubigine, herbæ uredine infestantur, teneros olerum cauliculos, plantarumque asparagos ac turiones erucæ depascunt: e caseis scaturiunt teredinum examina, vinum in cellariis, nisi in intimos recessus reconditum, porticibus fenestrisque Aquiloni oppositis, modo fluctuat fervescitque, modo pendulum sit, ac mellis lentore tenax et glutinosum, ex cujus potu calculi in renibus, in articulis purulenta concretio et tophacea durities congelascunt. Quæ cum magno mortalium damno ac detrimento quotannis spectemus, quis non assentiat astrorum cursus effectusque observandos medico, tum rationem

(1) Gen. 1 et 2.

ineundam qua horum incommoda declinari, evitarique possint? Ceterum nolo quisquam existimet, sic me patrocinari astrologis, ut omnia illorum demonstrationibus subjiciam: neque enim penitus mathematicis rationibus inhærescunt medici, ut qui in materia et humorum commixtione, morborum tum causas tum differentias perquirant, quum mathematici morbos, eorumque symptomata ad siderum concursum referant. Sic Martis aspectus, ut isti statuunt, biliosos efficit, irritabiles, fervidos, suisque generis morbos parit, nulla habita flavæ bilis, aut rubræ choleræ ratione: Saturni sidus melancholicos effingit; tetricos, morosos, amarulentos, quartanisque obnoxios: pari modo de reliquis ratiocinantur. Hinc Persius, quod Cornuto philosopho indivulse cohæreret, tantusque esset utrinque animorum consensus, ac sympathia, astrorum motibus his numeris id adscripsit [1]:

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Consentire dies, et ab uno sidere duci.
Nostra vel æquali suspendit tempora libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus horis
Dividit in geminos concordia fata duorum:
Saturnumque gravem, nostro Jove frangimus una.
Nescio quod certe est, quod me tibi temperat astrum.

Quibus sane ut non repugno, ita medicorum sententiæ potius adhæreo. Nam firmioribus illi rationibus mihi niti videntur, ut qui ad qualitatum elementarium mixturas, ad temperamenti differentias, ad humorum exsuperantiam et defectum omnia referant. Siquidem medici in morbi naturam, ejusque symptomata defixi, decumbentem periculo eximunt, mortique eripiunt, in tempore atque opportune adhibita venæ sectione, alvique ductione, tum iis quæ urinas, quæque sudores eliciunt atque humorum collectiones discutiunt, quorum præsidio sublata humorum redundantia, et ebullitione, discussa putredine et oppilatione, mitescunt morbi, et quæ comitari solent accidentia consopiuntur. Nec vero medici quamlibet dira minentur astra quantumvis siderum aspectus formidabilis existat, sibi moras injici patiuntur, aut a legitima curandi ratione absistunt, sed cum morbus urget et infestus est, omnia quæ dictat ratio, quæ suadet experientia (queis duobus tota medicina nititur) non segniter circa ægrotum moliuntur, nec a venæ sectione deterrentur in ea etiamnum parte corporis, cui luna insistit, atque immoratur. Et profecto hoc uno mihi semper visa medicorum sententia potior, quod quum ad sanitatem tuendam profligandosque morbos sua consilia dirigunt medici, unica ratione et denuntiare morbos et iis commode mederi norunt, vitæque et valetudini incommoda diserte prædicere, et dextre propulsare: quum astrologi non ad curandi rationes sed eventuum modo prædictiones nonnumquam malefidas intenti sint, omniumque morborum, et contingentium causas assignent astris, quæ ut donem in corpus, illique cohærentia aliquem locum, effectumque sortiri: hoc tamen axioma, seu pronuntiatum, ut rationi et vero consentaneum, omnibus persuasum esse convenit: *Astra nec animo imperare, nec mentem aut voluntatem illorum vi incitari.* Anima enim non est elementaris, et astra, si quid efficiunt, non agunt, nisi in ea, quæ ex elementis constant, atque e rerum concretione conflantur. Insuper et hoc paradoxi loco adjiciam, cui quum ad probationem non deesse rationes intelligam, ego lubens assensum facio, et neminem non assentiri credo, nempe: longe minores motus ciere in corpore astra, multoque inefficacius et tardius impellere ad agendum concursum siderum, quam qualitates ipsas elementares quam humores corporis cognatos et familiares, quam ipsa alimenta, ex quibus humores suam naturam, suasque qualitates sortiuntur, aliquanto enim concionatores, magisque fervidos vinum facit, meracius liberaliusque haustum, quam Martis rutilantis radii. Nonnulli enim ubi vino plus satis incalescunt, ad arma prosiliunt paullo ardentius, quam si ex astris impelli contingat, denique paullo acrius lumbos incitant partesque corporis abditas atque obscœnas tentigine afficiunt scincus, bulbi, orchi, satyriones, cicercula, fungi, eruca, nasturtium, rapæ, napi, eryngium, cinara, scolimos, quam Veneris, aut cujusvis sideris influxus et inclinatio. Sic salubris diæta, victusque temperantia, et frugalitas optimum corporis habitum motusque animi sedatos constituunt: prava autem vivendi consuetudo, quæ luxum vitæque intemperantiam comites trahit, deterrimum corporis habitum efficit: ex quo fere similes animorum motus, affectionesque emer-

(1) Satyr. 5.

gunt. Nam plerumque ut Galenus asserit, *Animi mores corporis temperaturam sequuntur*. Ceterum nemo tam est infelici constitutione corporis, nec tam inæquali intemperie, quin salubri alimentorum usu et laudabilis succi cibis, appositisque exercitiis, depravatum corporis habitum ad commodiorem possit reducere. Humores enim atque alimenta subinde alterascunt, atque alia in alia prompte transeunt qualitatum permutatione. Sic admodum facile est ex cholerico vel melancholico sanguineum perficere, vel ut ad qualitates potius hæc referam, frigido et sicco, vel alterius qualitatis temperamento calidum atque humidum inducere, tametsi vel Martis, vel Saturni sidus rapit in contrarium. Sic quod ad internas notas attinet, sæpe videas phlegmaticum veternum et torporem excutere, cholericum concitati animi impetus, atque excandescendi proclivitatem cohibere; sanguineum ad severiores motus se componere: melancholicum anxium, et ex nulla causa sollicitum animum exuere. Ut enim feræ et immanes bestiæ cura atque officio hominum mansuescunt, et cicurantur exuta nativa insitaque feritate: ut denique generosi ac feroces equi palpo et popismate condiscunt,

Insultare solo, et gressum glomerare superbum:

Ita natura hominis mutationibus assuescit, fingentisque obsequitur arbitrio; sic ut non in corpore modo, verum etiam in animo ad diversos mores et studia ad aliam vitæ consuetudinem reducantur. Natura enim humana, uti stirpes et virgulta cultu domita et condocefacta in omnem partem flexilis atque obsequiosa est. Siquidem

Ut laus est ceræ, mollis cedensque sequatur
Si doctos digitos, jussaque fingat opus;
Et nunc informet Martem castamve Minervam,
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum:
Sic hominum ingenium flecti ducique per artes
Haud rigidas docta mobilitate solet.

Quod ipsum nemini absurdum videri debet, quum sint homini insita virtutum semina, ipsaque mens imbuta sit artibus etiam ante artes. Ratio enim menti indita omnes artes in se complectitur, illasque animo inclusas elicit, ut nos attritu silicis scintillantes igniculos. Quod si huc accedat proba institutio, mentemque divinitus afflari contigerit, non est quod quisquam metuat quamlibet ferale sidus aut noxium. Dici autem vix queat, quam commode, quam inculpate, quamque ex usu valetudinis in his qui liberaliter incorrupteque sunt educati, perfici contingat naturalium facultatum potentias, ceteraque inoffense administrari, quibus sanitas consistit et conservatur: qualia sunt cibus et potus, quies, exercitatio, somnus, vigilia, aeris ambientis qualitas, affectiones animi, ex quibus fere infinitæ corporum differentiæ, motusque animorum dissimiles oriuntur. Gentes enim et nationes omnes non solum locorum interstitiis distant, ac discretæ sunt; sed etiam cultu inter se differunt, lingua, moribus, alimentis, corporum atque animorum varietate. Sic intra unius civitatis mœnia, intra ejusdem domus septa, et ædium conceptacula, quæ ingeniorum morumque dissimilitudo perspicitur? quale animorum discrimen, quanta corporum disparitas? Julius Firmicus, quo artem suam plausibilem factitet, eamque attollat in immensum, omnium rerum ordinem, cursum, fortunam, casus, atque eventa ad suam professionem refert, cæloque et astris horum causas assignat: quod ut in præsentia non libet refellere, in eoque esse contentiosum, sic educationem maximam habere vim, ac plurimum hac in re momenti obtinere prorsus statuo, illique omnia expensa acceptaque refero, ut quæ in tota ratione mortalium sola (ut Plinii verbis utar [1]) utramque conficiat paginam. Nam si multorum populorum studia, mores, propensiones, conatus atque molimina libeat excutere, invenies non ab astris, sed ab educandi ratione, et patria consuetudine hæc ipsa pendere: sic [2]

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem nullius avaris;

sic Thessali veneficii infames: Leontini poculis addicti, petulantesque ac lascivi: Sybaritæ luxu perditi, fastuque turgidi: viles Cares, et venale mancipium: Milesii molles et delicati: in disciplina militari severi Lacedæmonii, et eorum coloni Crotoniatæ, callidi ac fraudulenti Thraces, Galatæ stolidi et (ut Paulina utar voce [3]) ἀνόητοι: Cretenses, ut idem ex Epimenide refert, semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri: Galli agilis, erectæque mentis, et inquietæ, ingenio vario,

(1) Naturalis histor. lib. 2, c. 7.
(2) In arte Poet.
(3) Gal. 3; Tit. 3.

versatili, panurgo, et nato rebus agendis: obiter illos [1]

Esse putes quamvis hominem; tum dicier apte
Grammaticus, Rhetor, geometer, pictor, aliptes,
Augur, schœnobates, medicus, magus, omnia novit.

Itali magnificentia regia, et majestate prorsus heroica spectantur, incessu moderato, cultu habituque corporis decenti et composito, ingenio ad dicendum apposito: ceterum simultatum atque injuriarum tenaces, ac vindictæ avidi. Hispaniarum populus, qualem Horatius in arte Poetica producit Achillem,

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura negans sibi nata, nihil non arrogat armis.

Britanni in cultu et corporis nitore splendidi, in victu delicati, et sumptuosi: sed plerique eorum inhospitales, et inhumani, ne dicam crudeles: ut qui in victos inclementer sæviant (quum olim Romani, orbis domitores, ut Salustius ait, nihil præter injuriæ licentiam eripere soleant) doctrina tamen et institutione jam pridem illorum ingenia mitescere, minusque ferocire didicerunt. Germani magnanimi, atque animosi, sed ex veteri instituto prædationibus assueti, quæ, ut Cæsar ait, nullam habent apud illos infamiam, ubi extra fines cujusque civitatis perpetrantur: eas enim exarcendæ juventutis, minuendæque desidiæ causa tolerari prædicant, et ne ea ætas otio ac veterno torpescat. Flandri ex Pleumosiis, Gordunis atque Advaticis conflati, lingua et manu prompti sunt, in bello audaces, et nulli posthabendi, nisi poculis atque amoribus illorum virtus languesceret. Quod vero ad hujus gentis vulgarem et vernaculum loquendi usum spectat, nusquam gratior verborum blandities, et lenocinium, nusquam major comitas, affabilitasque sermonum. Nec solum in patrio nativoque idiomate diserti sunt, linguaque fluxa, volubili et flexanima, sed externas peregrinasque linguas tam exacte sonare consuescunt, ut non cuivis promptum sit, innata ne sit hæc illis, an ascititia dijudicare: adeo penitus gentilitia loquendi proprietas illis aboletur. Quæ naturæ dotes plerisque nationibus in discendis, exprimendisque linguis prorsus denegantur. Brabanti, quos *Ambivaritos* olim dictos ex Cæsare colligere licet, symposiis gaudent, et compotationibus dediti sunt: quæ testantur tot apud illos encœnia et sodalitates, tot dies geniales et soteria: quo fit ut senectutem minus gravem atque onerosam sentiant, nec ut ceterarum nationum seniculi morosi aut queruli existant, nec inertis et somniculosæ mentis, sed qui ingravescente ætate vivant hilarius ac mores plane comicos scenicosque exprimant: sic ut quam minimum imaginationibus melancholicis se inquietari patiantur, immo his obsistant potius, atque obluctentur. Qua vivendi ratione efficiunt, accedente aeris temperie, ut longævi sint tum cruda omnes viridique senecta Batavi, quos Hollandos modo vocant, olim (ut Lucanus et Tacitus testantur) inter inferioris Germaniæ populos virtute et belli gloria præcipui, nunc vero resides, et dissueti bello, ob uberrimum annonæ proventum, rerumque omnium affluentiam obesi, ac ventricosi potius esse student, quam bellaces: sic ut plerisque, *Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.* In his tamen nihil fuci deprehendas, nec illos quidquam vel simulate, vel insidiose agere: quo spectat illud Cæsaris, quæ a nonnullis admonitus, ut ab Antonio et Dolabella sibi caveret: *Non istos*, inquit, *metuo obesos et rubicundos, sed illos macilentos et pallidos;* Brutum et Cassium designans. Itaque Hollandi, tametsi ad res gerendas minus appositi videantur, et ab usu armorum alieni, humanitatis tamen et candoris haudquaquam sunt expertes: in ædibus vero et domestica supellectile omnia apud illos speciosa sunt, et muliebri cura nitescunt. Zelandi, qui a Cimbris profluxisse memorantur, Mattiaci Tacito dicti, moribus plerumque rusticanis atque incultis exsistunt, sed laboris patientes, in rebus aggrediendis audaces, in bello intrepidi, in conficiendis negotiis celeres et expediti, in re nautica strenui. Negotiatores illorum callidi et cauti, ad rem attenti, in contractibus astuti, versipelles, et polytropi: inter quos sunt minuti quidam et ignobiles, qui quum non liberaliter, nec ingenue mercaturam exerceant, omnia callide, versute, insidiose agunt, utque Virgilianus ille Sinon,

..... In utrumque parati
Aut versare dolos, aut iisdem involvier ipsi.

Qui vero ex erythrodano quam rubeam vocant, quæstum faciunt, atque emolu-

(1) Juvenalis Satyr. 8.

menta spectant: quique saperdas et salsamenta venditant, denique salinatores ipsi, quorum in Zirizæa ex viris primariis major, quam apud reliquos Belgas copia est, optima rerum contractarum fide utuntur, magistratus etiamnum interposita attestatione, affixaque mercibus peculiari tessara, sic ut nulla in his suspicio, vel fraudis, vel doli mali incidere possit. Qui autem a plebeis moribus remotiores, atque a negotiandi consuetudine alieni, litteris et disciplinis se oblectant (quorum sane apud hos permulti) simili fere sunt ingenio, quo fuisse Aristotelem et Isocratem refert Cicero, quorum uterque suo studio delectatus contemsit alterum. Quæ æmulatio hoc effecit superioris ætatis memoria (nam id vitium nunc sublatum est) ut nulla fuerit inter eruditos consiliorum studiorumque communicatio: nulla inter ejusdem artis candidatos et symmystas vitæ conjunctio, nulla societas: rari amicorum cœtus, rari convictus domestici, congressusque familiares, quum tamen propter sermonis festivitatem tempestivis moderatisque conviviis impense se delectatum apud Ciceronem refert Cato: atque ab his non modo non avocat, verum etiam invitat atque illectat Plato: non certe ob aliud, quam ut quisque animi nebulas, et quæ vel invitis nonnumquam obrepunt, absurda phantasmata, hujusmodi laxamentis discutiat, diluatque. Nec sane cujusquam magis interest φιλανθρωπίαν inter se colere et fovere, quam eorum, qui humanitatis studiis sunt imbuti. Hæc autem morum atque ingeniorum discrimina (quæ nullius, vel injuria, vel contumelia, sed illustrandi argumenti causa obiter a me referuntur, ut quæ in rudi atque imperita plebe passim elucescant) partim ab avitis moribus et progenitorum natura, partim ex alimentis atque ambientis aeris qualitate, præcipue autem a prima institutione atque inveterata consuetudine profluxerunt. Sic videre est plerasque gentes rebus inclinatis, ac statu publico labente in deterius, ac corruptissimos mores esse prolapsas: rursus alios mutatis moribus relictoque veteri atque inolito errore, erectos in melius ac laudabile vitæ institutum, ascivisse. Sic observatum est nostra et avorum memoria, Cisalpinos aliam vitam, alios mores assumpsisse, vel alterius gentis coalitu et commixtione, vel per nomophylaces, hoc est, legum conditores, saniori inducta disciplina. Sic Belgæ cultissimis moribus esse cœperunt postquam huc invecta negotiatio et tot opulentissima emporia erecta sunt; postquam huc inducta artium atque humanitatis studia; quæ profecta primum ab Academia Lovaniensi (qua nulla celebrior) progressu temporis in finitimas quasque regiones derivari, propagarique cœperunt; postquam denique invictiss. Imp. Carolus ejus nominis V has oras frequentare consueverit, tot viris heroicis, atque illustribus, tot inclytis ambactis (ut Cæsaris voce utar) stipatus. Quibus rebus effectum est, ut homines olim barbari, atque ab omni humanitate alieni, nunc lingua, cultu, moribus quosvis non ementiri, sed ad vivum exprimere didicerint. Sunt enim istiusmodi hominum ingenia propemodum uti frutices, atque arbusta, quæ si commode et accurate tractes, facile ut ait præstantissimus Poeta,

Exuerint silvestrem animum, cultuque frequenti
In quascumque voces artes, haud tarda sequuntur.
Quippe solo natura subest.

Ut igitur vitiosum ac depravatum corporis habitum admodum facile est mutare in melius: ita quæ quique gentilitia sunt, et cognata, quæque a prima saliva, atque inter ipsos nutricum amplexus inhærescunt, admodum proclive est, si quid habent vitii, vel eximere, vel coercere, nulla habita siderum ratione, eaque vel neglecta, vel non anxie observata. Ceterum in his quæ ad res, ad alimenta, ad qualitates spectant, non patiar astrologiam debita laude fraudari, sed metas statuo, atque iis fræna injicio, qui impudentia quadam circulatoria vagantur longius et (quod hinc quæstus manat uberrimus) inexplorata pro certis, dubia pro veris, incognita pro compertis hominum mentibus ingerunt: quo non aliud consequuntur miseri, qui ab his responsa petunt, atque oracula sciscitantur, quam ut excussa expugnataque animi stabilitate inconsultis moribus ducantur. Nam plerosque nova genethliacorum persuasione imbutos, ingravescentibus morbis aut calamitate aliqua sævius ingruente, remedia, quamlibet præsentanea respuisse, omniaque vitæ et valetudinis solatia, ac doloris lenimenta penitus aversatos, sic ut metum mortis, aut inanem aliquam opinionem impendentis mali; quam ex

vanis quorumdam auguriis conceperant, ægre sibi eximi paterentur. Alios observari tam supina securitate, tantaque licentia ætatem transigere, ut freti quorumdam præsagiis, ne dicam præstigiis, nullis monerentur terroribus nec ullis periculis, ullisque malorum aut morborum insultibus concuterentur: sic ut prorsus sibi persuaderent, ea omnia, quæ generi humano quamlibet acerba diraque ac formidanda singulis momentis impendent, nihil ad se pertinere, ab iisque se omnino fore tutos atque immunes. Quod ipsum hi solum sibi persuasum habere et possunt et debent, qui se verbo Dei fulciunt, eoque subsistunt, quique ex fiducia in Servatorem nulli non expetendam atque optabilem illam εὐθυμίαν jure ibi vendicant, quæ quid efficiat in animis hominum, cum Paulus ad Roman. abunde demonstrat, tum Psalmi et Prophetæ nusquam non testificantur. Huc igitur nostri instituti ratio, atque hujus narrationis scopus dirigitur: ne quis astrologiam figmentis nugisque contaminet, nec superstitiosius siderum vires in fortunas, in liberos animi motus, in consilia actionesque nostras, ac voluntates tamquam illorum necessitati obstrictas, penetrare sinat: postremo (in quo totius rei cardo vertitur) ne sit alter in consultationibus expetendis nimium vel curiosus, vel credulus, alter in iis pronuntiandis plus satis aut præceps aut temerarius. Siquidem ut Virgiliano carmine rem finiam, *Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ.*

R. P. JACOBI TIRINI S. J.

IN UNIVERSAM SACRAM SCRIPTURAM

COMMENTARIUS

MONITUM

Notationes quæ ad calcem quorumdam capitum seorsum apponuntur sunt R. P. Josephi Brunengo Soc. Jesu, qui ex recentioribus monumentis opus illustravit.

LIBER GENESIS

Sic vocatur, eo quod enarret generationem, seu creationem mundi, ac præsertim hominis, qui dominus et rector est mundi. Unde mox lapsum primorum hominum, dein propagationem, et multiplicia scelera posterorum, et scelerum pœnam diluvium commemorat: denique gesta et heroica facinora Patriarcharum, maxime Noe, Abrahæ, Isaac, Jacob et Josephi. Complectitur ergo Genesis annos 2399, quot fluxerunt a creato mundo usque ad mortem Josephi.

CAPUT I.

Creatur ex nihilo cœlum et terra et lux die primo. Secundo firmamentum factum est; tertio mare et arida cum herbis et plantis; quarto sol, luna et omnes stellæ; quinto pisces et aves; sexto jumenta, reptilia et homo, qui et dominus ceterorum constituitur.

1. In principio creavit Deus cælum et terram.

℣. 1. *In principio* universitatis rerum, seu temporis, ut exponit sanctus Basilius, Ambros. [1] et Concilium Lateranense [2], nempe primo temporis momento: ante omnia alia creata, inquit S. Augustinus [3], *creavit*, idest, ex nihilo produxit; *Deus* essentia unus, sed personis trinus (et hoc innuit Hebræum plurale nomen *Elohim*), Pater, Filius et Spiritus sanctus. Ita Magister sententiarum [4], Lyranus, Galatinus et Doctores alii contra Cajetanum et Abulensem. *Creavit*, inquam, *cælum*, idest extimum totius universi ambitum seu orbem, quem cælum empyreum vocamus. Ita iidem Doctores cum Diodoro Tharseusi [5], Theodoreto, Alcuino, Rabano et Beda. *Creavit* autem non vacuum, sed cælestibus incolis plenum, nempe spiritualibus substantiis, quas Philosophi *intelligentias*, Scriptura *angelos* vocat. Ita definit jam Concilium dictum Lateranense, angelos non ante, neque post mundum, sed simul cum mundo creatos esse. Creatos utique ut numero, ita et perfectione atque ornatu maximo, seu naturalia spectes, seu supernaturalia dona. Carebant tamen initio *lumine gloriæ*, nec videbant essentiam divinam; volebat enim Deus ut gloriam illam, quasi bravium, a divino agonotheta propositum, exercitio virtutum fidei, spei, charitatis promererentur; sibique compararent qui et quotquot vellent. Et quidem voluerunt ac promeriti sunt plerique: atque hoc ipso primo mundi die æterna gloria donati. Non pauci tamen, sinistris affectibus suis et φιλαυτίαις plusculum indulgentes (quam ob causam, et qua ratione vide apud Molinam [6], et alios Scholasticos), duce Lucifero rebelles facti Deo, et in rebellione pertinaces, eodem illo primo die e cælis detrusi sunt in infernum, quem sub idem tempus ipsis in centro terræ cum suo igne et sulphure Deus apparavit. Unde quod hic subditur v. 3, *Fiat lux*, et v. 4, *Divisit Deus lucem a tenebris;* quam lucem Doctores ad litteram explicant fuisse non in sole (qui quarto demum mundi die creatus est) sed in alio corpore sub cælesti, ceteris universi partibus lucidiore, quod primo mundi triduo 24 horis, eodem modo quo nunc sol, utrumque he-

(1) Basil. et Ambros. hom. 1 Hexameron.
(2) Cap. *Firmiter*.
(3) Lib. 1 de Gen. ad litteram, c. 1.
(4) In 2 distinct. 1, et alii DD. ibid.
(5) In Catena.
(6) In 1 p. de Opere sex dierum, et Scholast. ib.

2. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi: et spiritus Dei ferebatur super aquas.

3. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux.

4. Et vidit Deus lucem quod esset bona: et divisit lucem a tenebris.

5. Appellavitque lucem Diem, et tenebras Noctem: factumque est vespere et mane, dies unus.

6. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: et dividat aquas ab aquis.

7. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum. Et factum est ita.

8. Vocavitque Deus firmamentum, Cælum: et factum est vespere et mane, dies secundus.

misphærium circumgyrabat et illuminabat, et sic diem vicissim ac noctem constituebat: et e quo post triduum in partes dissecto, compacto et compresso, ac velut in igneos globos conflato, fabricata sunt sol, luna et astra reliqua; Hugo Victorinus [1] allegorice de angelis exponit: *Quod*, inquit, *agebatur in mundo sensibili, imago erat eorum quæ in intelligibili agebantur: nam sicuti primo die Deus divisit lucem a tenebris, ita tunc simul angelos a dæmonibus, gratiam a peccato, gloriam a pœna, cælum ab inferis dispescuit.*

℣. 2. *Spiritus Dei ferebatur super aquas — Spiritus Dei*, id est ventus, inquiunt Hebræi antiquiores, et Tertullianus [2] et Theodoretus. Sed melius sanctus Basilius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, et pene omnes Patres Græci et Latini, et recentiores Rabbini (quos citat Ascanius Martinengus [3], et Martinus Delrio [4]); Tremellius etiam et Junius, aliique hæretici, id exponunt de Spiritu sancto, qui *ferebatur super aquas;* hebraice, instar volucris dum ova excludit, *incubabat aquis*, non motu locali, sed voluntate sua et potentia divina, qua illas fœcundabat, calorem quasi vitalem aspirans, vim seminalem ac prolificam indens, et aptas procreationi reddens, ut inde mox, obstetricante eodem Spiritu, et *pisces*, et *germina*, et *aves*, et *cæli*, producerentur. Nam ut sequitur:

℣. 7. *Fecit Deus firmamentum*, seu orbes omnes cælestes, *in medio aquarum*, utique et ex *medio aquarum*, seu ex vasta illa *abysso* et mole aquarum quibus totum spatium a terra usque ad cælum empyreum complebatur. Nam partem aquarum, instar crystalli, conglaciando, et ut æs fusum consolidando, *cælos* efformabat, reliquis *aquis* naturæ suæ relictis, subtilioribus quidem *supra cælos*, crassioribus *sub cælis:* quas mox partim in *aera*, et si quis supra *aera* sit *ignis*, convertit: partim in *maria*, et *flumina*, et subterraneas *abyssos* distribuit.

An ergo *naturales* et nostris similes *aquæ* sunt *supra cælos* proprie dictos? Ita affirmat pluribus locis S. Scriptura [5], sed hic [6] omnium clarissime, ubi non tantum supra cælum (quo nomine forsan aer intelligi posset), sed et *supra firmamentum*, in quo, *sol*, *luna* et *stellæ* sunt, *aquas* statuit. Neque alias sane aquas quam quæ et quales primo die orbis conditi, totum intervallum inter cælum empyreum et terram occuparant, et quas secundo die firmamentum ex iisdem productum, a se mutuo separarat. Sola vero separatio alicujus totius homogenei non potest efficere ut pars altera naturam mutet, aut in aliud genus transeat. Ita S. Augustinus, et fere omnes sancti Patres, et plurimi Doctores [7], quorum aliqui volunt *aquas* illas *super cælos* relinqui, et divina virtute incorruptas servari, partim ad ornatum universi, partim ad præripiendum nobis adhuc exulibus prospectum cæli empyrei cæteroquin splendidissimi, et sole nostro lucidioris. Plura de his aquis vide Psalm. 148, v. 4. De abysso vero subterranea, Eccles. 1, vers. 7.

(1) Lib. 1 de Sacram. p. 1, cap. 10.
(2) Cont. Hermog., cap. 32.
(3) Tom. 1 Catenæ in Genesim.
(4) Delrio et alii hic.
(5) Dan. 3, vers. 59 et Psalm. 148, vers. 4.
(6) Gen. 1, vv. 7, 16, 17.
(7) Quos contra Calvinum aliosque Sectarios citant et sequuntur Cornel. a Lapide, Delrio, Jac. Bonfrerius in suis comment. in Genes. et Jac. Salianus initio suorum Annalium.

9. Dixit vero Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum: et appareat arida. Et factum est ita.

10. Et vocavit Deus aridam, Terram, congregationesque aquarum appellavit Maria. Et vidit Deus quod esset bonum.

11. Et ait: Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.

12. Et protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum.

13. Et factum est vespere et mane, dies tertius.

14. Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora, et dies et annos:

15. Ut luceant in firmamento cæli, et illuminent terram. Et factum est ita.

16. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præesset diei: et luminare minus, ut præesset nocti: et stellas.

17. Et posuit eas in firmamento cæli, ut lucerent super terram,

18. Et præessent diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum.

19. Et factum est vespere et mane, dies quartus.

20. Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cæli.

21. Creavitque Deus Cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum.

22. Benedixitque eis, dicens: Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris: avesque multiplicentur super terram.

23. Et factum est vespere et mane, dies quintus.

24. Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita.

25. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta, et omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum,

26. Et ait: Faciamus Hominem ad imaginem et similitudinem nostram;

℣. 26. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* — Hebraica hendyadi, id est, ad imaginem nobis simillimam. Alloquitur Deus Pater Filium suum et Spiritum sanctum ejusdem secum naturæ, potentiæ, operationis. Quare ex hoc loco (ubi inducuntur in uno Deo plures personæ agentes, sed per unicam agendi potentiam, et actionem) colligunt Patres mysterium trium personarum Ss. Trinitatis: et tam illius, quam *divinitatis imaginem*, æquivocam quidem, sed veram, *in homine* agnoscunt, non secundum corpus, nisi improprie et remote (quatenus in corpore præstantia animæ elucescit, v. g. in vultu, in erecta statura): sed *secundum animam*. In qua duplex est *imago Dei*, una *naturalis* et *essentialis* homini, quæ nullo casu, nullo peccato deperditur, hæc consistit in ipsa animæ substantia et potentiis, præsertim in mente, in libertate arbitrii, in dominio, etc. Nempe sicut Deus est ens incorporeum, spirituale, indivisum, immortale; est eminenter omnia; totus præsens in toto, totus in qualibet parte universi; intellectu producens Verbum, voluntate Amorem divinum; est auctor, dominus, finis omnium; est liberæ electionis et arbitrii; est invisibilis et incomprehensibilis; tamen omnia regens, vegetans, sustentans: ita suo modo, et in suo ordine est et in corpore agit anima hominis. Altera *imago*

et præsit piscibus maris, et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra.

27. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos.

28. Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cæli, et universis animantibus, quæ moventur super terram.

29. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam:

30. Et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, et universis quæ moventur in terra, et in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita.

31. Viditque Deus cuncta quæ fecerat: et erant valde bona. Et factum est vespere et mane, dies sextus.

est *supernaturalis* et *accidentalis* homini, et consistit in gratia justificante, qua, teste S. Petro [1], anima *consors* fit *divinæ naturæ*. Hæc imago, quoties mortaliter homo peccat, prorsus deperditur ac deletur: sed eodem pœnitente, tota redditur atque instauratur [2].

℣. 28. *Crescite et multiplicamini* — Non est præceptum, ut somniant hæretici: sed his verbis *benedixit illis Deus*, inquit hic Moses. Et v. 22 eadem verba dixerat Deus *piscibus* et *avibus*, quæ non sunt capaces præcepti. Hac vero benedictione virtutem illis indidit prolificandi, et simile sibi procreandi.

Quo die, quo mense, quoto ante Christum anno creatus sit mundus, dixi in Chronico, cap. 7, 9 et 47.

(1) 2. Petr. 1, v. 4.

(2) Fuse hæc tract. Bellar. tom. 4 de gratia primi hominis, et DD. Scholastici.

I.

IN CAPUT I GEN.

De creatione mundi.

Inter monumenta litteris cuneiformibus inscripta, nuper in Mesopotamia effossa, habentur *Fragmenta* quædam, assyrico idiomate, antiquissimi Poematis Chaldæorum, *De generatione mundi*, duodecim tabulis contenti, a Georgio Smith reperti inter rudera bibliothecæ ad palatium regis Sennacherib olim pertinentis in urbe Ninive. Antiquitas Poematis superat, judice eodem Smith, ætatem Mosis; siquidem exaratum videtur inter annos 1500-2000 a. C. Habent autem hæc Fragmenta in pluribus locis insignem analogiam cum narratione Mosis; unde pronum est colligere, Cosmogoniam Chaldæorum ab eodem fonte traditionis primitivæ promanasse, ex quo Moses suam Genesim hausit; quamvis apud Chaldæos ea traditio pluribus fabulis et erroribus jam inde ab initio fuerit corrupta.

En præcipuos ex hisce locis, juxta recentiorem et accuratiorem versionem, a Francisco Lenormant, assyrice doctissimo, exhibitam (*Origines de l'histoire*, Paris, 1880; pag. 495 et seqq.).

Ex I[a] tabula. Exordium Poematis: *Chaos*. — « Tempore quo superius, nondum Cælum appellabatur, et inferius, Terræ nomen nullum erat, Abyssus infinita eorum generatrix (fuit); Chaos-Mare eorum complexum protulit. Aquæ eorum congregatæ sunt in unum; nullus adhuc grex animalium coibat, nulla arbor germinaverat. Tempore quo nullus adhuc Deorum productus fuerat, quo nullo nomine designabantur, quo nulla lex statuta erat, magni Dii exinde facti fuerunt..... »

Ex III[a] et IV[a] tabula: *Creatio Terræ*. — « Quando fundamenta Terræ (tu fecisti), fundamenta Terræ tu illa appellasti, tu cælos adornasti..... Supra mare, sedem....., coram firmamento quod feci, inferius, locum firmum reddo..... Ibi fiat etiam *terra arida*, ut sit habitaculum... In ea urbs ejus ædificetur et... Assyriam,

templa magnorum Deorum.....; Deus..... tu et super omnia quæ manus tua fecit... terram quam manus tua fecit, Assyriam nomine proprio eam appellasti..... »

Ex V[a] tabula: *Ordo Cæli.* — « Egregias fecit mansiones, (duodecim) numero, Diis magnis; ipsis astra assignavit, et fixas stabilivit stellas Magnæ Ursæ. Tempus anni constituit, et ejus limites fixit. Singulis duodecim mensibus stellas tres assignavit, a die quo annus incipit usque ad ejus terminum. Mansiones planetarum determinavit, ad definiendas tempore fixo eorum orbitas, ita ut non deficiant, et nullus inde aberret. Domos *Beli* et *Ea* statuit prope suam..... Lunam splendere fecit, eam nocti præfecit, illique tempus constituit nocturnarum phaseon ad determinandos dies; per mensem integrum absque interruptione decrevit quæ esset forma orbis (disci) ejus: — Initio mensis, primo vespere, cornua tua annuntiabunt ad definiendum tempus cæli. Die septimo progredieris ad implendum orbem tuum....., revelabunt obscuritatem..... Quando Sol occidit, te exoriente..., definito exacte, orbem impleto. (Deinde) convertere, ad viam Solis appropinqua et..... Convertere, et Sol mutet (latus) obscuritatis tuæ..... iter suum sequitur. (Surge) et occide, legi huic obediens... »

Ex VII[a] tabula: *Eductio animalium.* — « Tempore quo Dii simul omnes formaverunt....., excellenter fecerunt..... Produxerunt viventia..... bestias campi, feras campi, reptilia... propter viventia... eduxerunt (propter) bestias et reptilia urbis..... omnia reptilia, omnes creaturas..... et Dominus clare-videns (*Ea*) binos associat..... omnia reptilia moveri cœperunt... » — Brunengo.

CAPUT II.

Quiescit Deus die septimo, unde et Sabbatum vocatum, et ab hominibus cessatione ab opere servili sanctificari jussum. Plantatur paradisus, e quo quatuor flumina scaturiunt. Formatur Eva ex costa Adami. Et matrimonium instituitur.

1. Igitur perfecti sunt cæli et terra, et omnis ornatus eorum.

2. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.

3. Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum: quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret.

4. Istæ sunt generationes cæli et terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cælum et terram:

5. Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat qui operaretur terram:

6. Sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ.

7. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.

℣. 7. *Inspiravit in faciem ejus,* Hebraica synecdoche, id est, in ipsum hominem, *spiraculum vitæ*, hebraice *vitarum*, id est, animam rationalem triplici vita præditam, plantarum, brutorum, angelorum, seu vita vegetativa, sensitiva, rationali. Hanc animam non educit Deus ex materia prædisposita, seu ex corpore organizato (ut fit in plantis et brutis), sed *inspirat* et deforis inducit, de nihilo creatam infundendo. Ita omnes Patres et Doctores. Formatus est autem Adam corpore et statura, quæ solet esse viri ætate perfecta: altiore haud dubie nostra vulgari, non tamen gigantea, ut vult Joannes Lucidus, et quiddam alii: nam gigantes multo demum post tempore nati sunt, ut patet Genes. 6, v. 4.

8. Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio: in quo posuit hominem quem formaverat.

9. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulcrum visu, et ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali.

10. Et fluvius egrediebatur de loco

℣. 8. *Plantaverat autem Deus* tertia die conditi mundi, *paradisum voluptatis*, id est, hortum delicatissimum: *a principio*. Septuaginta vertunt, *ad orientem*, sive ad orientalem plagam, nempe respectu Palæstinæ et Judæorum. Quo vero præcise orientis loco fuerit vel sit paradisus, nam probabile est etiamnum extare [1], voluit Deus hominem latere in pœnam peccati. Origo quatuor fluviorum, *Phison*, i. e. *Gangis; Gehon*, id est *Nili* [2], *Tigris* et *Euphratis*, quos Moses hic dicit e paradiso scaturire, nullo uno terrarum loco reperitur. Nam Ganges oritur ex Caucaso monte Indiæ: Tigris et Euphrates ex montibus Armeniæ: Nilus ex montibus Lunæ versus promontorium Bonæ Spei: vel, si mavis, ex lacu quodam regni Congi [3], ut notant qui ea loca lustrarunt. Sed non est impossibile, neque improbabile, quod sanctus Augustinus et alii Patres dicunt (nam est fere omnium antiquorum communis sententia) hos fluvios vere ex uno eodemque paradisi fonte scaturire primum, sed nox subterraneis cuniculis et meandris etiam longissimis abscondi, atque iis demum locis, quibus nunc se produnt, rursus emergere (ut de Alphæo, Arethusa, Hispano Ana, et aliis quibusdam fluminibus constat): Deo sic occultante primam scaturiginem, ne locus paradisi hac via mortalibus [4] innotescat [5].

℣. 9. *Lignum etiam vitæ*, id est, arborem excellenter vivificam: cujus fructus vel semel degustatus vitam hominis ad plures centenos annos prorogasset, idque vi naturali sibi a Deo insita: et subinde repetitus prorogasset etiam *in æternum*, quoad nempe Deo placuisset hominem sine morte in cælum transferre. Neque solum reddidisset hominem longævum, sed sanum insuper, valentem ac robustum, a morbis, a languore, a tristitia et melancholia immunem. Habebat enim vim non modo nutritivam, sed et medicam præ omnibus pharmacis, qua et substantia corporis, et vires nutritivæ, et calor naturalis integre restauratus fuisset [6]. Hanc arborem statuerat Deus *in medio paradisi*, Hebraica phrasi, id est, inter alias arbores magis eximiam, magis speciosam et proceram. Allegoriam et tropologiam hujus arboris, paradisi et quatuor fluminum, vide Prov. 3, v. 18.

Lignumque scientiæ boni et mali — Hebraismo, id est, omnium omnino rerum. Hæc erat altera e præcipuis paradisi arboribus, et ipsa specie visenda, et quæ fructus non minus suaves quam pulcros proferret. Sic dicta, non quod comedenti de fructibus ejus vere tribueret aliquam scientiam (nisi quod Adamo et Evæ practicam et experimentalem notitiam dederit magni mali, et reipsa docuerit quantum intersit inter bonum et malum, obedientiam et inobedientiam, inter meritum et pœnam, inter felicitatem et miseriam): sed quod mendax dæmon fallaciter promisisset transgressoribus datum iri scientiam boni et mali; et quidem scientiam non communem aut vulgarem, sed excellentissimam, humana majorem, similem divinæ. Patet ex c. 3, v. 5: *Aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii, scientes bonum et malum*. Et Deus ibidem v. 22, decepto Adamo, scientiam qua Deo similis fieret, frustra expetitam, pulcra ironia et sarcasmo exprobrat: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum*. Unde etiam hic a Mose arbor hæc ironice vocatur *scientiæ boni et mali*, q. d. Arbor

(1) Ut dicam cap. 5, vers. 24.
(2) Ut probabo Eccli. 24, v. 35 et docent Joseph 1 Antiq., cap. 1; Epiphan. in Ancorato; Hieron. in qq. Hebr. in Genes.; Aug. l. 8 de Gen. ad litt., c. 7; Thom. Malvenda, lib. de Paradis., Bonfrer. et alii.
(3) Vide Du Jarric. lib. 3 Hist. Indic., cap. 1.
(4) Vide Conimbricenses in Meteora, tract. 9; Franc. Riberam in cap. 6 Amos; Bellarm. supra; Delrio, Greg. a Valentia et DD. alios in S. Thom. 1 p., q. 102, art. 1 ad 2.
(5) Vide Huetii, Calmetii et Harduini de *Paradiso* dissertationes.
(6) Ita Scotus, Durandus, Cajet., Strabus, Hugo, S. Thom. sup.; Franc. Valesius sacra Philosophiæ, cap. 6; Perer., a Lapide, Salianus, Bonfrerius

voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.

11. Nomen uni Phison; ipse est qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum:

12. Et aurum terræ illius optimum est: ibi invenitur bdellium, et lapis onychinus.

13. Et nomen fluvii secundi, Gehon: ipse est qui circumit omnem terram Æthiopiæ.

14. Nomen vero fluminis tertii, Tygris: ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates.

15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum:

16. Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede:

17. De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.

18. Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi.

19. Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus

illa egregia scilicet, quam mendax dæmon promiserat daturam scientiam quasi divinam omnis boni et mali [1].

Petes, cujus speciei fuerit hæc arbor? Respondeo fuisse malum, seu pomum, ut colligi videtur ex Cantic. 8, v. 5: *Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Sed verosimile est, specie diversam fuisse ab omnibus malis nostris, seu cytreis, seu aureis, seu persicis, seu vulgaribus. Nam si fuisset ejusdem speciei et naturæ cum aliis aliquibus paradisi arboribus; cum certum sit, nonnisi unius arboris usum, quæ erat circa medium paradisi, fuisse protoplastis inhibitum; potuisset facili negotio, in altera ejusdem speciei arbore impune et sine periculo ab iisdem et Dei prohibitio eludi, et Satanæ tentatio vinci, et ipse mendacii [2] convinci [3].

℣. 17. *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris* tu cum omni stirpe tua: nam voluntates omnium posterorum posuerat Deus in voluntate unius Adami, utpote omnium parentis ac principis. Ergo, illo peccante, peccarunt etiam illi omnes (et hoc est peccatum originale): illo mortis reo facto, facti sunt rei omnes. Et quidem morte animæ mortuus est Adam actu et reipsa simul atque de pomo gustavit: morte quoque corporis quoad debitum et necessitatem, etiam eodem momento; quoad actum vero, ea hora et momento quo collibitum fuit Deo sententiam mortis ante latam exequi. Quamquam et quoad actum dici possit, Adamum eodem quo peccavit momento, sublatis jam a Deo omnibus adversus mortem remediis, cœpisse mori corpore, nempe longa illa phthiseos seu internæ corruptionis morte, qua pugnantibus inter se perpetuo elementis et humoribus, et se mutuo corrumpentibus, vix nati morimur, et ad interitum [4] ducimur [5].

(1) Ita Rupertus, Tostatus, Pererius, Salianus.
(2) Salianus, a Lapide, Bonfrerius.
(3) " Vers. 15: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso ut operaretur et custodiret illum.* Non ergo in paradiso conditus Adam fuit. Confer etiam cap. 3, 23 et PP. Chrysost. hom. 13; Ambros. *de Paradiso*, c. 4; Rupertum Abbatem, Gen. lib. 1, cap. 4. Vulgaris porro sententia fert, *primum hominem* (ut cum Lipomano loquar *in Catena*), *in agro Damasceno de limo seu pulvere terræ formatum extitisse.* At ubinam ager hic Damascenus? In Syria multi collocant, putantque a Damasco Syriæ metropoli nomen illi obtigisse. Contra Hebræi, quibus S. Hieronym. *in quæst. Hebraicis*, Abulensis, Brocardus, Breidenbachius, Saligniacus, atque adeo Adrichomius *in descriptione Terræ sanctæ* adsentiuntur, ad Israeliticam civitatem Hebron Damascenum agrum constituunt. Ibi certe terra illa rubra, et mire tractabilis abundat, ex qua Adamum fuisse conditum et Josephus perhibet, lib. 1 Antiq., c. 1 et ipsum *Adami* nomen indicat; *Adama* enim, vel *Haadama* Hebraice *rubrum terram* designat. "
(4) Vide fusius Bellarmin. et DD. Scholast. de peccato orig. et pœnis ejusdem.
(5) " Vers. 18: *Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi.* Hinc plerique cum Pererio l. 4 in Gen., c. 2, 15, et Cornelio a Lapide in hunc locum, translato jam in paradisum Adamo de Eva creanda primum a Deo agi cœptum colligunt, quam sententiam Basilius, Ambrosius aliique Patres tuentur, quinimmo post nomina animalibus ab Adamo imposita conditam Evam indicat Moses hic vv. 19

terræ, et universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus.

20. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia cæli, et omnes bestias terræ: Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus.

21. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea.

22. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: et adduxit eam ad Adam.

23. Dixitque Adam: Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.

24. Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ: et erunt duo in carne una.

25. Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus: et non erubescebant.

et 20. Josephus tamen, lib. 1 Ant., c. 1; Tertullianus lib. 2 contra Marcionem, ac Rupertus Abbas l. 2 de Trinit. Evam extra paradisum fuisse productam docent; neque enim illis est verosimile, Evam, quæ Adamo inferior sexu erat, in nobiliore loco fuisse productam. Porro etsi Evæ productionem narrat Moses post Adami in paradisum translationem, non necessario consequitur, tunc primum fuisse illam productam. Nam et Mosi solemne est, temporis quo res gestæ sunt ordinem negligere (certe ipsi, qui Mosis narrationem hic objiciunt, paradisum ante Adamum creatum ajunt atque Eva producta præceptum de vitando arboris scientiæ boni et mali fructu Adamo, atque Evæ simul latum, quum tamen Moses post Adæ creationem paradisi primum meminerit, et præcepti ante Evam conditam); et Gen. 1, v. 27, non Adami solum, sed etiam Evæ creationem refert nulla hactenus, aut paradisi, aut Adami in eum translati mentione injecta. „

CAPUT III.

Serpens Evam tentat, et seducit, ad comestionem de pomo vetito: et ipsa ad eamdem inducit quoque Adamum. Uterque increpatur a Deo, et serpens maledicitur. Simul Messias orbi redemptor promittitur. Adam et Eva damnantur ad labores, dolores et mortem: et paradiso expelluntur, cui custos præponitur Cherubim cum flammeo gladio.

1. Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi?

¶. 1. *Serpens erat callidior cunctis animantibus* — Loquitur de vero et naturali serpente. Quem Eugubinus putat fuisse basiliscum; Pererius scytalem, tergi varietate et squamarum nitore insignem; Delrio viperam, ex illo Lucæ 3: *Genimina viperarum.* Hoc animali, utpote natura callido, malitioso et homini noxio, voluit dæmon, imo dæmonum princeps Lucifer [1], uti tamquam instrumento ad fallendum aptissimo. Non quod serpens vim haberet loquendi, ut vult Josephus, Plato, S. Basilius [2]: sed dæmon serpentem ingressus; ut solet energumenos, in ejus ore, quasi in organo, aere moto, colliso et modulato, vocem humanam, ut facile potuit, effinxit [3], non vitali actione, sed artificiali. Et non latebat Evam, has voces supernaturali virtute formari, sed non satis attendit, uti debebat, et facile poterat, sui tentandæ fallendæque gratia conflictas esse: atque ita seduci passa fuit [4].

(1) Ita quidam apud Magist. sentent in 2, d. 6.
(2) Joseph. in Antiq.; Plato in Politico; S. Basil. homil. de Paradiso.
(3) S. August. l. 14 de Civit., c. 11, et DD. Schol. cum Magistro supra.

(4) Consule Sherlockii dissert. 5, tom. 2, operis inscripti *L'Usage et les fins de la Prophétie*, p. 319 seqq., edit. Paris. an. 1754, quam deinceps citabo.

2. Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur:

3. De fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur.

4. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini.

5. Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.

6. Viditigitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulcrum oculis, aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius, et comedit: deditque viro suo, qui comedit.

7. Et aperti sunt oculi amborum: cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata.

8. Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradisi.

9. Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei: Ubi es?

10. Qui ait: Vocem tuam audivi in paradiso: et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me.

11. Cui dixit: Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?

12. Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.

13. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, et comedi.

14. Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus

℣. 5. *Aperientur oculi vestri* — non corporis, sed mentis, q. d. Adeo clari ingenii, adeo perspicacis intelligentiæ efficiemini, ut merito existimaturi sitis, vos hactenus nihil scivisse, et quasi cæcos fuisse [1]. Et vero mox ab esu fatalis pomi.

℣. 7. *Aperti sunt oculi amborum* — sed ut viderent, *se nudos esse*. Tantum enim abest, ut senserint accessisse sibi de novo, quam mendax serpens promiserat, sublimem illam et quasi divinam rerum omnium scientiam; ut potius experti sint se nudatos etiam iis ornamentis quibus ante gaudebant: puta primo in anima, ornamento gratiæ justificantis, et omnibus præsidiis justitiæ originalis; secundo, in corpore, motuum omnium internorum et humorum debita compositione, et compressione concupiscentiæ. Hinc tertio, senserunt tristem jacturam tum sibi, tum posteris, incredibilium bonorum quibus in statu innocentiæ vix octiduo fruiti fuerant: nam tantum spatii intercessisse a creatione ad lapsum plerique [2] existimant. Quarto, senserunt iliadem intolerabilium malorum, fractis innocentiæ repagulis, jam incursantem in orbem; inde quinto, maximam in se confusionem, pudorem, mœrorem: sexto, acerrimum conscientiæ stimulum, qui animum arrodebat. Denique senserunt, sed malo suo, et serius, nimis veras certasque fuisse minas Dei (contra quam præsumpserant): dæmonis vero promissa, vana et fallacia.

℣. 14. *Maledictus es inter omnia animantia* — Hæc et sequentia in sensu allegorico, sed præcipue intento a Spiritu sancto, accommodantur dæmoni: litteraliter serpenti naturali, cui tamquam organo malesuado dæmonis Deus merito maledicit, et punit: ut solet pius parens et judex, etiam sicam, qua latro filium occidit, execrari et exurere. Neque tamen tollit hic Deus aut mutat naturales serpentis proprietates (cur enim tollat serpenti, qui non peccarat, cum dæmonibus et hominibus gravissime lapsis, nulla naturalia sustulerit?), sed quæ ante fuerant serpenti naturalia, scilicet humi reptare, antra sequi, terram comedere, venena spargere; jam eidem destinantur in pœnam et in probrum: et qui ante nec odio, nec horrori, nec pudori, nec nocumento erat hominibus (divina providentia tunc arcente omnia noxia),

(1) Rupert. l. 3 de Trin., c. 7, 8, 9, Delrio et alii.

(2) Pererius, Delrio, Torniellus, Salianus et alii.

es inter omnia animantia et bestias terræ: super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.

15. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.

16. Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos: in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.

17. Adæ vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.

18. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ.

19. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris.

20. Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Heva: eo quod mater esset cunctorum viventium.

21. Fecit quoque Dominus Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos:

22. Et ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum: nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum.

23. Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est.

24. Ejecitque Adam: et collocavit

post peccatum præ ceteris animalibus factus est noxius, invisus, probrosus, execrabilis. Sic paullo post Adamo quoque et Evæ quædam deputantur in pœnam, quæ etiam in statu innocentiæ fuerant ipsis naturalia, v. g. uxorem subdi marito, herbis vesci, terram germinare ipsis spinas, et alia. Ita S. Jo. Chrysost., August., Rupertus, et reliqui Patres [1].

℣. 15. *Ipsa conteret caput tuum* — Ita in feminino legerunt olim sancti Jo. Chrys., Ambrosius, Augustinus, Marius Victor. et plerique Catholici [2]. Nec repugnat textus Hebræus, qui ambiguus est, ut bene ostendit Bellarminus. Unde apparet, ita olim etiam in LXX lectum fuisse, cum isti Patres non sint usi alia versione. Nunc in recentioribus LXX editionibus habetur masculinum *ipse*, supp. filius mulieris, et huic favet Arabicus et Chaldæus, qui id ascribunt semini mulieris. Sed in idem redit: cum enim Deus hic quasi antagonistas opponat mulierem cum semine suo, serpenti cum suo semine; verissime dici potest tam *ipsa* mulier, quam *semen* seu posteri mulieris, conterere caput serpentis, puta tam naturalis serpentis (quem homo vix visum, ex innata antipathia conatur conterere): quam allegorici et infernalis serpentis, quem, ut dixi, præcipue hic designat Spiritus sanctus. Uti et per *mulierem* præcipue designatur B. Virgo *Maria*, quæ pariendo nobis Christum (primarium et nobilissimum *semen* seu filium mulieris) ut facta est verissima *Eva*, id est *mater viventium* (idque vita longe præstantiore, scilicet spirituali et æterna in cælis): ita penitus contrivit caput et potentiam hujus serpentis. Primo, quia nullum peccatum, ne quidem originale (quod primum et quasi *caput* est omnium peccatorum) in se admisit. Deinde, quia nullum etiam peccati fomitem, vel pravam cogitationem (quæ principium seu *caput* est actualis peccati) in se habuit. Denique, quia hæreses et tyrannides omnes (quæ præcipua capita et cornua sunt serpentis infernalis), per virtutem Christi, seminis et filii sui, tam ipsa, quam christiani omnes, qui illius quoque semen et filii sunt, perfecte devicit ac profligavit. Ita Theodoretus, Rupertus, Beda, Augustinus, Epiphanius [3].

℣. 24. *Et collocavit ante paradisum Cherubim*, id est angelos ex ordine

(1) Cit. a Pererio, a Lapide, Saliano, Bonfrerio.
(2) Chrys. hom. 17 in Gen.; Ambr. de fuga seculi, c. 7; Aug. l. 2 de Gen., c. 18; Marius l. 1 in Gen.; Bellarm. in Controv. de verbo Dei, l. 1, etc.

(3) Theodoretus, Rupertus, Beda in hunc locum; S. Augustinus l. 11 de Civitate, cap. 36; Epiphanius lib. 2 contra Antidico-Marianos et alii SS. Patres.

ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

Cherubinorum, qui sic vocantur a *scientia* excellentissima qua donati sunt a Deo: et ideo perapte ponuntur hic quasi vindices omniscientiæ Dei, quam Adam et Eva ambierant: et *custodes ligni vitæ*, ut nempe ab illius accessu, imo conspectu, arceant non solos homines, sed et dæmones (nam hi tali amuleto, et spe æternæ seu immortalis vitæ, vecordes homines nimis facile ad suum obsequium et ad idololatriam pertraxissent). Arceant, inquam; *flammeo gladio*, id est, tam splendente et acuto, ut vibratus flammas et fulmina vomere videatur: *et versatili*, hoc est, apto facillime verti in omnem partem, utpote ancipite et utrimque secante [1]. Sed hæc de gladio non materiali, sed metaphorico intelligenda sunt, nempe de potentia et viribus angelicis.

Qua die, qua hora, Adam et Eva comederint de pomo vetito; qua item expulsi sint e paradiso, dixi in Chronico cap. 48, conclusione 5.

(1) Ita S. Jo. Chrysost.; Aug., Rup. et alii citati a Corn. a Lapide, Delrione et Saliano.

CAPUT IV.

Adam ex Eva gignit Cain et Abel. Cain occidit Abel: ideoque a Deo maledicitur, et fit profugus. Recensetur progenies Cain. Porro in locum occisi Abel, substituitur Adamo alius filius Seth, qui gignit Enos.

1. Adam vero cognovit uxorem suam Hevam: quæ concepit et peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum.

2. Rursumque peperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola.

3. Factum est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.

4. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum: et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus.

5. Ad Cain vero et ad munera illius non respexit: iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus.

6. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? et cur concidit facies tua?

7. Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus

℣. 1. *Peperit Cain, dicens: Possedi hominem. Cain* enim hebraice idem est quod possessio, q. d. Natus est mihi filius, qui erit possessio et hereditas mea. *Per Deum* — Vox est gratulantis, et Deum auctorem generationis agnoscentis. Hæc mystica et pia nominum impositio statim ab ipso mundi exordio, insinuat curam studiumque primorum parentum, ut simul ac liberi in lucem essent editi, expedirentur a culpa originali, remedio a Deo designato; scilicet fide parentum in Deum, signo aliquo externo expressa, quale pro adultis erat sacrificium, pro posteris Abrahæ masculis circumcisio saltem post octavum diem [1].

(1) Ita S. Greg. lib. 4 Moral., c. 3.; S. Thom. 3 p., q. 70, art. 2 et 4.

℣. 4. *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus* — Respexit favendo, probando, et pecora terrasque illius fœcundando [2]. Theodotion vertit, *inflammavit Dominus*, nempe igne de cælo misso absumpsit sacrificium Abelis: Caini reliquit intactum. Quæ est sententia communis fere omnium SS. Patrum [3]. Respexit vero Deus prius ad personam Abelis, quam ad ejus munera; ut doceamur, sacrificia vetera non placuisse Deo ex opere operato (uti placet illi sacrificium novæ legis), sed tantum ex opere operantis.

℣. 7. *Nonne si bene egeris, recipies*, scilicet, etiam tu favorem meum, et be-

(2) Ita Chrys. et Lipom. apud Salian. an. 130.
(3) Citant illos a Lapide et Salianus supra.

peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.

8. Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum.

9. Et ait Dominus ad Cain: Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio: num custos fratris mei sum ego?

10. Dixitque ad eum: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

11. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.

12. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus et profugus eris super terram.

13. Dixitque Cain ad Dominum: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.

14. Ecce ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra: omnis igitur qui invenerit me, occidet me.

15. Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum.

16. Egressusque Cain a facie Domini, habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.

17. Cognovit autem Cain uxorem

nedictionem similem fratri tuo? ut et simili signo, puta igne cælitus immisso, tester, te quoque tuaque sacrificia mihi placere. *Sin autem male* egeris, *statim in foribus peccatum*, id est pœna peccati, *aderit*, quasi canis et cerberus præ foribus animi instar vindicis culpæ accubans. Ita sonat Hebræum *robets* [1]. Hic canis est vermis conscientiæ, ira Dei capiti peccatoris imminens, omnesque pœnæ præsentis et futuræ vitæ.

Sed sub te erit appetitus ejus, scilicet peccati, *et tu dominaberis illius* — q. d. Facile evaseris omnem pœnam, si, ut liberi es arbitrii, volueris concupiscentiæ et appetitui tuo, tamquam mancipio, rebelli dominari et resistere: nam invitare te possunt passiones et appetitus tui ad culpam, sed cogere non possunt [2].

℣. 8. *Interfecit eum* — non mandibula, ut fingunt pictores, sed rustica furca, seu lignea, seu ferrea, quam manu secum sine suspicione de more ferre solebat. Interfectus est autem Abel verosimillime anno ætatis suæ 129, mundi 130. Nam natum anno 2 mundi conditi, et occisum eodem anno quo natus et illi substitutus est Seth, hoc est, 130, ex Scripturis deducunt Cajetanus, Pererius, Torniellus et alii.

℣. 14. *Ecce ejicis me hodie a facie terræ*, id est, a patria mea amœnissima et fertilissima [3], quin et a tota terra, dum exulem me et profugum nusquam uno eodemque loco consistere permittis. *Et a facie tua abscondar* — Id est, quasi reus præsentiam irati judicis et vindicis Dei horrebo et fugiam, et latibula quæram, q. d. Exosus ero Deo et hominibus, ut nec ego illos aspicere ausim nec illi me ferre sustineant: unde quisquis *me invenerit*, quasi erronem et fugitivum et omnibus exosum, *occidet* [4].

℣. 15. *Posuit Dominus Cain signum* — Ex communiori sententia signum hoc fuit *tremor corporis* et maxime *capitis*, ac *consternatio* [5] *vultus* [6]. Dat ergo hoc supplicio Deus Caino vitæ fidem publi-

(1) רובץ.

(2) Ita contra Calvinum Bellarm. et a Lapide, qui citant SS. Patres.

(3) Ita Oleaster et Pererius.

(4) Ambr., Oleaster, Lipomanus apud a Lapide.

(5) Ita LXX et tradunt Hebræi; Hieron., Procopius, Eucherius, Theodoret, Rupert. citati a Saliano et a Lapide.

(6) Alienum a meo instituto esset heic omnes de Caini signo percensere sententias, earumque non paucas aut frigidas, aut perridiculas. Duas tantum adfero quod illas nostrum hocce seculum ediderit. Clericus igitur (hujus enim opinio earum prima est, quas proferre in animum induxi) quum homines primæ illius ætatis bellusarum pellibus indutos fuisse cogitaret, ac propterea Cain veluti brutum quodpiam animal facile occidi sive casu, sive etiam dedita opera, erroris tamen caussa conficta ab aliquo venatore potuisse, Deum existimavit, peculiarem Caino dedisse vestem, qua et a brutis et a ceteris discerneretur hominibus. Phi-

suam, quæ concepit, et peperit Henoch, et ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Henoch.

18. Porro Henoch genuit Irad, et Irad genuit Maviael, et Maviael genuit Mathusael, et Mathusael genuit Lamech.

19. Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, et nomen alteri Sella.

20. Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum.

21. Et nomen fratris ejus Jubal: ipse fuit pater canentium cithara et organo.

cam, sed altiore consilio, partim in pœnam illius, cui celerior mors forte commodior accidisset: partim in aliorum exemplum, quo a simili scelere deterrerentur. Unde et gravius supplicium minatur hic Deus secundo homicidæ, licet ipsiusmet Caini omnibus invisi; *Septuplum*, inquit, *punietur*, id est, multiplicius et longe gravius, quia nempe gravius etiam peccabit: quippe et alieno doctus exemplo et malo, et præcepto meo de non occidendo tam graviter, tam serio iterato rebellis. Sic Lamech secundus, imo tertius homicida, nam et *virum*, inquit, *occidi* (quem, incertum, nisi quod Rabbini velint fuisse Cainum, atavum Lamech: ut etiam S. Hier., S. Anselm., Rabanus, Strabus, Comestor, Lyranus, Abulensis, Lipomanus, Cajetanus, Genebrardus, et alii, quos citant et sequuntur Delrio, Salianus, Pererius et Bonfrerius), et alterum quemdam *adolescentulum, in vulnus et livorem meum*. Hebraismo, id est livore et vulnere a me ipsi inflicto. Hic, inquam, Lamech, cum infra v. 23 suum hoc geminum scelus cum simplici scelere Caini contulisset, mox se præ illo longe gravius ex duplici jam dicto capite punitum iri ominatur, *Septuplum*, inquiens, *ultio dabitur de Cain*, id est gravis valde et multiplex: *de Lamech vero septuagies septies*, id est, longe gravior et multiplicior. Similis phrasis est Matth. 18, v. 22. Quasi dicat: Si Cain, qui nonnisi semel, et sine exemplo aut expressa prohibitione deliquit, tam graviter punitus est; ego qui duos occidi, quique pœnam Caini vidi, Dei expressa inhibitionem audivi, nec tamen ab eodem scelere abstinui, longe gravius merito puniendus sum [1].

lalethes nescio quis in Gallica dissertatione, quæ in septimo *Bibliothecæ Angelicæ*, Amstælædami editæ volumine exstat, art. VIII, multis hanc Clerici opinionem refellit. Enimvero haud plane constat, venationi deditos illis temporibus fuisse homines, immo verosimilius multo est, ab ea abstinuisse, tum ne animalia, quæ tum primo multiplicari cœperant, destruerentur, tum quod carnibus homines minime vescebantur, tum denique quod animalia, ut quibus ad decerpendas herbas vastissima spatia paterent, ad frequentia loca victus comparandi caussa non discurrebant. Præterea si Cain qua ceteri homines ratione, vestitus incessisset, non majori, quam reliqui, vitæ discrimini fuisset obnoxius, immo vero minori, quum in locis infrequentibus profugus erraret; quid ergo singularem illi vestem tribuisset Deus, ut majori eum in periculo constitueret! Verum prima illa ratio multa sumit, quæ in controversia sunt; altera, quæ sunt omnino falsa, quod mox demonstrabo ubi Philalethis ipsius sententiam proposuero. Itaque mallem Clerico objicere, suam illam conjecturam neque ulli niti fundamento (quidni enim eadem omnino ratione conjiciam ego, pelliceis quidem uti alios, fuisse vestibus Cain indutum, sed vel alterius coloris, vel segmento aliquo instar lati clavi distinctis!), et minus proprie si illa admittatur, dici *Deum in eo posuisse signum*. Philalethes autem in ea sententia est, signa omnia, quæ hactenus excogitata sunt, externa: ac tremorem ipsum, quem cum pluribus indicat hic Tirinus, fini adversari, quem Deus spectabat. Hæc nempe Cainum omnium oculis spectabilem reddidissent, atque adeo cædis, quam ab illo Deus avertere voluit, periculo maxime objecissent. Quamobrem signum illud aliud nihil fuisse existimat, quam divinam comminationem in eos, qui Caini se sanguine cruentassent. Certe hebræum *schoum* non solum *ponere* significat, sed etiam *proponere, instituere*, ut Danielis 3, 10 et 29, atque alibi videre est. Sensus ergo verborum hic est: *Deus hoc* (declarationem scilicet illam, *nequaquam ita fiet*, etc.) *Caino veluti signum proposuit, deditque, quo bono illum esse animo juberet*. Hæc ille. Nec negavero, expeditam hanc esse difficultatis solvendæ rationem. Verum Philalethes illud sumit, quod omnino plane falsum est, exterius signum (quodcumque demum id fuerit), a fide publica a Deo data, et comminatione illa, quam nuper indicabam, fuisse sejunctum. Nam valuisset signum exterius ad Cainum a ceteris hominibus dignoscendum; simul tamen videntibus Dei minas in mentem revocasset adversus illius interfectorem; nulli ergo eum vitæ discrimini exposuisset, contra quam Deus statuerat. Hinc ajebam, secundum illud Philalethis adversus Clericum argumentum falsa sumere. Itaque signum quodpiam exterius hic latere adfirmemus; cujusmodi illud fuerit vel nescire nos fateamur, vel Patribus, atque interpretibus longe clarissimis præeuntibus situm in membrorum tremore fuisse illud dicere non vereamur.

(1) Ita Chrysostomus et Theodoretus, apud a Lapide.

22. Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncta opera æris et ferri. Soror vero Tubalcain, Noema.

23. Dixitque Lamech uxoribus suis Adæ et Sellæ: Audite vocem meam, uxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum.

24. Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies septies.

25. Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.

26. Sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos: iste cœpit invocare nomen Domini.

℣. 26. *Iste cœpit invocare nomen Domini* — scilicet publice per cœtus et Ecclesias. Cum enim, crescente numero hominum, cresceret etiam oblivio et contemptus Dei, videtur Enos auctore et monitore Adamo publicos piorum conventus cogere cœpisse, partim ad augendam, stabiliendam et propagandam religionem: partim ad preces et conciones publicas, et cultum Dei per sacrificia, aliosque ritus et cæremonias inducendum.

II.

IN GENES. IV, 2, *Abel.*

Nomen istud, cujus significatio a Rabbinis et aliis ex lingua hebraica inepte deducitur, ita ut sit: *Vanitas, Nihilum, Luctus;* optime explicatur ex lingua assyrica, in qua *Habal* (per contractionem *Bal* vel *Pal*) = *Filius*, frequentissime occurrit in nominibus propriis (uti Assur-nasir-*habal* = Assur protegit *filium;* Assur-bani-*pal* = Assur creat *filium*) et in inscriptionibus historicis. Radix nempe *habal*, quæ in idiomate hebraico periit, servata est ac vigere perrexit in idiomate assyrico, illi proxime affini inter linguas quæ ad eamdem familiam Semiticam pertinent.» — BRUNENGO.

CAPUT V.

Texitur genealogia Adami per Seth, usque ad Noe. Primo, ut constet genealogia Christi, de qua Lucæ 3, v. 35. Deinde, ut palam fiat, Deum omni tempore suam Ecclesiam, sui cultum, fidem ac pietatem in aliquibus conservasse, v. g. hic in Seth, et posteris illius. Denique ut de primordiis mundi, primaque ejus propagatione aliquid certi habeamus, neque enim ulli sunt alii libri, e quibus de gestis ante diluvium vel tantillum haurire possimus.

1. Hic est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.

2. Masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis: et vocavit nomen eorum Adam in die quo creati sunt.

3. Vixit autem Adam centum triginta annis: et genuit ad imaginem et similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth.

4. Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni: genuitque filios et filias.

5. Et factum est omne tempus quod vixit Adam anni nongenti triginta, et mortuus est.

℣. 5. *Omne tempus quod vixit Adam anni nongenti triginta* — Non fuerunt hi anni menstrui seu 30 dierum, ut quidam putarunt (nam inde sequeretur,

6. Vixit quoque Seth centum quinque annis, et genuit Enos.

7. Vixitque Seth, postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuitque filios et filias.

8. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, et mortuus est.

9. Vixit vero Enos nonaginta annis, et genuit Cainan.

10. Post cujus ortum vixit octingentis quindecim annis, et genuit filios et filias.

11. Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, et mortuus est.

12. Vixit quoque Cainan septuaginta annis, et genuit Malaleel.

13. Et vixit Cainan, postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios et filias.

14. Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, et mortuus est.

15. Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis, et genuit Jared.

16. Et vixit Malaleel, postquam genuit Jared, octingentis triginta annis, et genuit filios et filias.

17. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, et mortuus est.

18. Vixitque Jared centum sexaginta duobus annis, et genuit Henoch.

19. Et vixit Jared, postquam genuit Henoch, octingentis annis, et genuit filios et filias.

20. Et facti sunt omnes dies Jared nongenti sexaginta duo anni, et mortuus est.

21. Porro Henoch vixit sexaginta quinque annis, et genuit Mathusalam.

22. Et ambulavit Henoch cum Deo: et vixit, postquam genuit Mathusalam, trecentis annis, et genuit filios et filias.

Malaleel et Henoch, qui hic dicuntur filios genuisse anno ætatis suæ 65, genuisse illos anno sexto solari), sed fuerunt veri et pleni anni, singuli 12 mensium, ut dixi in Chronico [1], et patebit infra c. 8, vers. 5, ubi decimo anni mense, prima die mensis dicuntur apparuisse cacumina montium [2]. Sed unde tunc homines tam longævi?

Respondeo primo ex meliore complexione et temperamento corporis humani; secundo, ex sobrietate, qua quidam [3] putant, plerosque etiam carnibus et vino, etsi prohibita non essent, abstinuisse ante diluvium; tertio, ex primævo vigore terræ, fructuum et alimentorum; quarto, ex peritia et scientia Adami, quam et posteris communicavit, qua longe melius quam omnes nostri medici norant vim singularum herbarum, fructuum, metallorum, etc; quinto, ex Dei voluntate, et arcana cooperatione, idque ut et homines citius propagarentur, et scientias artesque certius perdiscerent, et posteris etiam remotissimis cognitionem et cultum veri Dei commodius inculcarent.

An Adamo et Evæ peccatum suum, quatenus ipsis personale erat, remissum fuerit, dubitare nefas est, cum Sapientiæ 10, v. 2 dicatur Deus eduxisse Adamum a delicto suo, seu, ut græce est, a lapsu suo. Quin et traditio est, ambos salvatos esse, tam certa, ut Irenæus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus et alii Tatianum ejusque discipulos Encratitas id negantes damnent erroris [4]. Adamum Jerosolymis saltem sub finem vitæ vixisse, et mortuum ac sepultum ab Enocho esse, et ossa illius in arca adservata fuisse tempore diluvii, fuse docent Cornelius a Lapide et Jacobus Salianus.

℣. 22. *Ambulavit Henoch cum Deo* — Id est, Deum ita præsentem præ oculis ac familiarem habuit, Deique nutui ac placito in omnibus ita sese accommodavit et conformavit, ut videretur perpetuo et indivulse cum Deo inambulare, et illi tamquam summo amico ac domino suo, omni studio ubique deferre.

(1) Cap. 10.
(2) Est communis sententia.
(3) S. Jo. Chrys., Torniellus, Bonfrerius et alii citati a Pererio, a Lapide et Saliano.
(4) Vide Alphonsum a Castro verbo Adam.

23. Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni.

24. Ambulavitque cum Deo, et non apparuit; quia tulit eum Deus.

25. Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis, et genuit Lamech.

26. Et vixit Mathusala, postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, et genuit filios et filias.

27. Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni, et mortuus est.

28. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, et genuit filium:

29. Vocavitque nomen ejus Noe, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus.

30. Vixitque Lamech, postquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis, et genuit filios et filias.

31. Et facti sunt omnes dies Lamech septingenti septuaginta septem anni, et mortuus est. Noe vero, cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Japheth.

℣. 24. *Tulit eum Deus* — Id est, de terra transtulit vivum in paradisum. Ita ad Hebræos 11, v. 5: *Henoch translatus est ne videret mortem.* Et de paradiso diserte id affirmat Ecclesiasticus cap. 44, v. 16. Ubi cum Elia vitam quasi beatam agit, corpore quidem ex se corruptibili ac mortali, sed divina virtute incorrupto, et immuni a concupiscentia et a nostris ærumnis, in statu quodam medio viatores inter et beatos, in altissima Dei contemplatione, non tamen visione, jucundissime tempus transigendo. Qui putant paradisum terrestrem, et in eo arborem vitæ etiamnum superesse [1] (quod est probabile; cur enim nobilissimum arboris genus Deus perdidisset, aut interire permisisset, qui virentem olivam et alias arborum etiam vilissimas species a diluvio tanta cura conservavit?) ii dicunt Henochum et Eliam usu ejusdem arboris et aliarum frui pro libito, atque ita vitam continuo prorogare. Alii dicunt, sine esu aut potu, aut eorum appetentia vel indigentia suspendente Deo actionem caloris naturalis consumptricem humidi radicalis, integros incorruptosque manere [2]. Thomas Malvenda lib. de Parad. c. 84, et P. Jacobus Bonfrerius, dicunt probabile esse, paradisum in quo est Henoch, tempore diluvii ab aquis imbribusque servatum immunem, aquis undique ad latera sese attollentibus, et quasi in murum solidatis: ut contigit Israelitis in mari rubro et in Jordane; et Josepho nostro Anchietæ in mari Brasilico, et quibusdam aliis Sanctis. Cur vero Henoch translatus sit, explicat Sapiens cap. 4, v. 10, quia *placens et dilectus Deo*, scilicet præ omnibus aliis ejus seculi, et *ne* in tanta mundi corruptela *malitia mutaret intellectum ejus.* Cur vero vivus translatus sit, indicat Ecclesiasticus c. 44, v. 16: *Ut det gentibus pœnitentiam*, id est, ut in fine mundi, quando cum Elia orbi restituetur, traducat tam lingua, quam exemplo suo populos tum superstites ab adoratione dæmonis et Antichristi ad verum Christum et Deum. Et apud multos quidem filiorum seu nepotum suorum fidem parens sanctus inveniet (omnes autem et quotquot jam vivimus, et quotquot sub finem mundi supererunt, ex Henoch linea recta prognatos constat, cum sit ipse abavus Noe, parentis omnium nostrum). Sed a spurio suo Antichristo una cum Elia martyrio afficietur Jerosolymæ, relictis cadaveribus in publica platea insepultis; sed triduo post redivivi et gloriosi tota urbe spectante in cælum conscendent, ut dicitur Apocalypsis 11, et est communis PP. ac DD. [3] sententia [4].

(1) Ut Sixtus Senensis l. 5 Biblioth.; Delrio in c. 3 Genes.; Bellarm. et Adamus Contzende gratia primi hominis; Greg. a Valentia; Malvenda de Paradiso; Suarez t. 2, p. 3, disp. 55, sect. 1, et fere omnes tum veteres, tum recentiores Theologi, ut etiam fatentur Pererius et Viegas.

(2) Corn. a Lapide, Salianus.

(3) S. Aug. l. 20 de Civit., c. 29; Iren. l. 5, c. 5 et aliorum citat. a Delrio, Bellarmino, a Lapide et Saliano.

(4) « V. 29: *Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus*, LXX legunt: *Iste quiescere faciet.* Hoc Lamechi vaticinium pluribus illustrat Sherlockius tom. 1 sui operis *De usu et finibus prophetiæ*, disc. 4, pag 145 seq. »

III.

IN GENES. V

Decem Patriarchæ antediluviani.

Illustre vestigium hujus traditionis reperitur apud plures ex vetustissimis populis: siquidem ii constanter primordia propriæ historiæ referunt ad Principes, numero *decem*. Ita veteres Persæ, uti primos gentis Iranicæ patres atque rectores, numerabant *decem Reges* stirpis Peischdadianæ seu Kajomarianæ: *viros* (ut sacra Persarum monumenta loquuntur) *legis antiquæ, qui nutriebantur puro* HOMA (potu immortalitatis) *et sanctitatem servabant*. Apud Indos celebrabantur *decem Pitris* (Patres), nempe *Brahma* cum novem *Brahmadikas*. Sinenses, ante reges historicos, memorant *decem Imperatores*, Semideos. Arabes recolebant *decem Reges* mythicos *Aditarum*, gentis videlicet quæ primo peninsulam Arabicam incoluit. Germani et Scandinavi in honore habebant *decem progenitores* Odini. Ægyptii, ante primam Dynastiam humanam quæ a Menes rege incipit, Dynastiam quamdam statuebant *decem Deorum* vel Semideorum, quorum nomina ita exhibentur in celebri Papyro Taurinensi: *Phtah, Ra, Su, Seb, Hosiri, Set, Hor, Tut, Ma, Hor*.

At ejusmodi traditio potissime conspicua est apud Babylonios sive Chaldæos, quorum natio præ ceteris arcto affinitatis vinculo juncta fuit cum progenitoribus gentis Hebraicæ. Ipsi enim, teste BEROSO, in Libro I *Antiquitatum Chaldaicarum*, et ordinem *decem Regum* statuebant, quorum nomina hæc sunt: *Adorus, Alaparus, Amelon, Ammenon, Megalarus, Daonus, Everodachus, Amempsinus, Otiartes, Xisuthrus;* et eos regnasse ajebant ab ipsa gentis humanæ origine usque ad Diluvium, quod in Xisuthri regnum incidit; et singulis regibus longævitatem tribuebant, comparabilem illi quæ in *Genesi* decem Patriarchis antediluvianis adscribitur; et denique summam regnorum (seu durationem mundi ante Diluvium) ita conflabant, ut, si sane eam interpreteris, mire consonet cum illa quæ ex computo biblico, juxta versionem LXX interpretum, emergit. Etenim summa illa est *120 sarorum*. Porro sarus civilis, juxta æstimationem SUIDÆ (in *Lexico* ad vocem Σαροι), æquat 222 menses lunares, idest annos lunares 18 1/2; unde 120 *sari* = 2220 annos lunares. Jamvero, juxta LXX, ab ortu Adami usque ad annum 600^m Noe, idest ad Diluvium, conficiuntur anni 2242; quæ summa vix differt a summa Babyloniorum. Vide, sis, quæ de hac re disputantur in *Civiltà Cattolica*, Serie X, Vol. VII, pag. 272-287.

BRUNENGO.

CAPUT VI.

Omnes pene homines, sed præ omnibus gigantes, fœdis libidinibus, aliisque sceleribus se corrumpunt. Hinc Deus minatur orbi excidium per diluvium, quod centesimo post anno immittit. Interim jubet Noe fabricare arcam, in qua tam ipse ejusque familia, quam reliqua animalia bina cujusque speciei, in semen posteritatis adserventur.

1. Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, et filias procreassent,

2. Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulcræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.

3. Dixitque Deus: Non permanet Cain. Et quidem filii Seth vocabantur filii Dei. Primo, ob sanctitatem, justi-

v. 2. *Videntes filii Dei filias hominum* — Non est hic sermo de angelis aut dæmonibus, incubis aut succubis [1]: sed de filiis et posteris duorum fratrum Seth

(1) Ut sensit Jos., Philo, Justin., Tertull., Lactantius, Burgens., F. Valesius et alii ap. a Lap.

bit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est; eruntque dies illius centum viginti annorum.

4. Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim egressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes a seculo viri famosi.

5. Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore,

6. Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus,

7. Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cæli: pœnitet enim me fecisse eos.

8. Noe vero invenit gratiam coram Domino.

9. Hæ sunt generationes Noe: Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.

10. Et genuit tres filios, Sem, Cham et Japheth.

11. Corrupta est autem terra coram Deo, et repleta est iniquitate.

12. Cumque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram),

13. Dixit ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra.

14. Fac tibi arcam de lignis lævigatis: mansiunculas in arca facies, et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus.

15. Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius.

tiam, temperantiam aliasque virtutes quibus toti mundo testatum faciebant se esse veros filios Dei [1]. Secundo, quia robusti erant, et viribus, forma, statura eximii. Nam Hebræa phrasi, omnia fortia, magna, egregia dicuntur esse Dei, ut *cedri Dei*, *montes Dei*, id est cedri et montes altissimi [2]. Filii vero et posteris Cain, mali parentis pejor soboles, dicebantur filii et filiæ hominum, primo, quia moribus perversi, et animo toti terræ affixi. Secundo, quia corporis robur, formam ac staturam enervarant nimis profusa libidine et luxu. Cum ergo, mortuo jam Adamo, translato Henocho, mortuo quoque Setho, non pauci ex posteris Seth, qui viribus erant integerrimis, spreta parentum monitione de non miscendis connubiis cum Cainitis, summo ardore libidinis adglutinarentur pulcrioribus et selectioribus filiabus Cain, ex hac commistione (natura vim suam omnem, et extremum potentiæ exserente) prognati sunt gigantes; seu homines monstrosa statura, robore, latrociniis et tyrannide insignes: qui suis sceleribus maxima potissimamque causa diluvii fuerunt, ut hic Moses insinuat, et Job 26, v. 5, et Sap. 14, v. 6.

ỳ. 3. *Spiritus meus*, id est, anima et vita homini a me inspirata, Genes. 2, vers. 7, *non permanebit in homine in æternum*, Hebraica phrasi, id est, in longum tempus, quale sibi quisque imaginatur et promittit. Sed *erunt dies illius centum viginti annorum*, id est, non dabo ulteriores mundo inducias quam ad 120 annos, quibus tentabo num destituri sint a malo, nec ne: nam si tempus hoc, quod ad agendam pœnitentiam ipsis indulgeo, negligant, eo exacto omnes delebo per diluvium quod orbi inducam. Non ergo statuitur hic singulis hominibus certus vitæ terminus, ut vult Josephus, Lactantius, Procopius apud Salianum, quia plurimi deinceps longe diutius supervixerunt, ut patet Genes. 11. Sed toti tunc generi humano (ut dixi [3]), spatium pœnitentiæ præscribitur. Et hoc ipsum revelat hic Deus Noe, ut ipse ille toti mundo palam faciat non solo verbo, sed et longa arcæ inusitatæ fabrica, qua diluvium orbi ob infanda scelera imminens et prædicebat omnibus, et publice, ni pœniterent, comminabatur.

(1) Ita Chrysost, Cyrill., Theodoret., Rupertus, Hilarius, apud eund. et Salianum.
(2) Ita Oleaster.
(3) Ita Chaldæus et LXX; Hieron., Chrysost., Aug. lib. 15 de Civit., c. 24.

16. Fenestram in arca facies, et in cubito consummabis summitatem ejus: ostium autem arcæ pones ex latere: deorsum, cœnacula et tristega facies in ea.

17. Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cælum: universa quæ in terra sunt, consumentur.

18. Ponamque fœdus meum tecum; et ingredieris arcam tu et filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum tecum.

19. Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum: masculini sexus et feminini.

20. De volucribus juxta genus suum, et de jumentis in genere suo, et ex omni reptili terræ secundum genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere.

21. Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, et comportabis apud te: et erunt tam tibi, quam illis in cibum.

22. Fecit igitur Noe omnia quæ præceperat illi Deus.

℣. 16. *Deorsum, cœnacula et tristega facies in arca — Deorsum*, id est, infima tabulata: *cœnacula*, id est, media tabulata: *tristega*, id est, tertia seu suprema tabulata. Ita Hebræa et Chaldæa. Erant enim in arca tres contignationes seu tabulata, quæ discriminabant quaterna spatia. Primum et infimum spatium erat sub infimo tabulato, scilicet locus saburræ ad librandam arcam in aquis et sentina ad sordes undique excipiendas, quæ postea per antlias, vel sportas et funes in altum reductæ, per fenestram superiorem ejiciebantur. Secundum spatium erat supra infimum tabulatum, seu in prima contignatione: ubi erat locus omnium animalium, in cellas utrimque distinctus. Tertium erat supra medium tabulatum, seu in secunda contignatione, ubi distinctæ erant apothecæ, quibus includebatur omne genus annonæ pro hominibus et animalibus, etiam dolia aquæ dulcis ad potum et ad lotionem. Quartum spatium erat in summo tabulato sub tecto, ubi ex una parte locus erat hominum cum sua culina, foco, furno, mola, lignili et penu: ex altera erant caveæ et nidi singularum avium cum suo pabulo. Nota. In singulis contignationibus erant ambulacra media, et in his scalæ quibus ex una in aliam ascendebant et descendebant. In pavimentis erant foramina et tubi, quibus et pabulum, et sordes, et quæcumque vellent, ad inferiora demittebant. In latere arcæ, a medio circiter usque ad verticem, erant passim foricæ seu foramina, tum ad respirationem, tum ad lumen hauriendum, tum ad sordes egerendas necessaria [1].

℣. 20. *Bina de omnibus*, id est mas et femella, *ingredientur tecum* — Hebraice *venient ad te*, scilicet sponte sua, feritate ad tempus deposita, vel saltem mitigata, adcurrent, idque vel Dei instinctu, vel angelorum impulsu: uti olim ad Adamum, Genes. 2, vers. 19 cum Adam illis omnibus sua nomina [2] indederet [3].

(1) Fuse hæc Joannes Buteo libro de Arca; et ex eo Pererius et alii.

(2) Ita S. Aug. supra c. 27.

(3) Vide Pelleterium de Arca; et Vesalini Acreii Pastoris Arcadis de eodem argumento dissertationem T. 1 coll. opusc. Mediol., fol. 11, 12 et 13

CAPUT VII.

Noe cum uxore, tribus filiis, et filiorum uxoribus, et cum delectis ex singulis animantibus ingreditur arcam; diluvio mox totam terram inundante.

1. Dixitque Dominus ad eum: Ingredere tu, et omnis domus tua, in arcam: te enim vidi justum coram me in generatione hac.

2. Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, masculum et feminam: de animantibus vero immundis duo et duo, masculum et feminam.

3. Sed et de volatilibus cæli septena et septena, masculum et feminam: ut salvetur semen super faciem universæ terræ.

4. Adhuc enim, et post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus; et delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ.

5. Fecit ergo Noe omnia quæ mandaverat ei Dominus.

6. Eratque sexcentorum annorum quando diluvii aquæ inundaverunt super terram.

7. Et ingressus est Noe et filii ejus, uxor ejus, et uxores filiorum ejus cum eo, in arcam propter aquas diluvii.

8. De animantibus quoque mundis et immundis, et de volucribus, et ex omni quod movetur super terram,

9. Duo et duo ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus et femina, sicut præceperat Dominus Noe.

10. Cumque transissent septem dies, aquæ diluvii inundaverunt super terram.

11. Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimodecimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cæli apertæ sunt:

℣. 2. *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena* — Nam ex mundis debebant plura adservari non solum ad speciei propagationem, sed etiam ad sacrificium, et ad esum post diluvium. Nota, hinc patere, distinctionem mundorum animalium ab immundis non fuisse a Mose primum invectam Levit. 11, sed fuisse etiam in lege naturæ, ab ipso verosimiliter Adamo, qui a Deo acceperat, filiis traditam, non tam ad esum (quia probabile est, saltem pios non edisse carnes ante diluvium) quam ad sacrificium. Ita S. Jo. Chrysost., Didymus, et alii.

Nota secundo, terrestrium animalium species ab Aria [1], Gesnero et Ulysse Aldrovando enumerari 150, exceptis serpentis et reptilibus, quorum Pererius numerat species 25. Ergo universim fuissent in arca 175 species terrestrium: inter quæ tantum sunt sex species majores equo, paucæ æquales, multæ minores ove, ut facile potuerint omnia in uno arcæ tabulato stabulare. Amphibia, et quæ ex putrefactione, et hybrides, id est, quæ ex diversarum specierum commixtione gignuntur, non fuerunt in arca.

℣. 11. *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ;* id est, omnia ostia voraginis illius subterraneæ profundissimæ et aquis initio mundi in ea a Deo reconditis [2] plenissimæ, unde et maria quædam, et flumina omnia et fontes scaturiunt. Ita ex S. Hieron., Basilio, Damasceno, Philone, Platone, Plinio, S. Bernardo, Isidoro, S. Thoma docent Conimbricenses [3] et Franciscus Valesius [4]. Triplex hic designatur causa diluvii, prima infera, nempe eruptio et inundatio tum maris, tum abyssi quæ non amplius coercita rivis, venis, alveis suis, ripas, littora,

(1) Lib. de Arca.
(2) Gen. 1, vers. 9.
(3) Tract. 9 in Meteora, c. 4.
(4) Sacræ Philosophiæ, c. 63.

12. Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus.

13. In articulo diei illius ingressus est Noe, et Sem, et Cham, et Japheth, filii ejus, uxor illius, et tres uxores filiorum ejus cum eis, in arcam:

14. Ipsi et omne animal secundum genus suum, universaque jumenta in genere suo, et omne quod movetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum, universæ aves, omnesque volucres

15. Ingressæ sunt ad Noe in arcam bina et bina ex omni carne in qua erat spiritus vitæ.

16. Et quæ ingressa sunt, masculus et femina ex omni carne, introierunt, sicut præceperat ei Deus: et inclusit eum Dominus deforis.

17. Factumque est diluvium, quadraginta diebus super terram: et multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime a terra.

18. Vehementer enim inundaverunt; et omnia repleverunt in superficie terræ: porro arca ferebatur super aquas.

19. Et aquæ prævaluerunt nimis super terram; opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cælo.

20. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat.

21. [1] Consumptaque est omnis caro

aggeres, aliaque obstacula omnia undique perrumpentia, obruebant totam terram. Cessante vero diluvio, aquis iterum in suas cavernas et abyssum reductis, ibique reclusis: dicuntur cap. 8, v. 2, *clausi fontes* hujus *abyssi*. Secunda causa diluvii, supera fuit. *Et cataractæ cæli apertæ sunt. Januas cæli* vocat David Psalmo 77. Est catachresis, qua significatur, ex media regione aeris (qui cælum in Scripturis vocatur) tanto impetu et fragore maximam aquarum vim in terras dejectam, ut totus aer per vastissimas scissuras quodammodo hiare videretur, et jam non guttatim aut stillatim, sed more torrentium flumina et fluctus effundere. Ita S. Jo. Chrysost., Rupertus et alii. Tertia causa etiam supera fuit, duratio pluviæ et imbrium per 40 continuos dies: Deo vapores et aerem in aquas assidue convertente, vel etiam aliqua de novo producente, donec consumptis omnibus et hominibus, et animantibus terrestribus et volucribus, altius quindecim cubitis omnes montes, etiam Olympum, etiam Atlantem, aquæ transcenderent.

Petes, an omnes homines ut corpore, ita et anima perierint in diluvio? Respondeo, ex epistola 1. S. Petri, c. 3, ubi dicit, Christum a morte, cum anima ad inferos descenderet, *prædicasse* (seu lætum redemptionis et eductionis e limbo nuntium attulisse) etiam *his spiritibus qui increduli fuerant aliquando in diebus Noe, cum fabricaretur arca;* certum videri, resipuisse non paucos, qui irruente diluvio et per 40 dies paullatim ingravescente, cum viderent jam factis ipsis impleri quæ Noe divino jussu prædixerat, animo ad Deum converso pœnituere serio, et veniam impetravere. Ita Lyranus, Cajetanus, Sa, Serarius [2], Bellarminus [3], Turrianus [4], Henriquez [5], Suarez [6], Torniellus, Salianus [7].

℣. 16. *Inclusit eum Dominus deforis* — Hebraice, *clausit pro eo*, q. d. Cum Noe arcæ inclusus non posset solide contra aquas obstruere ostium pensile, per quod tam ipse, quam omnia animalia ingressa fuerant, Deus curavit per angelum extrinsecus illud obstrui, et bitumine oblini.

(1) Sap. 10, v. 4; Eccli. 39, v. 28; 1. Petr. 3, v. 20.
(2) In 1. Petr. 3, vers. 20.
(3) L. 4 de Christo, c. 13.
(4) Pro ep. Ponc., c. 12. (5) Lib.ult., cap. 19.
(6) Tom. 2 in 3 p., disp. 43, sect. 3.
(7) Videe hic naturales diluvii caussas, sed a Deo vindice suprà naturæ leges ad hominum internecionem motas, adjutasque. Itaque frustra illi sunt, qui aquarum altitudinem sollicite putant, ut cum Isaaco Vossio, et impio Præadamitici systematis fabricatore Isaaco Peyrerio non universum orbem, sed unam ejus tantum partem diluvio periisse confirment. Quid enim humani calculi, ubi de miraculo agitur? Quamquam et qui diluvium non generale orbis totius, sed peculiare comminiscuntur, ad miracula confugere illos oportet. Nonne igitur præstat, eam tueri sententiam, quam Patres omnes defendunt et Moses clarissime indicat? Confer Calmetii dictionarium V. *Diluvium*, Natalem Alexandrum, etc.

quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium quæ reptant super terram: universi homines,

22. Et cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt.

23. Et delevit omnem substantiam quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres cæli: et deleta sunt de terra: remansit autem solus Noe et qui cum eo erant in arca.

24. Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus.

CAPUT VIII.

Sensim minuitur, ac tandem cessat finiturque diluvium; quod Noe discit ex ramo olivæ, quem attulit columba. Mox jussu Dei egreditur ex arca cum omnibus suis. Et in gratiarum actionem Deo sacrificium offert; quo placatus Deus, promittit numquam deinceps fore simile diluvium.

Porro cum diluvio finitur prima mundi ætas, quæ fuit annorum 1657. Et post diluvium inchoatur secunda, quam finiemus cum egressu filiorum Israel ex Ægypto.

1. Recordatus autem Deus Noe, cunctorumque animantium et omnium jumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ.

2. Et clausi sunt fontes abyssi, et cataractæ cæli: et prohibitæ sunt pluviæ de cælo.

3. Reversæque sunt aquæ de terra euntes et redeuntes; et cœperunt minui post centum quinquaginta dies.

4. Requievitque arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super montes Armeniæ.

5. At vero aquæ ibant et decrescebant usque ad decimum mensem: decimo enim mense, prima die mensis, apparuerunt cacumina montium.

6. Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram arcæ quam fecerat, dimisit corvum:

7. Qui egrediebatur, et non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram.

8. Emisit quoque columbam post eum, ut videret si jam cessassent aquæ super faciem terræ.

9. Quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam; aquæ enim erant super universam terram: extenditque manum, et apprehensam intulit in arcam.

10. Expectatis autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex arca.

11. At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Intellexit

℣. 1. *Adduxit* Dominus *spiritum super terram* — Non dicit, *spiritum suum*, vel *spiritum Dei*, ut Genes. 1, v. 2, sed in genere *spiritum*, id est ventum, puta validum et urentem, qualem emisit cum aperuit mare rubrum filiis Israel, Exodi 14, qui una nocte tam vastum maris spatium vertit in siccum. Sed hic ventus non tam naturali, quam divina vi siccavit et absumpsit aquas diluvii. Adde, magnam aquarum partem, ut inchoante diluvio de novo producta fuerat a Deo, sive ex aere, sive ex alia materia (ut facillimum est Deo quidvis in quodvis commutare): ita nunc cessante diluvio rursus in aerem, et primævam materiam conversam fuisse. Reliquæ rursus inclusæ et conclusæ in abysso sua subterranea, et littora posita maris, et ripæ fluviis, ne transiliant fines suos.

ergo Noe quod cessassent aquæ super terram.

12. Expectavitque nihilominus septem alios dies: et emisit columbam, quæ non est reversa ultra ad eum.

13. Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ super terram: et aperiens Noe tectum arcæ, aspexit, viditque quod exsiccata esset superficies terræ.

14. Mense secundo, septimo et vigesimo die mensis, arefacta est terra.

15. Locutus est autem Deus ad Noe, dicens:

16. Egredere de arca, tu et uxor tua, filii tui et uxores filiorum tuorum tecum.

17. Cuncta animantia quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus quam in bestiis et universis reptilibus, quæ reptant super terram, educ tecum, et ingredimini super terram: [1] crescite et multiplicamini super eam.

18. Egressus est ergo Noe, et filii ejus, uxor illius, et uxores filiorum ejus, cum eo.

19. Sed et omnia animantia, jumenta et reptilia, quæ reptant super terram secundum genus suum, egressa sunt de arca.

20. Ædificavit autem Noe altare Domino: et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.

21. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: [2] sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: non igitur ultra percutiam omnem animam viventem sicut feci.

22. Cunctis diebus terræ, sementis et messis, frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies non requiescent.

℣. 13. *Sexcentesimo primo anno*, scilicet vitæ Noe, usque eo *imminutæ sunt aquæ*, ut appareret *exsiccata superficies terræ* — id est, nudata jam aquis. Quia tamen limosa adhuc erat, neque pedibus pervia, post alios demum 56 die dicitur versu sequenti prorsus *arefacta* et siccata; et Noe cum suis jussus *egredi, et super terram ingredi*. Nota. Diluvium cœpit *anno sexcentesimo vitæ Noe, mensis secundi die septimodecimo* [3]. Finitur vero cum egressu Noe ex arca *anno* ejusdem 601 *mensis secundi die vigesimoseptimo* [4]. Ergo duravit annum integrum solarem [5]: lunarem vero annum integrum, et insuper decem dies [6].

℣. 21. *Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt* — Hebraice est, *figmentum cordis humani malum est*. Infert Lutherus et Calvinus. Ergo ipsa natura seu essentia hominis, puta ratio et voluntas, mala est, neque aliud potest quam peccare. Sed quam inepte, nemo non videt. Nam *ratio et voluntas* hominis, seu essentia, non est *figmentum cordis humani*, sed *Dei* ipsius. Figmentum vero, seu quod fingitur et producitur a corde humano, est *sensatio et cogitatio*, ut noster cum LXX et Rabbinis optime vertit. Quæ *mala* sunt *non necessario*, aut aliqua necessitate, *sed libere*, ex libero cordis seu voluntatis humanæ decreto: ut dixit supra cap. 4, v. 7. Quia tamen cor, seu voluntas, etsi libera, pronior tamen in malum erat, quam in bonum: et sæpius mala fingebat quam bona; hinc Noster bene vertit, *prona in malum*.

(1) Sup. 1, v. 28; Inf. 9, v. 1.
(2) Sup. 6, vers. 3; Matth. 15, vers. 19.
(3) Cap. 7 Gen., vers. 11.
(4) Hic vers. 14 et Chron., cap. 11.
(5) Chronici cap. 4 et 5.
(6) Et ait: *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines*. Vide Sherlockium *De usu et finibus prophetiæ*, tom. 1, p. 166.

IV.

IN GENESIS VI, VII, VIII, *Diluvium*.

Heic operæ pretium est cum narratione Mosaica conferre historiam *Diluvii*, qualis habetur apud veteres Babylonios. Hæc enim et est, inter eas quæ de Diluvio apud fere omnes priscos populos (exceptis Nigris) circumferuntur, omnium antiquissima; et longe ceteris amplior; et apprime consona, quoad substantiam et ordinem narrationis, cum Mosaica; ita ut nullum sit dubium, quin ad ipsam primigeniam traditionem hominum postdiluvianorum sit referenda.

Ea vero continetur, compendio quidem apud Berossum, integre vero in vetustissimo Poemate Chaldæo (unde Berossus compendium suum manifeste confecit), quod ab *Izdubar*, Poematis heroe, nomen habet, et 12 tabulis comprehenditur, signis cuneiformibus, assyrico idiomate, conscriptis; quarum aliquot exemplaria, licet mutila, reperta paucos ante annos fuere in bibliotheca palatii regis Assurbanipal (is floruit mediante seculo VII a. C.) in urbe Ninive, et nunc Londini in Museo Britannico asservantur. Docti opinantur, et jure quidem, Poematis antiquitatem assurgere ultra seculum XX a. C., ac proinde ætatem ipsius Abrahæ, nedum Mosis, prætergredi.

Tabula XI[a] habet narrationem Diluvii. Cum enim *Izdubar*, post plura gesta atque itinera, se ad ostia Euphratis contulisset, consulturus *Hasisadram*, ultimum e decem regibus antediluvianis (eumdem ac *Xisuthrum* Berossi, qui respondet biblico *Noe*), quem ibi, in regione quadam segregata, immortalitate donatum, vivere fama referebat; eumque interrogasset, quo pacto immortalitatem fuisset consecutus; *Hasisadra* respondet, Diluvii historiam enarrans et edocens, quomodo ipse ab universali interitu ob suam erga Deos pietatem, servatus in navi a se, Deorum jussu, constructa fuerit, et deinde immortalis factus.

Integram narrationem videre licet, ex idiomate assyrico translatam, anglice apud Georgium SMITH (*Assyrian Discoveries*, London, 1875, pag. 184-193; et *Chaldean Account of Genesis*, London, 1876); gallice apud Franciscum LENORMANT (*Les Origines de l'histoire*, Paris, 1880, pag. 601-618), et apud Joachim MÉNANT (*La Babylone et la Chaldée*, Paris, 1875, pag. 23-29); germanice apud Hermann DELITZSCH (*G. Smith's Chaldäische Genesis*, Leipzig, 1876, pag. 223-229); italice in *Civiltà Cattolica* (Serie X, Vol. VII, pag. 533-539), ubi etiam plura, de consonantia narrationis Chaldaicæ cum Mosaica quoad substantiam, et de discrepantiis quoad minoris momenti adjuncta, opportune disseruntur. Nos, paucis omissis, insigniores omnes et luculentiores tractus, ex LENORMANTII potissimum interpretatione, heic lectori subjicimus.

« *Hasisadra* post hæc dixit Izdubaro: (Petis) ut tibi revelem, o Izdubar, historiam meæ conservationis, et decretum Deorum tibi dicam? Urbs *Surippak*, quam nosti, ad Euphratis oram sita, antiqua... *Anu...*, *Bel...*, *Sandan*, et *Ea* dominus immutabilis eorum (Deorum) præceptum iteravit in somnio, et ego ejus decretum audiens (fui) et dixit mihi: Vir urbis Surippak, fili *Ubaratutu* (seu *Obartis*, vel *Otiartis*, qui fuit nonus rex antediluvianus, juxta Babylonios), ædifica tibi navem, perfice illam... Ego destruam semen et vitam. Adduc etiam semen vitarum omnis speciei intra navem. Navis, quam construes, 600 cubitos longitudinis mensuram habebit, 60 cubitos latitudinem, ac totidem altitudinem ;..... super oceano, cooperi eam tecto. Ego intellexi, et dixi *Ea* domino meo: Navem quam tu construere ita imperas..... ego perficiam..... filii populi et senes. *Ea* dixit mihi servo suo:..... Ipsis dices..... Judicare volo supra et infra... Navem claude..., tempore statuto quod tibi notum faciam, ingredere in ipsam et portam navis retrahe. In ejus sinu triticum tuum, vasa, alimenta tua, argentum tuum, famulos, et famulas tuas et filios populi, bestias campi, feras campi, omnes quas congregabo et ad te mittam, custodiet porta tua.

« Vehementer..... quinto die..... surgebant. Ejus ambitus 14 omnino numerabat..... Ego tectum ejus imposui..... eam operui. Navigavi intus sexto (die), tristega ejus divisi septimo, interiores ejus partes divisi octavo; rimas aquarum interioris ejus interclusi, rimas vidi et res deficientes apposui. Tres *saros* (mensuras) bituminis effudi super exteriorem

(parietem), tres saros bituminis effudi super interiorem. Tres sari hominum capsas portantium portaverunt super capita sua capsas. Servavi unum sarum capsarum ad alendam familiam. Binos saros capsarum inter se diviserunt nautæ..... Mactavi boves, institui..... pro singulis diebus.....; potum, utres et vinum..... velut aquas fluminis, et..... velut pulverem terræ, et... capsas manu mea portavi..... Solis..... navis perfecta fuit..... Navis armamenta portari jussi, supra et infra..... pervenerunt ad ejus duas tertias (partes). Quidquid habebam congregavi, quidquid possidebam argenti, auri, seminis vitarum omnis speciei congregavi. Omnia in navem ascendere feci, famulos et famulas meas, bestias campi, feras campi, filios populi omnes ascendere feci.

« Tempore statuto, *Samsu* (Sol) cœpit et annunciavit clamans: — Vespere pluere faciam de cælo vehementer; ingredere in navem et claude portam tuam. — Tempus statutum advenit, (quod) annunciaverat clamans: — Vespere pluere faciam de cælo vehementer — Ad vesperam diei illius perveni; diem expectando, pertimui; in navem ingressus sum et clausi portam meam. Navem claudens, *Buzurschadirabi*, gubernatori navis, domum permisi cum rebus suis..... Surrexit e fundamentis cæli nubes nigra. *Rammanu* (Deus atmosphæræ et procellarum) in ejus medio tonabat; et *Nabu* et *Schar* gradiebantur anterius, gradiebantur subvertentes montem et planitiem. *Nergal* potens subversiones intulit; *Sandan* progressus est, diruens; archangeli terræ (*Anunnaki*) attulerunt ruinas, terrore suo agitaverunt faciem terræ. Inundatio *Rammani* intumuit usque ad cælum; tellus orba splendore in desertum mutata fuit... faciei terræ, uti..... ruperunt, viventia de facie terræ..... terribilis super homines intumuit usque ad cælum. Frater fratrem non vidit, homines sese mutuo non agnoscebant. In cælo Dii timuere procellam et refugium quæsivere; ascenderunt ad cælum (Dei) *Anu*. Dii, veluti canes, erant immobiles, jacebant alius super alium. *Istar* locuta est tamquam infans. Magna Dea protulit sermonem suum: — Genus humanum in limum rediit; et quod ego coram Diis annuntiavi malum..... hominum meorum terribile.....; et ego mater peperi hominem meum, et veluti filii piscium replent mare, et Dii, propter archangelos terræ, mecum plorant. — Dii super sedes sedebant plorantes; clausa erant labia eorum..., res futuras.

« Sex dies et noctes fluxere; ventus, procella, imber diluvianus prævalebant. Septimo die, cœpit imber interrumpi; procella horribilis, quæ veluti terræmotus ingruerat, quievit; mare cœpit exsiccari, et ventus et procella finem habuere. Ego respexi ad mare attente, et universum genus humanum redierat in limum; cadavera supernatabant velut junci. Aperui fenestram, et lumen perculit faciem meam. Dolore confectus sedi, ploravi; super vultum meum fluxere lacrimæ meæ.

« Respexi ad regiones, maris confinia; ad 12 omnino horizontis plagas nulla tellus. Ad regionem *Nizir* delata fuit navis. Mons Nizir navem retinuit, nec ultra pertransire illi permisit: una die, secunda die, mons Nizir, item; tertia die, quarta die, mons Nizir, item; quinta, sexta die, mons Nizir, item. Septima die ineunte, emisi et laxavi *columbam;* columba ivit, in gyrum abiit, et locum ubi sisteret non invenit, et reversa est. Emisi et laxavi *hirundinem;* hirundo ivit, in gyrum abiit, et locum ubi sisteret non invenit, et reversa est. Emisi et laxavi *corvum;* corvus ivit, et cadavera aquarum vidit, et comedit, stetit, in gyrum abiit, non est reversus. Egredi (omnes) jussi ad quatuor ventos. Sacrificium obtuli; feci rogum holocausti super verticem montis; septena et septena vasa mensurata disposui; subter illa expandi arundines, cedrum, juniperum. Dii sensere odorem; Dii sensere fragrantiam; Dii, veluti muscæ, super sacrificium convenerunt.....

« Diebus illis oravi ardenter, et numquam cessabo: — Dii veniant ad meum rogum holocausti! *Bel* numquam veniet ad meum rogum holocausti, quia se non continuit, et procellam fecit, et meos homines in gurgite perdidit — ..... *Ea* os suum aperuit, et locutus est; dixit bellatori *Bel:* — Tu, præco Deorum, bellator, quoniam te non continuisti, procellam fecisti. Peccatori onus impone peccati sui, blasphematori onus impone blasphemiæ suæ..... Loco procellæ, superveniant leones et homines comminuant! Loco procellæ, superveniant hye-

næ et homines comminuant! Loco procellæ, esto fames, et facies terræ.....! Loco procellæ, *Dibbarra* (Deus pestis) superveniat, et homines.....! — Ego decretum Deorum magnorum non introspexi; *Hasisadra* somnium interpretatus est et decretum Deorum intellexit.

« Et ecce decretum ejus impletum fuit. Ascendit *Bel* in interiorem partem navis; manum meam prehendit et me erexit; erexit et ad latus meum duxit uxorem meam. Ad nos conversus est et stetit; appropinquavit nobis (et dixit): — Antehac *Hasisadra* (erat) homo mortalis; et ecce *Hasisadra* et ejus conjux, ut vivant similes Diis, transportantur; et habitabit utique *Hasisadra* in regione remota, ad os fluviorum — Ipsi me prehenderunt et in regione remota, ad os fluviorum, me habitare fecerunt. »

BRUNENGO.

CAPUT IX.

Deus Noe, ejusque posteris benedicit. Esum carnis indulget, non tamen sanguinis. Homicidii pœnam sancit. Iridem tesseram dat pacti de non inducendo iterum diluvio. Noe ebriatur. Cham maledicitur.

1. Benedixitque Deus Noe et filiis ejus. Et dixit ad eos: [1] Crescite, et multiplicamini, et replete terram.

2. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, et super omnes volucres cæli, cum universis quæ moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.

3. [2] Et omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia:

4. [3] Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.

5. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: et de manu hominis, de manu viri et fratris ejus, requiram animam hominis.

6. [4] Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: quia ad imaginem Dei factus est homo.

℣. 4. *Carnem cum sanguine non comedetis:* sed neque sanguinem seorsim. Prohibet enim omnem esum seu sumptionem sanguinis, sive liquidus is sit et potabilis, sive fartus et coagulatus, ut est in farciminibus: sive adhuc in animali existat, ut in morticinis et suffocatis. Ita Eucherius, Lyranus, Tostatus et alii [5]. Rationem dat S. Jo. Chrysost. [6]: Ut nempe, etiam post diluvium, mortales intelligerent, habere se Dominum, qui pro arbitrio jubere et vetare possit quod lubeat. Deinde, ut comprimat perversum impetum et propensionem ad homicidia, ne scilicet assuescendo sanguini bestiarum, tandem nec humano parcerent. Denique ut ostendat Deus quam sibi cordi sit sanguis et vita hominis, subdit, *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum* — Id est, puniri volo etiam bestiam, si illa hominem occiderit. Ita jussit etiam Exodi 21, v. 28 [7], et Levit. 17, v. 11, ubi et duas alias causas vetiti esus sanguinis exponit Deus [8].

(1) Sup. 1, vers. 22; et 8, vers. 17.
(2) Sup. 1, vers. 29. (3) Jerem. 17, vers. 14.
(4) Matth. 26, vers. 52.
(5) Carthusianus, a Lapide.
(6) Hom. 27.
(7) Ita Abulensis, Oleaster et alii.
(8) Hoc unum est ex septem Noachidarum præceptis, quæ ex Hebræorum traditione, lutulento scilicet fonte hausit Joannes Seldenus aitque jus naturæ et gentium constituisse a Noachidis omnibus servandum, a Gentibus scilicet ab Hebræa distinctis. Nempe hæc ille enumerat: I. *De cultu extraneo;* II. *De maledictione Nominis sanctissimi;* III. *De effusione sanguinis,* seu *homicidio;* IV. *De revelatione turpitudinum,* seu *illicito concubitu;* V. *De furto, ac rapina;* VI. *De judiciis,* seu *regimine forensi, ac obedientia civili;* VII. *De membro animalis viventis non comedendo.* Hæc, illustrat Natalis Alexander *in secundam mundi ætatem,* dissert. 2, sed juris naturalis disciplina isthæc ex hebraicis fontibus imperfecta est, incerta et manca, quemadmodum breviter ostendit P. Schwarz S. J. in *Prolegomenis ad Institutiones Juris publici universalis,* p. 30.

num sanguinem, fundetur sanguis illius: [1] ad imaginem quippe Dei factus est homo.

7. [2] Vos autem crescite et multiplicamini, et ingredimini super terram, et implete eam.

8. Hæc quoque dixit Deus ad Noe, et ad filios ejus cum eo:

9. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos:

10. Et ad omnem animam viventem quæ est vobiscum, tam in volucribus quam in jumentis et pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, et universis bestiis terræ.

11. [3] Statuam pactum meum vobiscum, et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram.

12. Dixitque Deus: Hoc signum fœderis quod do inter me et vos, et ad omnem animam viventem quæ est vobiscum in generationes sempiternas:

13. Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram.

14. [4] Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus:

15. Et recordabor fœderis mei vobiscum, et cum omni anima vivente quæ carnem vegetat: et non erunt ultra aquæ diluvii ad delendam universam carnem.

16. Eritque arcus in nubibus, et videbo illum, et recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum et omnem animam viventem universæ carnis, quæ est super terram.

17. Dixitque Deus ad Noe: Hoc erit signum fœderis, quod constitui inter me et omnem carnem super terram.

18. Erant ergo filii Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham et Japheth: porro Cham ipse est pater Chanaan.

19. Tres isti filii sunt Noe: et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram.

20. Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam.

21. Bibensque vinum inebriatus est, et nudatus in tabernaculo suo.

22. Quod cum vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras.

23. At vero Sem et Japheth pallium imposuerunt humeris suis, et incedentes retrorsum, operuerunt ve-

℣. 13. *Arcum meum ponam in nubibus* — id est, iridem. Non quod illa ante diluvium in nubibus non apparuerit [5] (cum naturaliter radii solis reverberentur in nube rorida, unde iris exsurgit, quando sol, oculus, et centrum iridis in eamdem lineam rectam concurrunt): sed quia non apparuit tamquam *signum fœderis* divini. Nam ante tantum erat naturale signum pluviæ, præsertim si matutino tempore appareat: post diluvium vero assumpta est a Deo in *signum* ex beneplacito numquam amplius futuri diluvii [6]. Hoc vero *signum* Deus aptissime posuit *in nubibus*, quia e nubibus aquæ delapsæ fuerant, et inde rursus metuendum erat diluvium [7].

(1) Apoc. 13, vers. 19.
(2) Sup. 1, vers. 28; 8, vers. 17.
(3) Isa. 54, vers. 9.
(4) Eccli. 43, vers. 12.
(5) Ut vult Alcuinus et Glossa.
(6) Vide Valesium, cap. 9.
(7) 20. [4] *Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam*, nempe cujus noverat utilitatem. Nam quod nullum vini fuisse usum apud antediluvianos homines plerique sentiunt, mihi satis haud est verisimile. Quid? quod Matth. 24, vers. 38 ait Christus diluvium irruisse in homines *edentes et bibentes:* quæ verba quemadmodum hominum arguunt in *edendo* voracitatem, ita et in *bibendo* luxuriem; at hujus qui locus, si vinum fuisse ignotum sumitur? vers. 21: *Bibensque vinum inebriatus est*, non tamen graviter peccavit: inebriatus est enim sive ex ignorantia, ut putat Chrysost. hom. 29, ceterique qui ante diluvium negant vinum obtinuisse, sive ob provectiorem ætatem, calorisque debilitatem, cujus caussa vinum facile senibus rationis lumen obnubilat, sive ob vini vehementioris, quam putaverat, vim et qualitatem. „

renda patris sui: faciesque eorum aversæ erant, et patris virilia non viderunt.

24. Evigilans autem Noe ex vino, cum didicisset, quæ fecerat ei filius suus minor,

25. Ait: Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.

26. Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus.

27. Dilatet Deus Japheth, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus.

28. Vixit autem Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis.

29. Et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum, et mortuus est.

℣. 25. *Maledictus Chanaan.* In filio sceleris conscio, forsan et auctore et indice (ut volunt Hebræi et Theodoretus) punitur parens: sed maxime in posteris illius Chananæis, qui a Josue et Israelitis expulsi et excisi sunt. Nam propter hos maxime scripsit hæc Moses, ut doceat juste expulsos fuisse. *Erit servus servorum* — id est, infimus et [1] vilissimus servus fratrum suorum. Id impletum partim Josue 9 cum, excisis Chananæis, Gabaonitæ, qui dolo mortem evaserant, perpetuo servitio Judæorum tamquam mancipia, addicti fuerunt. Partim 2. Paral. 8, vv. 7 et 8, ubi Salomon reliquias Chananæorum Judæis *tributarios* et servos fecit.

℣. 27. *Japheth habitet in tabernaculis Sem* — Benedictio hæc Japhethi et temporalis fuit, et spiritalis. Nam posteri *Japhethi*, puta Gentiles Europæi, et maxime Romani, imperium temporale suum extenderunt in Judæos posteros et filios *Sem*, et in omnia loca quæ tam ipsi incoluerunt, quam reliqui filii et posteri Sem et Chanaan, fere ad Indiam usque spirituale quoque imperium, cum ad Christum illi conversi sunt et veram religionem et Ecclesiam (e qua isti exciderunt) amplexi, per primatum Ecclesiæ et sedem Pontificiam longe latius extenderunt [2].

℣. 28. *Vixit Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis* — Vidit ergo turrim Babel: vidit posteros suos numero immenso auctos per orbem dispergi: vidit invalescente idololatria pene omnes a vero Dei cultu deflectere: vidit denique cum prima Assyriorum monarchia filiorum et nepotum suorum assidua et horrenda bella, eductis subinde a Nino in aciem [3], equitum ducentis millibus, peditum decies septies centenis millibus, adversus Zoroastrem regem Bactrianorum, qui et ipse supra quadringenta millia sub signis habebat. Neque id mirum, cum plurium simul uxorum esset usus; et omnes et toti vacarent generationi: uno tamen excepto Noe, qui insigni continentiæ exemplo totis his 350 annis quibus a diluvio supervixit, et verosimillime etiam aliis centum immediate ante diluvium, quibus fabrica arcæ occupabatur, nullos prorsus liberos suscepit. Nam ex nullis aliis quam ex *Sem*, *Cham* et *Japheth* (ut hic v. 19 dicit Scriptura) *disseminatum est omne genus hominum super universam terram.* Hi vero tres nati fuerunt centum circiter annis ante diluvium, ut dicitur cap. 5, v. ult.

(1) V. Prolegom. de idiotismis Hebr., n. 50, pag. 189 hujus vol.

(2) Vide S. Hieronymum, Chrysost., hom. 29, et Rupertum l. 4, c. 39, Cornelium a Lapide et Jac. Bonfrerium.

(3) Ita ex Ctesia Diodorus, l. 1, 3.

CAPUT X.

Catalogus texitur filiorum et posterorum Japheth, Cham et Sem, e quibus orti sunt omnes qui nunc vivunt mortales.

1. [1] Hæ sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham et Japheth: natique sunt eis filii post diluvium.

2. Filii Japheth: Gomer, et Magog, et Madai, et Javan, et Thubal, et Mosoch, et Thiras.

3. Porro filii Gomer: Ascenez, et Riphath, et Thogorma.

4. Filii autem Javan: Elisa et Tharsis, Cetthim et Dodanim.

5. Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam et familias suas in nationibus suis.

6. Filii autem Cham: Chus, et Mesraim, et Phuth, et Chanaan.

7. Filii Chus: Saba, et Hevila, et Sabatha, et Regma, et Sabatacha. Filii Regma: Saba et Dadan.

8. Porro Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra,

9. Et erat robustus venator coram Domino. Ob hoc exivit proverbium: Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.

10. Fuit autem principium regni ejus Babylon, et Arach, et Achad, et Chalanne in terra Sennaar.

11. De terra illa egressus est Assur, et ædificavit Niniven et plateas civitatis, et Chale.

℣. 8. *Nemrod cœpit esse potens*, scilicet tam mole corporis, quam robore, audacia, crudelitate. Unde LXX pro *potens* legunt gigas. Hic *erat robustus venator*, non tantum ferarum, sed et hominum, quos instar prædonis et tyranni partim vi et armis, partim insidiis et dolo captabat, spoliabat, sibi subjiciebat et servire cogebat. Et quidem *coram Domino* erat talis, id est, revera et eximie, utpote etiam judicio Dei qui falli non potest.

Petes, quis hic Nemrod? Respondeo fuisse Jovem seu Belum Saturni filium, patrem Nini. Nam in utrumque quadrant quæ de tempore, quæ de loco, quæ de tyrannide et imperio, quæ de pravis moribus utriusque Euseb., Hieron., August. [2] et alii scriptores tradidere. Utrumque faciunt primum monarchiæ Assyriacæ auctorem, utrumque primum regem et conditorem turris et urbis Babel seu Babylonis: utrumque primum auctorem idololatriæ: utrumque regnasse 65 annis. Huic in imperio et tyrannide successit filius Ninus, qui patrem suum Belum seu Bel et Baal (nam hæc erant Nemrodis et Jovis cognomina, q. d. *Dominum* et *dominatorem*) constructo illi templo et sepulcro magnificentissimo, jussit publice pro Deo coli; et morum ferocia ac gentium devictarum fama etiam superavit, teste Justino, Strabone, Diodoro Siculo et aliis. Hic Ninus infra v. 11 vocatur *Assur*, quia dominus et monarcha Assyriorum, in quorum a se subactorum finibus, sibi cognominem condidit Ninivem, seu Ninam, regia sua et sede imperii in eam translata. Et *plateas* in ea construxit, scilicet illas latas et longas Jonæ 3, *itineris trium dierum*. Ita sanctus Hieronymus et Diodorus Siculus [3], qui addit, ambitum murorum Ninives fuisse 480 stadiorum, hoc est, 60 milliarium Italicorum [4]. Probabilius tamen putarim, *plateas* hic accipi pro nomine proprio urbis. Nam in Hebræo, Chaldæo, Græco et Arabico legimus *Plateas civitatem*. Et 1. Paralip. 1, vers. 48 etiam Hebræum nomen *Rohoboth* retinetur in Latino textu: uti et Genes. 36, v. 37, et pro civitate ponitur.

(1) 1. Paral. 1, vers. 5.
(2) Eusebius in Chr., Hieron. in QQ. Hebr., Aug. 16 de Civit., cap. 7.
(3) S. Hieron. supra; Diod. l. 2.
(4) Vide Pererium, a Lapide, Bonfrerium.

12. Resen quoque inter Niniven et Chale: hæc est civitas magna.

13. At vero Mesraim genuit Ludim, et Anamim, et Laabim, et Nephthuim,

14. Et Phetrusim, et Chasluim: de quibus egressi sunt Philisthiim et Caphtorim.

15. Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum,

16. Et Jebusæum, et Amorrhæum, Gergesæum,

17. Et Hevæum, et Aracæum, Sinæum,

18. Et Aradium, Samaræum, et Amathæum: et post hæc disseminati sunt populi Chananæorum.

19. Factique sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram usque Gazam, donec ingrediaris Sodomam et Gomorrham, et Adamam, et Seboim, usque Lesa.

20. Hi sunt filii Cham in cognationibus, et linguis, et generationibus, terrisque et gentibus suis.

21. De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Japheth majore.

22. [1] Filii Sem: Ælam, et Assur, et Arphaxad, et Lud, et Aram.

23. Filii Aram: Us, et Hul, et Gether, et Mes.

24. At vero Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber.

25. Natique sunt Heber filii duo: nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus divisa sit terra: et nomen fratris ejus Jectan.

26. Qui Jectan genuit Elmodad, et Saleph, et Asarmoth, Jare,

27. Et Aduram, et Uzal, et Decla,

28. Et Ebal, et Abimael, Saba,

29. Et Ophir, et Hevila, et Jobab: omnes isti filii Jectan.

30. Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar montem orientalem.

31. Isti filii Sem secundum cognationes, et linguas, et regiones in gentibus suis.

32. Hæ familiæ Noe juxta populos et nationes suas. Ab his divisæ sunt gentes in terra post diluvium.

℣. 14. *Caphtorim* — Hebræum nomen, Deut. 2, v. 23, vertitur a Nostro vulgato *Cappadoces*. Qui quales fuerint, ibidem exponam.

Reliqua hujus capitis vide 1. Paral. 1 et Chronici nostri c. 46, ubi ponitur *arbor genealogiæ* omnium Patriarcharum veteris testamenti.

(1) 1. Paral. 1, vers. 17.

CAPUT XI.

Construitur turris Babel. Linguæ dividuntur, et gentes disperguntur in omnes partes orbis. Texitur genealogia Sem usque ad Abraham: qui ex Ur Chaldæorum migrat in Haran et Chanaan.

1. Erat autem terra labii unius, et sermonum eorumdem.

2. [1] Cumque proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, et habitaverunt in eo.

3. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, et bitumen pro cæmento:

4. Et dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cælum: et celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.

(1) Sap. 10, vers. 5.

5. Descendit autem Dominus, ut videret civitatem et turrim quam ædificabant filii Adam;

6. Et dixit: Ecce, unus est populus, et unum labium omnibus: cœperuntque hoc facere, nec desistent

℣. 5. *Descendit Dominus, ut videret civitatem et turrim* — Anthropopathos, quia tunc primum Deus patefecit miraculo confusionis linguarum, et pœna inflicta, se præsentem esse; et videre insanam substructionem, qui dissimulando hucusque videri poterat quasi absens, et non videre quæ gerebantur. Josephus et S. Augustinus Nemrodum faciunt auctorem hujus fabricæ: nam, ut dicitur cap. præced., v. 10: *Principium regni ejus fuit Babylon.* Nempe voluit, æternum extare superbiæ suæ monumentum: simulque illudere Deo, ut, si rursus tentaret immittere terris diluvium, esset quo se impii ab aquis tutos reciperent. Hic Nemrod insana hac fabrica sua typum gessit Antichristi, qui in Babylonia, forsan et eodem loco quo fuit hæc turris, primariam regni, monarchiæ, ac tyrannidis suæ sedem figet, impiamque theomachiæ turrim eriget, ut insinuatur in Apocalypsi, et docent Ribera, Emmanuel Sa, Franciscus Suarez et plures alii [1]. Addit auctor operis de Antichristo (apud S. Augustinum), S. Hieronymus S. Anselmus, Antichristum etiam Babylone, nasciturum.

Petes, An Noe, tum adhuc [2] superstes, non adfuerit fabricæ turris Babel? Respondeo, Adfuit verosimillime, ut et alii viri pii, qui hanc fabricam juverunt [3], sed bono fine, v. g. ut hæc turris omnibus undique conspicua serviret pro specula, pro loco publici commercii, pro communi memoria, ornatu, gloria. Sanctus Hieronymus [4] ex traditione refert, turrim, jam tum cum opus intermissum est, evectam fuisse ad quatuor millia passuum seu ad milliare Germanicum: et reliquias ad sua usque tempora perdurasse. Eusebius [5] ex Abydeno et Sibylla dicit, fabricam non solum confusione linguarum interruptam, sed etiam vi ventorum pro majori parte eversam fuisse. Semiramis uxor Nini post centum annos urbem mira magnitudine et incredibili magnificentia instauravit: turrim non extulit quidem altius, sed concinne ornavit, et templo Beli ejusque sepulcro adaptavit. Sanctus Augustinus [6], Origenes et alii passim, volunt, dissectis linguis in 55 diversas (ut ex totidem familiis posterorum Noe c. 10 Geneseos colligit Cornelius a Lapide), in solo *Heber* ejusque posteris ab eo dictis *Hebræis*, cum vera fide, religione et pietate mansisse primævam orbis linguam, indeque post nominatam Hebræam: in ceteris habitu illius linguæ prorsus deleto, et novo promptissimoque novæ linguæ et cuique genti propriæ divinitus infuso [7].

Quoto anno ætatis Thare sit natus Abraham, ejusque fratres, vide in Chronico cap. 14.

(1) Apoc. 9, vers. 14, et c. 16, vers. 12, etc.; Rib. et Sa in Zachar. 5, vers. ult.; Suarez 3 p., q. 59, disp. 54, s. 6, sect. 5; Hieron. in c. 11 Dan.; Anselm. in Elucidario.

(2) Gen. 9, vers. 28.

(3) Abulensis, Delrio, Pererius, a Lapide, Bonfrerius.

(4) Lib. 3 in Isaiam ad cap. 14.

(5) Lib. 9 de Præparat. Evang., c. 4.

(6) Lib. 18 de Civit., c. 39.

(7) Quæ hic de secundo diluvio dicuntur, ex Josepho sumpta sunt. Ceterum Scriptura causam unicam prodit eorum superbiam: *et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur.* Enimvero ut notat P. Gilletus, *admot.* VI, in primum Josephi antiquitatum Judaicarum librum Gallice cum ceteris ejusdem operis a se conversum, p. 142, si priscis illis hominibus in mentem venisset asylum quodpiam adversus novi diluvii aquas sibi struere, non in planitie, sed in altissimo monte turrim constituissent. Sed non turrim tantummodo ædificarunt, urbem quoque condidere. At quis sanæ mentis urbem, quo se a diluvio tueretur, ædificaret?

Enimvero quod Vulgata reddit *nomen, signum* verti commode potest; immo juxta hebraicum debet; sequitur enim hebraice, *ne forte dividamur.*

Non unus Tirinus in ea sententia fuit, babylonicæ turri, de qua hic agimus, Beli deinde impositum templum fuisse; idem sensit Bochartus in *Phaleg.*, p. I, lib. 1, c. 9; Pridæus Anglus in hist. Judæor., tom. 1, p. 177; Rollinus, *Hist. Ant.* t. 2. Alii tamen alibi illam collocant. Vide Kirkerum *Turris Babel*, lib. 11 et Calmetium in Biblico Dictionario.

Simonius in *Hist. Critica Vet. Testam.* l. 1, c. 14 et 15, Clericus epist. XIX, operis inscripti *Sentimens des Théologiens d'Hollande*, et Gilletus citato nuper loco linguarum confusionem ita explicant, ut fere nihil in ea miraculi fuisse videatur. Sed eorum systema ab omnibus castigatioris critices professoribus rejicietur. Ceterum de lingua Hebræa primæva longe aliter atque Tirinus, sensit Cl. Huetius, quem tamen Morinus confutavit tum in epistolis ad Huetium perscriptis, tum in *Exercitationibus de lingua primæva ejusque appendicibus.* Consule etiam Natalis Alexandri et Calmetii de hoc argumento dissertationes.

a cogitationibus suis, donec eas opere compleant.

7. Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.

8. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, et cessaverunt ædificare civitatem.

9. Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ: et inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.

10. Hæ sunt generationes Sem: [1] Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium.

11. Vixitque Sem, postquam genuit Arphaxad, quingentis annis: et genuit filios et filias.

12. Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, et genuit Sale.

13. Vixitque Arphaxad, postquam genuit Sale, trecentis tribus annis: et genuit filios et filias.

14. Sale quoque vixit triginta annis, et genuit Heber.

15. Vixitque Sale, postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis: et genuit filios et filias.

16. Vixit autem Heber triginta quatuor annis, et genuit Phaleg.

17. Et vixit Heber, postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis: et genuit filios et filias.

18. Vixit quoque Phaleg triginta annis, et genuit Reu.

19. [2] Vixitque Phaleg, postquam genuit Reu, ducentis novem annis: et genuit filios et filias.

20. Vixit autem Reu triginta duobus annis, et genuit Sarug.

21. Vixit quoque Reu, postquam genuit Sarug, ducentis septem annis: et genuit filios et filias.

22. Vixit vero Sarug triginta annis, et genuit Nachor.

23. Vixitque Sarug, postquam genuit Nachor, ducentis annis: et genuit filios et filias.

24. Vixit autem Nachor viginti novem annis, et genuit Thare.

25. Vixitque Nachor, postquam genuit Thare, centum decem et novem annis: et genuit filios et filias.

26. Vixitque Thare septuaginta [3] annis, et genuit Abram, et Nachor, et Aran.

27. Hæ sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor et Aran. Porro Aran genuit Lot.

28. Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terra nativitatis suæ, in Ur Chaldæorum.

29. Duxerunt autem Abram et Nachor uxores: nomen uxoris Abram Sarai: et nomen uxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melchæ, et patris Jeschæ.

30. Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos.

31. [4] Tulit itaque Thare Abram filium suum, et Lot filium Aran, filium filii sui, et Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, et eduxit eos de Ur Chaldæorum, [5] ut irent in terram Chanaan; veneruntque usque Haran, et habitaverunt ibi.

32. Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, et mortuus est in Haran.

(1) 1. Par. 1, vers. 17. (2) 1. Par. 1, vers. 19.
(3) 1. Par. 1, vers. 28; Jos. 24, vers. 2.
(4) Josue ibid.; Nehem. 9, vers. 7.
(5) Judith 5, vers. 6; Act. 7, vers. 3.

V.

IN GENESIN XI, 1-9, *Turris Babelica.*

Apud Babylonios, quamvis *hactenus* inter tabulas cuneiformibus litteris inscriptas nulla reperta sit, quæ *certo* ad eventum hoc loco a Mose narratum referri possit (quædam enim, quæ huc prima fronte spectare videbantur, uti *Fragmentum* a G. Smith editum, *Chaldean Account of Genesis*, pag. 160-162, et celebris *Inscriptio Nabuchodonosoris*,

Borsippæ prope Babylonem inventa, vel dubiam admodum vel nullam omnino relationem habent cum facto Confusionis linguarum); non desunt tamen luculenta indicia, eos ab antiquissimis temporibus memoriam servasse hujus eventus.

Etenim 1° Ex Berosso, diligentissimo *Antiquitatum Chaldaicarum* scriptore, Abydenus (floruit in Ægypto sub primis Ptolomæis), ejus abbreviator, habet sequentia:

« Narratur, homines primævos, ob immane robur et staturam elatos, in Deorum contemptum cœpisse *Turrim* ædificare, cujus fastigium ad cælum pertingeret, in ea regione ubi nunc est *Babylon*. Porro Turris jam cælo appropinquabat, quum ventorum vis, Diis auxilium præbens, opus integrum super caput ædificantium corruere fecit. Ejus ruinæ, ut fertur, nunc etiam Babylone spectantur. Dii autem inter homines, qui hactenus unius linguæ erant, diversitatem linguarum induxere. Bellum quoque exarsit inter *Chronos* et *Titan*. Locus autem, in quo ipsi Turrim ædificaverant, hodie Babylon appellatur propter *Confusionem linguarum;* confusio enim apud Hebræos *Babel* dicitur. » (Vide *Berossi Fragmenta* apud Müller, *Fragmenta Historicorum Græcorum*, T. II, edit. Didot).

2° Alexander Polyhistor (floruit uno fere seculo a. C.) alter Berossi abbreviator, hæc refert:

« Quum, primis temporibus, homines omnes eodem uterentur idiomate, quidam ipsorum ingentem et celsissimam *Turrim* erigere cœperunt, ut in cælum ascenderent. At Deus turbinem immittens, consilium eorum confudit, et singulis tribubus singula dedit idiomata; unde urbs illa *Babylon* est appellata » (Vide Müller, loc. cit.).

3° Moses Khorenensis (floruit seculo V, p. C.), in exordio suæ *Historiæ Armeniacæ*, hæc ex vetustissimo scripto Chaldaico, in græcum translato sub Alexandro Magno, allegat:

« Terribiles et eximii erant primi Dii (Patriarchæ?) auctores maximorum bonorum mundi, principia universi, et multiplicationis hominum. Ab hisce Diis dissidium fecit stirps Gigantum: hi, monstra hominum, invicti roboris, staturæ immanis, superbia inflati, consilium impium iniere ædificandæ *Turris*. Jamque opus urgebant, quum ecce ventus terribilis et divinus, ab ira Deorum concitatus, ædificium dissipavit. Dii singulis hominibus idioma ingerentes, quod alii non valerent intelligere, inter ipsos turbationem et confusionem induxere. Unus ex hisce erat *Haig-Gog* (Magog), filius *Japitoris* (Japheti), Princeps famosus, strenuus, potens, sagittator egregius, etc. »

4° Turris antiquissima, cujus immanes ruinæ extant nunc etiam *Borsippæ*, ab immemorabili nomen habet ab incolis, illudque retinet etiamnum, *Birs-Nimrud*, idest Turris Nemrod; ipsi enim Nemrod Hebræi et ceteri Orientales tribuebant præcipue ædificationem Turris linguarum, ut habet Josephus, *Antiq. Jud.* lib. 1, c. 4. Porro in *Talmud* Babylonico narratur, Borsippæ evenisse confusionem linguarum; et vetus adagium refertur, dicens: *Aer Turris obliviosum reddit*, quoniam ibi homines primi sermonis obliti sunt. Ibidem legitur: « Interrogatus quidam unde es tu? respondit: de *Borsoph* (Borsippa). Ne ita dicas, subdidit alter, sed dicito te esse de *Bolsoph:* ibi enim Deus confudit labium — *balal sephat* — totius terræ. » Eadem traditio vigebat apud Hebræos Mesopotamiæ, tempore Rabbini Benjamin Tudelensis, qui Babylonem invisit seculo XII mediante, ut ipsemet refert in suo *Itinerario* hebraice scripto a. 1160 p. C. Nomen ipsum Borsippæ, seu *Bor-sip*, assyrica lingua, juxta *Oppert*, ceterosque assyriologos, idem valet ac *Turris linguarum;* complexus vero signorum, quibus in scriptura cuneiformi urbs ipsa Borsippæ *ideographice* repræsentatur, significat: *Urbs dispersionis tribuum.*

Ex hisce omnibus liquet, non solum confirmari historiam Mosaicam de ædificatione Turris, de Confusione linguarum et de Dispersione gentium, sed etiam indigitari locum ipsum, ubi hæc evenerunt. Nempe locus iste fuit *Borsippa*, prope Babylonem: in quam sententiam conveniunt hodie communiter viri docti.

Brunengo.

CAPUT XII.

Abram cum ampla promissione evocatur a Deo ex Chaldæa patria sua, et peregrinatur in Chanaan, nempe in Sichem et Bethel. Cogente fame descendit in Ægyptum: ubi Sara conjux illius rapitur a Pharaone, sed mox ob flagella cœlitus immissa, restituitur intacta marito.

1. Dixit autem Dominus ad Abram: [1] Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi.

2. Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.

3. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, [2] atque IN TE benedicentur universæ cognationes terræ.

4. Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus, et ivit cum eo Lot: septuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran.

5. Tulitque Sarai uxorem suam, et Lot filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, et animas quas fecerant in Haran: et egressi sunt ut irent in terram Chanaan. Cumque venissent in eam,

6. Pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem: Chananæus autem tunc erat in terra.

℣. 3. *In te benedicentur universæ cognationes terræ* — Quia ratione seminis tui, qui est Christus, ut explicat Apostolus ad Galatas c. 3, v. 16, justitia et gloria et salus, et omne bonum conferetur omnibus omnino gentibus [3]. Hæc tertia apparitio et promissio facta est Abrahamo non in Charan (urbe Mesopotamiæ, vulgo dicta Charræ, ubi Crassus cladem accepit): sed in Chanaanitide jam existenti, ut in Chronico probavi c. 15. Primo, ergo apparuit Deus Abrahamo in Ur civitate Chaldæorum, ut patet Actor. 7, vers. 2, et Judith 5, v. 9. Secundo, apparuit eidem in Charan, mortuo jam parente, et jussit pergere in Chanaanitidem, Genes. 12, v. 1. Porro civitas illa Chaldæorum, unde primum excessit Abram, vocabatur *Ur*, quod hebraice ignem significat, quia Chaldæi ignem ibi pro Deo colebant; sicut et vicini illis Persæ solebant in locis, quæ inde pyrea dicta vult Procopius et alii. Hinc jubetur Abram inde abscedere, scilicet ad declinandam idololatriam, et forsan etiam persecutionem ea ipsa de causa a Chaldæis excitatam. Nam ut demus, Abramum in pueritia sua prava parentum quorumdam et cognatorum instructione idola quoque [4] coluisse (ut de patre illius *Thare*, et fratre *Nachor* constare videtur [5]): verosimile tamen est, meliore mox avorum institutione (nam et *Sem*, et *Sale*, et *Heber*, et multi alii pii ac constantes viri etiam tum supererant); vel privata astrorum creaturarumque consideratione (ut vult Philo) et peculiari instinctu Dei, ad veram illius fidem cultumque traductum, multa hoc nomine tam ab amicis, quam hostibus pati coactum, forsan etiam supplicii ignis (quod Hebræi tradunt) periculum adiisse. Cui ut eriperetur, jussisse Deum ut inde in Chanaanitidem profugeret. Unde Esdræ lib. 2, c. 9, v. 7 dicitur Deus *eduxisse Abramum de igne Chaldæorum.*

(1) Act. 7, vers. 3.
(2) Ad Gal. 3, vers. 8; Inf. 18, vers. 18; c. 12, vers. 17; ad Hebr. 11, vers. 8.
(3) Sherlockius de hac Abrahæ benedictione pluribus agit t. 1 *Usus et finium prophetiæ*, p. 211 seqq.
(4) Isaiæ 43, vers. 27.
(5) Ex Josue ult. vers. 2, et Judith 5, vers. 7, et Gen. c. 31, et de Abrahamo idem affirmant Hebræi, Philo 1. de Abrah.; August. 10 de Civit., cap. ult.; Cyrill. t. 3 contra Julian., l. 3 in fine; Genebrardus in Chronol.; Masius et Serarius in Josue ult. et alii.

7. Apparuit autem Dominus Abram, et dixit ei: [1] Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.

8. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, et ab oriente Hai, ædificavit quoque ibi altare Domino, et invocavit nomen ejus.

9. Perrexitque Abram vadens, et ultra progrediens ad meridiem.

10. Facta est autem fames in terra: descenditque Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi: prævaluerat enim fames in terra.

11. Cumque prope esset ut ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai uxori suæ: Novi quod pulcra sis mulier:

12. Et quod cum viderint te Ægyptii, dicturi sunt: Uxor ipsius est: et interficient me, et te reservabunt.

13. [2] Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis: ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui.

14. Cum itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem quod esset pulcra nimis.

15. Et nuntiaverunt principes Pharaoni, et laudaverunt eam apud illum: et sublata est mulier in domum Pharaonis.

16. Abram vero bene usi sunt propter illam: fueruntque ei oves et boves, et asini, et servi et famulæ, et asinæ et cameli.

17. Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, et domum ejus, propter Sarai uxorem Abram.

18. Vocavitque Pharao Abram, et dixit ei: Quidnam est hoc quod fecisti mihi? quare non indicasti quod uxor tua esset?

19. Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce conjux tua: accipe eam, et vade.

20. Præcepitque Pharao super Abram viris: et deduxerunt eum, et uxorem illius, et omnia quæ habebat.

℣. 13. *Dic, quod soror mea sis* — Ita vere poterat et licite: nam apud Hebræos nepotes et qui ejusdem sanguinis sunt, vocantur *fratres*, et neptes *sorores*. Sic cap. 13, vv. 8 et 11 vocat Lot suum *fratrem*, cum solum esset nepos illius, scilicet filius Aran fratris Abrahæ, ut patet c. 11, v. 27; ergo poterat et Saram sororem Lot vocare suam quoque sororem. Ante conjugium vocabatur illa Jescha, c. 11, v. 29, sed post nuptias voluit illam Abraham vocari *Sarai*, id est, *domina mea*, quia uxor; sicut illa Abrahamum vocabat *dominum meum*, c. 18, v. 12.

Petes, An licuerit Abrahamo exponere Saram periculo adulterii? Respondeo Formaliter id intendendo neque licuit, neque exposuit: materialiter, permittendo si vis inferretur, potuit. Sed fidebat Deo, cui se suaque, dum prudenter cavet, curæ fore sciebat juxta promissa sibi facta. Ita S. August. [3]. Fidebat etiam castitati, prudentiæ et constantiæ uxoris suæ. Addit Pererius, etiam Dei instinctu ita fecisse.

℣. 17. *Flagellavit autem Dominus Pharaonem* — Ægyptiaca lingua Pharao regem significat, inquit Josephus [4]. Unde omnes Ægypti reges, usque ad imperium Græcorum dicti sunt Pharaones, sed exinde a Græcis *Ptolemæi*. Uti apud Syros omnes dicebantur *Antiochi*; apud Romanos, *Cæsares* et *Augusti*; apud Parthos, *Arsacidæ*; apud Philisthiim, *Abimelech*; nam omnia hæc dignitatis regiæ nomina sunt. Ita Eusebius, S. Hieron. [5] et alii.

Flagellavit autem *plagis maximis* — nempe peste, tumultu et seditione populari, inquit Josephus. Morbis insolentibus et horrendis cruciatibus, ait Philo. Alii, conclusione vulvæ et sterilitate: ut ex simili casu c. 20, v. ult. colligi potest.

(1) Infra 13, vers. 14; c. 15, vers. 18; c. 26, v. 2; Deut. 34, vers. 4. (2) Infra 20, vers. 11.
(3) Contr. Faust., cap. 33.
(4) Lib. 8 Antiq., cap. 2.
(5) Eusebius in Chronic.; Hieron. in Isaiæ 30 et Ezech. 29.

CAPUT XIII.

Abram a nepote suo Lot se separat, et Chanaanitidem incolit. Lot Sodomam petit. Porro Chanaanitis hereditaria promittitur posteris Abræ.

1. Ascendit ergo Abram de Ægypto, ipse et uxor ejus, et omnia quæ habebat, et Lot cum eo, ad australem plagam.

2. Erat autem dives valde in possessione auri et argenti.

3. Reversusque est per iter, quo venerat, a meridie in Bethel, usque ad locum ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel et Hai:

4. In loco altaris [1] quod fecerat prius, et invocavit ibi nomen Domini.

5. Sed et Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, et armenta, et tabernacula.

6. Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul: [2] erat quippe substantia eorum multa, et nequibant habitare communiter.

7. Unde et facta est rixa inter pastores gregum Abram et Lot. Eo autem tempore Chananæus et Pherezæus habitabant in terra illa.

8. Dixit ergo Abram ad Lot: Ne, quæso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos: fratres enim sumus.

9. Ecce universa terra coram te est: recede a me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.

10. Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham, sicut paradisus Domini, et sicut Ægyptus venientibus in Segor.

11. Elegitque sibi Lot regionem circa Jordanem, et recessit ab oriente: divisique sunt alterutrum a fratre suo.

12. Abram habitavit in terra Chanaan: Lot vero moratus est in oppidis, quæ erant circa Jordanem, et habitavit in Sodomis.

13. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis.

14. Dixitque Dominus ad Abram, postquam divisus est ab eo Lot: [3] Leva oculos tuos, et vide a loco, in quo nunc es, ad aquilonem et meridiem, ad orientem et occidentem.

15. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, et semini tuo usque in sempiternum.

16. Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ: si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit.

17. Surge, et perambula terram in longitudine et in latitudine sua: quia tibi daturus sum eam.

℣. 13. *Erant peccatores coram Domino* — Id est, eximii et maximi [4] peccatores: neque solum judicio hominum tales, sed et ipsiusmet Dei, qui falli non potest. Ezech. 16, v. 49: *Ecce*, ait, *hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis et abundantia, et otium, et abominationes coram me*, id est maximæ: *et manum egeno et pauperi non porrigebant.*

(1) Supra 12, vers. 7.
(2) Infra 38, vers. 7.
(3) Supra 12, vers. 7; Infra 15, vers. 18; c. 26, vers. 4; Deut. 34, vers. 4.
(4) Gen. 10, vers. 8.

18. Movens igitur tabernaculum suum Abram, venit et habitavit juxta convallem Mambre, quæ est in Hebron: ædificavitque ibi altare Domino.

℣. 18. *Juxta convallem Mambre.* Id est juxta vallem quercubus consitam, quæ erat cujusdam viri Amorrhæi, nomine Mambre, de quo cap. seq., v. 13. *Quæ est in Hebron* — non in urbe, sed in vicinia, seu in agro et ditione Hebron, quæ antea Arbee, vel Cariatharbe dicebatur. Vide Josephum et S. Hieron. [1].

Quoto anno vitæ Abrahæ eversa fuerit Sodoma, dixi in Chronico cap. 15.

(1) Joseph. l. 5 Belli, c. 7; Hieron. de Locis Hebr. et Num. 13, vers. 23.

CAPUT XIV.

Babylonii bello superant Pentapolitas: et inter hos etiam Lot captivus abducitur: sed cæsis ab Abram Babyloniis, Lot quoque liberatur. Lætus pro victoria Abram, decimas dat Melchisedecho, et ab eo benedicitur.

1. Factum est autem in illo tempore, ut Amraphel, rex Sennaar, et Arioch, rex Ponti, et Chodorlahomor, rex Elamitarum, et Thadal, rex Gentium

2. Inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, et contra Bersa regem Gomorrhæ, et contra Sennaab regem Adamæ, et contra Semeber regem Seboim, contraque regem Balæ, ipsa est Segor.

3. Omnes hi convenerunt in vallem Silvestrem, quæ nunc est mare salis.

4. Duodecim enim annis servierant Chodorlahomor, et tertiodecimo anno recesserunt ab eo.

5. Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, et reges qui erant cum eo: percusseruntque Raphaim in Astarothcarnaim, et Zuzim cum eis, et Emim in Save Cariathaim,

6. Et Chorræos in montibus Seir, usque ad campestria Pharan, quæ est in solitudine.

7. Reversique sunt, et venerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades: et percusserunt omnem regionem Amalecitarum, et Amorrhæum, qui habitabat in Asasonthamar.

8. Et egressi sunt rex Sodomorum, et rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, et rex Seboim, necnon et rex Balæ, quæ est Segor: et direxerunt aciem contra eos in valle Silvestri:

9. Scilicet adversus Chodorlahomor regem Elamitarum, et Thadal regem Gentium, et Amraphel regem Sennaar, et Arioch regem Ponti: quatuor reges adversus quinque.

10. Vallis autem Silvestris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum, et Gomorrhæ, terga verterunt, ceciderunt que ibi: et qui remanserant, fugerunt ad montem.

11. Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum et Gomorrhæ, et universa, quæ ad cibum pertinent, et abierunt:

12. Necnon et Lot et substantiam ejus, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.

13. Et ecce unus, qui evaserat, nuntiavit Abram Hebræo, qui habitabat in convalle Mambre Amorrhæi, fratris Eschol, et fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abram.

14. Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem et octo: et persecutus est usque Dan.

15. Et divisis sociis, irruit super eos nocte: percussitque eos, et persecutus est eos usque Hoba, quæ est ad lævam Damasci.

16. Reduxitque omnem substantiam, et Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque et populum.

17. Egressus est autem rex Sodomorum in occursum ejus, postquam reversus est a cæde Chodorlahomor, et regum qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis regis.

18. [1] At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi,

℣. 17. *In valle Save, quæ est vallis regis* — Septuaginta addunt, *Melchisedechi*. Quia forte iste rex in ea valle hortos suos et loca ad delicias facta habebat: forte etiam ludicras et militares exercitationes. Nam Chaldæus habet, *ipse erat locus refrigerii* vel *stadii regis*. Hujus etiam vallis fit mentio lib. 2 Reg. c. 18, v. 18. Hic Melchisedech, primogenitus Noe, ut tradunt Hebræi et nonnulli Catholici [2]: nam licet hic etiam tum in vivis esset, saltem non regnabat in Chanaanitide, neque erat *sine patre et matre et sine genealogia*, cum Scriptura diserte affirmet fuisse *filium Noe*, et ex proavis *Abrahæ*. Quæ omnia contraria sunt iis quæ Apostolus ad Hebræos cap. 7 Melchisedecho propria facit. Sed fuit princeps aliquis et regulus Gentilis e gente Chananæa: rex Salem, seu Jerosolymæ, ut est in Chaldæo, quam et illum condidisse Josephus [3] affirmat, et fidelium (qui tum ipsius, tum aliorum opera istic reperiebantur) doctor, sacerdos, pastor. Ita S. Dionysius, Hieronymus, Hippolytus, Irenæus [4], uterque Eusebius: Apollinarius, et alii, cum plerisque recentioribus [5]. Addunt S. Ignatius [6] et Suidas, Melchisedech semper virginem permansisse. Unde et in hoc typum gessit Christi, uti et in nomine et nominis etymo, in officio, in sacerdotio, in sacrificio. De quibus fuse Hebr. 7 et Psalm. 109 [7].

℣. 18. *Proferens panem et vinum* — non ad cibum militum, vel epulum, ut ex Josepho contendunt hæretici, quia tot spoliis onustis hæc non deerant: sed ad sacrificium pacificum in gratiarum actionem Deo pro victoria Abrahæ a Babyloniis parta. Solebat enim Melchisedech pro materia sacrificii sui uti pane et vino, et quidem ordinarie ac publice, sic edoctus et jussus a Deo. Et in eo differebat illius sacerdotium tum a sacerdotio reliquorum in lege naturæ (qui vel primogenituræ, vel principatus jure sacerdotes erant; uti erat etiam ipse Abraham): tum ab Aaronico sacerdotio post instituto: quia hæc fere omnia cruenta erant; istud vero Melchisedech incruentum. Unde et Christus, ut palam faceret se *sacerdotem* esse *secundum ordinem* et

(1) Ad Hebr. 7, vers. 3.

(2) Rupert. l. 5 de Trin.; Isidorus de vita Prophetar.; Tostatus, Lyran., Glossa; Genebrardus in Chronol.

(3) Lib. 7 Belli, cap. 18.

(4) Dion. Cælest. Jerus., c. 9; Hieron. epist. ad Evagrium; Hipp. et alii citati a Bonfrerio.

(5) Pererio, Delrio, a Lapide hic, Ribera in Hebr. 7; Torniello in Annal. et Saliano Sigonio l. 1 de Rep. Hebr.

(6) Epist. ad Philadelphios.

(7) Alia de Melchisedecho commenta paucis expedio. Origenes apud Epiphan. *h.* 67, angelum ait fuisse Melchisedech; virtutem quampiam Christo superiorem Melchisedechiani apud eumdem Epiphan. *h.* 55. Spiritum S. Hierax Ægyptius, et Auctor *Quæstionum*, quæ S. Augustino perperam tribuuntur. Henricus Hulsius apud Trivulsianos in Ephemeridibus a. 1707, m. Aprili, p. 748 Enoch in Melchisedecho redivivum agnovit. Jacobus Gallardus de Protestantium secta in libro Lugduni Batavorum edito an. 1686, ac prænotato *Christus unus Rex justitiæ, Rex pacis*, et Cunæus in *Republica Hebræorum* l. 3, c. 3, Messiam ipsum in Melchisedecho prodiderunt. Juriæus vero eo insaniæ devenit, ut in *Historia critica dogmatum* l. 1 effutire non dubitarit, Chamum fuisse Melchisedech.

Aliter sensit S. Hieron. in epist. ad Evagr. *Salem*, inquit, *oppidum est juxta Scytopolim, quod usque hodie appellatur Salem, et ostenditur ibi palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum, veteris operis ostendens magnificentiam.* Ut ut est, cave credas, adeo insaniisse Josephum, ut l. 7 *Antiq.*, c. 3, urbem illam a Melchisedecho *Jerusalem* fuisse scriberet appellatam. Merito Witsius *Miscell. Sacror.*, tom. 2, pag. 243, redarguit Samuelem Bochartum, quod in *Chanaan*, lib. 2, c. 4 Josephum ea de caussa inclementer habuerit. Locus ille Josephi perquam corruptus fuit ab amanuensibus, ac si medicam illi manum quis admoveat, quemadmodum nuper doctissimus Gilletus adhibuit, adnot. 10, in primum *Judaicarum antiquitatum* librum, id unum Josephus adseruit, quod etiam ab Eupolemo scriptum refert Eusebius, *Præparat. Evang.*, lib. 9, a Salomone nomen accepisse Jerusalem: a qua sententia ne Relandus quidem abhorruit, *Palæstin. illustr.*, p. 834, etsi aliam nominis etymologiam adsignat, atque Eupolemus, qui urbem illam ιερον Σαλωμονος dictam prius, deinde contractis in unum duobus hisce vocabulis *Jerusalem* adfirmat.

19. Benedixit ei, et ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cælum et terram:

20. Et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.

21. Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cetera tolle tibi.

22. Qui respondit ei: Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cæli et terræ,

23. Quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditavi Abram:

24. Exceptis his, quæ comederunt juvenes, et partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Eschol et Mambre: isti accipient partes suas.

ritum *Melchisedech*, uti Deus per Davidem de illo prædixerat [1] sub iisdem speciebus panis et vini suum quoque sacrificium in ultima cœna incruentum instituit. Ita omnes tam sancti Patres, quam Doctores, Scholastici.

Erat enim sacerdos Dei Altissimi — Hæretici vertunt, *et erat princeps Dei.* Sed imperite: nam *et* copulativum apud Hebræos frequentissime usurpatur pro causali *enim*, vel *quia*. Et Hebræum *cohen* magis proprie et sæpius sacerdotem significat: nec nisi uno alterove loco, si recte memini, principem in Scriptura designat, puta 2. Reg. 8, v. 18, ubi filii David dicuntur fuisse *cohen* seu principes: et Isaiæ 61, vers. 6: *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini*, quamvis etiam illis locis Latinus interpres *sacerdotes* verterit, neque incongrue, ut ibid. ostendemus. Sed centenis aliis locis usurpatur pro *sacerdote*. Et ita hunc locum explicat S. Paulus ad Hebræos 7, et LXX, et SS. Patres, adeoque ipse Josephus [2] et Philo, et plures alii Judæi. Et quid novi hic alioqui diceret Moses, si, quem antea regem vocarat, jam principem faceret? Aut quæ ratio proferendi vel offerendi Deo panis et vini, quia princeps erat? neque enim principis est sacrificare, sed sacerdotis. Unde etiam subditur, vers. 19, *Benedixit ei*, Melchisedech Abramo, major minori. Et decimas ab Abramo accepit scilicet intuitu sacerdotii sui, et sacri ministerii quo publice fungebatur. Unde et Apostolus, Hebr. 7, colligit, tam Abramum quam Aaronem et omnes Aaronicos sacerdotes, minores fuisse Melchisedecho, quandoquidem isti omnes per parentem suum Abramum, in cujus lumbis continebantur, tamquam inferiores, et benedictionem a Melchisedecho acceperint, et decimas eidem persolverint.

(1) Psalm. 109, vers. 4.

(2) Joseph. supra; Philo l. de Abrahamo.

VI.

IN GENESIM XIV

Bellum Abrahæ contra Chodorlahomor.

Narratio hæc Mosaica, quam recentiores Rationalistæ veluti falsam, aut mythicam, immo vero etiam ut absurdam traducere sunt ausi, egregie confirmatur ex monumentis Assyrio-Chaldæis, nuper in lucem editis. Etenim 1° ex iis constat, circa tempora Abrahæ, idest viginti et amplius seculis a. C., floruisse Imperium Elamiticum in Asia occidentali; ejusque dominationem a regione Susiana non solum ad Mesopotamiam (ad quam pertinebant regiones Sennaar et Ellasar et Goim, quarum Principes Regi Elamitico serviebant), sed ad Syriam etiam et Palæstinam, adeoque ad Pentapolim Chananæam pertigisse: idemque Imperium, a rege *Kudurnakhunti*, qui primus ex Elamitis Babylonicum regnum invasit atque occupavit, stetisse annos ultra ducentos. 2° Nomen ipsum regis *Chodorlahomor*, seu *Kudurlagamar*, quamvis in illis monumentis hactenus non occurrerit, manifestam tamen habet affinitatem cum nominibus aliorum regum Elamitarum

illius ætatis, quæ in inscriptionibus leguntur, uti *Kudurnakhundi*, *Kudurmapuk*, etc.; ita ut jure possit inferri, pertinere Kudurlagamar ad eamdem seriem seu Dynastiam Regum, quos ideo assyriologi *Kuduridarum* nomine distinguunt; ac proinde nihil sit mirum, eum imperium exercuisse in quinque reges Pentapoleos Jordanicæ, et in bello, quod contra eosdem rebellantes suscepit, secum uti auxiliares ac socios traxisse tres reges Mesopotamicos. Porro ejus nominis significatio, in antiquo idiomate Susiano sive Elamitico e familia linguarum, quas appellant Turanicas, hæc est. Ex duobus elementis, quibus nomen constat, prius *Kudur* = *Servus*, vel *Adorator*, alterum exprimit Deitatem quamdam. Itaque uti *Kudur-Nakhunti* = *Servus* (Dei), *Nakhunti* et *Kudur-Mapuk* = *Servus* (Dei) *Mapuk*, ita *Kudur-Lagamar* = *Servus* (Dei) *Lagamar*. Hunc vero *Lagamar*, inter ceteros Deos, cultum habuisse apud Susianos seu Elamitas, luculenter testantur inscriptiones regis Assyriorum Assurbanipal, in quibus illius expressa fit mentio (Consule de his G. Smith, *History of Assurbanipal*; et *Civiltà Cattolica*, Serie x, Vol. x, pag. 421-438).

Brunengo.

CAPUT XV.

Deus promittit Abræ semen numerosum instar stellarum cœli, simulque terram Chanaan. Et fœdus cum eo sancit, victimis offerri jussis, quibus quasi symbolis præmonstrat Abræ, quæ et quanta posteris ejus obventura sint.

1. His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem, dicens: Noli timere, Abram, ego protector tuus suum, et merces tua magna nimis.

2. Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis; et filius procuratoris domus meæ, iste Damascus Eliezer.

3. Addiditque Abram: Mihi autem non dedisti semen: et ecce vernaculus meus, heres meus erit.

4. Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic heres tuus: sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis heredem.

5. Eduxitque eum foras, et ait illi: [1] Suspice cælum, et numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum.

℣. 2. *Filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer* — Id est: Eliezeri filius, scilicet erit mihi heres, quia ob defectum verorum filiorum, hunc mihi adoptavi. Notat S. Hieronymus, Tostatus et alii, ab hoc Damasco conditam et nuncupatam urbem Damascum.

℣. 5. *Numera stellas si potes* — Hinc patet, stellas tanto numero esse, ut ab homine numerari non possint. Nam quanto quisque acutius cælum intuetur, maxime opticis recens inventis perspiciliis, tanto plures deprehendit. Ita S. August. [2], Basilius, Eusebius imo et Aristoteles, Plato, Seneca [3]. Quando ergo Ptolemæus et Astrologi dicunt non esse nisi 1022 stellas fixas, agunt de iis solis quæ visu facile et distincte possint ab homine percipi.

Sic erit semen tuum — tum carnale, tum spirituale, q. d. Posteri tui instar stellarum erunt innumerabiles, sublimes, æterni, potentes, famosi, splendidi, gloriosi. Sed his tam lætis mox tristia quædam miscet Deus.

(1) Ad Rom. 4, vers. 18.
(2) Lib. 16 de Civit., c. 23.
(3) Citati a Pererio et aliis.

6. [1] Credidit Abram Deo, et reputatum est illi ad justitiam.

7. Dixitque ad eum: Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, et possideres eam.

8. At ille ait: Domine Deus, unde scire possum, quod possessurus sim eam?

9. Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, et capram trimam, et arietem annorum trium, turturem quoque et columbam.

10. Qui tollens universa hæc, [2] divisit ea per medium, et utrasque partes contra se altrinsecus posuit; aves autem non divisit.

℣. 9. *Sume mihi vaccam triennem, et capram trimam*, etc. — Hæc enim adhiberi jubet Deus non solum fœderis cum Abrahamo ejusque posteris sanciendi gratia, quo promittebat se illos perpetuo protecturum, et in promissam Chanaanitidem inducturum, neque solum sacrificii causa, quo volebat ab Abrahamo honorari: sed etiam, et quidem præcipue, ad mysterium Abrahamo patefaciendum; nam omnia hæc erant symbola earum rerum quæ posteris Abrahæ, infra v. 13 et sequentibus, obventuræ prædicuntur. Tria enim animalia, *vacca, capra, aries*, et hæc ipsa *trima* seu *triennia*, præsignabant *tres generationes* quibus Israelitæ in Ægypto exulaturi et servituri essent, videlicet tempore *Caath, Amram* et *Moysis*. Quo tempore Ægyptii mulgebant Judæos tamquam vaccas et capras; illorumque, tamquam opimorum arietum, velleribus et carnibus sese pascebant. *Dissectio animalium* in frusta, *afflictio* erat et dura *tyrannis* Ægyptiaca. *Volucres* infestantes horum animalium cadavera, erant Ægyptii et Og, et Seon, et Amalec, et alii hostes *affligentes* et devorantes Judæos. *Abraham abigens* volucres significabat *Deum* tutelarem et liberatorem Judæorum. *Turtur et columba non dissectæ* præsignabant *quartam generationem*, qua Judæi evolaturi erant ex Ægypto liberi et integri. Et *turtur* quidem gemebunda significabat 40 *annos luctus* in deserto, *columba*, animal sociale, *tempus Josue*, quo Judæi terram promissam læte, et placide incoluerunt. *Horror magnus et tenebrosus*, id est, qualis obvenire solet homini densis tenebris immerso: item *clibanus fumans*, symbola erant *fornacis et servitutis* Ægyptiacæ. *Sopor Abrahami sole occumbente*, significat Deum, mortuo Josepho, quasi dormientem et dissimulantem duram Hebræorum afflictionem. *Lampas ignis*, id est fax ardens, quæ *transiit inter* dissecta cadavera (et illa forsan incendit atque absumpsit ad complendum sacrificium), significabat *justitiam divinam*, qua et puniti Ægyptii, et Israelitæ salvati: item *columnam ignis et nubis*, qua Deus in mari rubro divisit Hebræos ab Ægyptiis, Exodi 13, v. 21, eosque deinceps per desertum deduxit in terram [3] promissam [4].

(1) Ad Rom. 4, vers. 3; ad Gal. 3, vers. 6; Jac. 2, vers. 6 et 23.

(2) Jerem. 34, vers. 18.

(3) V. Pererium, a Lapide, Salianum, Bonfrerium.

(4) Liceat mihi aliqua hic addere, seu potius emendare, in quibus passim peccant ad hunc locum Interpretes. Igitur quod v. 10 dicitur Abraham *universa hæc divisisse per medium, et utrasque partes contra se altrinsecus posuisse*, id ex veteri more factum est in sanciendis fœderibus, qui enim fœdus jacebant, per medium victimarum divisarum, atque hinc illinc rite collocatarum transire consueverant, ac juramento fœdus firmare. Hunc morem non solum illustrant S. Cyrillus Alex., lib. 10 *contra Julian.* sub finem, p. 359, edit. Lipsiensis an. 1696; Chrys. hom. 37 *in Gen.*; Theodoret. *in Gen.*, q. 66, sed etiam Jeremias 34, 18, 19, immo et quæ vers. 17, hic dicuntur de Deo, qui veluti huic se se consuetudini subjiciens *lampadem* ignis misit *transeuntem inter divisiones illas*. At *volucres*, de quibus v. 11, non extraneæ aves erant infestantes cadaverem, sed turtur et columba, quas non diviserat Abraham: alias quid illis factum? *descenderuntque*, potius *curavit Abraham, ut aves illæ super ceterarum victimarum cadaver descenderent*; verbum enim, quo LXX interpretes usi sunt, κατέβη non neutrum hic est, sed activum, ut Deuter. 28, v. 25 et Isaiæ 25, v. 12, et hoc autem de veterum more in sacrificiis fuit, ut tegmine quopiam victimarum partes obvolverent. At quid illud *et abigebat eas*. Noster nempe legit Hebræum *Vatiaschschev*: LXX juxta nobilium et *consedit illis*, ut qui legerint *Vaitioschev*, sed revera LXX interpretum Συνεχαθίρω neutrum non est, sed activum, ut Ephes. 11, v. 6. Reddi ergo debuit, ut et sensus aliquis sit (quid enim est et *consedit cum illis?*) et tota hujus cæremoniæ ratio explicaretur: *et locavit cum eis*, sc. cadaveribus: quo prima versiculi pars explanetur, perficiturque. Hæc late persequitur eruditissimus Benedictinus Martin p. 1 explanationum plurium difficiliorum sacræ Scripturæ locorum, p. 9, seq.

11. Descenderuntque volucres super cadavera, et abigebat eas Abram.

12. Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, et horror magnus et tenebrosus invasit eum.

13. Dictumque est ad eum: Scito prænoscens quod [1] peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis.

14. Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo: et post hæc egredientur cum magna substantia.

15. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.

16. Generatione autem quarta revertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus.

17. Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumans, et lampas ignis transiens inter divisiones illas.

18. In illo die [2] pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphraten,

19. Cinæos, et Cenezæos, Cedmonæos,

20. Et Hethæos, et Pherezæos, Raphaim quoque,

21. Et Amorrhæos, et Chananæos, et Gergesæos, et Jebusæos.

ỿ. 13. *Et affligent quadringentis annis* — Hi 400 anni non referuntur ad solum *affligent*, sed ad omnia tria præcedentia, scilicet, *peregrinum erit semen tuum, et subjicient eos servituti, et affligent*. Hæc enim tria durarunt, simul 400 annis. Nam ex quo semen Abrahæ cœpit extare, puta ab ortu Isaac, cœpit peregrinari in terra non sua. Et hæc peregrinatio usque ad egressum ex Ægypto duravit præcise 405 annis.

Vide in Chronico cap. 15, distributionem gestorum Abrahæ per annos quibus singula peracta sunt.

ỿ. 16. *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum* — Supple, et reliquorum Chananæorum. Voluit enim Deus tantisper tolerare horrendam idololatriam, incestus, et tyrannidem Chananæorum (nam hæ erant illorum iniquitates quas notat Scriptura [3]) donec impleretur mensura illa tum scelerum, tum vindictæ, quam Deus cuique nationi, imo cuique familiæ, forsan et capiti, prius quam insigne aliquod supplicium irroget, ab æterno præfixit. Unde Matth. c. 23 Christus dicebat Judæis, *Implete mensuram patrum vestrorum.*

(1) Act. 7, vers. 6.
(2) Sup. 12, vers. 7; 13, vers. 5; Infra 26, v. 4; Deut. 34, vers. 4; 2. Par. 9, vers. 26; 1. Reg. 4, vers. 20.
(3) Levit. 8; Deut. 9 et 12.

CAPUT XVI.

Agar secundaria uxor Abræ concipit ex eo filium; hinc superbit, affligitur a Sarai, fugit in desertum: sed redire eam jubet angelus, simulque filium Ismaelem promittit.

1. Igitur Sarai, uxor Abram, non genuerat liberos: sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar,

2. Dixit marito suo: Ecce, conclusit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios. Cumque ille acquiesceret deprecanti,

3. Tulit Agar Ægyptiam ancillam suam, post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan: et dedit eam viro suo uxorem.

ỿ. 3. *Tulit Agar Ægyptiam ancillam suam, et dedit eam viro suo* non concubinam, sed *uxorem*, ut habetur hic. Neque enim erat tunc polygamia illicita;

4. Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns, despexit dominam suam.

5. Dixitque Sarai ad Abram: Inique agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit, despectui me habet: judicet Dominus inter me et te.

6. Cui respondens Abram: Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit.

7. Cumque invenisset eam angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine, qui est in via Sur in deserto,

8. Dixit ad illam: Agar, ancilla Sarai, unde venis? et quo vadis? Quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.

9. Dixitque ei angelus Domini: Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius.

10. Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine.

11. Ac deinceps: Ecce, ait, concepisti, et paries filium: vocabisque nomen ejus Ismael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam.

12. Hic erit ferus homo: manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum: et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula.

13. Vocavit autem nomen Domini qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidisti me. Dixit enim: Profecto hic vidi posteriora videntis me.

14. [1] Propterea appellavit puteum illum, Puteum viventis et videntis me. Ipse est inter Cades et Barad.

15. Peperitque Agar Abræ filium: qui vocavit nomen ejus Ismael.

16. Octoginta et sex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Ismaelem.

et in tanta paucitate fidelium ita expediebat. Et Deus in jure naturæ dispensabat, jus uxoris, quod ex prima conjugii institutione nonnisi unius esse debebat, in plures uxores dividens [2]. Sic Deus summus naturæ dominus, dedit Abrahamo jus occidendi Isaac: et Hebræis, jus spoliandi Ægyptios.

ỳ. 11. *Vocabis nomen ejus Ismael*, quod hebraice significat *audivit Deus*, scilicet *afflictionem tuam*, et juvit et liberavit te. Unde et Agar mox gratias agens v. 13, *vocavit*, seu invocavit, *nomen Domini:* Chaldæus *oravit*, dicens: *Tu Deus qui vidisti me*, id est, providisti, et curam mei in hoc terribili deserto gessisti. *Profecto* enim *vidi posteriora*, seu deorsum, *videntis me* — Id est, vidi angelum, qui humana specie mihi apparuit, meque adjuvit, sed non vidi nisi abeuntem et a tergo, sicut et Moysi contigit, Exodi 33, v. 23. Quo significatur, quamdiu in hac vita sumus, nos non posse claram angelorum, multo minus Dei, cujus vices hi angeli gerebant, cognitionem habere, sed tantum obscuram, imperfectam et confusam.

(1) Infra 24, vers. 62.
(2) Vide S. Th. et DD. Scholast. in 4, dist. 33.

CAPUT XVII.

Deus nomine Abram mutato in Abraham, novum cum illo fœdus init, et fœderis signum instituit circumcisionem. Nomine quoque Sarai mutato in Saram, promittit ex illa filium Isaac.

1 1. Postquam vero nonaginta et novem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens: ambula coram me, et esto perfectus.

2. Ponamque fœdus meum inter me et te, et multiplicabo te vehementer nimis.

3. Cecidit Abram pronus in faciem.

4. Dixitque ei Deus: Ego sum, et pactum meum tecum, 2 erisque pater multarum gentium.

5. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te.

6. Faciamque te crescere vehementissime, et ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur.

7. Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus, et seminis tui post te.

8. Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum.

9. Dixit iterum Deus ad Abra-

℣. 5. *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram,* id est, pater excelsus: *sed appellaberis Abraham* — id est pater magnæ multitudinis. Sic infra v. 15, *Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai,* id est dominam meam; *sed Saram* absolute, id est dominam, quia plurium *nationum et regum* erit domina et mater: imo cunctarum gentium per Isaac et Christum filium suum erit spiritualis mater. Ita S. Hieronymus, Ambrosius et alii.

℣. 7. *Ut sim Deus tuus, et seminis tui* — Hoc est, fœdus quod ineo vobiscum, ex vestra parte requirit, ut me perpetuo pro Deo habeatis colatisque: ex parte vero mea continet tria quæ vobis præstabo. Primum, ut in immensum *multiplicemini,* ut dicitur vv. 2, 4, 6. Secundum, ut *terram Chanaan tradam* vobis possidendam, v. 8. Tertium, ut *ex semine tuo Messias* procreetur, vers. 16 hic, et cap. seq. v. 18. *Erit* vero hoc *pactum meum,* seu *signum* hujus mecum *fœderis, in carne vestra* quam *circumcidetis* in *omni masculo,* etiam *vernaculo,* etiam *emptitio,* et quicumque de familia vestra esse et manere voluerit. Volebat enim Deus non solos posteros Abrahæ, sed etiam totam illorum familiam, adeoque totum populum per circumcisionem Deo consecrari, et hoc signo ab aliis seu impiis, seu idololatris secerni, ne qua forte ejusmodi contagio per servos alienæ religionis inveheretur in populum Dei. Unde patet, circumcisionem non fuisse tantum signum memorativum pacti hic ab Abraham initi cum Deo: sed etiam secundo, signum repræsentativum veræ fidei et religionis, propriæ in adultis, alienæ in infantibus. Hinc tertio quoque, erat signum demonstrativum, simul et purgativum peccati originalis, in posteris Abrahæ. Quarto, erat distinctivum populi Dei ab omnibus aliis. Denique, præfigurativum baptismi Christianorum. Ita SS. Patres et Doctores.

(1) " Vers. 1. *Ego Deus Omnipotens:* Hebr. *Schaddai,* quo de nomine eruditissime agit Soucietus, dissert. 5, inter eas quas de difficilibus Scripturæ locis divulgavit Parisiis an. 1715, pag. 200 seq. Proprie *Schaddai sufficiens* redditur: Deus scilicet nullius eget, ac sufficit creaturæ rationali, et sibi. *Omnipotens* tamen percommode vertitur, *sufficiens* enim Deus sibi, nobisque esse non posset, quin esset *Omnipotens.* „

(2) Eccli. 44, vers. 20; ad Rom 4, vers. 17.

ham: [1] Et tu ergo custodies pactum meum, et semen tuum post te in generationibus suis.

10. Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum:

11. Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit [2] in signum fœderis inter me et vos.

12. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus quam emptitius circumcidetur, et quicumque non fuerit de stirpe vestra:

13. Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.

14. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.

℣. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo* — id est, occidetur morte corporali, neque enim aliter ea phrasis sumitur in Scripturis [3]. Hæc pœna solos adultos tangebat, et infantes postquam adolevissent. Præceptum tamen erat parentibus, ut octavo die infantem circumcidi curarent. Ante illum diem non licebat, quia infans nimis tenellus. Post illum justa de causa poterat differri, uti in deserto per 40 annos nemo circumcisus fuit, quod omni hora incerti essent de itinere prosequendo. Ita Josephus, Theodoretus et alii. Quod si mortis interea periculum ingrueret, poterat privilegio et ritu antiquo juvari infans, et quocumque alio externo actu fidei per parentes vel amicos exhibito, expediri a peccato originali: uti poterant fœminæ judaicæ, et alii omnes aliarum nationum populi. Nam præceptum circumcisionis tangebat solos illos Abrahæ posteros qui erant et habebantur filii promissionis, seu semen Patriarcharum: quales fuerunt soli filii et posteri Jacob. Unde Ismaelitæ seu Agareni, jam Saraceni, item Idumæi posteri Esau, filii Cethuræ, et alii, etsi ex Abrahamo prognati; quia tamen non habebantur filii promissionis, non obstringebantur aliter huic præcepto, quam vernaculi vel servi, nempe nonnisi quia, et quamdiu cum semine promissionis habitabant, unamque cum illis familiam conflabant, unde separatione facta, poterant omittere circumcisionem, etiam retento apud se vero Dei cultu. Plures tamen illorum, uti etiam Ammonitæ, Moabitæ et Ægyptii, teste Philone, Josepho et Herodoto [4], eam ex pia consuetudine retinuerunt, non omnes generaliter, sed plurimi: neque ut cæremoniam sibi præceptam, neque ut sacramentum ad expiandum originale peccatum, neque ut signum fidei vel obedientiæ erga Deum, multo minus ut professionem venturi Messiæ, sicut Judæi faciebant, sed ut liberum morem et sanctum ritum, a Deo acceptum, a majoribus observatum, atque id temporis passim laudatum et honoratum, ita Suarez [5]. Qua eadem de causa etiam Mahomet, suis sectatoribus circumcisionem præscripsit. Putat S. Augustinus, Bernardus et Magister sententiarum, circumcidi solitos cultro lapideo, quia illo usa est Sephora Exod. 4, et Josue c. 5. Sed nihil tale præscriptum fuit. Imo Justinus [6] testatur, Hebræos sua ætate usos cultro ferreo. Ita etiam sentit Hugo Victorinus, S. Thomas, Lyranus, Tostatus et alii. Poterant etiam a quolibet, et quovis loco circumcidi [7].

(1) Act. 7, vers. 8.

(2) Ad Rom. 4, vers. 11; Lev. 12, vers. 3; Luc. 2, vers. 22.

(3) Num. 9, vers. 13; Exodi 12, vers. 15, et c. 13. vers. 14, etc. Vide Cajet. et Bonfrer.

(4) Phil. lib. de Circumcisione; Joseph. lib. 13 Antiquit., c. 10; Herodot. in Clio.

(5) 3 p., q. 70, d. 29, sect. 2.

(6) Contra Tryphonem.

(7) Herodotus, Diodorus Siculus, Strabo, Circumcisionem ab Æthiopia, atque Ægypto in Palæstinam migrasse ferunt. Hisce testimoniis nisi Marshanus *Can. Chron. Sec. V.* Spencerus *de legibus Hebræor. ritualibus*, l. 1, c. 4. Clericus *Comment. in Gen.*, XVII, 10. Circumcisionem Patriarchis vetustiorem jactare minime erubuerunt post Celsum Epicuri illum de grege porcum, et Julianum Apostatam, quos castigarunt Origenes *contra Celsum*, lib. I et V, et S. Cyrill. Alex. *adv. Julian.*, lib. X. Verum duo hæc tene, alterum fere certum, alterum quod ab homine, qui Scripturis sacris fidem habeat, negari non possit. Primum est, Circumcisionem antea apud Hebræos quam apud alias gentes invaluisse; alterum, etsi detur, usitatam fuisse ab Ægyptiis, aliisque id genus populis antequam a Deo Israelitis præciperetur, non tamen hos ab illis fuisse hanc mutuatos. Utrumque solidis rationibus demonstratum habes a Gilleto in primum Josephi Judaicarum Antiquitatum librum observatione XI. Confer etiam Natalis Alexandri et Calmetii de Circumcisione dissertationes.

15. Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.

16. Et benedicam ei, et ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritque in nationes, et reges populorum orientur ex eo.

17. Cecidit Abraham in faciem suam, et risit, dicens in corde suo: Putasne centenario nascetur filius? et Sara nonagenaria pariet?

18. Dixitque ad Deum: Utinam Ismael vivat coram te!

19. Et ait Deus ad Abraham: [1] Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac, et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, et semini ejus post eum.

20. Super Ismael quoque exaudivi te. Ecce, benedicam ei, et augebo et multiplicabo eum valde: duodecim duces generabit, et faciam illum in gentem magnam.

21. Pactum vero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero.

22. Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ad Abraham.

23. Tulit autem Abraham Ismael filium suum, et omnes vernaculos domus suæ, universosque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ: et circumcidit carnem præputii eorum statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus.

24. Abraham nonaginta et novem erat annorum, quando circumcidit carnem præputii sui.

25. Et Ismael filius tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suæ.

26. Eadem die circumcisus est Abraham et Ismael filius ejus.

27. Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quam emptitii et alienigenæ, pariter circumcisi sunt.

(1) Infra 18, vers. 10, et 21, vers. 2.

CAPUT XVIII.

Abraham tres angelos hospitio et convivio excipit. Qui promittunt ei filium ex Sara. Dein revelant ei imminens excidium Sodomæ et vicinarum urbium: pro quibus orat et interpellat Abraham, sed frustra.

1. [1] Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei.

2. Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram.

3. Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum:

4. Sed afferam pauxillum aquæ, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore.

5. Ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum, postea transibitis: idcirco enim declinastis ad servum vestrum. Qui dixerunt: Fac ut locutus es.

6. Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes.

7. Ipse vero ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum, deditque puero: qui festinavit et coxit illum.

8. Tulit quoque butyrum et lac, et vitulum quem coxerat, et posuit coram eis: ipse vero stabat juxta eos sub arbore.

9. Cumque comedissent, dixerunt ad eum: Ubi est Sara uxor tua?

(1) Ad Hebr. 13, vers. 2.

Ille respondit: Ecce in tabernaculo est.

10. Cui dixit: [1] Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, et habebit filium Sara uxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi.

11. Erant autem ambo senes, provectæque ætatis, et desierant Saræ fieri muliebria.

12. Quæ risit occulte, dicens: Postquam consenui, et [2] dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?

13. Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara, dicens: Num vere paritura sum anus?

14. Numquid Deo quidquam est difficile? juxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, et habebit Sara filium.

15. Negavit Sara, dicens: Non risi: timore perterrita. Dominus autem: Non est, inquit, ita: sed risisti.

16. Cum ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam: et Abraham simul gradiebatur, deducens eos.

17. Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum:

18. Cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, et [3] BENEDICENDÆ sint in illo omnes nationes terræ?

19. Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant judicium et justitiam: ut adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum.

20. Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis.

21. Descendam, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.

22. Converteruntque se inde, et abierunt Sodomam: Abraham vero adhuc stabat coram Domino.

23. Et appropinquans ait: Numquid perdes justum cum impio?

24. Si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul? et non parces loco illi propter quinquaginta justos, si fuerint in eo?

25. Absit a te, ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum: qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc.

26. Dixitque Dominus ad eum: Si invenero Sodomis quinquaginta

ỳ. 22. *Converteruntque se* — Scilicet duo angeli (ut patet c. seq., v. 1), relicto apud Abrahamum tertio, qui majestate vultus, et imperandi ac judicandi auctoritate spectabilior erat, Deumque referebat, de quo mox dicitur, *Abraham adhuc stabat coram Domino*, et vers. ult. demum, finito colloquio *abiit* seu disparuit. Lyranus et Tostatus dicunt Hebræos tradere, hos tres fuisse Michaelem, Gabrielem et Raphaelem, quorum primus Dei vicem et personam gessit in Sodomæ sceleribus investigandis et puniendis, duo posteriores tamquam a primo [4] missi everterunt Sodomam, et Lot eduxerunt. Abraham quidem et Sara initio nesciebant esse angelos, patet Hebr. 13, v. 2, unde et epulo illos tamquam homines exceperunt, neque alia adoratione eos *adoravit Abraham*, quam qua infra c. 23, v. 7 dicitur adorasse *filios Heth*. Sed sensim cum illis agendo, ex splendore, futurorum prædictione, et aliis signis certo deprehendit angelos legatos Dei esse, immo Dei vicem et personam gerere, maxime medium, qui instar judicis excidium Sodomæ intentabat. Unde ut talem longe majori reverentia ac submissione deinceps compellat, honorat, et pro Sodomis interpellat. Ita SS. Jo. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus.

(1) Sup. 17, v. 19; Inf. 21, v. 1; ad Rom. 9, v. 9.
(2) 1. Petr. 3, vers. 6.
(3) Supr. 12, v. 3; Infr. 22, v. 18.
(4) Zachar. 3, vers. 1.

justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos.

27. Respondensque Abraham, ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.

28. Quid si minus quinquaginta justis, quinque fuerint? delebis, propter quadraginta quinque, universam urbem? Et ait: Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque.

29. Rursumque locutus est ad eum: Sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies? Ait: Non percutiam propter quadraginta.

30. Ne quæso, inquit, indigneris, Domine, si loquar: Quid si ibi inventi fuerint triginta? Respondit: Non faciam, si invenero ibi triginta.

31. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum: Quid si ibi inventi fuerint viginti? Ait: Non interficiam propter viginti.

32. Obsecro, inquit, ne irascaris, Domine, si loquar adhuc semel: Quid si inventi fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter decem.

33. Abiitque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham: et ille reversus est in locum suum.

CAPUT XIX.

Lot hospitio excipit angelos, quos Sodomitæ expetunt ad scelus nefandum. Sed angeli educto Lot cum uxore et filiabus, igne cœlesti cremant Pentapolim, excepta Segor, cui Lot veniam impetrat. Uxor vero Lot contra mandatum angelorum retro respiciens, vertitur in statuam salis. Filiæ ex patre concipiunt, et pariunt Moab et Ammon.

1. Veneruntque duo angeli Sodomam vespere, [1] et sedente Lot in foribus civitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit, et ivit obviam eis: adoravitque pronus in terram,

2. Et dixit: Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri, et manete ibi: lavate pedes vestros, et mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt: Minime, sed in platea manebimus.

3. Compulit illos oppido ut diverterent ad eum: ingressisque domum illius fecit convivium, et coxit azyma: et comederunt.

4. Prius autem quam irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum a puero usque ad senem, omnis populus simul.

5. Vocaveruntque Lot, et dixerunt ei: Ubi sunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, ut cognoscamus eos.

6. Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium, ait:

7. Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere.

8. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum: educam eas ad vos, et abutimini eis sicut vobis

℣. 8. *Habeo duas filias: abutimini eis* — Verosimilius est, Lot hac oblatione filiarum non peccasse: quia a Scriptura, etiam post hoc factum vocatur *justus* [2]. Sicut enim quis placare volens offensum, subinde nudum pectus pugionemque offert, dicens, *Occide me*, non animo, ut ita fiat, sed ut hac submissione placetur iratus: ita videtur hic Lot obtulisse filias suas ad stuprum, non animo ut id fieret, et ita flagitium flagitio redimeretur, sed animo placandi hac tanta submissione furentem populum. Sibi enim persuadebat, et rationabiliter (ut eventus ostendit), quod populus non admitteret eam oblationem (maxime cum constaret,

(1) Ad Hebr. 13, v. 2.

(2) Sap. ult., vers. 16.

placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub umbra culminis mei.

9. At illi dixerunt: Recede illuc. Et rursus: Ingressus es, inquiunt, ut advena; numquid ut judices? te ergo ipsum magis quam hos affligemus. [1] Vimque faciebant Lot vehementissime: jamque prope erat ut effringerent fores.

10. Et ecce miserunt manum viri, et introduxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium:

11. Et eos, qui foris erant, [2] percusserunt cæcitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent.

12. Dixerunt autem ad Lot: Habes hic quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui sunt, educ de urbe hac:

13. Delebimus enim locum istum, eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos ut perdamus illos.

14. Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus, et dixit: Surgite, egredimini de loco isto: quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui.

15. Cumque esset mane, cogebant eum angeli, dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, et duas filias quas habes: ne et tu pariter pereas in scelere civitatis.

16. Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus, et manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eo quod parceret Dominus illi.

17. [3] Eduxeruntque eum, et posuerunt extra civitatem: ibique locuti sunt ad eum, dicentes: Salva animam tuam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione: sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas.

18. Dixitque Lot ad eos: Quæso, Domine mi,

19. Quia invenit servus tuus gratiam coram te, et magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum, ut salvares animam meam, nec possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, et moriar:

20. Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea: numquid non modica est, et vivet anima mea?

21. Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es.

22. [4] Festina, et salvare ibi: quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen urbis illius Segor.

illas filias jam desponsatas esse civibus Sodomæ, quorum haud dubie aliqui amici istic aderant) sperabatque, tam liberali oblatione destituros impios a cœpto scelere. Ita S. Jo. Chrys. [5] et Cajet.

℣. 11. *Ut ostium invenire non possent* — Sapientiæ ult. dicuntur *subitaneis cooperti tenebris, unusquisque transitum ostii sui quæsivisse,* græce est, *transitum suarum portarum.* Non ergo solius domus Lot, sed et suarum propriarum domorum ostia reperire non poterant quantumcumque quærerent. Non erat tamen absoluta cæcitas (ut est in Latino), quæ est carentia potentiæ visivæ

(quia sic non fuissent ultra soliciti de ostio Lot et suis ostiis quærendis; sed desistentes a facinore duces potius viarum inclamassent); sed erat ἀορασία (ut est in Græco), seu non videntia, quam alii ἀχρισίαν vocant, qua quis, licet videre possit, et quædam alia videat, hæc tamen hic et nunc non videt, vel saltem non distincte discernit. Sic nimirum contigit his Sodomitis, Deo non concurrente cum oculis ad receptionem specierum ab ostiis emissarum, aut ad actum visionis, eliciendum. Ita Jos., Ambr., Chrys., Aug.[6].

℣. 22. *Idcirco vocatum est nomen urbis illius Segor* — id est *parva.* Quia

(1) 2. Petr. 2, vers. 8. (2) Sap. 19, vers. 26. (3) Sap. 10, v. 6. (4) Sap. 10; v. 6. (5) Hom. 43.

(6) Chrysost. hom. de Eliseo; Aug. q. 43 et l. 22 de Civ., c. 19.

23. Sol egressus est super terram, et Lot ingressus est Segor.

24. [1] Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cælo:

25. Et subvertit civitates has, et omnem circa regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia.

26. [2] Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis.

27. Abraham autem consurgens

enim Lot veritus ne non posset in montem evadere, ut angelus monuerat, petiit et impetravit ut posset pro asylo habere vicinam urbeculam, idque vel hoc solo nomine petiit quia *parva* erat, idcirco nomen illud *Segor* seu *parva* illi inditum est, et remansit. Alioquin ante vocabatur Bala [3]: et erat quinta urbs Pentapoleos jam igni destinata cum Sodoma, Gomorrha, Adama et Seboim [4]; sed precibus Lot erepta et conservata. Ita Josephus, S. Hieronym. et Borchardus [5].

℣. 24. *Pluit Dominus a Domino sulphur*, etc. — Hebraismo, id est, Dominus a seipso pluit, vi et potentia propria, non intercurrentibus causis naturalibus, ut solet in aliis incendiis. Ita Cajetanus, Pagninus, Vatablus, Oleaster. Licet etiam cum antiquioribus Patribus [6], et Concilio Sirmiensi [7] dici possit, Deus Filius pluisse a Deo Patre, seu virtute Patris; quia Pater non operatur nisi per Filium, qui est ejus Sapientia et æternum Verbum. Unde et contra Photinum hæreticum probant hinc Patres divinitatem Filii, et pluralitatem personarum in Deo [8].

℣. 26. *Versa est in statuam salis* — Ita merebatur inobedientia et incredulitas ipsius [9]. Nam ita dicitur Sapientiæ 10 *incredibilis animæ*, id est incredulæ, *memoria stans figmentum salis*. Et licet verosimile sit, illam non nisi veniaaliter peccasse, atque ita salvatam esse et purgatorio expiatam animam: voluit tamen severius punire Deus, et novo salis exemplo fatuos docere, credendum in omnibus et obediendum Deo, nec in sancto proposito respiciendum retro aut tergiversandum. Ita Rupertus, Prosper [10] et alii. Unde et Christus Lucæ 17, v. 31 in eamdem sententiam ait: *Mementote uxoris Lot*. Nota, corpus retenta figura feminea conversum fuisse in sal [11], non illud molle, quale nostrum est marinum sal: sed in aliud lapideum, et quasi metallicum, quod ex montibus marmorum instar exscindi solitum et olim, et etiamnum, testes sunt Plinius, Solinus, Isidorus, Aulus Gellius, Olaus Magnus, Petrus Hispanus [12] et alii. Borchardus et Adrichomius [13] dicunt, hoc quoque tempore illam statuam extare inter mare Mortuum et montem Engaddi, in quem Lot

(1) Deut. 29, vers. 23; Isa. 13, vers. 19; Jer. 50, vers. 40; Ezech. 16, v. 49; Os. 11, vers. 8; Amos 4, vers. 11; Luc. 17, vers. 28; Judæ 7.

(2) Luc. 17, vers. 32.

(3) Cap. 14 Genes., v. 2.

(4) Deut. 29, vers. 23.

(5) Sunt tamen, qui Hieronymo hac in re fidem denegent, contendantque, Segor tamdiu stetisse, quamdiu in ea commoratus est Lot, hoc vero abeunte cum ceteris fuisse eversam. At animadvertere debuerant, eo spectasse Mosen, ut pœnarum a Deo inflictarum magnitudine a peccatis suos Israelitas deterreret. Quamobrem quum quatuor tantum ille incensas Urbes commemoret, quintæ cladem sileat, rem ita se se habuisse credendum est. Non enim qui pœnarum metu vindicis Dei timorem incutere studebat, illud, omisisset, quod ad lamentabilis illius exitii amplitudinem ob oculos ponendam maxime fecisset. Ejus errant, qui unam Sodomam incendio cælitus demisso periisse arbitrantur. Vide Gilletum in 1 *Judaic. Antiq. librum observat.* 12, pag. 159.

(6) Hilarius de Trin., l. 4; Irenæus l. 3, cap. 6; Cyprian. l. 3 ad Quirin, c. 33; Ambr. l. 1 de fide, c. 2; Hieron. in c. 1 Oseæ.

(7) Can. 15.

(8) Vide infra meam notationem (3) pag. seq.

(9) Nimirum præcepto *noli respicere post tergum* vers. 17. Nullum tamen in hisce verbis divinum interdictum, sed unam angeli amici monentis hortationem agnoscit doctissimus P. Hieronymus de Prato in observationibus ad secundum B. Sulpicii Severi volumen, p. 436 seq. Putat ergo, Loti uxorem *respexisse*, non unice (quod hactenus creditum ab interpretibus) oculos reflectendo, sed Sodomam redeundo; *respicere* enim *post se respicere retro*, idque genus alia Scripturarum phrasi reditum significant ad ea quæ quis dimiserat. Porro duplex admisit mulier peccatum; primum incredulitatis, angeli enim dictis fidem minus habuit, avaritiæ alterum, videtur enim ex Luca 17, vers. 32, cupido illam incessisse ea secum asportandi, quæ domi suæ cariora, ac prætiosiora reliquerat.

(10) Lib. 1 de prædict. et promiss., c. 16.

(11) Clericus in dissertatione *de Statua salina*, negare ausus est, Loti uxorem in statuam salis revera fuisse conversam, sed unice ait *dirigusse, et* INSTAR *columnæ aut statuæ immotam illic remansisse*, sed audaciam hominis fregerunt Hermannus Witsius *Exercitat. Academic. duodecade* edita an. 1694, iterumque excusa Ultrajecti 1714, diss. 3, et citatis a Prato pag. 440 seq.

(12) Plin. l. 31, c. 7; Isid l. 16, c. 2; Gell. Noct. Att. l. 2, c. 22; Olaus l. 13, c. 5; Petr. Hisp. in hist

(13) Borch. p. 1, c. 7; Adrich. in Descript. terræ sanct.

mane, ubi steterat [1] prius cum Domino,

28. Intuitus est Sodomam et Gomorrham, et universam terram regionis illius: viditque ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum.

29. Cum enim subverteret Deus civitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberavit Lot de subversione urbium in quibus habitaverat.

30. Ascenditque Lot de Segor, et mansit in monte, duæ quoque filiæ ejus cum eo (timuerat enim manere in Segor) et mansit in spelunca ipse, et duæ filiæ ejus cum eo.

31. Dixitque major ad minorem: Pater noster senex est, et nullus virorum remansit in terra qui possit ingredi ad nos juxta morem universæ terræ.

32. Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen.

33. Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa est major, dormivitque cum patre: at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit.

34. Altera quoque die dixit major ad minorem: Ecce dormivi heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, et dormies cum eo, ut salvemus semen de patre nostro.

35. Dederunt etiam et illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia, dormivit cum eo: et ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit.

36. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo.

37. Peperitque major filium, et vocavit nomen ejus Moab: ipse est pater Moabitarum usque in præsentem diem.

38. Minor quoque peperit filium, et vocavit nomen ejus Ammon, id est filius populi mei: ipse est pater Ammonitarum usque hodie.

confugit. Mare vero Mortuum vocatur lacus ille qui, exustis funditus his quatuor oppidis, et terra quasi ad inferos depressa, emersit, putidis et crassis et salsis aquis plenus, quibus innatant ubique moles bituminis, quas putei, quibus ante vallis erat plena [2], ex imo evomunt. Unde a bitumine dictus est *lacus Asphaltites*: et quia nullos fert pisces, aliave animalia, *mare mortuum* vocatur: et a salsedine, *mare salis*, vel *salsissimum*. Est et fumans perpetuo et tenebrosum, sicut os inferni, uti oculis meis vidi, inquit Borchardus [3]. Vicina vero ad 5 vel 6 leucas sterilia prorsus et cinerulenta sunt. Poma quidem hinc inde videas, ad speciem pulcra: sed si tangas in favillam vertuntur. Ita Philo, Josephus, Strabo, Solinus, Plinius, Tacitus, Tertullianus, Augustinus [4] et alii jam dicti.

v. 37. *Vocavit nomen ejus Moab*, id est, ex patre, scilicet meo concepi hunc filium. *Ammon*, in Hebræo, et Chaldæo est, *Ben-ammon* seu *Ben-ammi*, id est filius populi seu cognationis meæ, quia in unico patre putabat esse universum populum suum, seu spem totius stirpis. Voluit vero Deus in detestationem hujus incestus manere æternam memoriam ejus infamis criminis, etiam in ipsis nominibus *Moabitarum* et *Ammonitarum*, ut item Hebræos deterreret ab illorum connubiis: et omnes, quanta ex ebrietate nascuntur mala, edoceret. Ita SS. Jo. Chrysost., Ambr. et alii [5].

(1) Sup. 18, vers. 1.
(2) Genes. 14, vers. 10.
(3) Satis verosimile illud videtur, quod Gillet., observ. 12 in l. 1 *Josephi Judaic. Antiq.*, monet, nimirum præter cælestem ignem; quo urbes quatuor fuere succensæ, aquarum subterranearum in puteis illis *vallis sylvestris* delitescentium diluvium quoddam ex terræ concussæ, ac dehiscentis voraginibus erupisse, atque hinc mare Mortuum enatum.
(4) Phil. l. de Abraham.; Jos. l. 5 et 16; Strabo l. 7 Geograph.; Solin. c. 37 Polyhist.; Plin. l. 5, 16; Tacitus l. 5 histor.; Tertull. de pallio, c. 2; Aug. 21 de Civ. c. 5.
(5) Chrysost. hom. 57 ad pop.; Hieron. in vita S. Paulæ; Ambr. de Elia et jejunio.

CAPUT XX.

Rex Geraris rapit Saram uxorem Abrahæ; sed punitus et reprehensus a Deo, expostulat cum Abrahamo, quod non indicasset suam esse uxorem. Tandem orante pro eo Abrahamo sanatur.

1. Profectus inde Abraham in terram australem, habitavit inter Cades et Sur: et peregrinatus est in Geraris.

2. Dixitque de Sara uxore sua: Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, et tulit eam.

3. Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, et ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum.

4. Abimelech vero non tetigerat eam, et ait: Domine, num gentem ignorantem et justam interficies?

5. Nonne ipse dixit mihi: Soror mea est: et ipsa ait: Frater meus est? in simplicitate cordis mei, et munditia manuum mearum feci hoc.

6. Dixitque ad eum Deus: Et ego scio quod simplici corde feceris: et ideo custodivi te, ne peccares in me, et non dimisi ut tangeres eam.

7. Nunc ergo redde viro suo uxorem, quia propheta est: et orabit pro te, et vives: si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris tu, et omnia quæ tua sunt.

8. Statimque de nocte consurgens Abimelech, vocavit omnes servos suos: et locutus est universa verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde.

9. Vocavit autem Abimelech etiam Abraham, et dixit ei: Quid fecisti nobis? quid peccavimus in te, quia induxisti super me et super regnum meum peccatum grande? quæ non debuisti facere, fecisti nobis.

10. Rursumque expostulans, ait: Quid vidisti, ut hoc faceres?

11. Respondit Abraham: Cogitavi mecum, dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto: et interficient me propter uxorem meam:

12. Alias autem et [1] vere soror mea est, filia patris mei, et non filia matris meæ, et duxi eam in uxorem.

13. Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam [2]: Hanc misericordiam facies mecum: In omni loco, ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus sim.

14. Tulit igitur Abimelech oves et boves, et servos et ancillas, et dedit Abraham: reddiditque illi Saram uxorem suam,

15. Et ait: Terra coram vobis est, ubicumque tibi placuerit, habita.

ỹ. 12. *Vere soror mea est;* quia cum veritate dicere possum, esse sororem meam, est enim *filia patris mei, et non filia matris meæ* — Erat nempe Sara filia Aran fratris Abrahæ, neptis vero Tharæ patris Abrahæ: quem Tharam post mortem Aran patris sui, Sara et Lot tamquam patrem habebant, colebant, adeoque et vocabant (uti et apud Gallos et Belgas avus vocatur Magnus pater). Quia tamen non una et eadem fuit mater Aran et Abrahæ, nam hi ex diverso thoro prognati erant: idcirco hic dicit Abraham, *Saram esse filiam patris sui, non matris suæ.* Ita S. Augustinus [3] et alii.

(1) Supra 12 et 13. (2) Infra 21 et 23. (3) Lib. 22 contra Faust. c. 35.

16. Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, et quocumque perrexeris: mementoque te deprehensam.

17. Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech et uxorem, ancillasque ejus, et pepererunt:

18. Concluserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ.

℣. 16. *Ecce mille argenteos,* scilicet siclos, ut vertit Chaldæus: et probant Delrio et Mariana [1], quoties in Scriptura ponitur *argenteus* vel *aureus,* intelligi *siclum.* Siclus vero est florenus Belgicus, constans quatuor regalibus Hispanicis. Ergo mille argentei, erant mille floreni [2] Belgici.

Hoc erit tibi in velamen oculorum — Id est, hac summa ematur tibi, si desit, velum seu flammeum, quo, utpote jam pridem nupta, more matronarum, veles oculos et faciem tuam. Reprehendit enim Saram, quod nudo capite (ut solent virgines) incedendo, simulaverit se necdum nupsisse, atque ideo multis et erroris et adulterii occasionem præbuerit. Monetque, se deinceps cautius tegat apud omnes qui cum illa familiarius versabuntur, ne scilicet adspectu vultus illius ad illicita moveantur. Vide de hoc velo Pinedam, Alex. ab Alexandr. [3] et alios.

(1) Delrio hic; Mariana c. 6 de Ponderib.; Bonfr. hic, et alii. (2) Proleg. de Ponderib.

(3) Pined. in Salom. prævio lib. 5, c. 3, n. 10; Alex. lib. 2 Genial., c. 5.

CAPUT XXI.

Nascitur, circumciditur, ablactatur Isaac. Ismael et Agar domo pelluntur; quos in deserto solatur angelus. Abraham arctius fœdus init cum Abimelech.

1. Visitavit autem Dominus Saram, sicut [1] promiserat: et implevit quæ locutus est.

2. Concepitque, et [2] peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus.

3. Vocavitque Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara, Isaac:

4. Et circumcidit eum octavo die, sicut [3] præceperat ei Deus,

5. Cum centum esset annorum: hac quippe ætate patris, natus est Isaac.

6. Dixitque Sara: Risum fecit mihi Deus: quicumque audierit, corridebit mihi.

7. Rursumque ait: Quis auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei jam seni?

8. Crevit igitur puer, et ablactatus est: fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus.

9. Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham:

℣. 9. *Cum vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ* Ismaelem *ludentem.* Cum quo luserit, non exprimunt Hebræa et Chaldæa, sed LXX et nostra Vulgata addunt, *cum Isaac* — id est illudentem, insultantem Isaaco, eumdemque vexantem et persequentem, ut ait S. Paulus ad Galatas 4, v. 29. Sic 2. Regum 2, v. 14: *Surgant,* inquit Abner, *pueri et ludant,* id est pugnent inter se. Nempe Ismael jure primogenituræ superbiens: et tredecim annis senior Isaaco, cum videret illum parentibus plusculum in deliciis esse (utpote in cujus ablactatione tam solemne convivium instruxerant, et ex quo semen promissum cælitus sibi spondebant, passimque gloriabantur), oderat illum, et tam verbis quam verberibus

(1) Sup. 17, vers. 19; 18, vers. 10.
(2) Ad Gal. 4, vers. 23; Ad Hebr. 11, vers. 11.

(3) Sup. 17, vers. 10; Matth. 1, vers. 2.

10. [1] Ejice ancillam hanc, et filium ejus: non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac.

11. Dure accepit hoc Abraham pro filio suo.

12. Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero, et super ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus: quia [2] in Isaac vocabitur tibi semen.

13. Sed et filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.

14. Surrexit itaque Abraham mane, et tollens panem et utrem aquæ, imposuit scapulæ ejus, tradiditque puerum, et dimisit eam. Quæ cum abiisset, errabat in solitudine Bersabee.

15. Cumque consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter unam arborum, quæ ibi erant.

16. Et abiit, seditque e regione procul quantum potest arcus jacere: dixit enim: Non videbo morientem puerum: et sedens contra, levavit vocem suam et flevit.

17. Exaudivit autem Deus vocem pueri: vocavitque angelus Dei Agar de cælo, dicens: Quid agis, Agar? noli timere: exaudivit enim Deus vocem pueri de loco in quo est.

18. Surge, tolle puerum, et tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum.

19. Aperuitque oculos ejus Deus: quæ videns puteum aquæ, abiit, et implevit utrem, deditque puero bibere.

20. Et fuit cum eo: qui crevit, et moratus est in solitudine, factusque est juvenis sagittarius.

21. Habitavitque in deserto Pharan, et accepit illi mater sua uxorem de terra Ægypti.

22. Eodem tempore dixit Abimelech, et Phicol princeps exercitus ejus, ad Abraham: Deus tecum est in universis quæ agis.

23. Jura ergo per Deum, ne noceas mihi, et posteris meis, stirpique meæ, sed juxta misericordiam [3], quam feci tibi, facies mihi, et terræ in qua versatus es advena.

24. Dixitque Abraham: Ego jurabo.

25. Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant servi ejus.

26. Responditque Abimelech: Nescivi quis fecerit hanc rem: sed et tu non indicasti mihi, et ego non audivi præter hodie.

27. Tulit itaque Abraham oves et boves, et dedit Abimelech: percusseruntque ambo fœdus.

28. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum.

29. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum?

30. At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea: ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum.

31. Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, quia ibi uterque juravit.

32. Et inierunt fœdus pro puteo juramenti.

male subinde mulctabat. Quod cum Sara observasset, et tulisset aliquamdiu, verita tandem ne occasione ejus jurgii, et pravo exemplo Ismaelis efferaretur etiam animus Isaaci: et ne, mortuo olim Abrahamo, Ismael Isaacum vel hereditate extruderet, vel saltem nonnisi æquali jure secum pateretur succedere patri; divino instinctu postulat a marito, ut exheredetur improbus filius, et cum superba matre in exilium pellatur. Allegorice hæc applicat Synagogæ judaicæ S. Paulus supra, illudenti et persequenti Ecclesiam Christi.

℣. 31. *Vocatus est locus ille Bersabee*, id est puteus juramenti; *quia ibi uterque*, Abraham et Abimelech, *juravit* fœdus et fidelitatem mutuam. Ab hoc puteo

(1) Ad Gal. 4, vers. 30.
(2) Ad Rom. 9, vers. 7; Ad Hebr. 11, vers. 18.
(3) Sup. 20, vers. 13.

33. Surrexit autem Abimelech, et Phicol princeps exercitus ejus, reversique sunt in terram Palæstinorum. Abraham vero plantavit nemus in Bersabee, et invocavit ibi nomen Domini Dei æterni.

34. Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

urbs vicina dicta fuit *Bersabee*, quæ ultima erat Judææ ad Meridiem, sicut *Dan* ultima erat ad Septemtrionem. Et per hos duos terminos exprimi solet longitudo Judææ, *a Dan usque Bersabee*. Tempore S. Hieronymi erat *Bersabee* vicus insignis, in eoque præsidium Romanorum. Nunc *Gibalina* vocatur, inquit Adrichomius [1].

℣. 33. *Plantavit nemus in Bersabee* — id est, lucum seu arboretum, utique adjunctis amœnis hortis, ubi et animum oblectabat, et sacrificium Deo offerebat, et familiam divini verbi pabulo reficiebat. Erat enim ibi quasi oratorium, ad quod subinde a curis et negotiis se recipiebant ad agendum cum Deo, et de Deo. Posteri Abrahami sub Jeroboamo aliisque regibus, quasi imitatione patriarchæ sui, erexerunt pari modo altare, et fanum in *Bersabee* non Deo cæli (ut fecit Abraham) sed idolis suis, ut testatur Regum historia [2] et propheta Amos [3].

(1) In descript. Terræ sanctæ.

(2) 4. Reg. 23, vers. 8.
(3) Amos 5, vers. 5.

CAPUT XXII.

Abraham, jussus a Deo immolare filium suum Isaac, obedit ad litteram: sed inhibetur ab angelo; et arietem forte obvium immolat pro filio. Tam promptæ vero obedientiæ mercedem accipit amplissimas benedictiones. Texitur progenies Nachor fratris Abrahæ: nam neptis illius Rebecca futura erat uxor Isaaci filii Abrahæ.

1. Quæ postquam gesta sunt, tentavit [1] Deus Abraham, et dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum.

2. Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.

3. Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit asinum suum: ducens secum duos juvenes, et Isaac filium suum: cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum, quem præceperat ei Deus.

℣. 2. *Tolle filium tuum unigenitum*, scilicet ex Sara, et unicum repromissionis filium, et quia, expulso jam Ismaele et exheredato, unicus Isaac domi superat.

Et vade in terram visionis. Hebraice Moria, id est visibilem, et facile conspicuam, etiam eminus, quia alta et montosa erat terra: hinc eodem sensu Septuaginta vertunt, in terram excelsam. *Ibi offeres eum* (me jubente, cui jus vitæ et necis est in omnes) *super unum montium, quem monstravero tibi*, signo columnæ ignis desuper apparituræ, inquiunt Rabbini.

Nota. Mons Moria in plures colles dissectus erat. In una parte erat *Sion*, in qua *arx David*; juxta quam in *area Ornan Jebusæi* a Davide coempta, Salomon templum construxit [2]. Alia pars montis Moria extra urbem Jerusalem mansit, posteaque dicta est *mons Calvariæ*, in quo tam *Isaac*, quam *Christum* per Isaac præsignatum, immolatum fuisse docet S. Hieronymus ex traditione Judæorum [3].

(1) Judith 8, vers. 22; Ad Hebr. 11, vers. 17.
(2) Patet 2. Paralip. 3, vers. 1.

(3) Ita S. Aug. l. 16 de Civitat. c. 32; Diodorus Tarsensis et alii.

4. Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul:

5. Dixitque ad pueros suos: Expectate hic cum asino: ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.

6. Tulit quoque ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum: ipse vero portabat in manibus ignem et gladium. Cumque duo pergerent simul,

7. Dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respondit: Quid vis, fili? Ecce, inquit, ignis et ligna: ubi est victima holocausti?

8. Dixit autem Abraham: Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter:

9. Et venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, et desuper ligna composuit: cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum.

10. [1] Extenditque manum, et arripuit gladium, ut immolaret filium suum.

11. Et ecce angelus Domini de cælo clamavit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum.

12. Dixitque ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me.

13. Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.

14. Appellavitque nomen loci illius, Dominus videt. Unde usque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.

15. Vocavit autem angelus Domini Abraham secundo de cælo, dicens:

16. [2] Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me:

17. Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, et velut arenam quæ est in littore

℣. 5. *Postquam adoraverimus,* id est, sacrificaverimus, *revertemur ad vos* — Nam Abraham, ut patet ex epistola ad Hebræos [3], credens, *quia et a mortuis resuscitare potens est Deus,* certo sibi persuadebat, quod Deus Isaacum vel non pateretur occidi, vel occisum resuscitaret. Sciebat enim fallere non posse qui promiserat ex Isaac nasciturum Christum, et innumerabilem posteritatem *sicut stellas cæli, et sicut pulverem terræ* [4]. Ita Origenes, S. Aug. et alii.

℣. 9. *Cumque alligasset Isaacum* — Haud dubie Abraham, cum ad rem veniendum esset, exposuit filio divinam voluntatem. Ille vero, ut refert Josephus, nullo modo reluctatus, ultro alacriterque sese obtulit immolandum, ac, ne forte in ipsa jugulatione vel invitus reniteretur, etiam se vinciendum dedit. Nam si reluctari voluisset robustus, ut minimum 25 annorum juvenis, Abraham jam longe centenario major numquam illum alligare potuisset. S. Augustinus, Nyssenus [5] et Procopius, putant matrem quoque *Saram* consciam fuisse, et consensisse immolationi filii. Sed negant hoc Josephus, Chrysostomus et Pererius.

℣. 14. *Appellavit nomen loci illius, Dominus videt,* quasi dicat, Deus clementer respicit cultores suos, et prospicit illis: ut jam opportune prospexit ne filius meus occideretur, sed loco filii aries substitueretur. Ita Hebræi, Chaldæus, Pererius et alii. *Unde usque hodie* in proverbio, afflictis vulgo *dicitur, In monte Dominus videbit* — q. d. Sitis magno et constanti animo, credite, fidite, obedite Deo, qui Abrahæ et Isaaco in monte tam opportune per angelum, per arietem prospexit, is idem et vobis aderit, dabitque piis conatibus felicem eventum. Ita S. Hieronymus, Cajetanus et Delrio.

(1) Jac. 2, vers. 21.
(2) Psalm. 104, vers. 9; Luc. 1, vers. 23; Eccli. 44, vers. 21; Ad Hebr. 6, vers. 13; 1. Mach. 2, vers. 32.
(3) Ad Hebr. 11, vers. 19.
(4) Gen. 13, vers. 16, et c. 15, vers. 5.
(5) Aug. Serm. 73 de Temp.; Nyssen. et alii apud Corn. a Lapide.

maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum,

18. Et [1] BENEDICENTUR in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.

19. Reversusque est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabee simul, et habitavit ibi.

20. His ita gestis, nuntiatum est Abrahæ quod Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo,

21. Hus primogenitum, et Buz fratrem ejus, et Camuel patrem Syrorum,

22. Et Cased, et Azau, Pheldas quoque et Jedlaph,

23. Ac Bathuel, de quo nata est Rebecca: octo istos genuit Melcha, Nachor fratri Abrahæ.

24. Concubina vero illius, nomine Roma, peperit Tabee, et Gaham, et Tahas, et Maacha.

(1) Sup. 12, vers. 3; 18, vers. 18; Infr. 26, vers. 4; Act. 3, vers. 25; Eccli 44, vers. 25.

CAPUT XXIII.

Moritur Sara jam 127 annorum: cui sepeliendæ emit Abraham agrum cum duplici spelunca, ab Ephrone Hethæo (ut addunt Hebræa, Chaldæa et Græca) filio Seor. A cujus nomine locum et urbem vocat Hebron.

1. Vixit autem Sara centum viginti septem annis.

2. Et mortua est in civitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Chanaan: venitque Abraham ut plangeret et fleret eam.

3. Cumque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens:

4. Advena sum et peregrinus apud vos: date mihi jus sepulcri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum.

5. Responderunt filii Heth, dicentes:

6. Audi nos, domine, princeps Dei es apud nos: in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum:

℣. 4. *Date mihi jus sepulcri vobiscum* — Non petit Abraham facultatem, se suosque post mortem miscendi cadaveribus Chananæorum: sed vult, pecunia sibi vendi locum aliquem, sibique proprium fieri, in quo mortuam conjugem suam sepeliat. Patet ex v. 16 ubi 400 argenti siclos (seu florenos Belgicos) appendit Ephroni pro agro ipsius.

Nota. Videtur Abraham in grati animi signum, ab hoc *Ephrone*, nomen urbi, in qua mortua et sepulta est Sara, indidisse: licet malit Serarius, ab hac potius amica societate, quam iniit Abraham cum ejus loci viris principibus, urbem illam vocatam Hebron, a *cheber* quod Hebræis *societatem* significat, nam ante vocabatur *Arbee*, vel *Cariatharbee*, id est civitas Arbee, gigantis unius e maximis et famosissimis illius terræ, qui domicilium istic habuerat. Vocabatur subinde etiam Mambre, a principe Amorrhæo domino ejusdem loci et vallis vicinæ, qui una cum Abrahamo pugnavit adversus 4 reges, Genes. cap. 14 [1]. In hoc Saræ sepulcro sepultus est quoque Abraham [2], Isaac [3], Rebecca [4], et Lia [5]. Et Jacob quoque ex Ægypto in illud idem transferri [6] voluit [7].

(1) Gen. 14, vers. 13 et ultimo.
(2) Gen. 25, vers. 9.
(3) Gen. 35 in fine.
(4) Gen. 49, vers. 31. (5) Ibid.
(6) Ibid.
(7) Quod hic *appendisse* dicitur Abraham 400 argenti siclos, Arias Montanus, Waserus, Waltonus, Conringius, Relandus, aliique non de pecunia agi, quæ numerari posset, sed de argenti mole, quæ tantum posset appendi, sunt arbitrati. Nimirum non animadverterunt docti hi viri priscis illis temporibus, quibus familiæ singulæ rempublicam quamdam constituebant, nullas fuisse leges, quibus monetæ valor firmaretur, sed hunc ab unius artificis voluntate pependisse. Hinc porro illud aperte consequitur, signatam ipsam monetam debuisse appendi, sive quod signum valorem non satis exprimeret, sive quod signo nulla publica auctoritate constituto fides non haberetur. Confer Soucietum in Gallica, eaque pererudita de *Nummis Hebraicis* dissertatione præsertim p. 113 et 119.

nullusque te prohibere poterit quin in monumento ejus sepelias mortuum tuum.

7. Surrexit Abraham, et adoravit populum terræ, filios videlicet Heth:

8. Dixitque ad eos: Si placet animæ vestræ ut sepeliam mortuum meum, audite me, et intercedite pro me apud Ephron filium Seor:

9. Ut det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulcri.

10. Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Responditque Ephron ad Abraham, cunctis audientibus, qui ingrediebantur portam civitatis illius, dicens:

11. Nequaquam ita fiat, domine mi, sed tu magis ausculta quod loquor: Agrum trado tibi, et speluncam, quæ in eo est, præsentibus filiis populi mei, sepeli mortuum tuum.

12. Adoravit Abraham coram populo terræ.

13. Et locutus est ad Ephron circumstante plebe: Quæso, ut audias me: Dabo pecuniam pro agro: suscipe eam, et sic sepeliam mortuum meum in eo.

14. Responditque Ephron:

15. Domine mi, audi me: Terra, quam postulas, quadringentis siclis argenti valet: istud est pretium inter me et te: sed quantum est hoc? sepeli mortuum tuum.

16. Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.

17. Confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mambre, tam ipse, quam spelunca, et omnes arbores ejus in cunctis terminis ejus per circuitum,

18. Abrahæ in possessionem, videntibus filiis Heth, et cunctis qui intrabant portam civitatis illius.

19. Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre, hæc est Hebron in terra Chanaan.

20. Et confirmatus est ager, et antrum, quod erat in eo, Abrahæ in possessionem monumenti a filiis Heth.

CAPUT XXIV.

Adjurat Abraham œconomum suum, ut Isaaco filio suo uxorem quærat ex cognatis suis in Haran. Adducit ille Rebeccam: adductam Isaac uxorem capit.

1. Erat autem Abraham senex, dierumque multorum: et Dominus in cunctis benedixerat ei.

2. Dixitque ad servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: [1] Pone manum tuam subter femur meum,

3. Ut adjurem te per Dominum,

℣. 2. *Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te* — Hic ritus ut peculiaris Patriarchis, ita prorsus arcanus erat et mysterii plenus, quo designabant, Messiam ex suo femore ac semine juxta divina promissa nascitu-

rum. Hinc per eumdem Messiam (quem hic agnoscit *Dominum, Deum cœli et terræ*) *adjurat* Abrahamus procuratorem suum, id est obtestatur, etiam addita maledictione [2], etiam juramento ab illo postulato, ne aliam filio suo uxorem, et

(1) Infra 47, vers. 29.

(2) Infra vers. 41.

Deum cæli et terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito:

4. Sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac.

5. Respondit servus: Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es?

6. Dixitque Abraham: Cave ne quando reducas filium meum illuc.

7. Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, et de terra nativitatis meæ, qui locutus est mihi, et juravit mihi, dicens: [1] Semini tuo dabo terram hanc: ipse mittet angelum suum coram te, et accipies inde uxorem filio meo:

8. Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis juramento: filium meum tantum ne reducas illuc.

9. Posuit ergo servus manum sub femore Abraham domini sui, et juravit illi super sermone hoc.

10. Tulitque decem camelos de grege domini sui, et abiit, ex omnibus bonis ejus portans secum, profectusque perrexit in Mesopotamiam ad urbem Nachor.

11. Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum juxta puteum aquæ vespere, tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit:

12. Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, et fac misericordiam cum domino meo Abraham.

13. Ecce ego sto prope fontem aquæ, et filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam.

14. Igitur puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam ut bibam: et illa responderit, Bibe, quin et camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti servo tuo Isaac: et per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum domino meo.

15. Necdum intra se verba compleverat, et ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filii Melchæ uxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua:

16. Puella decora nimis, virgoque pulcherrima et incognita viro: descenderat autem ad fontem, et impleverat hydriam, ac revertebatur.

17. Occurritque ei servus, et ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua.

18. Quæ respondit: Bibe, domine

consequenter nascituro ex illa Messiæ matrem, quam ex sua cognatione et familia, fideli tum et bene morata desumat. Ita SS. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius [2], [3].

℣. 14. *Igitur puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam ut bibam: et illa responderit, Bibe,* etc. — Ex instinctu Dei vel angeli (quem præmonuerat Abraham ubique in hoc negotio affuturum) servus sibi signum hoc constituit; quo alioquin etiam humanitus internosci ab aliis possit puella bonæ indolis, provida, et hospitalis; qualem norat placiturum tum sponso Isaaco, tum socero Abrahamo, hospitalitati extreme addictis. Et eventus ex voto secutus docet id a Deo suggestum fuisse, alioqui non licet temerario omine, aut divinatione tentare Deum. Simili instinctu Gedeon ex somnio Madianitæ, et Jonathas ex verbis Philisthinorum captarunt omen victoriæ, Judicum 7, et 1. Regum 14.

(1) Sup. 12, v. 7; 13, v. 15; 15, v. 18; Inf. 29.

(2) Hieron. in Trad. Hebr.; Ambr. l. 1 de Abr., c. ult.; Aug. serm. 75 de Tempore; Greg. epist. ad Pammachium.

(3) Nullum hic mysterium agnoscit Benedictinus Martin, p. 1 *Explanationis plurium script. difficil. locor.*, p. 18 seq., sed unum veterum in adjurando morem; antiquos enim manum subter alterius femora quum illum deprecarentur, posuisse ex Euripide in *Aulide*, in *Helena*, in *Hecuba* ingeniose colligit, ex hoc autem vetustiore more celebriorem illum manasse *genua* amplexandi, immo et priorem tangendi femoris *genuum* nomine pudoris causa fuisse designatum ostendit.

mi: celeriterque deposuit hydriam super ulnam suam, et dedit ei potum.

19. Cumque ille bibisset, adjecit: Quin et camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.

20. Effundensque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum ut hauriret aquam: et haustam omnibus camelis dedit.

21. Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens utrum prosperum iter suum fecisset Dominus, an non.

22. Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos, et armillas totidem pondo siclorum decem.

23. Dixitque ad eam: Cujus es filia? indica mihi: est in domo patris tui locus ad manendum?

24. Quæ respondit: Filia sum Bathuelis, filii Melchæ, quem peperit ipsi Nachor.

25. Et addidit, dicens: Palearum quoque et fœni plurimum est apud nos, et locus spatiosus ad manendum.

26. Inclinavit se homo, et adoravit Dominum.

27. Dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam et veritatem suam a domino meo, et recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei.

28. Cucurrit itaque puella, et nuntiavit in domum matris suæ omnia quæ audierat.

29. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, ubi erat fons.

30. Cumque vidisset inaures et armillas in manibus sororis suæ, et audisset cuncta verba referentis: Hæc locutus est mihi homo: venit ad virum, qui stabat juxta camelos, et prope fontem aquæ:

31. Dixitque ad eum: Ingredere, benedicte Domini: cur foris stas? præparavi domum, et locum camelis.

32. Et introduxit eum in hospitium: ac destravit camelos, deditque paleas et fœnum, et aquam ad lavandos pedes ejus, et virorum qui venerant cum eo.

33. Et appositus est in conspectu ejus panis. Qui ait: Non comedam, donec loquar sermones meos. Respondit ei: Loquere.

34. At ille: Servus, inquit, Abraham sum:

35. Et Dominus benedixit domino meo valde, magnificatusque est: et dedit ei oves et boves, argentum et aurum, servos et ancillas, camelos et asinos.

36. Et peperit Sara uxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditque illi omnia quæ habuerat.

37. Et adjuravit me dominus meus, dicens: Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito:

38. Sed ad domum patris mei

℣. 27. *Deus non abstulit misericordiam et veritatem*, seu fidelitatem in promissis complendis. Sic enim passim accipitur in Scripturis. Quamquam hoc loco possit etiam dici esse hendyadin, de qua in Prolegomenis [1], q. d. Non abstulit Deus veram misericordiam seu beneficentiam *suam a domino meo* Abraham; sed vere misericordem ac beneficum se exhibet hero meo, quod ita prosperet iter meum, negotiumque mihi ab illo commissum. Sic infra vers. 49 idem servus simili phrasi utitur apud fratres Rebeccæ: *Si facitis misericordiam et veritatem cum domino meo*, id est, si vultis verum beneficium præstare hero meo, et Rebeccam filio ejus nuptui dare; *indicate mihi, ut vadam ad dexteram, sive ad sinistram* — idiotismo Hebraico, id est, ut sciam qua via mihi eundum sit: utrum in Rebecca sistere, an ad aliam Isaaco sponsam quærendam pergere debeam.

(1) Prolog. de Idiotismis Hebr., n. 42.

perges, et de cognatione mea accipies uxorem filio meo:

39. Ego vero respondi domino meo: Quid si noluerit venire mecum mulier?

40. Dominus, ait, in cujus conspectu ambulo, mittet angelum suum tecum, et diriget viam tuam: accipiesque uxorem filio meo de cognatione mea, et de domo patris mei.

41. Innocens eris a maledictione mea, cum veneris ad propinquos meos, et non dederint tibi.

42. Veni ergo hodie ad fontem aquæ, et dixi: Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in qua nunc ambulo,

43. Ecce sto juxta fontem aquæ; et virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit a me: Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua:

44. Et dixerit mihi: Et tu bibe, et camelis tuis hauriam: ipsa est mulier, quam præparavit Dominus filio domini mei.

45. Dumque hæc tacitus mecum volverem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula: descenditque ad fontem, et hausit aquam. Et ajo ad eam: Da mihi paululum bibere.

46. Quæ festinans deposuit hydriam de humero, et dixit mihi: Et tu bibe, et camelis tuis tribuam potum. Bibi, et adaquavit camelos.

47. Interrogavique eam, et dixi: Cujus es filia? Quæ respondit: Filia Bathuelis sum, filii Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus, et armillas posui in manibus ejus.

48. Pronusque adoravi Dominum, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris domini mei filio ejus.

49. Quamobrem si facitis misericordiam et veritatem cum domino meo, indicate mihi: sin autem aliud placet, et hoc dicite mihi, ut vadam ad dexteram, sive ad sinistram.

50. Responderuntque Laban et Bathuel: A Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum.

51. En Rebecca coram te est, tolle eam, et proficiscere, et sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Dominus.

52. Quod cum audisset puer Abraham, procidens adoravit in terram Dominum.

53. Prolatisque vasis argenteis, et aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque ejus et matri dona obtulit.

54. Inito convivio, vescentes pariter et bibentes manserunt ibi. Surgens autem mane, locutus est puer: Dimitte me, ut vadam ad dominum meum.

55. Responderuntque fratres ejus et mater: Maneat puella saltem decem dies apud nos, et postea proficiscetur.

56. Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam: dimittite me, ut pergam ad dominum meum.

57. Et dixerunt: Vocemus puellam, et quæramus ipsius voluntatem.

58. Cumque vocata venisset, scisciti sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait: Vadam.

59. Dimiserunt ergo eam, et nutricem illius, servumque Abraham, et comites ejus,

60. Imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes: Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum.

61. Igitur Rebecca et puellæ illius, ascensis camelis, secutæ sunt virum: qui festinus revertebatur ad dominum suum.

62. Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam, quæ ducit ad puteum, [1] cujus nomen est Viventis et Videntis: habitabat enim in terra australi:

63. Et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata jam die: cumque elevasset oculos, vidit camelos venientes procul.

64. Rebecca quoque, conspecto Isaac, descendit de camelo,

65. Et ait ad puerum: Quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei: Ipse est dominus meus. At illa tollens cito pallium, operuit se.

66. Servus autem, cuncta, quæ gesserat, narravit Isaac.

67. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, et accepit eam uxorem: et in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret.

℣. 62. *Deambulabat Isaac ad puteum, cujus nomen est Viventis et Videntis* — Id est, quem Agar ab Abrahamo expulsa, sed ab angelo recreata, vocavit puteum *viventis*, scilicet Dei, *et videntis*, scilicet miseriam ancillæ, illique misericorditer providentis et opitulantis, ut dixit supra c. 16, v. 14.

(1) Sup. 16, vers. 14.

℣. 63. *Egressus ad meditandum in agro* — Chaldæus, *ad orandum*; Græcus, *ad se exercendum*, scilicet spiritali exercitio orationis, agendo et colloquendo cum Deo de rebus tum naturalibus et terrenis, tum supernaturalibus, cælestibus et divinis. Ita S. Ambrosius, Augustinus, Hebræi, Lyranus et Tostatus [2].

(2) Citati a Cornelio a Lapide.

CAPUT XXV.

Abraham ex Cetura secundaria uxore suscipit sex proles; et moritur cum 175 annorum esset, et apud Saram sepelitur. Recensentur proles Ismaelis, ejusque obitus. Rebecca parit Jacob et Esau: quorum minor majori præfertur a Deo. Esau pro pulmento vendit primogenituram Jacobo.

1. Abraham vero aliam duxit uxorem nomine Ceturam [1]:

2. Quæ peperit ei Zamran, et Jecsan, et Madan, et Madian, et Jesboc, et Sue.

3. Jecsan quoque genuit Saba, et Dadan. Filii Dadan fuerunt, Assurim, et Latusim, et Loomim.

4. At vero ex Madian ortus est Epha, et Opher, et Henoch, et Abida, et Heldaa: omnes hi filii Ceturæ.

5. Deditque Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac:

6. Filiis autem concubinarum largitus est munera, et separavit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret, ad plagam orientalem.

7. Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni.

℣. 6. *Filiis concubinarum* — Id est filiis Agar et Ceturæ: quæ licet veræ, legitimæ, et proprie dictæ essent uxores, ut hic dicitur v. 1; quia tamen ignobiliores erant et servæ, vocabantur *concubinæ*, quasi concumbentes secundariæ uxores, cavebaturque pactis dotalibus, ne filii earum jus haberent ad hereditatem paternam, sed hac integra relicta filiis primariæ uxoris, quæ erat domina totius familiæ, jubebantur certis muneribus seu donis pro arbitrio patris designandis esse contenti. Ita Pererius, Serarius [2] et alii.

(1) 1. Paral. 1. vers. 31.

Ὁδοιπορικὸν totius vitæ Abrahæ habes in Chronico nostro cap. 15. Arborem vero genealogiæ parentum ejus et filiorum usque ad Christum, cap. 46.

(2) In Jud. 19, q. 2.

8. Et deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis, et plenus dierum: congregatusque est ad populum suum.

9. Et sepelierunt eum Isaac et Ismael filii sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron filii Seor Hethæi, e regione Mambre,

10. Quem emerat a filiis Heth: ibi sepultus est ipse, et Sara uxor ejus.

11. Et post obitum illius benedixit Deus Isaac filio ejus, qui habitabat juxta puteum nomine Viventis et Videntis.

12. Hæ sunt generationes Ismael filii Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia, famula Saræ:

13. Et hæc nomina filiorum ejus in vocabulis et generationibus suis. [1] Primogenitus Ismaelis Nabajoth, deinde Cedar, et Adbeel, et Mabsam,

14. Masma quoque, et Duma, et Massa,

15. Hadar, et Thema, et Jethur, et Naphis, et Cedma.

16. Isti sunt filii Ismaelis: et hæc nomina per castella et oppida eorum, duodecim principes tribuum suarum.

17. Et facti sunt anni vitæ Ismaelis centum triginta septem, deficiensque mortuus est, et appositus ad populum suum.

18. Habitavit autem ab Hevila usque Sur, quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios; coram cunctis fratribus suis obiit.

19. Hæ quoque sunt generationes Isaac filii Abraham: Abraham genuit Isaac:

20. Qui cum quadraginta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban.

21. Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ.

22. Sed collidebantur in utero ejus parvuli: quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexitque ut consuleret Dominum.

23. Qui respondens ait [2]: Duæ gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori.

24. Jam tempus pariendi adve-

℣. 8. *Congregatus est ad populum suum* — Phrasis Hebr. qua significatur Abraham translatum eo, quo majores ejus transierant, scilicet a statu viventium in terris ad statum degentium in altera vita. Sic infra v. 17 dicitur eadem phrasi *Ismael appositus ad populum suum*. Notat Burgensis, in veteri testamento, cum statim a morte etiam justissimi ad limbum transirent, dici solitum, eos *congregari ad populum suum*, in novo vero, cum animæ puræ mox in cælum avolant, dici, *Transire ad Dominum, In Domino mori, Intrare in gaudium Domini*, etc.

℣. 22. *Collidebantur in utero ejus parvuli* — Symmachus vertit, *colluctabantur*, scilicet, uter superior esset et prior exiret. Hæc lucta non vi naturæ aut casu, sed Dei nutu contigit: ut mox matri ab angelo indicatum est; cum enim illa vitæ suæ proliumque metuens, *pergeret* (verosimiliter ad oratorium et ad aram domesticam, in qua sacrificium Deo offerebatur [3]) *ut consuleret Dominum* de tam insolitæ rei successu et eventu; hoc *responsum* accepit:

℣. 23. *Duo populi ex ventre tuo dividentur* — id est, duæ proles, a quibus duo populi, scilicet Israelitæ et Idumæi, ex uno hoc tuo partu nascentur, habitatione, moribus, religione prorsus inter se contrarii et divisi, et ob id etiam perpetuo discordes.

Et major serviet minori — id est, populus qui ex *majori* seu primogenito tuo procedet (puta Idumæi), *serviet* alteri populo, qui ex minori nascetur, scilicet (Israelitis). Quod factum tempore Davidis et Salomonis, 2. Reg. 8, et rursus tempore Hyrcani [4] filii Simonis Macha-

(1) 1. Paral. 1, v. 29. (2) Ad Rom 9, ℣. 10. (3) Ita Theod. q. 75 in Gen.

(4) Gen. 27, vers. 40; Abdiæ vers. 18, et Chron. c. 42 post med., classis 2.

nerat, et ecce gemini in utero ejus reperti sunt.

25. [1] Qui prior egressus est, rufus erat, et totus in morem pellis hispidus: vocatumque est nomen ejus Esau. [2] Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: et idcirco appellavit eum Jacob.

26. Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt ei parvuli.

27. Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, et homo agricola: Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.

28. Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur: et Rebecca diligebat Jacob.

29. Coxit autem Jacob pulmentum: ad quem cum venisset Esau de agro lassus,

30. Ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen ejus [3] Edom.

31. Cui dixit Jacob: Vende mihi primogenita tua.

32. Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita?

bæi, ut Josephus [4] et alii describunt. Ex his patet, a Deo revelatum Rebeccæ, Jacobum divino decreto prælatum esse fratri suo Esau, illique deberi jura primogenituræ, etsi posterior gigneretur: unde etiam licite potuit suadere Jacobo, eidemque cooperari ad benedictionem paternam astu et solertia fratri præripiendam. Ita S. Augustinus, Rupertus, et alii; qui allegorice cum S. Paulo ad Romanos 9, v. 10, volunt hic designari, Christianos Judæis præponendos quoad gratiam, fidem et salutem æternam.

℣. 25. *Vocatum est nomen ejus Esau* — id est factus, perfectus: quia cum toto corpore pilosus esset et hirsutus, non tam tener infantulus, quam vir perfectus videbatur. Hinc et alterum illi nomen fuit *Seir*, hoc est pilosus: et tertium, *Edom*, id est rufus, tum a rufo pilorum colore, ut hoc versu dicitur: tum a *coctione lentis rufa*, pro qua vendidit primogenita sua, v. 30 [5].

Protinus alter egrediens utero materno, *plantam fratris tenebat manu*, ut eum nascendo præverteret.

Idcirco appellavit eum Jacob — id est tenens plantam, vel *supplantator*, ut infra dicitur c. 27, v. 36, *Juste vocatum est nomen ejus Jacob: supplantavit enim me* (inquit Esau) *en altera vice.*

℣. 31. *Vende mihi primogenita tua* — seu jus primogenituræ tuæ.

Petes, quodnam fuit in lege naturæ jus primogenituræ? Respondeo, Præter ea quæ nostrorum temporum primogenitis communia sunt, ut quod reliquis *honore, dignitate, loco* in publicis consessibus præferantur; peculiare ipsis erat, primo, *duplicem in hereditate* paterna *portionem* accipere. Colligitur ex Deut. 21, v. 17, item 1. Paral. 5, v. 1, ubi cum duæ tribus conceduntur Josepho, et consequenter duæ portiones in partitione terræ sanctæ, dicuntur primogenita Ruben translata fuisse in Joseph. Secundo, peculiari *benedictione* a patre moriturο *benedici:* quæ ut magnæ erat efficaciæ apud Deum, ita maximi æstimabatur. Tertio, dignitas *sacerdotii:* quod tamdiu primogenito soli competebat, quamdiu fratres illi cohabitabant. Nam cum quis

(1) Os. 12, vers. 3. (2) Matth. 1, vers. 2.
(3) Ad Hebr. 12, vers. 16; Abd. 1.
(4) Lib. 14 Antiq., c. 17.
(5) Clericus Esau Arabice *pilosum* designare scribit, quasi vero Isaac ad exteras linguas confugere debuisset, si id eo nomine denotare ipsi libuisset: cur *Seir* Hebraicæ illum non vocasset? quemadmodum alteri filio Hebræum nomen imposuit.

Neque solum ipse *Edom* dictus ea de caussa fuit, sed etiam qui ab eo geniti fuere, Idumæi, immo et mare quod Idumæam adluit, inde *rubrum* appellatum fuit. Vere Plinius lib. 6, cap. 23, n. 28, *Irrumpit deinde et in hac parte geminum mare in terras, quod* Rubrum *dixere nostri, Græci Erythræum a Rege Erythra;* hic enim alius ab Esau non est; *Erythra* enim Græcis est Hebræis *Edom.*

Harduinus quidem in eum Plinii locum huic de appellatione maris *rubri* conjecturæ difficilem se præbet, quod non Arabico sinui primum, a quo Idumæa haud procul abest, sed ipsi Oceano Meridiano id nomen esse inditum, Scriptores vetustos evolventi constet. Sed pace viri summi nec vetusti hujusmodi scriptores, qui Oceanum Meridianum *Rubri* nomine designatum fuisse, priusquam id nominis Arabico sinui tribueretur, asserant, hactenus inventi sunt, neque ut id verum esset, negari deberet illud maris rubri etymon. Nam, ut scite animadvertit P. Martin Benedictinus, p. 1, citati sæpius operis, pag. 34, quod Edom alius, aut Erythra Esau nostro vetustior Oceanum Meridianum rubri nomine donarit, haud efficit, idem deinde nomen Arabico sinui ab Esau non obtigisse.

33. Ait Jacob: Jura ergo mihi. Juravit ei Esau, et vendidit primogenita.

34. Et sic accepto pane et lentis edulio, comedit, et bibit, et abiit; parvipendens quod primogenita vendidisset.

emigraret, et aliam conflaret familiam, uti caput fiebat illius novæ familiæ, ita et jure sacerdotii illi adnexi statim gaudebat. Quarto, moriente patrefamilias, primogenitus in locum illius succedebat, et ceterorum fratrum quasi *parens* erat, et *dominus* et *princeps*. Patet infra c. 27, *Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi.*

Petes secundo, an Esau vendendo sua primogenita peccarit; et quo genere peccati? Respondeo, Peccavit primo, gula: nam quod dicit, *En morior*, nonnisi falsus prætextus fuit, quo Jacobum induceret ad lentem donandam. Et ut vere eguisset, et valde; quis credat, in tam divite Isaaci domo vel carnem, vel alios cibos, vel saltem panem defuisse, quo Esau, si voluisset, vires instaurare potuisset? Secundo, irreligiositate peccavit, et contemptu rei sacræ, quasi nihil æstimans etiam jus sacerdotii, quo una cum primogenitura sese spoliarat. Unde et *profanus* vocatur Esau a sancto Paulo ad Hebræos 12, v. 16. Et quidam volunt, etiam simonia peccasse, vendendo rem sacram.

Petes tertio, an etiam Jacob ex eodem capite non peccarit simonia, emendo rem sacram? et simul injustitia, emendo tam vili rem tam pretiosam? Respondeo, Neutra peccavit, tum quia hoc jus primogenituræ sciebat Jacob suum esse, sibique etiam gratis deberi, ex divino decreto et oraculo, v. 23 matri revelato. Unde bene prudenterque occasionem ultro hic oblatam amplectitur, qua a fratre volente et orante obtineat, quod etiam invito potuisset jure et vi extorquere. Tum quia jus sacerdotii non erat nisi accessorium ad jus primogenituræ, quod in se, et in reliquis etiam accessoriis erat temporale, et pretio æstimabile. Talia vero emi et vendi possunt: ut fit quotidie in variis dominiis temporalibus, quibus annexum est jus patronatus. Et facile erat Jacobo juveni pio ac sagaci sacrum a profano mente ac intentione secernere: licet forte Esau profanus et sacrorum contemptor nihil hæc curaret, et tam sacra quam profana ridens, utraque venderet, atque ita simonia peccaret. Ita Cajetanus [1] et alii Theologi.

(1) In 2. 2., q. 100, a. 4.

CAPUT XXVI.

Isaac de novo confirmatur heres omnium bonorum Abrahæ a Deo promissorum: benediciturque ac ditatur vehementer: unde Geraritæ invidentes illi, puteos ejus obstruunt. Sed confortatus Isaac a Deo pacem et fœdus in Bersabee renovat cum Geraritis. Esau uxores Hethæas ducit.

1. Orta autem fame super terram, post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara.

2. Apparuitque ei Dominus, et ait: Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi.

3. Et peregrinare in ea, eroque tecum, et benedicam tibi: tibi enim et semini tuo dabo universas regiones has, [1] complens juramentum, quod spopondi Abraham patri tuo.

4. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli: daboque posteris tuis universas regiones has: [2] et BENEDICENTUR in semine tuo omnes gentes terræ,

5. Eo quod obedierit Abraham voci meæ, et custodierit præcepta

(1) Sup. 12, vers. 7; 15, vers. 18.

(2) Sup. 12, v. 3; 18, v. 18; 22, v. 18; Infr. 28, v. 14.

et mandata mea, et cæremonias legesque servaverit.

6. Mansit itaque Isaac in Geraris.

7. Qui cum interrogaretur a viris loci illius super uxore sua, respondit: Soror mea est. Timuerat enim confiteri quod sibi esset sociata conjugio, reputans ne forte interficerent eum propter illius pulcritudinem.

8. Cumque pertransissent dies plurimi, et ibidem moraretur, prospiciens Abimelech rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum jocantem cum Rebecca uxore sua.

9. Et accersito eo, ait: Perspicuum est quod uxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse? Respondit: Timui ne morerer propter eam.

10. Dixitque Abimelech: Quare imposuisti nobis? Potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, et induxeras super nos grande peccatum. Præcepitque omni populo, dicens:

11. Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.

12. Sevit autem Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum: benedixitque ei Dominus.

13. Et locupletatus est homo, et ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est:

14. Habuit quoque possessiones ovium et armentorum, et familiæ plurimum. Ob hoc invidentes ei Palæstini,

15. Omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo:

16. In tantum, ut ipse Abimelech diceret ad Isaac: Recede a nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.

17. Et ille discedens, ut veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi:

18. Rursum fodit alios puteos, quos foderant servi patris sui Abraham, et quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philisthiim: appellavitque eos eisdem nominibus, quibus ante pater vocaverat.

19. Foderuntque in Torrente, et repererunt aquam vivam.

20. Sed et ibi jurgium fuit pastorum Geraræ adversus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua. Quam ob rem nomen putei, ex eo quod acciderat, vocavit Calumniam.

21. Foderunt autem et alium: et pro illo quoque rixati sunt, appellavitque eum, Inimicitias.

22. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocavit nomen ejus, Latitudo, dicens: Nunc dilatavit nos Dominus, et fecit crescere super terram.

23. Ascendit autem ex illo loco in Bersabee,

24. Ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui; noli timere, quia ego tecum sum: benedicam tibi: et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham.

25. Itaque ædificavit ibi altare, et invocato nomine Domini, extendit tabernaculum: præcepitque servis suis ut foderent puteum.

26. Ad quem locum cum venissent de Geraris Abimelech, et Ochozath amicus illius, et Phicol dux militum,

27. Locutus est eis Isaac: Quid venistis ad me, hominem, quem odistis, et expulistis a vobis?

28. Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum, et idcirco nos diximus: Sit juramentum inter nos, et ineamus fœdus,

29. Ut non facias nobis quidquam

℣. 19. *Foderunt in torrente*, id est, juxta torrentem, *et repererunt aquam vivam* — puta fontanam perpetuo scaturientem.

mali, sicut et nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet: sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini.

30. Fecit ergo eis convivium, et post cibum et potum

31. Surgentes mane, juraverunt sibi mutuo: dimisitque eos Isaac pacifice in locum suum.

32. Ecce autem venerunt in ipso die servi Isaac, annuntiantes ei de puteo, quem foderant, atque dicentes: Invenimus aquam.

33. Unde appellavit eum, Abundantiam: et nomen urbi impositum est Bersabee, usque in præsentem diem.

34. Esau vero quadragenarius duxit uxores, Judith filiam Beeri Hethæi, et Basemath filiam Elon ejusdem loci:

35. [1] Quæ ambæ offenderant animum Isaac et Rebeccæ.

℣. 33. *Appellavit eum* puteum *abundantiam.* Scilicet, ominabatur Isaac, ex hoc puteo, uti pacificam, ita et copiosam pecoribus ac familiæ adaquationem futuram. *Et nomen urbi* puteo illi vicinæ *impositum est Bersabee* — id est puteus saturitatis seu abundantiæ. Idem tamen verbum *Bersabee* paullo vehementiore aspiratione significat etiam *puteum juramenti.* Unde ex utroque capite urbi illi impositum est nomen *Bersabee:* prius ab Abrahamo c. 21 Genes., v. 31, quia ibi Abraham et Abimelech mutuo fœdus et fidem jurarunt, uti et hoc cap. Isaac eidem Abimelecho, vel filio potius successori ejus, simile fœdus ad eumdem puteum juravit. Posterius ab Isaaco, hoc loco, et hoc versu, ubi ex copia aquarum vocavit *puteum abundantiæ.* Ita Cajetanus et Tostatus.

℣. 35. *Ambæ* uxores Esau *offenderant animum Isaac et Rebeccæ* — In Hebræo, Chaldæo et Græco est *offendebant,* nempe quotidie et continuo: cum enim essent ex Hethæis impiis et idololatris oriundæ, verosimile est etiam Ethnicis et superstitiosis illius gentis ritibus magis quam veri Dei cultui addictas fuisse. Forte etiam, quia primogenito nupserant, cui imperium in alios jure debebatur, superbia tumidæ non modo spernebant Jacobum, minorem natu, ejusque modestiæ ac pietati quotidie insultabant; sed socerum quoque ac socrum subinde se monentes ac corripientes, ridebant et contemnebant. Unde in Hebræo est, *erant amaritudo spiritus Isaaco et Rebeccæ.*

(1) Infr. 27, vers. 46.

CAPUT XXVII.

Jacob astu præripit fratri suo Esau benedictionem patris: unde Esau mortem illi minatur. Sed Jacob suasu matris secedit in Haran.

1. Senuit autem Isaac, et caligaverunt oculi ejus, et videre non poterat: vocavitque Esau filium suum majorem, et dixit ei: Fili mi. Qui respondit: Adsum.

2. Cui pater: Vides, inquit, quod senuerim, et ignorem diem mortis meæ.

3. Sume arma tua, pharetram, et arcum, et egredere foras: cumque venatu aliquid apprehenderis,

4. Fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, et affer ut comedam: et benedicat tibi anima mea antequam moriar.

5. Quod cum audisset Rebecca, et ille abiisset in agrum ut jussionem patris impleret,

℣. 3. *Cum venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum* — id est, obsonium, edulium. Nam pulmentum in Scriptura denotat id omne quod pani additur.

6. Dixit filio suo Jacob: Audivi patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, et dicentem ei:

7. Affer mihi de venatione tua, et fac cibos ut comedam, et benedicam tibi coram Domino antequam moriar.

8. Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis:

9. Et pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur:

10. Quas cum intuleris, et comederit, benedicat tibi priusquam moriatur.

11. Cui ille respondit: Nosti quod Esau frater meus homo pilosus sit, et ego lenis:

12. Si attrectaverit me pater meus, et senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, et inducam super me maledictionem pro benedictione.

13. Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, et pergens affer quæ dixi.

14. Abiit, et attulit, deditque matri. Paravit illa cibos, sicut velle noverat patrem illius.

15. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum:

16. Pelliculasque hœdorum circumdedit manibus, et colli nuda protexit.

17. Deditque pulmentum, et panes, quos coxerat, tradidit.

18. Quibus illatis, dixit: Pater mi. At ille respondit: Audio. Quis es tu, fili mi?

19. Dixitque Jacob: Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi: surge, sede, et comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua.

℣. 19. *Dixitque Jacob: Ego sum primogenitus tuus Esau,* scilicet figuratus et personatus. Nam et decreto divino [1], et jure emptionis [2] sum primogenitus tuus, et ut privilegio primogenituræ mihi debito nunc fruar, et solemniter a te benedicar, cum id alia ratione non possim sperare (te nimis propenso in Esau [3]), indui personam ejus, quem putas esse primogenitum tuum, et *feci sicut præcepisti mihi*, scilicet vero primogenito tuo; nam licet materialiter et ex errore præceperis Esau ut pareret tibi grata cibaria, et ita sese ad benedictionem accipiendam compararet; formaliter tamen intendisti id ei præcipere, qui voluntate et decreto divino primogenitus tuus esset: cum autem ego is sim, et jam tibi hæc eadem in eumdem finem pararim, vere affirmare possum, *fecisse* me *sicut præcepisti mihi.*

Surge, sede, et comede de venatione mea, quam non in agro, non in saltu, sed in stabulo venatus sum; ita S. Augustinus [4]. Simili modo Matthæi 11, vers. 14, *Joannes Baptista* etiam a Christo vocatur *Elias,* non quoad personam, sed quoad spiritum, et Tobiæ 5, v. 18 angelus *Raphael* dicit se esse *Azariam,* id est adjutorem Dei, *filium Ananiæ*, id est gratiæ Dei. Nam certum est ex communi Doctorum sententia, cum justa et prægnans causa subest, licere personam simulare, et mentali restrictione uti. Et cum possit hac ratione sanctus Patriarcha in re tanta commode a peccato excusari, non libenter eum cum nonnullis [5] mendacii vel venialis arguerim: maxime cum jam non puer esset, sed provectæ ætatis vir, utpote 77 annorum [6]; neque a patre, etiam re deprehensa, arguatur: quin potius magis magisque stabiliatur, dicente patre, *Benedixi ei, et erit benedictus.* Neque obstat, quod paullo post subjungit, *Venit germanus tuus fraudulenter,* quia non agit de mala et illicita fraude, sed de astutia, ut idem sit quod astute, seu callide: unde et Chaldæus vertit, *in sapientia* seu *sapienter venit.* Allegorice S. Augustinus et Prosper [7] vestes Esau, collare et chirothecas hœdinas, interpretantur peccata nostra, quæ Christus in se assumpsit et luit.

(1) Gen. 25, vers. 23. (2) Gen. 25, vers. 33.
(3) Gen. 25, vers. 28, et cap. 27, v. 1 et seqq.
(4) Lib. contra mendacium, cap. 10.
(5) Chrysost. hom. 53 in Genes.; Lipomano in Catena.; Scoto in 3 sent., dist. 38; Adriano quodlib. 1; Lyran., Cajet., Delrio, a Lapide, Bonfr. hic.
(6) Ut probat Bonfr. hic vers. 1 et alii.
(7) August. sup.; Prosper. 1 p. prædict., c. 21.

20. Rursumque Isaac ad filium suum: Quomodo, inquit, tam cito invenire potuisti, fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit ut cito occurreret mihi quod volebam.

21. Dixitque Isaac: Accede huc, ut tangam te, fili mi, et probem utrum tu sis filius meus Esau, an non.

22. Accessit ille ad patrem, et palpato eo, dixit Isaac: Vox quidem, vox Jacob est: sed manus, manus sunt Esau.

23. Et non cognovit eum, quia pilosæ manus similitudinem majoris expresserant. Benedicens ergo illi,

24. Ait: Tu es filius meus Esau? Respondit, Ego sum.

25. At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, ut benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum; quo hausto,

26. Dixit ad eum: Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi.

27. Accessit, et osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

28. Det tibi Deus de rore cæli, et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti et vini.

29. Et serviant tibi populi, et adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ: qui maledixerit tibi, sit ille maledictus; et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.

30. Vix Isaac sermonem impleverat: et egresso Jacob foras, venit Esau,

31. Coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge, pater mi, et comede de venatione filii tui, ut benedicat mihi anima tua.

32. Dixitque illi Isaac: Quis enim es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau.

33. Expavit Isaac stupore vehementi: et ultra quam credi potest, admirans ait: Quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi, et comedi ex omnibus priusquam tu venires? benedixique ei, et erit benedictus.

34. Auditis Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno: et consternatus, ait: Benedic etiam et mihi, pater mi.

35. Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, et accepit benedictionem tuam.

36. At ille subjunxit: Juste vocatum est nomen ejus Jacob: supplantavit enim me en altera vice: [1] primogenita mea ante tulit, et nunc secundo surripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem: Numquid non reservasti, ait, et mihi benedictionem?

37. Respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi: frumento et vino stabilivi eum, et tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam?

38. Cui Esau: Num unam, inquit, tantum benedictionem habes, pater? mihi quoque obsecro ut benedicas. Cumque ejulatu magno fleret,

39. Motus Isaac, dixit ad eum: [2] In pinguedine terræ, et in rore cæli desuper

40. Erit benedictio tua. Vives in gladio, et fratri tuo servies: tempusque veniet, cum excutias et solvas jugum ejus de cervicibus tuis.

℣. 40. *Vives in gladio,* id est, in continuis fere bellis, q. d. Posteri tui erunt bellicosi et rapaces. Nihilominus *fratri tuo servies.* Ita servierunt Idumæi Judæis tempore Davidis, Salomonis [3], et aliorum regum [4]. *Tempus* tamen *veniet,*

(1) Sup. 25, vers. 34.
(2) Ad Hebr. 11, vers. 20.
(3) 2. Reg. 8, v. 14; 1. Paral. 18, v. 13; Joseph. l. 7 Ant., c. 6. (4) 3. Reg. 11, v. 15; 4. Reg. 14, 7.

41. Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater: dixitque in corde suo: [1] Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum.

42. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens et vocans Jacob filium suum, dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te.

43. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, et consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran:

44. Habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui,

45. Et cesset indignatio ejus, obliviscaturque eorum, quæ fecisti in eum: postea mittam, et adducam te inde huc; cur utroque orbabor filio in uno die?

46. Dixitque Rebecca ad Isaac: [2] Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere.

cum excutias et solvas jugum ejus de cervicibus tuis — Excusserunt enim tempore Joram [3] filii Josaphat regis Judæ, per 800 circiter annos, nempe usque ad Hyrcanum Simonis Machabæi filium, a quo rursus attriti et subacti sunt, et etiam circumcisionem religionemque Judaicam suscipere coacti [4]. Caput tamen iterum erigere cœperunt per Herodem Ascalonitam ex Idumæis oriundum, qui cum filiis et nepotibus suis annos plusquam centum Judæis imperavit usque ad excidium Jerosolymæ: quin et Tito imperatori in hac urbe expugnanda, magnis copiis adfuerunt, teste Josepho [5] et aliis.

(1) Abd. 1, vers. 10. (2) Supra 26, vers. 35. (3) 4. Reg. 8, vers. 20; 2. Paral. 21, vers. 8; Joseph. lib. 9 Antiq., c. 2.

(4) Joseph. lib. 13 Antiq., c. 17. Vide etiam 1. Mach. 1, vers. 65.

(5) Lib. 14 Antiq. initio, et lib. 1 Belli.

CAPUT XXVIII.

Jacob proficiscens in Mesopotamiam, obdormiscens in via, videt Deum innixum scalæ, per quam angeli ascendebant et descendebant, se solantem et roborantem: unde loco nomen dat Bethel. Et voto facto Deo, iter prosequitur.

1. Vocavit itaque Isaac Jacob, et benedixit eum, præcepitque ei, dicens: Noli accipere conjugem de genere Chanaan:

2. Sed vade et proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, et accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui.

3. Deus autem omnipotens benedicat tibi, et crescere te faciat, atque multiplicet: ut sis in turbas populorum.

4. Et det tibi benedictiones Abrahæ, et semini tuo post te: ut possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est avo tuo.

5. [1] Cumque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ.

6. Videns autem Esau quod benedixisset pater suus Jacob, et misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, ut inde uxorem duceret; et quod post benedictionem præcepisset ei, dicens: Non accipies uxorem de filiabus Chanaan:

7. Quodque obediens Jacob parentibus suis isset in Syriam:

8. Probans quoque quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus:

9. Ivit ad Ismaelem, et duxit uxorem absque iis, quas prius habebat, Maheleth filiam Ismael filii Abraham, sororem Nabajoth.

(1) Os. 12, vers. 12.

10. Igitur egressus Jacob de Bersabee, pergebat Haran.

11. Cumque venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui jacebant, et supponens capiti suo, dormivit in eodem loco.

12. Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cælum: angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam,

13. Et Dominum innixum scalæ dicentem sibi: [1] Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo.

14. Eritque semen tuum quasi pulvis terræ: [2] dilataberis ad occidentem, et orientem, et septentrionem, et meridiem: [3] et BENEDICENTUR IN TE et in semine tuo cunctæ tribus terræ.

15. Et ero custos tuus quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc: nec dimittam nisi complevero universa, quæ dixi.

16. Cumque evigilasset Jacob de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.

17. Pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cæli.

18. Surgens ergo Jacob mane, tulit lapidem, quem supposuerat ca-

℣. 12. *Vidit in somnis scalam* — Litteraliter voluit Deus mœsto et anxio Jacobo, jamque exuli, per hanc scalam significare divinam providentiam et opem de cælo illi ubique affuturam: et angelos, qui continuo e cælis in terram, et e terra in cælum commeant, ipsi speciatim tum in descensu seu abitu in Mesopotamiam, tum in ascensu seu reditu in Palæstinam, auxilio et solatio futuros: denique Deum perpetuo spectatorem et fautorem itineris et negotiorum ipsius futurum. Ita Theodoretus, Gennadius et alii [4].

Allegorice, scala hæc est Christus, ejusque ex Jacob secundum carnem generatio, cujus tot sunt gradus, quot personæ intermediæ: hujus una pars in terris stans denotat humanam naturam Christi: altera cælum contingens, ejusdem divinam naturam. Per hanc scalam non soli angeli, sed et omnes fideles (qui et ipsi, saltem in futura vita, sunt *sicut angeli Dei*, Matth. 22) continuo ascendunt et descendunt, id est familiarem accessum habent ad Deum et ad vitam æternam. Ita Rupertus, Vatablus, et passim Doctores. Et de hoc aliquid iterum dicam Sapientiæ 10, v. 10.

Tropologice, scala hæc est via ad perfectionem, cujus varii gradus, incipientium, proficientium, perfectorum, quibus Deus in vertice sese unit, suaviatur et deliciatur. Ascensus est cælestium contemplatio: descensus, vita activa. Ita S. Gregorius et S. Thomas [5].

℣. 17. *Quam terribilis est locus iste!* Id est, quam venerandus, quam religiosus! nempe propter Dei et angelorum præsentiam. Vere *non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cæli*. Q. d. Deus hic præsentem se et familiarem quasi in domestico suo palatio exhibet: hic facilis per ipsum, seu per opem et providentiam ipsius (allegorice per Christum), quasi per apertam portam, aditus patet in cælum, et ad thronum Dei. Unde et nomen loco illi, et urbi vicinæ indidit *Bethel*, id est *domus Dei*; ita Rupertus et Cajetanus. Et ne locus memoria excideret, *lapidem, quem* noctu capiti *supposuerat, erexit in titulum*, id est posuit in signum et indicium rei ibidem sibi cælitus demonstratæ: et etiam ut hoc signo posset olim in reditu locum agnoscere, ibidemque tam insignis beneficii memoriam recolere, quod et fecit, c. 35, constructo illic altari, et sacrificio Deo oblato. Itaque *titulus* hic non significat *inscriptionem* (ut vulgo usurpatur), sed neque columnam aut piramidem (quo sensu dicitur Absalon sibi fecisse titulum [6]). Multo minus significat statuam

(1) Infr. 35, vers. 1; 48, vers. 3.
(2) Deut. 12, vers. 20; 19, vers. 8.
(3) Sup. 26, vers. 4.

(4) Theodor. Q. 82 in Genes.; Gennad. in Cat. Græc.; Diodorus Tarsensis, a Lapide, etc.
(5) Greg. l. 5 Moral. S Thom. 2. 2., q. 18, a. ult.
(6) 2. Reg. 18, v. 18, et apud Jos. l. 7 Ant., c. 9.

piti suo, et erexit in titulum [1], fundens oleum desuper.

19. Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur.

20. Vovit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum,

21. Reversusque fuero prospere ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum,

22. Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

vel idolum (qua ratione prohibentur tituli Levitici 26). Sed idem est quod signum seu indicium rei gestæ: quale hic erat ipsemet lapis, cui ante ut cervicali indormierat. Quem tamen etiam *oleo* unxit, ut hac cæremonia designaret, se illum ipsum lapidem olim erigendo ibidem

(1) Infra 31, vers. 13.

altari, et locum circumvicinum divino cultui et sacrificio tamquam domum Deo propriam et dicatam destinasse, quod metonymice hic versu ult. indicat, cum dicit, *Lapis iste vocabitur domus Dei*, id est locus, in quo erexi hunc lapidem, erit Deo dicatus. Ita Chaldæus, Lipom. et alii. Et res postea sic gesta docuit c. 35, v. 7.

CAPUT XXIX.

Jacob pervenit in Haran ad Laban, cui pro Rachele et Lia servit 14 annis. Lia parit Ruben, Simeon, Levi et Judam.

1. Profectus ergo Jacob venit in terram orientalem.

2. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium accubantes juxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, et os ejus grandi lapide claudebatur.

3. Morisque erat ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem, et refectis gregibus rursum super os putei ponerent.

4. Dixitque ad pastores: Fratres, unde estis? Qui responderunt: De Haran.

5. Quos interrogans: Numquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt: Novimus.

6. Sanusne est? inquit. Valet, inquiunt: et ecce Rachel filia ejus venit cum grege suo.

7. Dixitque Jacob: Adhuc multum diei superest, nec est tempus ut reducantur ad caulas greges: date ante potum ovibus, et sic eas ad pastum reducite.

8. Qui responderunt: Non possumus, donec omnia pecora congregentur, et amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus greges.

9. Adhuc loquebantur, et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat.

10. Quam cum vidisset Jacob, et sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui, amovit lapidem, quo puteus claudebatur.

11. Et adaquato grege, osculatus est eam: et elevata voce flevit,

12. Et indicavit ei quod frater esset patris sui, et filius Rebeccæ: at illa festinans nuntiavit patri suo.

13. Qui cum audisset venisse Jacob filium sororis suæ, cucurrit obviam ei: complexusque eum, et in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris,

14. Respondit: Os meum es, et caro mea. Et postquam impleti sunt dies mensis unius,

15. Dixit ei: Num quia frater meus es, gratis servies mihi? dic quid mercedis accipias.

16. Habebat vero duas filias, nomen majoris Lia: minor vero appellabatur Rachel.

17. Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, et venusto aspectu.

18. Quam diligens Jacob, ait: Serviam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis.

19. Respondit Laban: Melius est ut tibi eam dem quam alteri viro, mane apud me.

20. Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis: et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.

21. Dixitque ad Laban: Da mihi uxorem meam: quia jam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam.

22. Qui, vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias.

23. Et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum,

24. Dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cum ex more Jacob fuisset ingressus, facto mane vidit Liam:

25. Et dixit ad socerum suum: Quid est quod facere voluisti? nonne pro Rachel servivi tibi? quare imposuisti mihi?

26. Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias.

27. Imple hebdomadam dierum hujus copulæ; et hanc quoque dabo tibi pro opere, quo serviturus es mihi septem annis aliis.

28. Acquievit placito: et hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem:

29. Cui pater servam Balam tradiderat.

℣. 20. *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine* — Nam licet amanti omnis mora longa et gravis esset, quatenus retardabat optatum usum rei amatæ: brevis tamen et levis videbatur quatenus eam conferebat cum excellentia et nobilitate rei, quam sibi interea comparabat. Nota, more prisco emi solitas pretio uxores, non solum apud Hebræos, sed et apud Græcos et Romanos, ut fuse declarat Brissonius [1]. Sic David [2], *Centum*, inquit, *præputiis Philisthiim despondi Michol* filiam Saulis. Et Oseas propheta [3] uxorem sibi comparavit *quindecim argenteis, et hordei coro cum dimidio*. Jacob vero cum aliud pretium ad manum non haberet, septem annorum servitutem promittit. Debebat vicissim Laban filiabus dotem de more dare: sed ut minus amans illarum, minusque curans, id neglexit. Quo nomine utraque infra c. 31, vers. 15 graviter queritur, et merito.

℣. 27. *Imple hebdomadam dierum hujus copulæ* — In Hebræo, Chaldæo et Græco solum est, imple hebdomadam hujus: id est, exspecta donec transeant septem de more dies festi, quibus tui cum Lia conjugii solemnitas celebratur. Iis exactis, tradam tibi quoque Rachelem mox in uxorem; sed ea lege, ut pro ea servias mihi alios septem annos. Turpe enim nimis esset et probrosum Liæ, si, durantibus illius diebus nuptialibus, sororem ejus superinduceret. Septem vero dies solemnia nuptiarum celebrari solita patet etiam ex nuptiis Samson, Judic. 14, v. 12. Fallitur ergo Josephus, cum dicit, post hebdomadam annorum, seu post septennium a nuptiis Liæ, ductam demum Rachelem. Nam præter clara verba textus hujus, etiam anni, quibus Jacob non pluribus quam viginti mansit apud Laban in Mesopotamia, non patiuntur tantas nuptiarum moras [4].

Tropologice, Rachel et Lia sorores, duæ sunt vitæ, contemplativa et activa. Primo, ducenda est Lia, id est laboriosa (hoc enim hebraice significat Lia) sed fœcunda, vita activa. Dein speranda Rachel, id est ovis, quæ est symbolum quietis et contemplationis. Ita SS. Augustinus et Gregorius [5]. Allegorice, Lia designat Ecclesiam Christi militantem: Rachel triumphantem.

(1) Lib. de ritu nuptiarum.
(2) 2. Reg. 3, vers. 14.
(3) Oseæ 3, vers. 2.
(4) Ut ostendit Bonfr. initio, c. 27.
(5) August. lib. 22 contra Faustum, c. 52. Gregor. l. 6 Moral., c. 28.

30. Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, serviens apud eum septem annis aliis.

31. Videns autem Dominus quod despiceret Liam, aperuit vulvam ejus, sorore sterili permanente.

32. Quæ conceptum genuit filium, vocavitque nomen ejus Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.

33. Rursumque concepit et peperit filium, et ait: Quoniam audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi; vocavitque nomen ejus, Simeon.

34. Concepitque tertio, et genuit alium filium: dixitque: Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios: et idcirco appellavit nomen ejus, Levi.

35. Quarto concepit, et peperit filium, et ait: Modo confitebor Domino: [1] et ob hoc vocavit eum, Judam: cessavitque parere.

℣. 32. *Vocavit nomen ejus Ruben* — Id est filium visionis, seu providentiæ divinæ, qua Deus videns me contemptui esse marito meo, providit mihi de filio, æmula sterili relicta: hoc nomine haud dubie me præ illa diliget deinceps maritus meus. Ita grata in Deum mater, voluit etiam in ipso nomine filii perennem beneficii divini memoriam extare, ut, quoties illum videret vel nominaret, toties recordaretur, et gratias ageret divinæ erga se beneficentiæ. Idem observavit in nominibus sequentium prolium suarum, nempe *Simeon*, id est *auditio*, Quia (inquit) *Dominus audivit contemptui haberi*, et ideo exaudivit me. *Levi*, id est *copula, conjunctio*; q. d. Hoc quoque pignore a Deo per me accepto, *copulabitur mihi* majore affectu *maritus meus: Juda*, id est, *confessio, laus* sit Deo. Et sic capite sequenti de aliis.

(1) Matth. 1, vers. 2.

CAPUT XXX.

Septem aliæ proles nascuntur Jacobo. Unde patriam cogitat. Sed novo pacto et mercede a socero detinetur: quem dolosum expertus, astu per decorticationem virgarum decipit, et ita seipsum ditat.

1. Cernens autem Rachel quod infecunda esset, invidit sorori suæ, et ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin moriar.

2. Cui iratus respondit Jacob: Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui?

3. At illa: Habeo, inquit, famulam Balam: ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, et habeam ex illa filios.

4. Deditque illi Balam in conjugium: quæ,

5. Ingresso ad se viro, concepit, et peperit filium.

6. Dixitque Rachel: Judicavit mihi Dominus, et exaudivit vocem meam, dans mihi filium; et idcirco appellavit nomen ejus, Dan.

7. Rursumque Bala concipiens peperit alterum,

8. Pro quo ait Rachel: Compara-

℣. 2. *Num pro Deo ego sum?* — Id est, an putas me esse Deum, ut ex sterili te faciam fœcundam? Pulcre Hebræi notant, Deum sibi soli quatuor claves naturæ reservasse. Prima est clavis vitæ seu generationis, ut ex hoc loco patet. Secunda, clavis alimoniæ, Ps. 144, v. 16. Tertia, clavis pluviarum, Deut. 28, v. 12. Quarta, est clavis sepulcrorum, seu resurrectionis, Ezechielis 37, v. 12.

vit me Deus cum sorore mea, et invalui: vocavitque eum, Nephthali.

9. Sentiens Lia quod parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit.

10. Qua post conceptum edente filium,

11. Dixit: Feliciter; et idcirco vocavit nomen ejus, Gad.

12. Peperit quoque Zelpha alterum.

13. Dixitque Lia: Hoc pro beatitudine mea: Beatam quippe me dicent mulieres; propterea appellavit eum, Aser.

14. Egressus autem Ruben tempore messis triticææ in agrum, reperit mandragoras: quas matri Liæ detulit. Dixitque Rachel: Da mihi partem de mandragoris filii tui.

15. Illa respondit: Parumne tibi videtur, quod præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filii mei tuleris? Ait Rachel: Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui.

16. Redeuntique ad vesperam Jacob de agro, egressa est in occursum ejus Lia, et, Ad me, inquit, intrabis; quia mercede conduxi te pro mandragoris filii mei. Dormivitque cum ea nocte illa.

17. Et exaudivit Deus preces ejus: concepitque et peperit filium quintum,

18. Et ait: Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo: appellavitque nomen ejus, Issachar.

19. Rursum Lia concipiens, peperit sextum filium,

20. Et ait: Dotavit me Deus dote bona: etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios: et idcirco appellavit nomen ejus, Zabulon.

21. Post quem peperit filiam, nomine Dinam.

22. Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudivit eam, et aperuit vulvam ejus.

23. Quæ concepit et peperit filium, dicens: Abstulit Deus opprobrium meum.

24. Et vocavit nomen ejus, Joseph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum.

25. Nato autem Joseph, dixit Jacob socero suo: Dimitte me ut revertar in patriam, et ad terram meam.

26. Da mihi uxores, et liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam: tu nosti servitutem, qua servivi tibi.

27. Ait illi Laban: Inveni gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixit mihi Deus propter te:

28. Constitue mercedem tuam, quam dem tibi.

29. At ille respondit: Tu nosti

℣. 14. *Reperit mandragoras* — Pulcra sunt poma mandragoræ, et odorifera, præsertim quæ masculæ sunt, teste sancto Ambrosio, Augustino, Cassiodoro et Levino Lemnio[1]. Formam habent uberum, quo etiam nomine hebraice hic et in Canticis, appellantur. Et quia frigidæ admodum, ideo somno conciliando servire, maxime vero menstruis ciendis, matrici purgandæ, profluvio sistendo, refrigerando humectandoque feminarum utero (qui in calidis regionibus, ut erat Mesopotamia et Judæa, fervidior justo sicciorque est), adhiberi solitas, testatur Dioscorides, Theophrastus, Epiphanius[2] et alii. Qui addunt ex plurium opinione mandragoram vim philtri habere, et idcirco circæam vocari, et pomum amoris. Et hæ videntur caussæ fuisse cur Rachel eam tam avide a sorore expetierit, licet frustra: nam, ut ex versibus sequentibus patet, tres adhuc annos sterilis mansit: quibus exactis reddita est fœcunda non virtute mandragoræ, sed beneficio solius Dei.

(1) Ambr. serm. 19 in Psalm. 118; Aug. supra cap. 56; Cassiod. in Cant. 7, v. ult; Lemn. c. 2 de Herbis Biblicis.

(2) Diosc. l. 4, c. 71; Theophr. l. 9 plantar., c. 10; Epiph. in Philologo, c. 4.

quomodo servierim tibi, et quanta in manibus meis fuerit possessio tua.

30. Modicum habuisti antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es: benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. Justum est igitur ut aliquando provideam etiam domui meæ.

31. Dixitque Laban: Quid tibi dabo? At ille ait: Nihil volo: sed si feceris quod postulo, iterum pascam, et custodiam pecora tua.

32. Gyra omnes greges tuos, et separa cunctas oves varias, et sparso vellere: et quodcumque furvum, et maculosum, variumque fuerit, tam in ovibus quam in capris, erit merces mea.

33. Respondebitque mihi cras justitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te: et omnia quæ non fuerint varia, et maculosa, et furva, tam in ovibus quam in capris, furti me arguent.

34. Dixitque Laban: Gratum habeo quod petis.

35. Et separavit in die illa capras, et oves, et hircos, et arietes, varios atque maculosos: cunctum autem gregem unicolorem, id est albi et nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum.

36. Et posuit spatium itineris trium dierum inter se et generum, qui pascebat reliquos greges ejus.

37. Tollens ergo Jacob virgas populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis, ex parte decorticavit eas: detractisque corticibus, in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa vero quæ integra fuerant, viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius.

38. Posuitque eas in canalibus,

ỳ. 33. *Respondebitque mihi cras justitia mea* — Quasi dicat: Tibi favebit natura pecorum, quæ alba ex albis, nigra ex nigris procreare solet: quæ omnia ex pacto tibi cedere debent. Sed *mihi* quoque (uti certo confido) favorabiliter *respondebit*, seu favebit *justitia mea*, id est Deus intuitu justi laboris mei.

Cras, id est futuro tempore: *quando placiti tempus advenerit* — id est, quando juxta placitum tuum et pacta jam conventa, in fine anni fœtus dividendi erunt, ut tibi cedant omnes unicolores, vel toti albi, vel toti nigri: mihi soli *furvi*, id est subnigri, vel *sparsi*, id est varii seu diversicolores: quos spero singulari Dei providentia etiam ex unicoloribus, licet contra consuetudinem naturæ, procreatum iri. Id vero ne fieret, astu providere conatus est Laban, hac ratione, omnes diversicolores sibi pascendos desumpsit, et itinere tridui segregavit ab unicoloribus, ne forsan illorum præsentia et aspectu vel coitu unicolores conciperent parerentque diversi colores. Dein parum fidens Jacobo, cui greges omnes unicolores reliquerat, exploratores ei apposuit *filios suos*, titulo tenus ut subessent Jacobo, eumque juvarent in gregibus custodiendis: sed re vera, ut invigilarent ne quæ aliunde diversi coloris animantia a Jacobo admiscerentur unicoloribus. Sed astuto astutior fuit Jacob, vel potius ab angelo novam artem edoctus, ut ipsemet affirmat c. 31, v. 11 et sequentibus, virgultis semidecorticatis decepit Labanum, et licite quidem, non solum quia Deus, cujus sunt omnia, ita volebat; sed etiam quia debitam sibi multis nominibus mercedem, uxorumque dotem, ab avaro Laban injuste detentam poterat juste Jacob arte et astu sibi vindicare et clam compensare. Ita SS. Hieronym. [1] et August. [2]. Vi naturali hæc facta fuisse, egregie et fuse docet Tostatus, Franciscus Valesius, Leonardus Vairus, Levinus Lemnius, Delrio et alii [3], licet S. Jo. Chrys. et Theodor. [4] id miraculo adscribant, velintque angelos phantasiam pecorum vehementius applicasse ad virgarum variegatarum attentiorem apprehensionem, ut colligi videtur ex c. 31 jam citato. Et his favet experientia, qua multi cum idem tentarent quod Jacob, successu tamen frustrati sunt.

(1) In Quæst. Hebr. (2) Lib. 18 de Civ., c. 5. (3) Tost. in nunc locum; Vales. de sacra Philosoph., cap. 11; Vair. l. 1 de Fascino; Lemnius l. 1 de Occultis naturæ mirac., c. 4; Delrio l. 1 Disquis. magic., c. 3, q. 3.

(4) Hom. 57 in Genes.; Theod. q. 88 in Gen.

ubi effundebatur aqua: ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, et in aspectu earum conciperent.

39. Factumque est ut in ipso calore coitus, oves intuerentur virgas, et parerent maculosa, et varia, et diverso colore respersa.

40. Divisitque gregem Jacob, et posuit virgas in canalibus ante oculos arietum: erant autem alba et nigra quæque, Laban: cetera vero, Jacob, separatis inter se gregibus.

41. Igitur quando primo tempore ascendebantur oves, ponebat Jacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum et ovium, ut in earum contemplatione conciperent:

42. Quando vero serotina admissura erat, et concep us extremus, non ponebat eas. Factaque sunt ea quæ erant serotina, Laban: et quæ primi temporis, Jacob.

43. Ditatusque est homo ultra modum, et habuit greges multos, ancillas et servos, camelos et asinos.

CAPUT XXXI.

Fugit clam Jacob cum tota familia ex Haran in Chanaan. Insequitur eum Laban, sed ne noceat, inhibetur a Deo. Itaque cum Jacobo fœdus amicitiæ init, et redit in Haran.

1. Postquam autem audivit verba filiorum Laban dicentium: Tulit Jacob omnia quæ fuerunt patris nostri, et de illius facultate ditatus, factus est inclytus:

2. Animadvertit quoque faciem Laban, quod non esset erga se sicut heri et nudiustertius:

3. Maxime dicente sibi Domino: Revertere in terram patrum tuorum, et ad generationem tuam, eroque tecum,

4. Misit, et vocavit Rachel et Liam in agrum, ubi pascebat greges,

5. Dixitque eis: Video faciem patris vestri, quod non sit erga me sicut heri et nudiustertius: Deus autem patris mei fuit mecum.

6. Et ipsæ nostis quod totis viribus meis servierim patri vestro.

7. Sed et pater vester circumvenit me, et mutavit mercedem meam decem vicibus: et tamen non dimisit eum Deus ut noceret mihi.

8. Si quando dixit: Variæ erunt mercedes tuæ: pariebant omnes oves varios fœtus; quando vero e contrario ait: Alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt.

9. Tulitque Deus substantiam patris vestri, et dedit mihi.

10. Postquam enim conceptus ovium tempus advenerat, levavi oculos meos, et vidi in somnis ascendentes mares super feminas, varios et maculosos, et diversorum colorum.

11. Dixitque angelus Dei ad me in somnis: Jacob. Et ego respondi: Adsum.

12. Qui ait: Leva oculos tuos, et vide universos masculos ascendentes super feminas, varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban.

13. Ego sum Deus Bethel, [1] ubi unxisti lapidem, et votum vovisti mihi. Nunc ergo surge, et egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tuæ.

14. Responderuntque Rachel et Lia: Numquid habemus residui quidquam in facultatibus et hereditate domus patris nostri?

(1) Sup. 28, vers. 16.

15. Nonne quasi alienas reputavit nos, et vendidit, comeditque pretium nostrum?

16. Sed Deus tulit opes patris nostri, et eas tradidit nobis, ac filiis nostris: unde omnia, quæ præcepit tibi Deus, fac.

17. Surrexit itaque Jacob, et impositis liberis ac conjugibus suis super camelos, abiit.

18. Tulitque omnem substantiam suam, et greges, et quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaan.

19. Eo tempore ierat Laban ad tondendas oves, et Rachel furata est idola patris sui.

20. Noluitque Jacob confiteri socero suo quod fugeret.

21. Cumque abiisset tam ipse quam omnia quæ juris sui erant, et amne transmisso pergeret contra montem Galaad,

22. Nuntiatum est Laban die tertio quod fugeret Jacob.

23. Qui, assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem: et comprehendit eum in monte Galaad.

24. Viditque in somnis dicentem sibi Deum: Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob.

25. Jamque Jacob extenderat in monte tabernaculum: cumque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem monte Galaad fixit tentorium.

26. Et dixit ad Jacob: Quare ita egisti, ut clam me abigeres filias meas quasi captivas gladio?

27. Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio, et canticis, et tympanis, et citharis?

28. Non es passus ut osculerer filios meos et filias: stulte operatus es: et nunc quidem

29. Valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius.

30. Esto, ad tuos ire cupiebas, et desiderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es deos meos?

31. Respondit Jacob: Quod inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas.

32. Quod autem furti me arguis: apud quemcumque inveneris deos

℣. 19. [1] *Rachel furata est idola patris sui* — ex auro, argento, aliave materia pretiosiore conflata. Primo, ut hac via saltem ex parte compensaret damnum dotis sibi injuste a parente subtractæ: nam paullo ante querebatur, 15: Etiam *comedit pretium nostrum:* quasi dicat, Tantum abest, sperare possimus aliquam pro dote pecuniam, vel portionem hereditariam paternam et maternam, ut ne pretium quidem, quo nos *quasi alienas*, seu tamquam mancipia, tibi vendidit in uxores, potuerimus ex unguibus crudelis et avari parentis ulla arte extorquere: nam maluit ipse illud abligurire et decoquere, quam filiabus alendis ornandisve impendere: ita Pererius. Addit Aben Esra, Rachelem ideo furatam esse hæc idola; ne pater illa consulendo resciscere posset, per quod iter Jacob fugam suam instituisset. Itemque, ut occasionem, et materiam ulterioris idololatriæ parenti subtraheret, inquiunt Basilius, Nazianzenus, Theodoretus. Forte etiam id fecit Rachel, ut deos illos penates haberet secum, sui suæque fugæ tutelares; nam licet ex marito cognitionem aliquam veri Dei hausisset, more tamen et vitio gentis illius, et in gratiam parentum suorum, simul cum vero Deo colebat etiam idola, quæ Jacob in Chananæa demum sustulit cap. 35, v. 2. Et hanc rationem maxime probant Chrys. Rupertus, Gennadius, Cajet. et Oleaster.

(1) [a] Vers. 15. *Nonne quasi alienas reputavit nos et vendidit, comeditque pretium nostrum? Alienas*, sc. meretrices. Confer *Proverb.* 2, v. 16; 22, v. 14; 23, v. 27. Eodem nomine ad id denotandum utebantur Latini. *Pro uxore habere hanc Peregrinam*, Ter. *Andr. Act.* 1, sc. 1, v. 117 et *Act.* 3, sc. 1, v. 11. *Et mulier* PEREGRINA *vertit in pulverem*, Horat. lib. 3, od. 3, v. 20. *Pretium nostrum*, dotem scilicet, quam veluti virginitatis pretium mariti veteri more solvere consueverant: in eam enim nullum sponsæ parentibus jus fuit. Vide *Exod.* 22, 16, 17.

tuos, necetur coram fratribus nostris; scrutare, quidquid tuorum apud me inveneris, et aufer. Hæc dicens, ignorabat quod Rachel furata esset idola,

33. Ingressus itaque Laban tabernaculum Jacob et Liæ, et utriusque famulæ, non invenit. Cumque intrasset tentorium Rachelis,

34. Illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, et sedit desuper: scrutantique omne tentorium, et nihil invenienti,

35. Ait: Ne irascatur dominus meus, quod coram te assurgere nequeo: quia juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi. Sic delusa sollicitudo quærentis est.

36. Tumensque Jacob, cum jurgio ait: Quam ob culpam meam, et ob quod peccatum meum sic exarsisti post me,

37. Et scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid invenisti de cuncta substantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis et fratribus tuis, et judicent inter me et te.

38. Idcirco viginti annis fui tecum? oves tuæ et capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi:

39. Nec captum a bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam: quidquid furto peribat, a me exigebas.

40. Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.

41. Sicque per viginti annos in domo tua servivi tibi, quatuordecim pro filiabus, et sex pro gregibus tuis: immutasti quoque mercedem meam decem vicibus.

42. Nisi Deus patris mei Abraham, et timor Isaac, affuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses: afflictionem meam et laborem manuum mearum respexit Deus, et arguit te heri.

43. Respondit ei Laban: Filiæ meæ et filii, et greges tui, et omnia, quæ cernis, mea sunt; quid possum facere filiis et nepotibus meis?

44. Veni ergo, et ineamus fœdus: ut sit in testimonium inter me et te.

45. Tulit itaque Jacob lapidem, et erexit illum in titulum

46. Dixitque fratribus suis: Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum:

47. Quem vocavit Laban Tumulum testis: et Jacob, Acervum testimonii, uterque juxta proprietatem linguæ suæ.

48. Dixitque Laban: Tumulus iste erit testis inter me et te hodie: et idcirco appellatum est nomen ejus, Galaad, id est Tumulus testis.

49. Intueatur et judicet Dominus inter nos quando recesserimus a nobis,

50. Si afflixeris filias meas, et si introduxeris alias uxores super eas: nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit.

51. Dixitque rursus ad Jacob: En tumulus hic, et lapis quem erexi inter me et te,

52. Testis erit: tumulus, inquam, iste et lapis sint in testimonium, si

ỳ. 42. *Nisi timor* [1] *Isaac affuisset mihi* — Est metonymia, actus potentiæ pro objecto. *Timor*, id est, is quem timet *Isaac*, scilicet Deus. Patet infra v. 53: *Juravit Jacob per timorem patris sui*, id est per Deum quem timet, colit ac reveretur pater. Laban vero ibidem jurat per *Deum Abraham*, et per *Deum Nachor* fratris Abrahæ, hoc est, per Deum verum quem colebat Abraham, simul et per falsos deos quos colebat Nachor idololatra parens Laban. Hoc exemplo Jacob docent Theologi, licere fidelibus excipere juramentum, imo in necessitate etiam exigere, ab infidelibus, licet sciant juraturos per falsos deos: quia nonnisi permissive se ad hoc habent fideles.

(1) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 46.

aut ego transiero illum pergens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans.

53. Deus Abraham, et Deus Nachor, judicet inter nos, Deus patris eorum. Juravit ergo Jacob per timorem patris sui Isaac:

54. Immolatisque victimis in monte, vocavit fratres suos ut ederent panem. Qui cum comedissent, manserunt ibi.

55. Laban vero de nocte consurgens, osculatus est filios et filias suas, et benedixit illis: reversusque est in locum suum.

CAPUT XXXII.

Jacob videt binas angelorum acies, sibi in tutelam a Deo submissas. Reconciliando fratri suo Esau, mittit obviam munera. Cum angelo luctatur, et prævalet: et nomen accipit Israel.

1. Jacob [1] quoque abiit itinere quo cœperat: fueruntque ei obviam angeli Dei.

2. Quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc: et appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est, castra.

3. Misit autem et nuntios ante se ad Esau fratrem suum in terram Seir, in regionem Edom:

4. Præcepitque eis, dicens: Sic loquimini domino meo Esau: Hæc dicit frater tuus Jacob: Apud Laban peregrinatus sum, et fui usque in præsentem diem.

5. Habeo boves, et asinos, et oves, et servos, et ancillas: mittoque nunc legationem ad dominum meum, ut inveniam gratiam in conspectu tuo.

6. Reversique sunt nuntii ad Jacob, dicentes: Venimus ad Esau fratrem tuum, et ecce properat tibi in occursum cum quadringentis viris.

7. Timuit Jacob valde: et perterritus divisit populum, qui secum erat, greges quoque et oves et boves, et camelos, in duas turmas,

8. Dicens: Si venerit Esau ad unam turmam, et percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, salvabitur.

9. Dixitque Jacob: Deus patris mei Abraham et Deus patris mei Isaac: Domine, qui dixisti mihi: Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuæ, et benefaciam tibi:

10. Minor sum cunctis miserationibus tuis, et veritate tua, quam explevisti servo tuo. In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turbis regredior.

11. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo: ne forte veniens percutiat matrem cum filiis.

12. Tu locutus es quod benefacenanææ, cum exinde metus periculumque immineret ab offenso iratoque fratre suo Esau; occurrit nova angelorum Chanaanitidis custodia, qua etiam adversus hunc, omnesque alios hostes suos perpetuo defenderetur. Unde Jacob, conspectis binis his angelorum castris, scilicet aliorum redeuntium in Mesopotamiam, et aliorum excipientium sese in Chanaanitide, *appellavit nomen loci illius Mahanaim*, id est, *bina castra Dei*. Ita Hebræi, et passim Interpretes.

¶. 1. *Fuerunt ei obviam angeli Dei* — Quinam isti angeli? Respondeo, Præsides et custodes Chananææ, duce S. Michaele archangelo, inquit Diodorus Tarsensis. Sicut enim adversus Laban habuerat Jacob in Mesopotamia comites et tutelares angelos illius regionis, qui jussu Dei salvum et incolumem jam illum deduxerant ad confinia Chananææ cis *amnem*, scilicet Euphraten: jam in confinio Cha-

(1) Infr. 48, vers. 16.

res mihi, et dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest.

13. Cumque dormisset ibi nocte illa, separavit de his, quæ habebat, munera Esau fratri suo,

14. Capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, et arietes viginti,

15. Camelos fœtas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, et tauros viginti, asinas viginti, et pullos eorum decem.

16. Et misit per manus servorum suorum singulos seorsum greges, dixitque pueris suis: Antecedite me, et sit spatium inter gregem et gregem.

17. Et præcepit priori dicens: Si obvium habueris fratrem meum Esau, et interrogaverit te, Cujus es? aut, Quo vadis? aut, Cujus sunt ista, quæ sequeris?

18. Respondebis: Servi tui Jacob; munera misit domino meo Esau: ipse quoque post nos venit.

19. Similiter dedit mandata secundo, et tertio, et cunctis, qui sequebantur greges, dicens: Iisdem verbis loquimini ad Esau, cum inveneritis eum.

20. Et addetis: Ipse quoque servus tuus Jacob iter nostrum insequitur; dixit enim: Placabo illum muneribus, quæ præcedunt, et postea videbo illum, forsitan propitiabitur mihi.

21. Præcesserunt itaque munera ante eum, ipse vero mansit nocte illa in castris.

22. Cumque mature surrexisset, tulit duas uxores suas et totidem famulas, cum undecim filiis, et transivit vadum Jaboc.

23. Traductisque omnibus quæ ad se pertinebant,

24. Mansit solus: et ecce vir luctabatur cum eo usque mane.

℣. 24. *Vir luctabatur* — id est, angelus specie et habitu viri, sed qui personam Dei repræsentaret. Patet Oseæ 12, v. 3, ubi vocatur *angelus:* et hic v. 28, ubi *Deus* appellatur. Addit Oseas ibidem, flevisse Jacob cum luctaretur cum angelo.

Petes, Quis hic angelus? Origenes [1], Hieronym. [2] et alii quidem, teste Procopio Gazæo, putarunt fuisse dæmonem. Sed dæmon personam Dei non repræsentat: neque Jacob petiisset a dæmone sibi benedici. Georgius Venetus [3] putat fuisse angelum Custodem Esau, qui Jacobum vi cogere voluerit ad restitutionem primogenitorum olim fratri subtractorum. Sed absit ab angelo sancto, ut repugnet decreto divino, quo cesserant Jacobo primogenita. Dico ergo, fuisse angelum Custodem Jacobi. Ita Patres Græci et Latini.

Petes secundo, Cur ille luctatur cum cliente suo? Respondeo, ut hac lucta et victoria spem anxio illi faciat, fratrem quoque suum Esau facilius superandi: nam nihil ab homine metuendum ei, qui etiam Deum superare posset.

Petes tertio, an fuerit corporalis luc-

(1) Lib. 3 Periarchon.
(2) In cap. 6 Ephes.

ta? S. Hieronymus [4] et Glossa interlinearis dicunt, spiritualem fuisse; sanctus Thomas et Rupertus, imaginariam. Sed reliqui Patres veram et corporalem luctam fuisse affirmant. Et verbum *luctandi*, et nervus femoris contractus, et stupor tibiæ, et claudicatio Jacobi id prorsus evincunt.

Petes quarto, Cur *tetigit*, seu tangendo læsit, *nervum femoris* Jacobi; vel (ut habent Hebræa, Chaldæa, Græca) juxta curvaturam femoris Jacob? Respondeo, ut ipsa læsione certus redderetur primo de veritate luctæ et victoriæ: deinde se non suis, sed solius Dei viribus angelo prævaluisse.

Petes quinto, an manserit perpetuo claudus? Respondeo, verosimilius nonnisi ad aliquod tempus claudicasse. Quia vel sic fiebat abunde satis intentioni et scopo angeli jam dicto. Ita Hebræi et Tostatus.

Petes sexto, Quid sibi vult nomen Israel ab angelo inditum Jacobo? Respondeo, idem quod *dominans* seu *prævalens Deo*. Ita enim hic explicat ipsemet angelus, et S. Hieronymus [5] cum Theodotione, Symmacho et Aquila, et

(3) Tom. 1, sect. 3, problem. 234.
(4) Supra.
(5) In QQ. Hebr.

25. Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit.

26. Dixitque ad eum: Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.

27. Ait ergo: Quod nomen est tibi? Respondit: Jacob.

28. At ille, Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?

29. Interrogavit eum Jacob: Dic mihi, quo appellaris nomine? Respondit: Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco.

30. Vocavitque Jacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.

31. Ortusque est ei statim sol, postquam transgressus est Phanuel: ipse vero claudicabat pede.

32. Quam ob causam non comedunt nervum filii Israel, qui emarcuit in femore Jacob, usque in præsentem diem: eo quod tetigerit nervum femoris ejus, et obstupuerit.

Septuaginta interpretibus. Neque vero patiuntur litteræ Hebrææ, ut idem significet quod *vir videns Deum:* licet Philo, Nazianzenus, Hilarius, Chrysostomus, Eusebius, Augustinus, Prosper et alii quidam sic exposuerint.

Tropologice, S. Thomas et S. Gregor.[1] hanc luctam dicunt esse orationem, qua videmus Deum quasi *facie ad faciem,* seu vere nobis præsentem, ac vim illi facimus, eidemque prævalemus ac dominamur: atque omnibus hostibus superiores reddimur.

Allegorice, claudicavit Jacob, id est posteri Jacob Judæi post tragicam cum Christo luctam: nam pars una credens et inhærens Christo, sursum ivit; altera incredula et rebellis, deorsum. Ita S. August.[2]. Potest et allegorice hæc lucta Jacobi cum Deo, dici figura fuisse Christi, totas sæpe noctes in oratione luctantis cum Deo, maxime vero in *horto Gethsemani.*

(1) Hom. 14 in Ezech. et in Psalm. 6 Pœnit.
(2) Serm. 80 de Tempore.

CAPUT XXXIII.

Jacob humili submissione et muneribus placat et sibi devincit fratrem suum Esau. Habitat in Socoth et in Salem, ubi Deo liberatori suo altare erigit et sacrificat.

1. Elevans autem Jacob oculos suos, vidit venientem Esau, et cum eo quadringentos viros: divisitque filios Liæ et Rachel: ambarumque famularum.

2. Et posuit utramque ancillam, et liberos earum, in principio: Liam vero, et filios ejus, in secundo loco: Rachel autem et Joseph novissimos.

3. Et ipse progrediens adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus.

4. Currens itaque Esau obviam fratri suo, amplexatus est eum: stringensque collum ejus et osculans flevit.

5. Levatisque oculis, vidit mulieres et parvulos earum: et ait: Quid sibi volunt isti? et si ad te pertinent? Respondit: Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus servo tuo.

6. Et appropinquantes ancillæ et filii earum, incurvati sunt.

7. Accessit quoque Lia cum pueris suis, et cum similiter adorassent, extremi Joseph et Rachel adoraverunt.

8. Dixitque Esau: Quænam sunt

istæ turmæ, quas obviam habui? Respondit: Ut invenirem gratiam coram domino meo.

9. At ille ait: Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi.

10. Dixitque Jacob: Noli ita, obsecro: sed si inveni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis: sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei: esto mihi propitius,

11. Et suscipe benedictionem quam attuli tibi, et quam donavit mihi Deus tribuens omnia. Vix fratre compellente suscipiens,

12. Ait: Gradiamur simul, eroque socius itineris tui.

13. Dixitque Jacob: Nosti, domine mi, quod parvulos habeam teneros, et oves et boves fœtas, mecum: quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges.

14. Præcedat dominus meus ante servum suum: et ego sequar paulatim vestigia ejus, sicut videro parvulos meos posse, donec veniam ad dominum meum in Seir.

15. Respondit Esau: Oro te, ut de populo, qui mecum est, saltem socii remaneant viæ tuæ. Non est, inquit, necesse: hoc uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo, domine mi.

16. Reversus est itaque illo die Esau itinere, quo venerat in Seir.

17. Et Jacob venit in Socoth, ubi ædificata domo et fixis tentoriis, appellavit nomen loci illius Socoth, id est, tabernacula.

18. Transivitque in Salem urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, postquam reversus est in Mesopotamia Syriæ: et habitavit juxta oppidum.

19. Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem, centum agnis.

20. Et erecto ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israel.

℣. 10. *Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei* — scilicet speciosissimum, longeque gratissimum. Nam quæ excellentissima in unoquoque genere sunt, Hebræi dicunt esse Dei, v. g. montes Dei, id est celsissimi, etc. ut alibi [1] dixi. Non ergo adulatio hæc est, sed ut summum hyperbole, qua Jacob significat, conspectum fratris sibi jucundissimum optatissimumque accidisse. Et vero cum præter omnem exspectationem eum benevolo in se animo comperisset, a quo nonnisi omnia hostilia metuerat, cum veritate poterat dicere, se vultu conspectuque illius placido et amico non secus recreari, quam si Dei ipsius benigno aspectu fruitus fuisset. Ita Tostatus et alii.

(1) Cap. 13, vers. 13.

Acta omnia Jacobi et Esau ordine annorum digesta habes in Chronico c. 16. Posteros vero amborum, c. 45.

CAPUT XXXIV.

Dina filia Jacob rapitur et violatur a Sichem. Quam injuriam ulcisci volentes ejus fratres persuadent Sichem ut ipse omnesque ejus subditi circumcidantur. Circumcisos vero et ex vulnere etiamnum decumbentes, infestis armis invadunt, omnesque trucidant, magno Jacobi dolore ac mœrore.

1. Egressa est autem Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius.

2. Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius, adamavit eam: et rapuit, et dormivit cum illa, vi opprimens virginem.

3. Et conglutinata est anima ejus cum ea, tristemque delinivit blanditiis.

4. Et pergens ad Hemor patrem

suum: Accipe, inquit, mihi puellam hanc conjugem.

5. Quod cum audisset Jacob, absentibus filiis, et in pastu pecorum occupatis, siluit donec redirent.

6. Egresso autem Hemor patre Sichem, ut loqueretur ad Jacob,

7. Ecce filii ejus veniebant de agro, auditoque quod acciderat, irati sunt valde, eo quod fœdam rem operatus esset in Israel, et, violata filia Jacob, rem illicitam perpetrasset.

8. Locutus est itaque Hemor ad eos: Sichem filii mei adhæsit anima filiæ vestræ: date eam illi uxorem:

9. Et jungamus vicissim connubia: filias vestras tradite nobis, et filias nostras accipite.

10. Et habitate nobiscum: terra in potestate vestra est, exercete, negotiamini, et possidete eam.

11. Sed et Sichem ad patrem et ad fratres ejus ait: Inveniam gratiam coram vobis: et quæcumque statueritis, dabo.

12. Augete dotem, et munera postulate, et libenter tribuam quod petieritis: tantum date mihi puellam hanc uxorem.

13. Responderunt filii Jacob Sichem et patri ejus in dolo, sævientes ob stuprum sororis:

14. Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso: quod illicitum et nefarium est apud nos.

15. Sed in hoc valebimus fœderari, si volueritis esse similes nostri, et circumcidatur in vobis omne masculini sexus;

16. Tunc dabimus et accipiemus mutuo filias vestras ac nostras, et habitabimus vobiscum, erimusque unus populus:

17. Si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam nostram, et recedemus.

18. Placuit oblatio eorum Hemor, et Sichem filio ejus:

19. Nec distulit adolescens, quin statim quod petebatur expleret: amabat enim puellam valde, et ipse erat inclytus in omni domo patris sui.

20. Ingressique portam urbis, locuti sunt ad populum:

21. Viri isti pacifici sunt, et volunt habitare nobiscum: negotientur in terra, et exerceant eam, quæ spatiosa et lata cultoribus indiget: filias eorum accipiemus uxores, et nostras illis dabimus.

22. Unum est, quo differtur tantum bonum: Si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes.

23. Et substantia eorum, et pecora, et cuncta quæ possident, nostra erunt: tantum in hoc quiescamus, et habitantes simul, unum efficiemus populum.

24. Assensique sunt omnes, circumcisis cunctis maribus.

25. Et ecce, die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est, arreptis, duo filii Jacob, Simeon et Levi fratres Dinæ, gladiis, ingressi

℣. 25. *Duo filii Jacob, Simeon et Levi* — tamquam principes et auctores crudelis et nefandi consilii, manu famulorum stipati, patrarunt hanc cædem.

Ubi nota multiplex istorum peccatum. Primum, imprudentiæ et temeritatis, cum adolescentes vix annorum viginti, inscio et invito patre rem tam arduam, tam periculosam in medio vicinorum hostium aggressi sunt. Secundum, injustitiæ, et usurpationis juris alieni, cum privata auctoritate, nullo justo titulo, bellum moverunt, principe familiæ suæ nec probante, nec consulto, penes quem tamen unum illud jus erat. Tertium, perfidiæ et proditionis, cum ulciscuntur injuriam jam a se condonatam, et justa satisfactione abolitam, mutuoque fœdere, quin et connubio extersam. Quartum, sacrilegii, cum ad dolos et fraudes suas, et injustam cædem abutuntur circumcisione, re apud ipsos sacratissima. Quintum, crudelitatis et tyrannidis, cum graviter læsos et afflictos, idque ex suggestione

sunt urbem confidenter: [1] interfectisque omnibus masculis,

26. Hemor et Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam.

27. Quibus egressis, irruerunt super occisos cæteri filii Jacob, et depopulati sunt urbem in ultionem stupri.

28. Oves eorum, et armenta, et asinos, cunctaque vastantes quæ in domibus et in agris erant;

29. Parvulos quoque eorum et uxores duxerunt captivas.

30. Quibus patratis audacter, Jacob dixit ad Simeon et Levi: Turbastis me, et odiosum fecistis me Chananæis et Pherezæis habitatoribus terræ hujus; nos pauci sumus: illi congregati percutient me, et delebor ego, et domus mea.

31. Responderunt: Numquid ut scorto abuti debuere sorore nostra?

sua et in gratiam sui, jamque quasi moribundos, hostiliter invaserunt et jugularunt. Sextum, oppressionis innocentum: neque enim solum raptorem, ejusque familiam, sed et omnes urbis masculos, etiam innoxios et omnium inscios, jugularunt: pueros et feminas captivas abduxerunt, agros et domos spoliarunt, greges prædati sunt, mœnia suffoderunt. Unde et gravissime eos reprehendit Jacob, et moriturus etiam maledixit. Genes. 49, v. 5.

Dices, Judith 9, v. 2 dicitur *Deus dedisse Simeoni gladium in* ultionem horum Sichemitarum: *et uxores horum ac filias dedisse servis suis in prædam qui zelaverunt zelum Dei.* Respondeo, Non aliter fecit hæc Deus, quam sicut Nabuchodonosori præcepit expugnare Tyrum, et aliis tyrannis dat vires, animos, opes et arma ad puniendum rebelles; ut scilicet vindicta justa sumatur, quam illi promeriti fuerant. Cumque huic voluntati Dei parent tyranni, subinde etiam præmiis afficiuntur a Deo, licet alioquin et ipsi tyranni et actus tyrannici, quibus in hoc exequendo utuntur, extreme displiceant Deo. Sic enim et in præsenti factum. Volebat Deus ulcisci probrosum raptum et stuprum Dinæ vix quindecim annorum puellulæ [2]. Usus ad id est zelo Simeonis et Levi, qui totis animis eo ferebantur. Et in hoc serviebant nutui et intentioni Dei, quod zelo pudicitiæ ultionem ex raptore ejusque complicibus sumptum ibant, et ex hoc capite digni erant laude ac præmio. Sed quatenus zelus hic imprudens ac perfidus fuit, et limites excessit modestiæ, ac justitiæ, eatenus non servierunt nutui et voluntati Dei, sed gravissime peccarunt, et puniri meruerunt ac puniti sunt. Simili modo obstetrices Ægyptiæ, quæ mendacio suo tutati sunt vitam infantium Hebræorum [3], benedictæ fuerunt a Deo, non propter mendacium, sed propter pium affectum, et beneficium Hebræis impensum. Nam potest in uno eodemque opere aliquid esse boni, quod præmiet Deus: et aliquid mali quod oderit et puniat.

(1) Infr. 49, vers. 6.

(2) Chron. cap. 18.

(3) Exod. 1, vers. 20.

CAPUT XXXV.

Jacob familiam suam idolis expurgat, aram Deo ædificat in Bethel: ubi rursus a Deo cohonestatur nomine Israel. Nascitur Benjamin; sed mater ejus Rachel moritur in partu. Moritur etiam Debora, et Isaac, cum esset annorum 180.

1. Interea locutus est Deus ad Jacob: Surge, et ascende Bethel, et habita ibi, facque altare Deo, qui [1] apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum.

2. Jacob vero, convocata omni domo sua, ait: Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra.

3. Surgite, et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo: qui exaudivit me in die tribulationis meæ, et socius fuit itineris mei.

(1) Sup. 28, vers. 13.

4. Dederunt ei ergo omnes deos alienos quos habebant, et inaures quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subter terebinthum, quæ est post urbem Sichem.

5. Cumque profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes.

6. Venit igitur Jacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel: ipse et omnis populus cum eo.

7. Ædificavitque ibi altare, et appellavit nomen loci illius, Domus Dei: ibi enim [1] apparuit ei Deus cum fugeret fratrem suum.

8. Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, et sepulta est ad radices Bethel subter quercum: vocatumque est nomen loci illius, Quercus fletus.

9. Apparuit autem iterum Deus Jacob postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ, benedixitque ei,

10. Dicens: [2] Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellavit eum Israel,

11. Dixitque ei: Ego Deus omnipotens: cresce, et multiplicare: gentes et populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur.

12. Terramque quam dedi Abraham et Isaac, dabo tibi et semini tuo post te.

13. Et recessit ab eo.

14. Ille vero erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerat ei Deus: libans super eum libamina, et effundens oleum:

15. Vocansque nomen loci illius, Bethel.

16. Egressus autem inde, venit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephratam: in qua cum pareret Rachel,

17. Ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitque ei obstetrix: Noli timere, quia et hunc habebis filium.

18. Egrediente autem anima præ dolore, et imminente jam morte, vocavit nomen filii sui Benoni, id est, filius doloris mei: pater vero appellavit eum Benjamin, id est, filius dextræ.

19. Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem.

20. Erexitque Jacob titulum super sepulcrum ejus: [3] Hic est titulus monumenti Rachel, usque in præsentem diem.

21. Egressus inde, fixit tabernaculum trans Turrem gregis.

22. [4] Cumque habitaret in illa regione, abiit Ruben, et dormivit cum Bala concubina patris sui: quod illum minime latuit. Erant autem filii Jacob duodecim.

23. Filii Liæ: primogenitus Ruben, et Simeon, et Levi, et Judas, et Issachar, et Zabulon.

24. Filii Rachel: Joseph et Benjamin.

℣. 4. *Inaures quæ erant in auribus eorum* — scilicet idolorum: puta anathemata, monilia, variaque ornamenta alia statuis appendi solita, quæ sanctus Augustinus [5] vocat, deorum phylacteria. Voluit enim Jacob in plenam idololatriæ detestationem hæc omnia confracta in terra defodi, neque ullis usibus adhiberi permisit. Sic et posteris Jacobi præcipit Deus Deuter. 7: *Sculptilia eorum igni combures: non concupisces argentum et aurum de quibus facta sunt: neque assumes quidquam ex eis.*

℣. 21. *Trans Turrem gregis* — Locus erat pascuis uberrimus, unico milliari distans Bethlehemo, sic verosimiliter dictus quod ibi Patriarcha suos greges pascere soleret. Estque idem locus, in quo angeli pastoribus nato Christo apparuerunt, Lucæ 2. Ita Hieron. [6] et Tostatus. Unde et Helena templum ibidem sub nomine sanctorum angelorum construxit, teste Adrichomio [7].

(1) Sup. 28, vers. 18. (2) Sup. 32, vers. 28.
(3) Infr. 48, vers. 7.
(4) Infr. 49, vers. 4. (5) In Gen. q. 111.
(6) Huc et de locis Hebr. (7) De locis sanctis.

25. Filiæ Balæ ancillæ Rachelis: Dan et Nephthali.

26. Filii Zelphæ ancillæ Liæ: Gad et Aser: hi sunt filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ.

27. Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre civitatem Arbee, hæc est Hebron: in qua peregrinatus est Abraham et Isaac.

28. Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum.

29. Consumptusque ætate mortuus est: et appositus est populo suo senex et plenus dierum: et sepelierunt eum Esau et Jacob filii sui.

CAPUT XXXVI.

Duces et reges prognati ex Esau recensentur: ut constet, benedictionem Isaaci illi datam cap. 27, v. 39, reipsa fuisse adimpletam.

1. Hæ sunt autem generationes Esau, ipse est Edom.

2. Esau accepit uxores de filiabus Chanaan: Ada filiam Elon Hethæi, et Oolibama filiam Anæ filiæ Sebeon Hevæi:

3. Basemath quoque filiam Ismael sororem Nabajoth.

4. [1] Peperit autem Ada, Eliphaz: Basemath genuit Rahuel:

5. Oolibama genuit Jehus et Ihelon et Core: hi filii Esau, qui nati sunt ei in terra Chanaan.

6. Tulit autem Esau uxores suas et filios et filias, et omnem animam domus suæ, et substantiam, et pe-

℣. 4. *Eliphaz* — Hic, ex plurium sententia, est ille Themanites, seu Themanorum rex, amicus et magnus (ut vocant) patruus Jobi: vel (ut verisimilius existimo) hic Eliphaz est avus alterius Eliphaz, qui in tertio gradu cognatus Jobo (ut dixi in ejus Genealogia [2]) ipsum accessit, et cum duobus aliis solatus est afflictum et ulceribus plenum. Erat autem noster hic senior *Eliphaz* primogenitus Esau: Job vero, seu Jobab, abnepos fuit Esau, tertius ab illo, quintus ab Abrahamo: secundus a morte Esau rex Idumææ, ut hic patet v. 33. Et expresse affirmant 70 Interpretes in fine libri Job: et fere omnes Patres ac Doctores, præter S. Hieron. qui cum Rabbinis quibusdam mavult, Jobum fuisse filium Nachor fratris Abrahæ. Sed altera opinio ut commodior, ita et verosimilior est: quam tenent Philo, Aristæas, Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus: et ex recentioribus Abulensis, Pererius, a Lapide, Pineda, et alii [3]. Secundum quam sententiam dicendum, Job natum esse sub id tempus, quo mortuus est Isaac ejus abavus: et pertigisse ad tempora Mosis, nam vixit ducentis et pluribus annis, Job cap. ult. vers. ultim.

Petes, qua ætate mortuus sit Esau? Respondeo, id nusquam ex Scripturis colligi posse. Sed verosimile est, supparem fuisse Jacobo fratri suo.

Petes secundo, an damnatus sit? Respondeo, verosimilius videri, non fuisse damnatum. Nam delicta juventutis facile expiavit maturior ætas. Et amicus ille occursus, quem fratri e Mesopotamia reduci exhibuit hic c. 33, communis sepultura Isaaco parenti exhibita c. 35, forsan et convictus cum Jacobo communis apud senem parentem: saltem pacificus a fratre recessus post obitum parentis c. 36, certo declarant, ipsum se ad meliorem frugem recepisse. Et unde alioquin abnepos ejus Job virtutum exemplar, unde amici Jobi suam hauserunt pietatem, si non a parente et avo suo Esau? Quod Malachiæ 1 dicitur, *Esau odio habui;* non ad personam, sed ad posteros Esau maxime spectat, estque sermo de rejectione non a salute æterna, sed a temporali benedictione paterna et jure primogenituræ, ut diximus c. 27.

(1) II. Paral. 1, vers. 29. (2) Chronici cap. 46. (3) Philo citatus ab Abulensi hic; Aristæas apud Eusebium l. 9 de Præparat. Ev., cap. ult.; Athanas. in Synopsi; Chrys. hom. 21 de patientia Job; Aug. l. 18 de Civit., c. 47; Theodor. et reliqui hic; Pineda in c. 1 Job, vers. 1.

cora; et cuncta, quæ habere poterat in terra Chanaan: et abiit in alteram regionem, recessitque a fratre suo Jacob.

7. [1] Divites enim erant valde, et simul habitare non poterant: nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum.

8. [2] Habitavitque Esau in monte Seir, ipse est Edom.

9. Hæ autem sunt generationes Esau patris Edom in monte Seir,

10. Et hæc nomina filiorum ejus: [3] Eliphaz filius Ada uxoris Esau: Rahuel quoque filius Basemath uxoris ejus.

11. Fueruntque Eliphaz filii: Theman, Omar, Sepho, et Gatham, et Cenez.

12. Erat autem Thamna, concubina Eliphaz filii Esau: quæ peperit ei Amalech: hi sunt filii Ada uxoris Esau.

13. Filii autem Rahuel: Nahath et Zara, Samna et Meza: hi filii Basemath uxoris Esau.

14. Isti quoque erant filii Oolibama filiæ Anæ,filiæ Sebeon, uxoris Esau, quos genuit ei Jehus et Ihelon et Core.

15. Illi duces filiorum Esau: Filii Eliphaz primogeniti Esau: dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez,

16. Dux Core, dux Gatham, dux Amalech: hi filii Eliphaz in terra Edom, et hi filii Ada.

17. Hi quoque filii Rahuel filii Esau: dux Nahath, dux Zara, dux Samna, dux Meza: hi autem duces Rahuel in terra Edom: isti filii Basemath uxoris Esau.

18. Hi autem filii Oolibama uxoris Esau: dux Jehus, dux Ihelon, dux Core: hi duces Oolibama filiæ Anæ uxoris Esau.

19. Isti sunt filii Esau, et hi duces eorum; ipse est Edom.

20. [4] Isti sunt filii Seir Horræi, habitatores terræ: Lotan, et Sobal, et Sebeon, et Ana,

21. Et Dison, et Eser, et Ditan: hi duces Horræi, filii Seir in terra Edom.

22. Facti sunt autem filii Lotan: Hori et Meman: erat autem soror Lotan, Thamna.

23. Et isti filii Sobal: Alvan et Manahat et Ebal, et Sepho et Onam.

24. Et hi filii Sebeon: Aja et Ana. Iste est Ana, qui invenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinos Sebeon patris sui:

25. Habuitque filium Dison, et filiam Oolibama.

26. Et isti filii Dison: Hamdan, et Eseban, et Jetham, et Charan.

27. Hi quoque filii Eser: Balaan, et Zavan, et Acan.

28. Habuit autem filios Disan: Hus et Aram.

29. Hi duces Horræorum: dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana,

30. Dux Dison, dux Eser, dux Disan: isti duces Horræorum, qui imperaverunt in terra Seir.

31. Reges autem, qui regnaverunt

¥. 24. *Qui invenit aquas calidas in solitudine* — Hebræum *Jemim*, quo modo legunt Rabbini recentiores; Eugubinus, Vatablus, Cajetanus, Pagninus, Forsterus et Tigurini vertunt *mulos*, quasi hic *Ana* primus mulorum procreationem adinvenerit, adactis asinis in equas: Chaldæus *fortes* vel *gigantes* vertit. Sed dico cum S. Hieronymo [5] *jammim* (sic est in Hebræo) proprie significare collectionem aquarum: et hic de vere calidis seu tepentibus, ac consequenter medicam vim habentibus aquis, Scripturam intelligendam esse, quales etiam hodie in thermis Aquensibus et aliis quibusdam locis reperiuntur. Quas quia primus hic Ana detexit, earumque usum frequenti experimento corporibus salutarem esse deprehendit ac prodidit; earumdem inventor hic dicitur, et rei novæ auctor perhibetur.

(1) Sup. 13, vers. 6. (2) Jos. 24, vers. 4.
(3) 1. Paral. 1, vers. 34. (4) 1. Paral. 1, vers. 38.
(5) In QQ. Hebr.

in terra Edom antequam haberent regem filii Israel, fuerunt hi:

32. Bela filius Beor, nomenque urbis ejus Denaba.

33. Mortuus est autem Bela, et regnavit pro eo Jobab filius Saræ de Bosra.

34. Cumque mortuus esset Jobab, regnavit pro eo Husam de terra Themanorum.

35. Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab: et nomen urbis ejus Avith.

36. Cumque mortuus esset Adad, regnavit pro eo Semla et Masreca.

37. Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Saul de fluvio Rohoboth.

38. Cumque et hic obiisset, successit in regnum Balanan filius Achobor.

39. Isto quoque mortuo, regnavit pro eo Adar, nomenque urbis ejus Phau: et appellabatur uxor ejus Meetabel, filia Matred filiæ Mezaab.

40. Hæc ergo nomina ducum Esau, in cognationibus, et locis, et vocabulis suis: dux Thamna, dux Alva, dux Jetheth,

41. Dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon,

42. Dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar,

43. Dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terra imperii sui, ipse est Esau pater Idumæorum.

℣. 37. *De fluvio Rohoboth* — Hebræa, Chaldæa et Græca legunt, *de Rohoboth fluvii*, id est de civitate Rohoboth sita juxta fluvium Euphraten, de qua dixi Genes. 10, v. 11, et rursus dicam 1. Par. 1, v. 48.

CAPUT XXXVII.

Joseph narrat sua somnia. Quorum occasione invidi fratres, necem illi machinantur. Sed liberat eum Ruben primo, deinde et Judas: quo suadente venditur Madianitis, et ab his Putiphari in Ægypto.

1. Habitavit autem Jacob in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est.

2. Et hæ sunt generationes ejus: Joseph cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer: et erat cum filiis Balæ et Zelphæ uxorum patris sui: accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.

3. Israel autem diligebat Joseph super omnes filios suos eo quod in senectute genuisset eum: fecitque ei tunicam polymitam.

4. Videntes autem fratres ejus quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.

5. Accidit quoque ut visum somnium referret fratribus suis: quæ causa majoris odii seminarium fuit.

6. Dixitque ad eos: Audite somnium meum quod vidi:

7. Putabam nos ligare manipulos

℣. 3. *Tunicam polymitam* — Septuaginta et Tigurini, tunicam variam, nempe liciis et filis varii coloris eleganter distinctam.

Tropologice, Rupertus hac veste polymita vult vitam omni virtutum varietate ornatam designari [1].

(1) Vide Benedictinum Martin fuse de hac veste disserentem, tom 1 *Explan. plurium difficilior. Script. Locor.*, p. 44 seq. Pepli instar illam fuisse, quem gestasse Constantinum et Eusebius testificatur *Orat. de Laudib. Constant.*, c. 5, et prodi ejusdem arcus etiamnum Romæ servatus.

in agro; et quasi consurgere manipulum meum, et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.

8. Responderunt fratres ejus: Numquid rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum, invidiæ et odii fomitem ministravit.

9. Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per somnium, quasi solem, et lunam, et stellas undecim, adorare me.

10. Quod cum patri suo et fratribus retulisset, increpavit eum pater suus, et dixit: Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? Num ego et mater tua, et fratres tui, adorabimus te super terram?

11. Invidebant ei igitur fratres sui: pater vero rem tacitus considerabat.

12. Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem,

13. Dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente,

14. Præsto sum, ait ei: Vade, et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, et pecora: et renuntia mihi quid agatur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem:

15. Invenitque eum vir errantem in agro, et interrogavit quid quæreret.

16. At ille respondit: Fratres meos quæro, indica mihi ubi pascant greges.

17. Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto: audivi autem eos dicentes: Eamus in Dothain. Perrexit ergo Joseph post fratres suos, et invenit eos in Dothain.

18. Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere:

19. Et mutuo loquebantur: Ecce somniator venit:

20. Venite, occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem: dicemusque: Fera pessima devoravit eum: et tunc apparebit quid illi prosint somnia sua.

21. Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, et dicebat:

22. [1] Non interficiatis animam ejus, nec effundatis sanguinem: sed projicite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusque vestras servate innoxias. Hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, et reddere patri suo.

23. Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari et polymita:

24. Miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.

25. Et sedentes ut comederent panem, viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad, et camelos eorum portantes aromata, et resinam, et stacten, in Ægyptum.

26. Dixit ergo Judas fratribus suis: Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, et celaverimus sanguinem ipsius?

℣. 9. *Vidi solem, et lunam, et stellas undecim adorare me* — Philo ait, ipsum vidisse, venientem ad se solem, lunam et stellas, forte humano corpore et facie indutas, ut a pictoribus depinguntur. Nam quomodo alias vel phantasia, vel mente concipere potuisset Joseph adorationem sibi ab illis exhiberi?

Allegorice, per Josephum et manipulum Josephi designatur Christus, quem omnes angeli et sancti, omnis lex et prophetæ, omnis potestas in cælo et in terra, ut dominum suum et principem circumstant et adorant, inquit Rupertus.

Nota. Nomine matris Josephi non intelligitur Rachel, quæ haud ita pridem mortua fuerat, neque umquam adoravit filium, sed Bala Rachelis ancilla, quæ Josepho mater nutritia fuerat, et jam mortua Rachele in matris locum successerat. Ita Lyranus et Tostatus.

(1) Infr. 42, vers. 22.

27. Melius est ut venumdetur Ismaelitis, et manus nostræ non polluantur: frater enim et caro nostra est. Acquieverunt fratres sermonibus illius.

28. [1] Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis, viginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum.

29. Reversusque Ruben in cisternam, non invenit puerum:

30. Et scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait: Puer non comparet, et ego quo ibo?

31. Tulerunt autem tunicam ejus, et in sanguinem hœdi, quem occiderant, tinxerunt:

32. Mittentes qui ferrent ad patrem; et dicerent: Hanc invenimus: vide utrum tunica filii tui sit, an non.

33. Quam cum agnovisset pater, ait: Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.

34. Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.

35. Congregatis autem cunctis liberis ejus ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseverante in fletu,

36. Madianitæ vendiderunt Joseph in Ægypto Putiphari eunucho Pharaonis, magistro militum.

℣. 36. *Putiphari eunucho Pharaonis* — Id est, ministro Pharaonis, scilicet magistro militiæ illius. Unde et Chaldæus, *principem* vertit; et Oleaster, custodem domus seu personæ regiæ. Neque enim solet semper hac voce in Scripturis significari verus spado: sed ii omnes, qui officiis illis, quibus spadones olim præfici solent, in aula regia fungebantur. Cum enim securitatis causa solerent spadones præfici cubiculis reginarum et heroinarum, atque, explorata eorumdem fide et industria, postmodum aliis quoque admoveri, etiam primis aulæ officiis, maxime vero custodiæ regiæ: hinc nomine eunuchorum postea dicti sunt quotquot illis officiis fungebantur, etsi veri eunuchi seu spadones non essent. Patet ex hoc Putiphare, qui licet uxorem haberet et liberos, tamen eunuchus hic vocatur. Et infra cap. 40, pincerna regis, et pistorum præfectus eunuchi vocantur: et alii alibi.

(1) Sap. 10, vers. 13.

CAPUT XXXVIII.

Judas generat Her et Onan, quos Deus ob mollitiem, et retractum in actu conjugii, morte plectit. Thamar dolose ex Juda gravidatur, gignitque Phares et Zaram.

1. Eodem tempore descendens Judas a fratribus suis, divertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram.

2. [1] Viditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sue: et accepta uxore, ingressus est ad eam.

3. Quæ concepit, et peperit filium, et vocavit nomen ejus Her.

4. [2] Rursumque concepto fœtu, natum filium vocavit Onan.

5. Tertium quoque peperit, quem appellavit Sela: quo nato, parere ultra cessavit.

6. Dedit autem Judas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar.

7. [3] Fuit quoque Her primogenitus Judæ, nequam in conspectu Domini: et ab eo occisus est.

8. Dixit ergo Judas ad Onan filium suum: Ingredere ad uxorem

℣. 7. *Fuit Her nequam in conspectu Domini, et occisus est* — Quæ fuerit hæc ejus nequitia, vide 1. Paralip. 2, vers. 3.

(1) 1. Paral. 2, 3. (2) Num. 26, vers. 19. (3) Ibid.

fratris tui, et sociare illi, ut suscites semen fratri tuo.

9. Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur.

10. Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.

11. Quamobrem dixit Judas Thamar nurui suæ: Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus: timebat enim ne et ipse moreretur, sicut fratres ejus. Quæ abiit, et habitavit in domo patris sui.

12. Evolutis autem multis diebus, mortua est filia Sue uxor Judæ: qui post luctum, consolatione suscepta, ascendebat ad tonsores ovium suarum, ipse et Hiras opilio gregis Odollamites, in Thamnas.

13. Nuntiatumque est Thamar quod socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oves.

14. Quæ, depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum: et mutato habitu, sedit in bivio itineris, quod ducit Thamnam: eo quod crevisset Sela, et non eum accepisset maritum.

15. Quam cum vidisset Judas, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum ne agnosceretur.

16. Ingrediensque ad eam, ait: Dimitte me ut coeam tecum: nesciebat enim quod nurus sua esset. Qua respondente: Quid dabis mihi ut fruaris concubitu meo?

17. Dixit: Mittam tibi hœdum de gregibus. Rursumque illa dicente: Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris;

18. Ait Judas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit: Annulum tuum, et armillam, et baculum quem manu tenes. Ad unum igitur coitum mulier concepit,

19. Et surgens abiit: depositoque habitu, quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus;

20. Misit autem Judas hœdum per pastorem suum Odollamitem, ut reciperet pignus, quod dederat mulieri: qui cum non invenisset eam,

21. Interrogavit homines loci illius: Ubi est mulier, quæ sedebat in bivio? Respondentibus cunctis: Non fuit in loco isto meretrix;

22. Reversus est ad Judam, et dixit ei: Non inveni eam: sed et homines loci illius dixerunt mihi, numquam sedisse ibi scortum.

23. Ait Judas: Habeat sibi, certe mendacii arguere nos non potest: ego misi hœdum quem promiseram, et tu non invenisti eam.

24. Ecce autem post tres menses nuntiaverunt Judæ, dicentes: Fornicata est Thamar nurus tua, et videtur uterus illius intumescere. Dixitque Judas: Producite eam ut comburatur.

25. Quæ cum duceretur ad pœnam, misit ad socerum suum, dicens: De viro, cujus hæc sunt, concepi: cognosce cujus sit annulus, et armilla, et baculus.

26. Qui, agnitis muneribus, ait: Justior me est: quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamen ultra non cognovit eam.

℣. 9. *Sciens Onan non sibi nasci filios* — Id est, sciens quod is, qui primo loco ex se nasciturus esset, non computaretur suus, sed fratris sui defuncti filius. Ita clare exprimunt LXX et Chaldæus. Ex hoc capite patet, etiam ante legem Moysis permissum, immo in more fuisse, ut frater uxorem fratris sine liberis defuncti duceret, et primogenitum suum nomine fratris sui nominaret. Sic sabbatum, discretio mundorum animalium, circumcisio, et alia plura quæ postmodum lege Moysis præscripta fuerunt, jam antea fuerunt a Patriarchis usurpata.

27. [1] Instante autem partu, apparuerunt gemini in utero: atque in ipsa effusione infantium, unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens:

28. Iste egredietur prior.

29. Ille vero retrahente manum, egressus est alter: dixitque mulier: Quare divisa est propter te maceria? et ob hanc causam vocavit nomen ejus Phares.

30. [2] Postea egressus est frater ejus, in cujus manu erat coccinum: quem appellavit Zara.

℣. 29. *Quare divisa est propter te maceria?* — Id est, quare tu prior ante fratrem tuum, perrupisti claustrum uteri materni, dividendo membranam seu secundinas, quibus involvebaris? q. d. Quare tu fratri primogenituram præripis? Notat Chrysostomus, id præter naturam contigisse et allegorice præsignasse *Zaram* populum Judaicum, qui prior manum protulit, accipiendo legem a Deo, atque ita imperfecte secundum spiritum natus est: sed ubi sensit se coccineo Christi sanguine inquinatum, retraxit manum, et recessit a Deo. Mox subingressus *Phares*, id est Gentilis populus et prior nascendo perfecte secundum spiritum, seu credendo in Christum, jus primogenituræ præripuit Judæis, maceriamque inimicitiarum inter se et Deum generose disrupit. Ita Cyrillus, Isidor., Rupert. Aliam hujus coccini explicationem dat Rabbi Raschi apud Serarium [3]: nempe, eo præfiguratam fuisse sacrilegium *Achan* abnepotis hujus *Zaræ* Josue 7, dum pallium *coccineum* e spoliis Jericho suffuratus, causa fuit fœdæ cladis et fugæ totius exercitus Israelitici.

(1) Matth. 1, vers. 3.

(2) I. Paral. 2, vers. 4.
(3) In c. 7 Josue, q. 2.

CAPUT XXXIX.

Josephi castitas tentatur ab hera: sed is, relicta chlamyde in manibus heræ, fugit: ideoque per calumniam ab illa accusatus incarceratur.

1. Igitur Joseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir ægyptius, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat.

2. Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens: habitavitque in domo domini sui,

3. Qui optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius.

4. Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, et ministrabat ei; a quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, et universa, quæ ei tradita fuerant:

5. Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in ædibus quam in agris cunctam ejus substantiam:

6. Nec quidquam aliud noverat, nisi panem, quo vescebatur. Erat autem Joseph pulcra facie, et decorus aspectu.

℣. 6. *Nec quidquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur* — Proverbio hoc significatur, patremfamilias ita omnia sua commisisse Josepho, ut ab eo nullam rationem dati vel accepti reposceret; sed contentus frui partis labore Josephi, dormiebat in utramque aurem, sollicitus solum edere et bibere. Notat Rupertus præcellentiam hic virtutum Josephi, et maxime cardinalium. Primo, justitiæ, qua bona domini sui tot annis tanta integritate, sine ulla fraudis aut negligentiæ suspicione administravit. Secundo, temperantiæ, qua juvenis vix 27 annorum, et servus, et formosus, ab hera propria, et ampla pollicente, secreto adamatus, et sæpius interpellatus ac rogatus, numquam redamarit. Tertio, pru-

7. Post multos itaque dies injecit domina sua oculos suos in Joseph, et ait: Dormi mecum.

8. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua:

9. Nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es: quo modo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum?

10. Hujuscemodi verbis per singulos dies, et mulier molesta erat adolescenti, et ille recusabat stuprum.

11. Accidit autem quadam die, ut intraret Joseph domum, et operis quippiam absque arbitris faceret:

12. Et illa apprehensa lacinia vestimenti ejus, diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu ejus pallio fugit, et egressus est foras.

13. Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, et se esse contemptam,

14. Vocavit ad se homines domus suæ, et ait ad eos: En introduxit virum hebræum, ut illuderet nobis: ingressus est ad me, ut coiret mecum: cumque ego succlamassem,

15. Et audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebam, et fugit foras.

16. In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti domum,

17. Et ait: Ingressus est ad me servus hebræus, quem adduxisti, ut illuderet mihi:

18. Cumque audisset me clamare, reliquit pallium quod tenebam, et fugit foras.

19. His auditis dominus, et nimium credulus verbis conjugis, iratus est valde:

20. [1] Tradiditque Joseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur, et erat ibi clausus.

21. Fuit autem Dominus cum Joseph, et misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris.

22. Qui tradidit in manu illius universos vinctos qui in custodia tenebantur: et quidquid fiebat, sub ipso erat.

23. Nec noverat aliquid, cunctis ei creditis: Dominus enim erat cum illo, et omnia opera ejus dirigebat.

dentiæ, qua dissuadere conatus, cum vidit frustra esse, etiam veste apprehensus aufugit. Quarto, fortitudinis, qua et blanditias, et furias insanæ amasiæ constanter repulit, et carceres et mortem subire maluit, quam vel Deum, vel herum suum offendere. Hinc Chrysostomus, Ambrosius, Augustin. et Philo, magis, inquiunt, miramur factum Josephi, quam tres pueros in fornace Babylonia illæsos permansisse; nam sicut illi pueri, sic magis Joseph in mediis ignibus illæsus, non adustus, sed clarior effugit.

(1) Psalm. 101, vers. 18.

CAPUT XL.

Joseph pincernæ et pistori Pharaonis exponit somnia, quæ habuerant, et expositionem probat eventus.

1. His ita gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, et pistor, domino suo.

2. Iratusque contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus),

3. Misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus et Joseph.

4. At custos carceris tradidit eos Joseph, qui et ministrabat eis. Aliquantulum temporis fluxerat, et illi in custodia tenebantur.

5. Viderunt que ambo somnium nocte una juxta interpretationem congruam sibi:

6. Ad quos cum introisset Joseph mane, et vidisset eos tristes,

7. Sciscitatus est eos, dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra?

8. Qui responderunt: Somnium vidimus, et non est qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos Joseph: Numquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis.

9. Narravit prior, præpositus pincernarum, somnium suum: Videbam coram me vitem,

10. In qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, et post flores uvas maturescere:

11. Calicemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo uvas, et expressi in calicem quem tenebam, et tradidi poculum Pharaoni.

12. Respondit Joseph: Hæc est interpretatio somnii: Tres propagines, tres adhuc dies sunt:

13. Post quos recordabitur Pharao ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum: dabisque ei calicem juxta officium tuum, sicut ante facere consueveras.

14. Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit, et facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere:

15. Quia furto sublatus sum de terra Hebræorum; et hic innocens in lacum missus sum.

16. Videns pistorum magister quod prudenter somnium dissolvisset, ait: Et ego vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum:

17. Et in uno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eo.

18. Respondit Joseph: Hæc est interpretatio somnii: Tria canistra, tres adhuc dies sunt:

19. Post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, et lacerabunt volucres carnes tuas.

20. Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande convivium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, et pistorum principis.

21. Restituitque alterum in lo-

v. 5. *Viderunt ambo somnium, juxta interpretationem congruam sibi* — Id est, juxta id quod ipsis eventurum erat conformiter interpretationi subsecutæ:

Petes, an ex somniis liceat divinare? Respondeo, licet primo, ex iis quæ verosimile est, a Deo, vel bono angelo immissa esse: quod fere colligitur ex adjunctis circumstantiis, et peculiari lumine quo manifestum faciunt, a se somnium vel revelationem proficisci. Secundo, licet etiam ex somniis naturalibus, seu quæ nascuntur ex humorum in corpore temperamento, conjecturam facere, ut medici faciunt, de statu corporis, ejus temperie vel intemperie, de morbo vel præsente, vel imminente, etc. Nam ex effectibus prudenter inquiritur de causa, et contra, ex causa de effectibus. Unde Hippocrates et Galenus libros scripserunt de præsagiis sumendis ex insomniis. Tertio, ex diabolicis seu a diabolo immissis somniis, quæ tempore tentationis subinde permittit Deus, et prudentum judicio facile dignosci possunt, non licet conjecturam facere, cum inhibitum nobis sit omne commercium cum dæmone, capitali Dei hoste, et ruinæ nostræ semper insidiante. Quarto, ex naturalibus somniis aliud quam naturale corporis temperamentum, aut valetudinis statum conjectare velle, v. g. de fortuitis eventibus, vel actionibus causarum liberarum, aliisve contingentibus vel casibus futuris; vanum, superstitiosum, et a Deo prohibitum est Deuteronomii 18, v. 10.

cum suum, ut porrigeret ei poculum:

22. Alterum suspendit in patibulo, ut conjectoris veritas probaretur.

23. Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.

CAPUT XLI.

Joseph somnium septem vaccarum et septem spicarum explicat Pharaoni fore septennium unum fertilitatis, et alterum sterilitatis. Hinc a Pharaone præficitur universo regno Ægypti: a quo sua providentia famem depellit.

1. Post duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluvium,

2. De quo ascendebant septem boves, pulcræ et crassæ nimis: et pascebantur in locis palustribus.

3. Aliæ quoque septem emergebant de flumine, fœdæ confectæque macie: et pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus:

4. Devoraveruntque eas, quarum mira species et habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao,

5. Rursum dormivit, et vidit alterum somnium: Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque formosæ:

6. Aliæ quoque totidem spicæ tenues et percussæ uredine oriebantur,

7. Devorantes omnem priorum pulcritudinem. Evigilans Pharao post quietem,

8. Et facto mane, pavore perterritus, misit ad omnes conjectores Ægypti, cunctosque sapientes: et accersitis narravit somnium, nec erat qui interpretaretur.

9. Tunc demum reminiscens pincernarum magister, ait: Confiteor peccatum meum.

10. Iratus rex servis suis, me et magistrum pistorum retrudi jussit in carcerem principis militum:

11. Ubi una nocte uterque vidimus somnium præsagum futurorum.

12. Erat ibi puer hebræus, ejusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnia,

13. Audivimus quidquid postea rei probavit eventus; ego enim redditus sum officio meo: et ille suspensus est in cruce.

14. Protinus ad regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt: ac veste mutata, obtulerunt ei.

15. Cui ille ait: Vidi somnia, nec est qui edisserat: quæ audivi te sapientissime conjicere.

16. Respondit Joseph: Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.

17. Narravit ergo Pharao quod viderat: Putabam me stare super ripam fluminis,

18. Et septem boves de amne con-

---

v. 16. *Absque me Deus respondebit* — Est hebraismus [1], pro, *non ego*, sed *Deus*, q. d.: Non ego ex mea sapientia (ut vertit Chaldæus) aut mea solertia vel sagacitate naturali, ut tu putas o Pharao; sed Deus per me respondebit, et somnia explicabit.

Nota, cum fertilitas maxime consistat in frugibus et pecoribus, apte illam prædici his duobus somniis, uno boum, altero spicarum. Hæc fertilitas omnis in Ægypto nascebatur ex inundatione fluminis Nili, qui quo magis et longius exundabat, eo majorem inducebat fertilitatem. *Duodecim cubitis*, inquit Plinius [2], *si Nilus exundet, famem sentit Ægyptus: si tredecim etiamnum esurit: quatuordecim cubiti hilaritatem affe-*

(1) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 6.

(2) Lib. 5, cap. 9.

scendere, pulcras nimis, et obesis carnibus: quæ in pastu paludis virecta carpebant:

19. Et ecce, has sequebantur aliæ septem boves in tantum deformes et macilentæ, ut numquam tales in terra Ægypti viderim:

20. Quæ, devoratis et consumptis prioribus,

21. Nullum saturitatis dedere vestigium: sed simili macie et squalore torpebant. Evigilans, rursus sopore depressus,

22. Vidi somnium: Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque pulcherrimæ.

23. Aliæ quoque septem tenues et percussæ uredine oriebantur e stipula:

24. Quæ priorum pulcritudinem devoraverunt. Narravi conjectoribus somnium, et nemo est qui edisserat.

25. Respondit Joseph: Somnium regis unum est: quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni.

26. Septem boves pulcræ, et septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt: eamdemque vim somnii comprehendunt.

27. Septem quoque boves tenues atque macilentæ, quæ ascenderunt post eas, et septem spicæ tenues, et vento urente percussæ, septem anni venturæ sunt famis.

28. Qui hoc ordine complebuntur;

29. Ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in universa terra Ægypti:

30. Quos sequentur septem anni alii tantæ sterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia: consumptura est enim fames omnem terram,

31. Et ubertatis magnitudinem perditura est inopiæ magnitudo.

32. Quod autem vidisti secundo ad eamdem rem pertinens somnium: firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei, et velocius impleatur.

33. Nunc ergo provideat rex virum sapientem et industrium, et præficiat eum terræ Ægypti:

34. Qui constituat præpositos per cunctas regiones; et quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis,

35. Qui jam nunc futuri sunt, congreget in horrea: et omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serveturque in urbibus.

36. Et preparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Ægyptum, et non consumetur terra inopia.

37. Placuit Pharaoni consilium et cunctis ministris ejus:

38. Locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?

39. Dixit ergo ad Joseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, numquid sapientiorem et consimilem tui invenire potero?

40. [1] Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni solio te præcedam.

runt: quindecim securitatem, sedecim delicias. Maximum incrementum ad hoc ævi fuit cubitorum octodecim. Hæc Plinius. Quod vero macræ boves nonnisi in ripa Nili pasci viderentur, portendebant exiguam Nili exundationem, et consequenter exigua pascua, et fere tantum ad ripam ipsam, toto septennio futura. Pingues vero in remotis a Nilo palustribus locis pasci visæ, maximam fluminis exundantiam fertilitatemque altero septennio præsignabant. Sed hæc continua tot simul annorum uniformis Nili exundatio, consecutaque vel fertilitas vel sterilitas non occultæ alicui astrorum virtuti, aut alteri naturæ beneficio, sed unius Dei potentiæ ac providentiæ Nilum pro suo placito laxantis vel stringentis adscribi potest, unde nec ab Astrologis, nec a divinis Ægyptiorum, sed a solo Deo præsciri et prædici potuit.

(1) Psalm. 104, vers. 21; 1 Mach. 2, vers. 53; Act. 7, vers. 10.

41. Dixitque rursus Pharao ad Joseph : Ecce, constitui te super universam terram Ægypti.

42. Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus: vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit.

43. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, et præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti.

44. Dixit quoque rex ad Joseph: Ego sum Pharao: absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti.

45. Vertitque nomen ejus, et vocavit eum lingua ægyptiaca, Salvatorem mundi. Deditque illi uxorem Aseneth, filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Joseph ad terram Ægypti

46. (triginta autem annorum erat quando stetit in conspectu regis Pharaonis), et circuivit omnes regiones Ægypti.

47. Venitque fertilitas septem annorum : et in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti.

48. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est.

49. Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, et copia mensuram excederet.

50. [1] Nati sunt autem Joseph filii duo antequam veniret fames: quos peperit ei Aseneth, filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos.

51. Vocavitque nomen primogeniti, Manasses, dicens: Oblivisci me

℣. 43. *Super currum suum secundum* — Id est, super eum currum, quo solebat vehi secundus a rege. Hac ergo cæremoniam palam toti regno fecit Pharao, Josephum proximum a rege dignitatis locum obtinere. Præeunte et *clamante præcone* Abrech, quæ, si non Ægyptia, sed Hebræa vox est, a radice *barach*, in *hiphil* significat genuflectite, vel adgeniculando salutate. Ita hic vertit S. Hieronymus, Aquila, et quidam alii. Notant Philo et Rupertus, Josephum pro carceris squalore, evectum in *currum* et thronum regium: pro habitu sordido, induisse *stolam byssinam*, seu togam oblongam et talarem holosericam: pro compedibus, accepisse *torquem auream:* pro servili nomine, regium annulum, et titulum *salvatoris mundi*, quo titulo rex illum cohonestavit, eo quod sua prudentia ac providentia extremam mundi famem et inopiam, et hinc imminentem interitum prævertisset ac depulisset. Ex quo eodem ingenti beneficio, putant Ruffinus, Julius Firmicus, Pierius et Baronius [2], Josephum sub nomine *Serapidis* et *Osiridis* ab Ægyptiis cultum fuisse et pro Deo habitum. Et patet tum ex nomine Serapis, quod idem videtur esse quod Sar, seu Ser, id hebr. est dominus, et Apis, id est bos ægyptiace: tum ex nomine *Arsaph*, quo, teste Plutarcho, Osiris vocabatur, quod levi commutatione ex *Joseph* promanasse nemo non videt: tum ex hieroglyphicis quibus Osiridem designabant, puta figura bovis seu vituli, notis lunæ et solis insigniti; item juvenis imberbis cum modio vel calatho in capite, etc. quæ in Josephum, ejusque boves et spicas, et ætatem, et Astrologiæ peritiam adamussim quadrant. Subscribit his Clemens Alexandrinus, Augustin. [3], a Lapide et Bonfrerius.

℣. 45. *Filiam Putiphare* — Petes, an Joseph in uxorem duxerit filiam primi heri sui Putipharis, qui ob suspicionem adulterii compegerat eum in carcerem? Affirmant Hebræi, S. Hieronymus, Rupertus et Abulensis. Sed verius est, hunc Putipharem diversum ab illo fuisse. Nam hic sacerdos erat, ille princeps militiæ, hic Heliopoli, ille Memphi degebat in aula regia. Et in Hebræo sunt nomina saltem ex parte diversa. Ita S. August., Chrysost., Lyranus, Lipomanus, Oleaster, Pererius et alii.

(1) Infr. 46, vers. 20; 48, vers. 5.
(2) Lib. 2 hist., c. 23; Pierius l. 3 Hieroglyph., fol. 25; Baron. t. 4, pag. 520; Plut. l. de Iside.
(3) Lib. 18 de Civit., cap. 4.

fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei.

52. Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.

53. Igitur transactis septem ubertatis annis, qui fuerant in Ægypto,

54. Cœperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Joseph: et in universo orbe fames prævaluit, in cuncta autem terra Ægypti panis erat.

55. Qua esuriente, clamavit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Joseph: et quidquid ipse vobis dixerit, facite.

56. Crescebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitque Joseph universa horrea, et vendebat Ægyptiis: nam et illos oppresserat fames.

57. Omnesque provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent escas, et malum inopiæ temperarent.

CAPUT XLII.

Joseph decem fratres suos, in Ægyptum frumenti causa venientes, agnoscit, et dure compellat. Tandemque retento in vinculis Simeone, ceteros dimittit, sed ea lege, ut Benjamin ad se deducant.

1. Audiens autem Jacob quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: Quare negligitis?

2. Audivi quod triticum venumdetur in Ægypto: descendite, et emite nobis necessaria, ut possimus vivere, et non consumamur inopia.

3. Descendentes igitur fratres Joseph decem, ut emerent frumenta in Ægypto,

4. Benjamin domi retento a Jacob, qui dixerat fratribus ejus: Ne forte in itinere quidquam patiatur mali:

5. Ingressi sunt terram Ægypti cum aliis qui pergebant ad emendum. Erat autem fames in terra Chanaan.

6. Et Joseph erat princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui,

7. Et agnovisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos: Unde venistis? Qui responderunt: De terra Chanaan, ut emamus victui necessaria.

8. Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis.

9. Recordatusque somniorum, quæ aliquando viderat, ait ad eos: Exploratores estis: ut videatis infirmiora terræ venistis.

10. Qui dixerunt: Non est ita, domine, sed servi tui venerunt ut emerent cibos.

11. Omnes filii unius viri sumus: pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali.

12. Quibus ille respondit: Aliter est: immunita terræ hujus considerare venistis.

13. At illi: Duodecim, inquiunt, servi tui, fratres sumus, filii viri unius in terra Chanaan: minimus cum patre nostro est, alius non est super.

14. Hoc est, ait, quod locutus sum: Exploratores estis.

15. Jam nunc experimentum vestri capiam: per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus.

16. Mittite ex vobis unum, et ad-

ducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixistis utrum vera an falsa sint: alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis.

17. Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus.

18. Die autem tertio eductis de carcere, ait: Facite quæ dixi, et vivetis: Deum enim timeo.

19. Si pacifici estis, frater vester unus ligetur in carcere: vos autem abite, et ferte frumenta, quæ emistis, in domos vestras,

20. [1] et fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones, et non moriamini. Fecerunt, ut dixerat,

21. Et locuti sunt ad invicem: Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio.

22. E quibus unus Ruben, ait: Numquid non dixi vobis: [2] Nolite peccare in puerum: et non audistis me? en sanguis ejus exquiritur.

23. Nesciebant autem quod intelligeret Joseph: eo quod per interpretem loqueretur ad eos.

24. Avertitque se parumper, et flevit: et reversus locutus est ad eos.

25. Tollensque Simeon, et ligans illis præsentibus, jussit ministris ut implerent eorum saccos tritico, et reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibariis in viam: qui fecerunt ita.

26. At illi portantes frumenta in asinis suis, profecti sunt.

27. Apertoque unus sacco, ut daberando satagenti se conjungere. An vero Joseph toto tempore absentiæ fratrum, Simeonem in vinculis perpetuo habuerit, incertum est. Verosimilius, non nisi usque ad abitum illorum habuisse in vinculis: in carcere tamen, vel alio honestiore loco conclusum, ad reditum usque aliorum tenuisse.

Petes, Quare Joseph totis 23 annis, quibus fuit in Ægypto, nihil de se nuntiavit tam mœsto parenti? Respondet sanctus Thomas, Deum id noluisse. Cur autem noluit? Rationem dat Augustinus, ut hoc quasi purgatorio tam parens, quam filius purgaretur in hac vita: et virtus utriusque tanto spectatior orbi fieret, ut facta fuerat etiam Abrahami, et Isaaci per immolationem in monte Moria, supra c. 22. Addit Theodoretus, ita Deum voluisse, ut somnia Josephi ad amussim complerentur: et ne Jacob filium, ubi rescivisset in Ægypto degere, pretio quantocumque redemptum, in Chanaanitidem ad propria reduceret, atque ita occasionem nanciscendi principatus in Ægyptios, adeoque et in fratres suos, præriperet. Denique ne impedirentur mira illa et stupenda opera; quæ per et post Josephum in Ægypto patrata narrat tum

ỳ. 16. *Per salutem Pharaonis* — In Hebræo et Chaldæo est, *vivit Pharao*. Formula jurandi tam Gentilibus, quam Judæis usitata. Potestque juxta S. Thomam [3] duobus modis intelligi. Primo assertorie, q. d. Juro per Deum, qui vitæ et salutis regis mei Pharaonis auctor et custos est. Secundo, execratorie, ut idem sit quod, adjuro, obtestor et rogo Deum, ut Pharaoni salutem et vitam adimat, si non constet vos esse exploratores. Nota tamen cum eodem S. Thoma et Bonaventura, Josephum non assertive vocare fratres suos exploratores: nam sciebat non esse tales: sed solum tentative, et probandi gratia. Cujusmodi locutionum formulæ usurpantur a judicibus de crimine aliquo inquirentibus: sed solum vim habent interrogationum [4].

ỳ. 25. *Tollens Simeon, et ligans* — Cur hunc præ reliquis fratribus? Respondet Gennadius et Hebræi, quia Simeon præcipua causa et auctor aliis fuerat necis Josepho inferendæ. Vel saltem, ut ait Philo, plus cæteris utpote junioribus peccarat: nam, cum ætate post Ruben maximus esset, et auctoritate valeret, maluit cum illis in perniciem adolescentuli conspirare, quam Rubeno pro eo li-

(1) Infr. 43, vers. 5.
(2) Sup. 37, vers. 22.
(3) 2. 2., q. 89, a. 6.
(4) Philo l. de Joseph.

ret jumento pabulum in diversorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi,

28. Dixit fratribus suis: Reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti turbatique, mutuo dixerunt: Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus?

29. Veneruntque ad Jacob patrem suum in terram Chanaan, et narraverunt ei omnia quæ accidissent sibi, dicentes:

30. Locutus est nobis dominus terræ dure, et putavit nos exploratores esse provinciæ.

31. Cui respondimus: Pacifici sumus, nec ullas molimur insidias.

32. Duodecim fratres uno patre geniti sumus: unus non est super, minimus cum patre nostro est in terra Chanaan.

33. Qui ait nobis: Sic probabo quod pacifici sitis: Fratrem vestrum unum dimittite apud me, et cibaria domibus vestris necessaria sumite, et abite,

34. Fratremque vestrum minimum adducite ad me, ut sciam quod non sitis exploratores: et istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis: ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis licentiam.

35. His dictis, cum frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias: exterritisque simul omnibus,

36. Dixit pater Jacob: Absque liberis me esse fecistis: Joseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, et Benjamin auferetis: in me hæc omnia mala reciderunt.

37. Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi: trade illum in manu mea, et ego eum tibi restituam.

38. At ille: Non descendet, inquit, filius meus vobiscum: frater ejus mortuus est, et ipse solus remansit: si quid ei adversi acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

Genesis, tum Exodus multis et prolixis capitibus.

Petes Secundo, Unde Josepho constitit de hac Dei voluntate? Respondet Pererius, Partim ex circumstantiis somniorum suorum: partim ex instinctu et revelatione interna, ut erat Propheta: forsan et ex remoris, et variis impedimentis, quæ, cum quid tale tentaret, injici cæli-

tus animadvertit, ut accidit in re longe leviori, cum egredienti principi pincernarum e carcere commendasset etiam sui liberationem: sed ille per integrum biennium ne semel quidem meminerat interpretis et clientis sui, nolente Deo mediis eximi humanis quem sua solius manu juvare decreverat.

CAPUT XLIII.

Fratres suos cum Benjamino in Ægyptum redeuntes, ut emant frumentum, Joseph benigne excipit, et lauto convivio exhilarat.

1. Interim fames omnem terram vehementer premebat.

2. Consumptisque cibis quos ex Ægypto detulerant, dixit Jacob ad filios suos: Revertimini, et emite nobis pauxillum escarum.

3. Respondit Judas: Denuntiavit nobis vir ille sub attestatione juris-

jurandi, dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum.

4. Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter, et ememus tibi necessaria:

5. Sin autem non vis, non ibimus: vir enim, ut sæpe diximus, denun-

tiavit nobis, dicens: [1] Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo.

6. Dixit eis Israel: In meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei et alium habere vos fratrem.

7. At illi responderunt: Interrogavit nos homo per ordinem nostram progeniem: si pater viveret, si haberemus fratrem: et nos respondimus ei consequenter juxta id quod fuerat sciscitatus: numquid scire poteramus quod dicturus esset: Adducite fratrem vestrum vobiscum?

8. Judas quoque dixit patri suo: Mitte puerum mecum, ut proficiscamur, et possimus vivere; ne moriamur nos et parvuli nostri.

9. [2] Ego suscipio puerum: de manu mea require illum: nisi reduxero, et reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore.

10. Si non intercessisset dilatio, jam vice altera venissemus.

11. Igitur Israel pater eorum dixit ad eos: Si sic necesse est, facite quod vultis: sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, et deferte viro munera, modicum resinæ et mellis, et storacis, stactes, et terebinthi, et amigdalarum.

12. Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum: et illam, quam invenistis in sacculis, reportate, ne forte errore factum sit:

13. Sed et fratrem vestrum tollite, et ite ad virum.

14. Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem: et remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet, et hunc Benjamin: ego autem quasi orbatus absque liberis ero.

15. Tulerunt ergo viri munera, et pecuniam duplicem, et Benjamin: descenderuntque in Ægyptum, et steterunt coram Joseph.

16. Quos cum ille vidisset, et Benjamin simul, præcepit dispensatori domus suæ, dicens: Introduc viros domum, et occide victimas, et instrue convivium: quoniam mecum sunt comesturi meridie.

17. Fecit ille quod sibi fuerat imperatum, et introduxit viros domum.

18. Ibique exterriti, dixerunt mutuo: Propter pecuniam, quam retulimus prius in saccis nostris, introducti sumus: ut devolvat in nos calumniam, et violenter subjiciat servituti, et nos, et asinos nostros.

19. Quamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem domus,

20. Locuti sunt: Oramus, domine, ut audias nos. [3] Jam ante descendimus ut emeremus escas:

21. Quibus emptis, cum venisse-

℣. 11. *Modicum resinæ, storacis, stactes, et terebinthi* — *Resina* vocatur humor ille tenax et viscosus qui ex arboribus qualibuscumque defluit et adhærescit. In Judæa et Syria fere pro *galbano* sumi solet, qui succus est arboris quæ ferula vocatur, inquit Plinius et Dioscorides [4]. *Terebintus* est resina, vel succus qui ex arbore terebintho distillat, et vulgo *Termentina* vocatur. *Storax* lacryma est arboris quæ subinde *Styrax* dicta reperitur, teste eodem Plinio et Dioscoride [5]. Unguentum styracinum, quo capilli et bene olentes, et colore flavi redduntur. *Stacte* est lacryma myrrhæ, seu liquor myrrhæ subtilissimus et purissimus.

℣. 16. *Occide victimas* — Est catachresis, id est bestias, quæ cum jugulantur, victimæ more prisco vocantur, etsi non ad sacrificium, sed solum ad esum jugulentur. Neque enim erat tam impius Joseph, ut juberet hostias immolari diis Ægyptiis. Quin et si Macrobio [6] credimus, non erat moris Ægyptiis, ut pecudibus aut sanguine, sed precibus et thure dumtaxat sacrificarent diis.

(1) Sup. 42, vers. 20.
(2) Infr. 44, vers. 32.
(3) Sup. 42, vers. 3.
(4) Plin. l. 12, c. 25; Dioscor. l. 3, c. 81.
(5) Plin. ibid.; Dioscor. l. 3, c. 78.
(6) Lib. 1, cap. 7.

mus ad diversorium, aperuimus saccos nostros, et invenimus pecuniam in ore saccorum: quam nunc eodem pondere reportavimus.

22. Sed et aliud attulimus argentum, ut emamus quæ nobis necessaria sunt: non est in nostra conscientia quis posuerit eam in marsupiis nostris.

23. At ille respondit: Pax vobiscum, nolite timere, Deus vester, et Deus patris vestri, dedit vobis thesauros in saccis vestris; nam pecuniam, quam dedistis mihi, probatam ego habeo. Eduxitque ad eos Simeon.

24. Et introductis domum, attulit aquam, et laverunt pedes suos, deditque pabulum asinis eorum.

25. Illi vero parabant munera, donec ingrederetur Joseph meridie: audierant enim quod ibi comesturi essent panem.

26. Igitur ingressus est Joseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis: et adoraverunt proni in terram.

27. At ille, clementer resalutatis eis, interrogavit eos, dicens: Salvusne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? Adhuc vivit?

28. Qui responderunt: Sospes est servus tuus pater noster, adhuc vivit. Et incurvati, adoraverunt eum.

29. Attollens autem Joseph oculos, vidit Benjamin fratrem suum uterinum, et ait: Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum: Deus, inquit, misereatur tui, fili mi.

30. Festinavitque, quia commota fuerant viscera ejus super fratre suo, et erumpebant lacrymæ: et introiens cubiculum flevit.

31. Rursumque lota facie egressus, continuit se, et ait: Ponite panes.

32. Quibus appositis, seorsum Joseph, et seorsum fratribus, Ægyptiis quoque, qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Ægyptiis comedere cum Hebræis, et profanum putant hujuscemodi convivium)

33. Sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita sua, et minimus juxta ætatem suam. Et mirabantur nimis,

34. Sumptis partibus quas ab eo acceperant: majorque pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet. Biberuntque et inebriati sunt cum eo.

℣. 32. *Seorsum Joseph* — Id est, solus in peculiari mensa, utpote totius Ægypti prorex.

Seorsum fratribus, et Ægyptiis quoque seorsum — Causa additur, quia *illicitum Ægyptiis comedere cum Hebræis et profanum*. Cum enim solerent Hebræi passim comedere boves, tauros, oves et hircos, quæ erant Ægyptiorum numina, qui in ariete colebant Jovem, in tauro et vitulo Apin, teste Philone et aliis: ac proinde nec occidere, nec comedere illa animalia licebat, Exodi 8, 26, licet hic illa ipsis a Joseph non apponerentur, sed alia solum animalia quibus liceret vesci in Ægypto, v. g. pullos, capones, lepores, perdices, etc. quia tamen norant eos solitos illa cædere, illisque vesci, tamquam a profanis convivis abhorrebant, sibique superstitiose cavebant.

℣. 34. *Biberuntque et inebriati sunt* — Id est, satiati vino, et exhilarati, incalescentes mero, sed citra crapulam aut temulentiam. Sic Psalm. 64: *Visitasti terram, et inebriasti eam*. Et in hoc sensu plerumque utitur Scriptura verbo *inebriandi*. Ita S. Aug. [1] et alii.

(1) In Genes. q. 1, 4.

CAPUT XLIV.

Ut, quo animo sint fratres sui in Benjaminum, resciscat Joseph, scyphum suum occultari jubet in sacco Benjamini: eumdemque ob furtum istud sibi in servum deposcit; sed Judas se pro eo in servum offert.

1. Præcepit autem Joseph dispensatori domus suæ, dicens: Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere: et pone pecuniam singulorum in summitate sacci.

2. Scyphum autem meum argenteum, et pretium quod dedi tritici, pone in ore sacci junioris. Factumque est ita.

3. Et ortò mane, dimissi sunt cum asinis suis.

4. Jamque urbem exierant, et processerant paululum: tunc Joseph, accersito dispensatore domus, Surge, inquit, et persequere viros, et apprehensis dicito: Quare reddidistis malum pro bono?

5. Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, et in quo augurari solet: pessimam rem fecistis.

6. Fecit ille ut jusserat. Et apprehensis per ordinem locutus est.

7. Qui responderunt: Quare sic loquitur dominus noster, ut servi tui tantum flagitii commiserint?

8. Pecuniam, quam invenimus in summitate saccorum, reportavimus ad te de terra Chanaan: et quomodo consequens est ut furati simus de domo domini tui aurum vel argentum?

9. Apud quemcumque fuerit inventum servorum tuorum quod quæris, moriatur, et nos erimus servi domini nostri.

10. Qui dixit eis: Fiat juxta vestram sententiam: apud quemcumtum suorum: nam in vino veritas ultro se prodit. Et nunc per scyphum hoc conjectare volebat et rimari, quis fratrum animus esset in minorem natu Benjaminum. An forte, quia plus ceteris a patre diligebatur, utpote ex eadem qua Joseph matre natus, et jam recens a prorege Ægypti, quintuplicis portionis prærogativa publice omnibus prælatus; odio et invidia ipsum quoque prosequerentur, atque ita deprehensum in furto facile negligerent ac desererent: an vero seria anxietate et cura ipsum excusandi et liberandi, solidum erga ipsum affectum amoremque testaturi essent. Nam quo casu deprehendisset, odio haberi, aut saltem parvipendi; decreverat apud se retinere, ne quid sinistri per viam contra eum, ut olim contra se, molirentur. Ita Philo, Josephus, Chrysostomus, Theodoretus.

℣. 5. *Ipse est scyphus, in quo augurari solet dominus meus* — An ergo Joseph magum aut ariolum se profitebatur? Affirmat Calvinus, sed impius in sanctissimum Patriarcham. Respondeo ergo, cum S. Augustino, hæc joco dici; et, ut ait S. Thomas, ex vulgi et Ægyptiorum opinione. Nisi malis dicere *augurium* hic non accipi pro vero et proprie dicto, quod ex volatu, tripudio, vel garritu avium, vel alio aliarum rerum motu captabatur, sed pro conjectatione quavis, etiam licita, quæ vel ex instinctu Spiritus sancti, vel ex naturali sagacitate et solertia procedit. Sic enim et a Cicerone, et a Plinio, et ab Aristotele usurpatur [1]. Et Hebræum quoque *nachas* utrumque significat [2]. Hoc sensu dici posset, solitum Josephum hoc scypho conjectare, ut erat sagacissimus, de indole, prudentia et arcano mentis hospi-

(1) Plinius l. 7 epist. ad Tacitum; Arist. problem. 9, sect. 33.

(2) Vide Gen. 30, 29, et Gilletum *admot. 3 in 2 Judaic. antiq. lib*, pag. 230.

que fuerit inventum ipse sit servus meus, vos autem eritis innoxii.

11. Itaque festinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli.

12. Quos scrutatus, incipiens a majore usque ad minimum, invenit scyphum in sacco Benjamin.

13. At illi, scissis vestibus, oneratisque rursum asinis, reversi sunt in oppidum.

14. Primusque Judas cum fratribus ingressus est ad Joseph (necdum enim de loco abierat) omnesque ante eum pariter in terram corruerunt.

15. Quibus ille ait: Cur sic agere voluistis? an ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?

16. Cui Judas: Quid respondebimus, inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut juste poterimus obtendere? Deus invenit iniquitatem servorum tuorum: en omnes servi sumus domini mei, et nos, et apud quem inventus est scyphus.

17. Respondit Joseph: Absit a me ut sic agam: qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus: vos autem abite liberi ad patrem vestrum.

18. Accedens autem propius Judas, confidenter ait: Oro, domine mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, et ne irascaris famulo tuo: tu es enim post Pharaonem

19. Dominus meus. [1] Interrogasti prius servos tuos: Habetis patrem, aut fratrem?

20. Et nos respondimus tibi domino meo: Est nobis pater senex, et puer parvulus, qui in senectute illius natus est; cujus uterinus frater mortuus est: et ipsum solum habet mater sua, pater vero tenere diligit eum.

21. Dixistique servis tuis: Adducite eum ad me, et ponam oculos meos super illum.

(1) Sup. 42, vers. 13.
(2) Sup. 43, vers. 3 et 5.

22. Suggessimus domino meo: Non potest puer relinquere patrem suum: si enim illum dimiserit, morietur.

23. [2] Et dixisti servis tuis: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam.

24. Cum ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narravimus ei omnia, quæ locutus est dominus meus.

25. Et dixit pater noster: Revertimini, et emite nobis parum tritici.

26. Cui diximus: Ire non possumus: si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul: alioquin illo absente, non audemus videre faciem viri.

27. Ad quæ ille respondit: Vos scitis quod duos genuerit mihi uxor mea.

28. Egressus est unus, et dixistis: [3] Bestia devoravit eum: et hucusque non comparet.

29. Si tuleritis et istum, et aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos.

30. Igitur si intravero ad servum tuum patrem nostrum, et puer defuerit (cum anima illius ex hujus anima pendeat),

31. Videritque eum non esse nobiscum, morietur, et deducent famuli tui canos ejus cum dolore ad inferos.

32. Ego proprie servus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, et spopondi dicens: [4] Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore.

33. Manebo itaque servus tuus pro puero in ministerio domini mei, et puer ascendat cum fratribus suis.

34. Non enim possum redire ad patrem meum, absente puero: ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.

(3) Sup. 37, vers. 20 et 33.
(4) Sup. 43, vers. 9.

CAPUT XLV.

Joseph se fratribus prodit, eosque cum muneribus ad patrem remittit, jubetque ad se in Ægyptum adduci. Jacob præ gaudio vix se capit.

1. Non se poterat ultra cohibere Joseph multis coram astantibus: unde præcepit ut egrederentur cuncti foras, et nullus interesset alienus agnitioni mutuæ.

2. Elevavitque vocem cum fletu: quam audierunt Ægyptii, omnisque domus Pharaonis.

3. Et dixit fratribus suis: Ego sum Joseph: adhuc pater meus vivit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti.

4. Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me. Et cum accessissent prope: [1] Ego sum, ait, Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum.

5. Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur quod vendidistis me in his regionibus: [2] pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum.

6. Biennium est enim quod cœpit fames esse in terra: et adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti.

7. Præmisitque me Deus ut reservimini super terram, et escas ad vivendum habere possitis.

8. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum: qui fecit me quasi patrem Pharaonis, et dominum universæ domus ejus, ac principem in omni terra Ægypti.

9. Festinate et ascendite ad patrem meum, et dicetis ei: Hæc mandat filius tuus Joseph: Deus fecit me dominum universæ terræ Ægypti: descende ad me, ne moreris,

10. Et habitabis in terra Gessen:

℣. 8. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum* — Id fusius declarat c. 50, v. 20, ubi ait: *Vos cogitastis de me malum.* Ergo vestri consilii non erat, me exaltare: sed solius Dei, qui tamen vestro malo consilio usus est in bonum commune et meum et vestrum. Ergo objectum voluntatis divinæ in hac Josephi tragœdia non erat peccatum fratrum, ut impie blasphemant Melanchthon, Calvinus et alii hæretici, sed primo, missio et exaltatio Josephi in Ægypto, ut obventuræ toti orbi fami prospiceret, et stirpem Jacobi in Ægyptum transferret. Secundo, cum ad id exequendum infinita Deo media ad manum essent, maluit uno illo uti quod fratres Josephi sua malitia suggesserunt, nempe proditione et venditione Josephi: quam licet facile impedire potuisset, ideo noluit, ut ingens illud bonum quod prædecreverat, inde eliceret. Ergo objectum divinæ in hoc voluntatis non fuit nisi permissio et non impeditio nequitiæ fratrum. Tertio, supposita permissione hac nequitiæ illorum, voluit Deus ut Joseph quoque patienter ea omnia ferret, et impune fratribus esse sineret quæcumque ipsi molestia inde obvenirent. Et ad hoc tertium objectum voluntatis divinæ specialiter respexit Josephus, cum infra c. 50 dicit, *Num Dei possumus resistere voluntati?* q. d. Etsi ex vestra malitia venditus sim, et passus quæcumque passus sum: quia tamen Deus, supposita vestra hac malitia, voluit me patienter ferre omnia quæ inde consecuta sunt, neque vos a me puniri; non possum non prompte obsequi illi Dei voluntati, cui et ego et omnes creaturæ debent sese promptissime accommodare. Absit ergo, puniam illos quos Deus per me salvos esse voluit, et quorum occasione ad sublimem hunc thronum evectus sum. Quin potius de tam felici eventu, qui, Deo disponente, ex vestro scelere tam mihi quam vobi obvenit; gaudendum nobis et exultandum. Ita Molina [3] et alii Doctores.

(1) Act. 7, vers. 13. (2) Infr. 50, vers. 20. (3) 1. p., q. 19, a. 6, disp. 2.

erisque juxta me tu, et filii tui, et filii filiorum tuorum, oves tuæ, et armenta tua, et universa quæ possides.

11. Ibique te pascam (adhuc enim quinque anni residui sunt famis) ne et tu pereas, et domus tua, et omnia quæ possides.

12. En oculi vestri, et oculi fratris mei Benjamin, vident quod os meum loquatur ad vos.

13. Nuntiate patri meo universam gloriam meam, et cuncta quæ vidistis in Ægypto: festinate, et adducite eum ad me.

14. Cumque amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui, flevit: illo quoque similiter flente super collum ejus.

15. Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, et ploravit super singulos: post quæ ausi sunt loqui ad eum.

16. Auditumque est, et celebri sermone vulgatum in aula regis: Venerunt fratres Joseph: et gavisus est Pharao, atque omnis familia ejus.

17. Dixitque ad Joseph ut imperaret fratribus suis, dicens: Onerantes jumenta, ite in terram Chanaan,

18. Et tollite inde patrem vestrum et cognationem, et venite ad me: et ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ.

19. Præcipe etiam ut tollant plaustra de terra Ægypti, ad subvectionem parvulorum suorum ac conjugum; et dicito: Tollite patrem vestrum, et properate quantocius venientes.

20. Nec dimittatis quidquam de supellectili vestra: quia omnes opes Ægypti vestræ erunt.

21. Feceruntque filii Israel ut eis mandatum fuerat. Quibus dedit Joseph plaustra, secundum Pharaonis imperium: et cibaria in itinere.

22. Singulis quoque proferri jussit binas stolas: Benjamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis:

23. Tantumdem pecuniæ et vestium mittens patri suo, addens et asinos decem, qui subveherent ex omnibus divitiis Ægypti, et totidem asinas, triticum in itinere, panesque portantes.

24. Dimisit ergo fratres suos, et proficiscentibus ait: Ne irascamini in via.

25. Qui ascendentes ex Ægypto, venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Jacob.

26. Et nuntiaverunt ei, dicentes: Joseph filius tuus vivit: et ipse dominatur in omni terra Ægypti. Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis.

27. Illi econtra referebant omnem ordinem rei. Cumque vidisset plaustra, et universa quæ miserat, revixit spiritus ejus,

28. Et ait: Sufficit mihi, si adhuc Joseph filius meus vivit: vadam; et videbo illum antequam moriar.

CAPUT XLVI.

Jacob cum tota sua prosapia, quæ ordine recensetur, in Ægyptum descendit: cui in occursum venit Joseph, et patrem cum lacrymis excipit.

1. Profectusque Israel cum omnibus quæ habebat, venit ad Puteum juramenti: et mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac,

2. Audivit eum per visionem noctis vocantem se et dicentem sibi: Jacob, Jacob. Cui respondit: Ecce adsum.

3. At illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi.

4. Ego descendam tecum illuc, et ego inde adducam te revertentem: Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.

5. Surrexit autem Jacob a Puteo juramenti: [1] tuleruntque eum filii cum parvulis et uxoribus suis in plaustris, quæ miserat Pharao ad portandum senem,

6. Et omnia quæ possederat in terra Chanaan: [2] venitque in Ægyptum cum omni semine suo.

7. Filii ejus, et nepotes, filiæ, et cuncta simul progenies,

8. Hæc sunt autem nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum, ipse cum liberis suis. [3] Primogenitus Ruben.

9. Filii Ruben: Henoch et Phallu et Hesron et Charmi.

10. [4] Filii Simeon: Jamuel et Jamin et Ahod, et Jachin et Sohar, et Saul filius Chanaanitidis.

11. [5] Filii Levi: Gerson et Caath et Merari.

12. [6] Filii Juda: Her et Onan et Sela et Phares et Zara: mortui sunt autem Her et Onan in terra Chanaan. Natique sunt filii Phares: Hesron et Hamul.

13. [7] Filii Issachar: Thola et Phua et Job et Semron.

14. Filii Zabulon: Sared et Elon et Jahelel.

15. Hi filii Liæ, quos genuit in Mesopotamia Syriæ cum Dina filia sua; omnes animæ filiorum ejus et filiarum, triginta tres.

16. Filii Gad: Sephion et Haggi et Suni et Esebon et Heri et Arodi et Areli.

17. [8] Filii Aser: Jamne et Jesua et Jessui et Beria, Sara quoque soror eorum. Filii Beria, Heber et Melchiel.

18. Hi filii Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ suæ: et hos genuit Jacob sedecim animas.

19. Filii Rachel uxoris Jacob: Joseph et Benjamin.

20. [9] Natique sunt Joseph filii in terra Ægypti, quos genuit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos: Manasses et Ephraim.

21. Filii Benjamin: [10] Bela et Bechor et Asbel et Gera et Naaman et Echi et Ros et Mophim et Ophim et Ared.

22. Hi filii Rachel quos genuit Jacob: omnes animæ quatuordecim.

23. Filii Dan: Husim.

24. Filii Nephthali: Jasiel et Guni et Jeser et Sallem.

25. Hi filii Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ suæ: et hos genuit Jacob: omnes animæ, septem.

26. Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, et egressæ sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex.

27. Filii autem Joseph, qui nati

℣. 26. *Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, sexaginta sex* — Huic numero non includuntur Jacob et Joseph, et hujus duo filii Ephraim et Manasse, quos quatuor si addas numero prædicto, reperies 70 quot dicuntur versu sequenti 27 ingressæ Ægyptum, partim ante Jacobum, partim cum Jacobo: item partim per se, partim per parentes, seu in lumbis parentum. Quod dico partim propter Hesron et Hamul filios Phares necdum tunc natos, partim propter quosdam filios Benjamin, qui hic decem numerantur, cum ipse Benjamin hoc tempore vix 23 esset annorum. Nisi malis cum 70 interpretibus, quosdam horum decem fuisse filios filiorum, seu nepotes Benjamini. Iidem 70 interpretes loco quo

(1) Act. 7, vers. 15.
(2) Jos. 24, v. 4; Psalm. 104, v. 23; Isa. 52, v. 4.
(3) Exod. 1, vers. 2; 6, vers. 14; Num. 26, vers. 5; 1 Paral. 5, vers. 1 et 3.
(4) Exod. 6, vers. 15; 1 Par. 4, vers. 24.
(5) 1 Paral. 6, vers. 1.
(6) 1 Paral. 2, vers. 3; 4, vers. 21.
(7) 1 Paral. 7, vers. 1. (8) 1 Paral. 7, vers. 30.
(9) Sup. 41, 50. (10) 1 Paral. 7, vers. 6; 8, vers. 1.

sunt ei in terra Ægypti, animæ duæ. [1] Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta.

28. Misit autem Judam ante se ad Joseph, ut nuntiaret ei, et occurreret in Gessen.

29. Quo cum pervenisset, juncto Joseph curru suo, ascendit obviam patri suo ad eumdem locum: vidensque eum, irruit super collum ejus, et inter amplexus flevit.

30. Dixitque pater ad Joseph: Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo.

31. At ille locutus est ad fratres suos, et ad omnem domum patris sui: Ascendam et nuntiabo Pharaoni, dicamque ei: Fratres mei, et domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me:

32. Et sunt viri pastores ovium, curamque habent alendorum gregum: pecora sua, et armenta, et omnia quæ habere potuerunt, adduxerunt secum.

33. Cumque vocaverit vos, et dixerit: Quod est opus vestrum?

34. Respondebitis: Viri pastores sumus servi tui, ab infantia nostra usque in præsens, et nos et patres nostri. Hæc autem dicetis, ut habitare possitis in terra Gessen: quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium.

Latinus et Hebræus textus habet hic et Exodi 1, v. 5, et Deuter. 10, v. ult. filios vel nepotes Jacobi 70 ingressos Ægyptum, ipsi habent hic et in Exodo ingressos 75. Et hunc illorum numerum sequitur etiam S. Stephanus Act. 7, v. 14. Et recte: nam ipsi prædicto septuagenario addunt nepotes quinque Josephi, puta Machir filium Manasse, et Galaad filium Machir, item Sutalaam et Taam filios Ephraim, denique Edom filium Sutalaam [2]. Quos desumpserunt partim ex Num. 26, partim ex 1. Paral. 7. Nam, ut recte notat S. Augustinus, ingressus Jacobi in Ægyptum complectitur omne tempus vitæ ejus in Ægypto, immo et reliquos annos vitæ Josephi, in cujus gratiam descenderat Jacob in Ægyptum. Non tamen complectitur omnium filiorum Jacob toto illo tempore natos nepotes, sed trium dumtaxat, Judæ, Josephi et Benjamini, quia posteri horum erant omnium honoratissimi, et ex his exorti reges Israelis, Saul, David, Jeroboam et alii sequaces [3].

(1) Deut. 10, vers. 22.
(2) Chron. c. 46.
(3) Confer Gilletum *adnot. 4 in 2 Josephi lib. Ant. Jud.*

Vers. 34. " *Quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium.* Shuckfordius Anglus glossema id esse ex margine in textum illatum audacter pronuntiat. Gilletus *in 2 Judaic. Antiq. lib., Adnot. 5,* τὸ *detestantur* mitius jubet intelligi, ut sensus sit, Pastoritiam vitam non eo apud Ægyptios loco fuisse, quo in terra Chanaan, atque in Mesopotamia. Alii Ægyptiis volunt fuisse Pastores invisos, quod hi mactarent pecora, quæ ipsi colebant. "

CAPUT XLVII.

Joseph patrem et fratres suos regi Pharaoni sistit, qui eis dat terram Gessen. Porro Ægyptii coacti fame, pecora sua et agros Josepho et Pharaoni pro frumento divendunt. Jacob moriens adjurat Josephum ut se sepeliat in terra Chanaan.

1. Ingressus ergo Joseph nuntiavit Pharaoni, dicens: Pater meus et fratres, oves eorum et armenta, et cuncta quæ possident, venerunt de terra Chanaan: et ecce consistunt in terra Gessen.

2. Extremos quoque fratrum suorum quinque viros constituit coram rege:

3. Quos ille interrogavit: Quid habetis operis? Responderunt: Pastores ovium sumus servi tui, et nos et patres nostri.

4. Ad peregrinandum in terra tua venimus: quoniam non est herba gregibus servorum tuorum, ingravescente fame in terra Chanaan: petimusque ut esse nos jubeas servos tuos in terra Gessen.

5. Dixit itaque rex ad Joseph: Pater tuus et fratres tui venerunt ad te.

6. Terra Ægypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, et trade eis terram Gessen. Quod si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum.

7. Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad regem, et statuit eum coram eo: qui benedicens illi,

8. Et interrogatus ab eo: Quot sunt dies annorum vitæ tuæ?

9. Respondit: Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt.

10. Et benedicto rege, egressus est foras.

11. Joseph vero patri et fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco, Ramesses, ut præceperat Pharao.

12. Et alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis.

13. In toto enim orbe panis deerat, et oppresserat fames terram, maxime Ægypti et Chanaan.

14. E quibus omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti, et intulit eam in ærarium regis.

15. Cumque defecisset emptoribus pretium, venit cuncta Ægyptus ad Joseph, dicens: Da nobis panes: quare morimur coram te, deficiente pecunia?

16. Quibus ille respondit: Adducite pecora vestra, et dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis.

17. Quæ cum adduxissent, dedit eis alimenta pro equis, et ovibus, et bobus, et asinis: sustentavitque eos illo anno pro commutatione pecorum.

18. Venerunt quoque anno secundo, et dixerunt ei: Non celabimus dominum nostrum quod deficiente pecunia, pecora simul defecerunt: nec clam te est, quod absque corporibus et terra nihil habeamus.

19. Cur ergo moriemur te vidente? et nos et terra nostra tui erimus: eme nos in servitutem regiam, et præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem.

20. Emit igitur Joseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subjecitque eam Pharaoni,

21. Et cunctos populos ejus, a novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus.

22. Præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis: quibus et statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, et idcirco non

℣. 22. *Præter terram sacerdotum* — Horum enim erat cultui divino, et virtutum ac sapientiæ studio integre vacare, unde merito ab omni tributo, vectigalibus, aliisque oneribus publicis eximebantur, et a principe ex publico alebantur, testibus Herodoto, Hieronymo et Diodoro Siculo[1]: ratione naturali id docente et exigente. Quanto ergo majori jure id veris sacerdotibus novi testamenti a principibus Christianis præstandum? inquit Chrysostomus et Theodoretus.

(1) Herod. in Euterpe; Hieron. lib. 1 adversus Jovinian.; Diod. Sic. lib. 1.

sunt compulsi vendere possessiones suas.

23. Dixit ergo Joseph ad populos: En, ut cernitis, et vos et terram vestram Pharao possidet: accipite semina, et serite agros,

24. Ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, et in cibum familiis et liberis vestris.

25. Qui responderunt: Salus nostra in manu tua est: respiciat nos tantum dominus noster, et læti serviemus regi.

26. Ex eo tempore usque in præsentem diem, in universa terra Ægypti, regibus quinta pars solvitur, et factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.

27. Habitavit ergo Israel in Ægypto, id est, in terra Gessen, et possedit eam: auctusque est, et multiplicatus nimis.

28. Et vixit in ea decem et septem annis: factique sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta septem annorum.

29. Cumque appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocavit filium suum Joseph, et dixit ad eum: Si inveni gratiam in conspectu tuo, [1] pone manum tuam sub femore meo: et facies mihi misericordiam et veritatem, ut non sepelias me in Ægypto:

30. Sed dormiam cum patribus meis, et auferas me de terra hac, condasque in sepulcro majorum meorum. Cui respondit Joseph: Ego faciam quod jussisti.

31. Et ille: Jura ergo, inquit, mihi. Quo jurante, adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput.

℣. 30. *Condas me in sepulcro majorum meorum* — Id est, in Hebron terræ Chanaan, ubi Abraham, Sara, Isaac, verosimiliter et Rebecca, sepulti fuerant. Idem fuit votum et præceptum Josephi morituri, infra c. ult., et verosimilius etiam reliquorum duodecim Patriarcharum, quos Josephus scribit *Hebrone* esse sepultos: S. Hieron. in *Sichimis* [2] et hoc insinuatur Act. 7, v. 16.

Petes, Quare adeo horrebant sepeliri in Ægypto? Respondet Rupertus, ut filiorum suorum animos ab Ægypti deliciis et vitiis alienos redderent, certamque ipsis postliminio in Chanaanitidem reditus spem facerent. Secundo, ut in terra sancta tot alii sanctorum corporibus jungerentur, et maxime Christo in Chanaan nascituro et morituro: cum quo se quoque resurrecturos forte prævidebant aut sperabant. Tertio, ut posteri parentum suorum ossa sanctasque exuvias apud se, et quasi in sinu suo haberent, tamquam perpetua monimenta et stimulos virtutum parentum. Ita sanctus Augustinus, Tostatus et alii.

(1) Sup. 24, vers. 2.
(2) Joseph. lib. 2 Antiq., c. 4; Hieron. in Epitaphio Paulæ, et epist. 101 ad Pammachium.

℣. 31. *Adoravit*, id est laudavit, gratias Deo egit, *Israel*, de tot tantisque beneficiis in Josephum, et per Josephum in suos omnes collatis, *ad lectuli caput* — Pro *mitta* Hebræo, quod *lectulum* significat, quo modo vertit S. Hieronymus, Aquila et Symmachus, mutatis punctis, legerunt 70 interpretes *matte*, quod *virgam*, seu *sceptrum* significat [3]. Dicunt ergo Jacob adorasse seu honorasse caput, id est summitatem vel verticem, virgæ, seu sceptri regii: quod Joseph tamquam muneris sui insigne manu de more tenebat. Et hanc versionem sequitur Apostolus ad Hebræos 11, v. 21, et Synodus septima generalis, et multi antiqui. Utraque lectio bona, proba et vera est, utraque verosimiliter a Spiritu sancto intenta, etiam litteraliter. Et forsan hæc est ratio, cur S. Scripturam ea lingua et litteris conscribi voluerit, quibus in scriptione deessent puncta; ut sensuum diversitas ex diversorum punctorum appositione nasci posset, qui simul a Spiritu sancto intenderentur.

(3) נטה, מטה, utrumque a radice מטה.

CAPUT XLVIII.

Jacob duos Josephi filios Ephraim et Manassen sibi adoptat in filios, eisque benedicens, juniorem Ephraim præponit Manasse seniori. Et agrum Sichemiticum extra ordinem donat Josepho, in communi hereditatis partitione.

1. His ita transactis, nuntiatum est Joseph quod ægrotaret pater suus: qui, assumptis duobus filiis Manasse et Ephraim, ire perrexit.

2. Dictumque est seni: Ecce filius tuus Joseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo.

3. Et ingresso ad se, ait: Deus omnipotens [1] apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan: benedixitque mihi.

4. Et ait: Ego te augebo et multiplicabo, et faciam te in turbas populorum: daboque tibi terram hanc, et semini tuo post te, in possessionem sempiternam.

5. Duo ergo filii tui, qui [2] nati sunt tibi in terra Ægypti antequam huc venirem ad te, mei erunt: [3] Ephraim et Manasses, sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi.

6. Reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt, et nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.

7. Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, [4] mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, eratque vernum tempus: et ingrediebar Ephratam, et sepelivi eam juxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem.

8. Videns autem filios ejus, dixit ad eum: Qui sunt isti?

9. Respondit: Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, ut benedicam illis.

10. Oculi enim Israel caligabant præ nimia senectute, et clare videre non poterat. Applicitosque ad se, deosculatus, et circumplexus eos,

11. Dixit ad filium suum: Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus semen tuum.

12. Cumque tulisset eos Joseph de gremio patris, adoravit pronus in terram.

13. Et posuit Ephraim ad dexteram suam, id est, ad sinistram Israel: Manassen vero in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, applicuitque ambos ad eum.

14. Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat, commutans manus.

15. [5] Benedixitque Jacob filiis Jo-

℣. 14. *Commutans manus* — Nempe decussatim in modum crucis, ita ut dexteram suam imponeret capiti Ephraim stantis ad sinistram: atque ita prætulit minorem natu majori Manasse stanti ad dexteram suam. Quod et comprobavit eventus; longe enim major celebriorque fuit tribus Ephraim tribu Manasse. Nam et ager Sichemiticus, quem extra ordinem cessit Jacob Josepho, obvenit filio ejus minori Ephraim: et Josue tantus dux, et typus Christi, ex Ephraim natus fuit. Et Jeroboam ejusque successores ex Ephraim oriundi, imperium in reliquas tribus per plurimos annos obtinuerunt.

Allegorice, Rupertus per manus Jacob decussatas intelligit crucem Christi, et per Ephraim minorem natu populum Gentilem, qui majori natu populo Judaico per Manassen designato præpositus fuit. Ut solet divina providentia, cum per se specialem delectum facit, fere

(1) Sup. 28, vers. 13. (2) Sup. 41, vers. 50.
(3) Jos. 15, vers. 7 et 29.
(4) Sup. 35, vers. 19.
(5) Ad Hebr. 11, vers. 21.

seph, et ait: Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham et Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem:

16. [1] Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac, et crescant in multitudinem super terram.

17. Videns autem Joseph quod posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, graviter accepit: et apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, et transferre super caput Manasse.

18. Dixitque ad patrem: Non ita convenit, pater: quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput ejus.

19. Qui renuens, ait: Scio, fili mi, scio: et iste quidem erit in populos, et multiplicabitur: sed frater ejus minor, major erit illo: et semen illius crescet in gentes.

20. Benedixitque eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Israel, atque dicetur: Faciat tibi Deus sicut Ephraim, et sicut Manasse. Constituitque Ephraim ante Manassen.

21. Et ait ad Joseph filium suum: En ego morior, et erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum.

22. Do tibi [2] partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu [3] Amorrhæi in gladio et arcu meo.

semper juniores, quia viliores in oculis hominum, præponere senioribus: v. g. hominem angelo, Abelum Caino, Isaacum Ismaeli, Jacobum Esau, Phares Zaræ, Josephum Rubeno, Ephraim Manasse, Mosen Aaroni, Davidem 7 fratribus, ita Theodoretus.

Petes, Quomodo dicit Jacob, se *agrum* illum Sichemiticum, quem hic dat Josepho, *tulisse de manu Amorrhæi in gladio et arcu suo*, seu vi et manu armata: cum id nusquam in Scripturis legatur; imo constet ex Genes. 33, v. 19 et Josue ult., v. 32, hunc agrum emptum fuisse a Jacob pretio centum agnorum? Respondeo. Emit primo hunc agrum: sed post stragem Sichimis illatam a Simeone et Levi, metu ne Chananæi factum ulciscerentur, agro excesserat Jacob; tunc invaserunt agrum Amorrhæi vicini, quos rediens Jacob vi et armis expulit, sibique postliminio vendicavit. Ita ex Andrea Masio, Perer., a Lapide, Bonfrer.

Ὁδοιπορικὸν totius peregrinationis Patriarchæ Jacob vide in Chronico nostro cap. 16.

(1) Sup. 31, v. 29; 32, v. 2; Matth. 18, v. 10.

(2) Jos. 15, v. 7; 16, v. 1. (3) Jos. 24, v. 8.

CAPUT XLIX.

Jacob moriturus, convocatis filiis suis, ordine singulis benedicit, prædicens quæ cujusque posteris bona malaque olim eventura sint. Jubensque se sepeliri in terra Chanaan, moritur, cum esset 147 annorum.

1. [1] Vocavit autem Jacob filios suos, et ait eis: Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.

2. Congregamini, et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum:

3. Ruben primogenitus meus, tu

℣. 3. *Ruben prior in donis, major in imperio* — Chaldæus sic habet, *tu Ruben accepturus eras partes tres*, scilicet *primogenituram, sacerdotium et regnum: sed quia secutus es* perversam *voluntatem tuam, sicut aqua effusa, non proficies, neque accipies portionem superexcrescentem.* Simile quid imprecatur Moyses eidem Rubeno, Deuter. 33: *Vivat Ruben, et sit parvus in numero.* Et satis patet ex publico lustro, tribum

(1) Deut. 33, vers. 6.

fortitudo mea, et principium doloris mei: prior in donis, major in imperio.

4. Effusus es sicut aqua, non crescas: [1] quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus.

5. Simeon et Levi fratres: vasa iniquitatis bellantia.

6. In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea: [2] quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum.

7. Maledictus furor eorum, quia pertinax: et indignatio eorum, quia dura: [3] dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel.

8. Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui.

9. [4] Catulus leonis Juda: ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum?

10. [5] NON AUFERETUR sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.

Ruben plerisque aliis tribubus etiam numero inferiorem fuisse: ut sileam de exili gloria, potentia et dignitate illius tribus.

Nota, tria illa quæ *Rubeno* debebantur ratione *primogenituræ* (ut probabo 1. Paralip. 5, v. 5) quibus ipse suo scelere se privavit, data fuisse partim Josepho, partim Judæ, partim Levi. Nam duplex hereditatis portio, seu duplex tribus cessit Josepho, ut dicitur 1. Paral. 5, v. 1, Sacerdotium accepit Levi, in nepote suo Aarone. Regnum quoad nobiliorem partem accepit Judas in Davide et posteris: quoad decem tribus, accepit Ephraim filius Josephi, in Jeroboamo, et aliis regibus Israel.

℣. 9. *Requiens accubuisti ut leo*, etc. — Alludit ad Davidem et Salomonem, qui, debellatis Ammonitis, Idumæis, omnibusque Syriæ populis, jam prædarum saturi quiescentes, erant nihilominus terrori omnibus; ut solet leo etiam dum humi profusus quiescit, terrori esse reliquis animalibus.

℣. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus*, id est tribus Juda simulatque regium sceptrum acceperit, tamdiu illud retinebit, *donec veniat qui mittendus est* — scilicet Messias, seu Christus, *cujus est regnum*, habet Chaldæus: *cui repositum est*, LXX verterunt, et legit S. Ignatius Martyr, Irenæus, Tertullianus, Ambrosius et quidam alii. Nam sceptrum seu imperium regium tam temporale, quam spirituale in universum orbem, Christo debebatur et reservabatur. Et spirituale quidem per se administravit; temporale solum per vicarios. Hanc vero vicariam operam in Judæa seu inter Hebræos dicit hic committendam tribui Judæ, non aliquo exiguo tempore (uti etiam tribui Ephraim in Jeroboamo ejusque posteris committenda fuit), sed usque ad ipsius Christi adventum in terras. Et ita contigit de facto. Nam David ejusque posteri ex Juda oriundi, Judæis titulo regio præfuerunt usque ad captivitatem Babylonicam. Ea durante, Jechonias etsi in carcere, rex erat tamen Judæorum, et eductus e carcere, etiam regiis usus est insignibus. Finita captivitate, ex eadem tribu Juda, titulo ducis præfuit Judæis Zorobabel [6] nepos Jechoniæ: et illum secuti alii ejusdem familiæ duces usque ad Machabæos seu Assamonæos: qui ad Herodem usque, sub quo natus est Christus [7], sceptrum Juda tenuerunt: quo jure, dicam [8] cum ad eos ventum fuerit. Et licet ex Levi essent oriundi, utpote sacerdotes et filii Aaron; tamen censebantur vocabanturque filii Juda, partim ob genus maternum, quod trahebant ex femore Judæ: partim ob insitionem et quasi adoptionem in tribum Juda. Nam a reditu e Babylone, licet plurimi ex aliis tribubus reverterentur in patriam, non tamen aut regno, aut loco, ut ante distincti fuerunt, sed uni regno et tribui Judæ adscripti, et quasi insiti: imperium vero in omnes uni soli tribui Judæ cessit, et penes hanc unam remansit: omnesque *Judæi* seu *tribus Judæ* vocati sunt. Unde

(1) Sup. 35, vers. 22; 1 Paral. 5, vers. 1.
(2) Sup. 34, vers. 25.
(3) Jos. 19, v. 1; 21, v. 6. (4) 1 Par. 5, v. 2.
(5) Joan. 1, vers. 45; Matth. 2, vers. 6.
(6) Aggæi 2, vers. 1. (7) Matth. 2, vers. 1.
(8) 1 Machab. 2, vers. 1.

11. Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum.

12. Pulciores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores.

13. Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem.

14. Issachar asinus fortis accubans inter terminos.

15. Vidit requiem quod esset bona: et terram quod optima: et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.

16. Dan judicabit populum suum sicut et alia tribus in Israel.

17. Fiat Dan coluber in via, ce-

licet in ea sceptrum tenuerint Machabæi ex alio sanguine prognati; quia tamen illud ipsum acceperunt ab eadem tribu Juda, et in eadem tribu, in quam insiti fuerant, et nomine ejusdem tribus (nam omnes vocabantur Judæi), vere proprieque dici poterat, sceptrum teneri a Juda, et a femore Judæ. Sicut olim Romani dicebantur imperare, licet non raro exteri, v. g. Trajanus Hispanus, et alii sceptrum apud illos tenerent. Et in Polonia, ubi haud ita pridem Stephanus Battoreus Transilvanus, et Henricus Valesius Gallus præfuerunt, et nunc præest Serenissimus Sigismundus non e Polonia, sed Suecia oriundus, dicitur tamen sceptrum Poloniæ teneri a Polonis, et gente Polonica: quia nempe et Stephanus et Henricus et Sigismundus electione statuum regni, insiti et incorporati sunt genti Polonicæ. Secus esset, si vel a Turca vel a Mosco tyrannice oppressi cogerentur alienigenam in regem accipere: tum enim censeretur sceptrum Polonis ereptum, et translatum ad exteros. Pari ergo ratione dicitur sceptrum regium Hebræorum mansisse in tribu Juda, usque ad Herodem, cujus anno 36 natus est Christus. Hic enim et alienigena erat, sc. Philisthæus Ascalonita, et per vim a Romanis intrusus in solium, ac proinde non poterat tum dici sceptrum teneri a tribu Juda. Ita Suarez 3 p., disp. 1, sect. 1, Pererius et alii.

Petes, Quare ergo, Herode intruso, non statim advenit Christus, sed expectavit

(1) Philo l. 2 de Temp.; Joseph. l. 17 Ant., c. 3.

(2) Vide præterea Petavium, Tournelium, Witassium, aliosque recentiores Theologos, Gravesonium, Schwarz. *Colleg. hist.*, t. 2, p. 212 seq., et Tourneminii dissertationem de Jacobæo vaticinio, quæ a viris doctis magni æstimatur, editam in Trevoltianorum PP. litterariis Ephemeridibus a. 1705, mense martio, et a. 1721, mense februario art. 13. Et Sherlockii dissertationem 3, tom. 2 *Usus et finium prophetiæ*, pag. 188 seqq.

usque ad annum Herodis 36. Respondeo, Quia fere toto illo tempore sola vi armis tenebat imperium Herodes, viventibus sub initium adhuc Aristobulo et Hyrcano legitimis regni heredibus: et his dolo et nequitia ipsius occisis, repugnabant nihilominus Herodi primores Judæorum cum Pharisæorum et sacerdotum principibus, detrectantes imperium Herodis, et suæ genti id vendicantes, atque ita sceptrum, quod re ipsa non poterant, saltem jure retinebant: donec tædio et malis artibus victi, ac resistendo lassi, tandem ultimo Herodis anno manus illi dedere, et fidei juramento dato acceptoque colla imperio ejus subdidere: atque ita sceptrum tribui Judæ subtractum, ipsimet ad alienigenam transtulere. Ita Philo et Josephus [1], et Emmanuel Sa. Sed jam paucis ante mensibus Christus in Betlehem natus fuerat [2].

Vide de his etiam Chronicon c. 45.

℣. 11. *Ligans ad vineam pullum suum*, etc. — Hæc et sequentia Chaldæus, Rabbini et plures alii litteraliter exponunt de fertilitate terræ, quæ obtigit tribui Judæ. Et vere alludit huc Patriarcha: sed principalius respicit ad Christum, illiusque passionem, et fructus inde toti orbi consecutos: ut eleganter exponunt Ambrosius, Augustinus et alii SS. Patres [3].

℣. 17. *Fiat*, pro *fiet*, *Dan coluber in via*, etc. — Chaldæus, Hebræi, Hieronymus [4], Procopius, Lyranus, Tostatus, Pererius, Delrio et quidam alii littera-

(3) Vers. 13. " *Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem.* Commercii felicitatem hic promitti intelligunt Malvenda, Masius, aliique. Conringius in *Parad. de Num. Hebr.*, cap. 4 negat, Hebræis fuisse cum exteris gentibus commercium: sed hac sententia nihil absurdius. Confer Soucietum in *Dissert. de Numer. Hebr.*, pag. 123 seqq. "

(4) In Quæst. Hebr.

rastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.

18. SALUTARE tuum expectabo, Domine.

19. Gad, accinctus præliabitur ante eum: et ipse accingetur retrorsum.

20. Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.

21. Nephthali, cervus emissus, et dans eloquia pulcritudinis.

22. [1] Filius accrescens Joseph, filius accrescens et decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum.

23. Sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula.

24. Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius per manus potentis Jacob: inde pastor egressus est lapis Israel.

25. Deus patris tui erit adjutor tuus, et omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ.

26. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus pa-

liter hæc applicant Samsoni: Irenæus, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, Gregorius et fere omnes antiqui Patres, explicant de Antichristo [2]. Et utrique recte, nam et uterque oriundus erat ex Dan: et simili genere stratagematum, puta nunc aperta vi instar colubri; nunc dolis et fallacia, ut cerastes, uterque usurus erat in suos hostes, sed Samsom in Philisthæos, Antichristus in Christianos. Danitæ quoque in expugnatione Lais, sive urbis Dan, quæ post Cæsarea Philippi dicta fuit, simili calliditate usi sunt, Judicum 18. Et utentur passim ministri et asseclæ Antichristi ad inducendum in fraudes universum mundum.

℣. 22. *Filius accrescens* — Id significat nomen *Joseph*. Nam pene in omnibus his benedictionibus alludit Jacob ad nomina singulorum propria, olim prophetice imposita, quibus quasi totidem litteris præsignabatur, qualis futura esset et indoles animi, et conditio terræ singularum tribuum: itemque heroum ex singulis nasciturorum: ac denique Christi Domini pene per singulos præfigurati, v. g. per Josephi ingentes opes, gloriam, et fortitudinem, formamque speciosissimam (adeo ut passim filiæ Ægypti ad eum contemplandum per compita discurrerent, fenestras murosque conscenderent, ut hic dicitur); præsignificabatur quales futuri essent Ephraimitæ et Manassæi, ac nominatim Josue, Debora, Jephte, Gedeon, Jair et Jeroboam cum aliis regibus decem tribuum (qui allegorice Christum et principes Ecclesiæ Christi præsignabant): nempe florentissimi opibus, splendore regni, robore et gloria: seu allegorice fide et cultu Dei Opt. Max.

Petes, Quomodo hæ *benedictiones*, dicuntur hic futuræ *in vertice Nazaræi*, id est, Josephi, a fratribus *separati*, et *coronati* (nam utrumque significat *Nazaræus*) *donec veniret* seu veniat *desiderium collium æternorum*, id est Christus, quem et angeli, et Patriarchæ, et orbis universus summo desiderio, si non omnes rationali, saltem naturali, tamquam redemptorem, dominum, gladium, deliciasque suas optabant et præstolabantur; cum constet, posteros Josephi, simul ac sceptrum regium in Jeroboamo adepti sunt, a vero Dei cultu ad vitulos aureos deflexisse; et diu ante natum Christum, puta 687 annis, a Salman-assare Assyriorum rege in perpetuum exilium abductos fuisse 4. Reg. 17? Respondeo, non esse absolutam promissionem, sed solum conditionatam, nempe, si et quamdiu Deo fidi permanserint. Adde, semper aliquos et sub idololatra Jeroboam, et sub tyranno Salmau-assare, et post reditum e Babylone cum tribu Juda, repertos fuisse e posteris Josephi, qui ut Deo fidi permanserunt, ita benedictionibus cælestibus, forsan et terrenis (nam Ephraimitæ ceteris dignitate præcellebant) usque ad adventum Christi abundarunt. Vide Ambrosium, Rupertum, Cajetanum et Lipomanum.

(1) 1 Paral. 5, vers. 1.
(2) Iren. l. 5, c. ult.; Ambr. de Benedict. Patriarch.; August. in Josue, q. 22; Theod. q. 109 in Gen.; Greg. 31 Mor., c. 18.

trum ejus: donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos.

27. Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia.

28. Omnes hi in tribubus Israel duodecim: hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis, benedictionibus propriis.

29. Et præcepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi,

30. Contra Mambre in terra Chanaan, [1] quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulcri.

31. Ibi sepelierunt eum, et Saram uxorem ejus: ibi sepultus est Isaac cum Rebecca conjuge sua: ibi et Lia condita jacet.

32. Finitisque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, et obiit: appositusque est ad populum suum.

℣. 27. *Benjamin lupus rapax*, etc. — Patuit in stupro Gabaa, et raptu virginum Siluntinarum, Judicum 19 et 20. Patuit in Saule ex Philisthæis et Amalecitis prædas agente: in Mardochæo et Esthere; qui omnes fuerunt de tribu Benjamin. Verissime clarissimeque, sed allegorice, completum fuit in Paulo Benjaminita, qui *mane* seu prius, puta ante conversionem, instar lupi rapacis infestabat christianos; *vespere* vero, id est post conversionem, cum esset apostolus et doctor Ecclesiæ, toti orbi pabulum sanæ doctrinæ verbo et exemplo suo distribuit. Ita Hieronymus [2], Ambrosius, Augustinus [3], Rupertus, Eucherius, Beda.

(1) Sup. 23, 17.
(2) In Quæst. Hebr.
(3) Serm. 1 de convers. S. Pauli.

CAPUT L.

Joseph cum fratribus et Ægyptiis plangit patrem defunctum, eumque sepelit in Hebron. Fratres ob admissum olim in se crimen pavidos consolatur. Et cum esset 110 annorum moritur; jubetque sua ossa in Chanaan deferri.

1. Quod cernens Joseph, ruit super faciem patris flens et deosculans eum.

2. Præcepitque servis suis medicis ut aromatibus condirent patrem.

3. Quibus jussa explentibus transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadaverum conditorum: flevitque eum Ægyptus septuaginta diebus.

4. Et expleto planctus tempore, locutus est Joseph ad familiam Pharaonis: Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis:

5. Eo quod pater meus adjuraverit me, dicens: En morior; in sepulcro meo [1] quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me. Ascendam igitur, et sepeliam patrem meum, ac revertar.

6. Dixitque ei Pharao: Ascende et sepeli patrem tuum sicut adjuratus es.

7. Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique majores natu terræ Ægypti:

8. Domus Joseph cum fratribus suis, absque parvulis et gregibus, atque armentis, quæ dereliquerant in terra Gessen.

9. Habuit quoque in comitatu currus et equites: et facta est turba non modica.

(1) Sup. 47, vers. 29.

10. Veneruntque ad Aream Atad, quæ sita est trans Jordanem: ubi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi, impleverunt septem dies.

11. Quod cum vidissent habitatores terræ Chanaan, dixerunt: Planctus magnus est iste Ægyptiis. Et idcirco vocatum est nomen loci illius, Planctus Ægypti.

12. Fecerunt ergo filii Jacob sicut præceperat eis:

13. Et portantes eum in terram Chanaan, [1] sepelierunt eum in spelunca duplici, [2] quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre.

14. Reversusque est Joseph in Ægyptum cum fratribus suis, et omni comitatu, sepulto patre.

15. Quo mortuo, timentes fratres ejus, et mutuo colloquentes: Ne forte memor sit injuriæ quam passus est, et reddat nobis omne malum quod fecimus,

16. Mandaverunt ei, dicentes: Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur,

17. Ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te: nos quoque oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Joseph.

18. Veneruntque ad eum fratres sui: et proni adorantes in terram dixerunt: Servi tui sumus.

19. Quibus ille respondit: Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?

20. [3] Vos cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, et salvos faceret multos populos.

21. Nolite timere: ego [4] pascam vos et parvulos vestros; consolatusque est eos, et blande ac leniter est locutus.

22. Et habitavit in Ægypto cum omni domo patris sui: vixitque centum decem annis. Et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. [5] Filii quoque Machir filii Manasse nati sunt in genibus Joseph.

23. Quibus transactis, [6] locutus est fratribus suis: Post mortem meam Deus visitabit vos, et ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam juravit Abraham, Isaac, et Jacob.

24. Cumque adjurasset eos atque dixisset: Deus visitabit vos: [7] asportate ossa mea vobiscum de loco isto:

25. Mortuus est, expletis centum decem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto.

℣. 10. *Planctu magno atque vehementi* — Solemnia Judæis in funere erant, Primo, jejunium usque ad vesperam. Secundo, fletus publicus. Tertio, virtutum defuncti commemoratio et laudes. Quarto, lamentationes, et lessi, voce et cantu lugubri; et hic proprie planctus dicebatur. Accedebat plerumque manuum complosio, pectoris et femoris percussio, vestium conscissio, injecti cineres capiti, saccus cilicinus, capita terræ allisa, etc. forte etiam corporis incisio cultellis, pilorum capitis evulsio adusque calvitium. Nam licet hæc postea Judæis inhibita fuisse videantur Levitici 19, v. 28 et Deuter. 14, vers. 1, jam tamen verosimile est, more et exemplo Ægyptiorum adhibita fuisse in tam celebri funere. Habent hæc fusius Herodotus et Diodorus Siculus [8], qui etiam varios modos condiendorum et sepeliendorum cadaverum apud Ægyptios fuisse docent, quibus incorrupta longissimo tempore asservabantur.

℣. 19. *Num Dei possumus resistere voluntati?* — Hoc jam supra explicui c. 45, v. 8.

Acta Jacobi patriarchæ et Josephi ordine annorum digesta, vide in Chronico c. 16. Genealogiam vero posterorum utriusque c. 46.

(1) Act. 7, v. 16. (2) Sup. 23, 16. (3) Sup. 45, v. 5. (4) Sup. 47, vers. 12. (5) Num. 32, 39. (6) Ad Hebr. 11, 12. (7) Ex. 13, 19; Jos. 24, 32. (8) Herod. in Euter.; Diod. l. 1.

LIBER EXODI

Narrat servitutem Ægyptiacam, ac tandem egressum Moysis et Hebræorum ex Ægypto versus terram promissam Chanaan. Complectiturque gesta annorum 145, puta a morte Josephi usque ad alterum annum ab egressu Hebræorum ex Ægypto. Ergo enarrat primo, Patriarcharum, seu filiorum Jacobi mortem, secutamque Hebræorum sub Ægyptiis oppressionem, duramque servitutem. Secundo, Moysis nativitatem, gesta et decem plagas Ægypti. Tertio, exitum Hebræorum ex Ægypto et transitum per mare rubrum, mersis in eo Ægyptiis. Quarto, manna cæleste, et in deserto copiam aquarum, et cædem Amalec. Quinto, legem datam in monte Sinai. Sexto, adorationem vituli, confractas legis tabulas, et idololatras trucidatos. Septimo, fabricam tabernaculi, et variam ejus supellectilem. Porro singularis in his omnibus eluxit divina providentia tum in exercendo, tuendo, erudiendoque populo suo; tum in hostibus illius domandis ac debellandis.

CAPUT I.

Novus Pharao immemor beneficiorum Josephi, timensque regno suo a nimia Hebræorum multiplicatione, modis omnibus conatur illos opprimere, primo, onerum impositione: sed exinde magis crescunt. Secundo, masculorum recens natorum suffocatione per obstetrices, sed hæ facinus detrectant. Tertio, demersione infantulorum in Nilum.

1. Hæc sunt nomina filiorum Israel [1] qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob: singuli cum domibus suis introierunt:

2. Ruben, Simeon, Levi, Judas,
3. Issachar, Zabulon et Benjamin,
4. Dan, et Nephthali, Gad, et Aser.
5. Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob, septuaginta: Joseph autem in Ægypto erat.

6. Quo mortuo, et universis fratribus ejus, omnique cognatione illa,

7. [2] Filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis, impleverunt terram.

℣. 7. *Quasi germinantes multiplicati sunt* — Hebraice, *ebullierunt, et in morem ranarum aut piscium maxima copia effusi sunt.* Insinuant hæc, partus Israelitarum non tantum sæpius repetitos, sed etiam cujusque partu plures fœtus fuisse. Quod in Ægypto familiare esse, notat Aristoteles [3], et ex illo A. Gellius [4] refert unam matrem quatuor partubus viginti proles enixam esse. Quinimmo et septenas proles uno partu in Ægypto editas sæpe fuisse, testes sunt Plinius [5], Solinus Polyhistor [6], Paulus Jurisconsultus [7], et Majolus [8]. Hinc nemini mirum videri debet, si spatio 210 annorum, quot effluxerunt ab ingressu Jacobi in Ægyptum, usque ad egressum filiorum ejus ex Ægypto, ita creverit numerus

(1) Gen. 46, vers. 8. (2) Act. 7, vers. 17.
(3) Lib. 7 Animal., cap. 4.
(4) Noct. Att. lib. 10, cap. 2.
(5) Lib. 7, cap. 3. (6) Cap. 2.
(7) In Pandect. lib. 1, tom. 4.
(8) Canicul. tom. 1, colloquio 3.

8. Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph:

9. Et ait ad populum suum: Ecce, populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est.

10. Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortasse multiplicetur: et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra.

11. Præposuit itaque eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus: ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom et Ramesses.

12. Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant:

13. Oderantque filios Israel Ægyptii, et affligebant illudentes eis:

14. Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, et lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur.

15. Dixit autem rex Ægypti obstetricibus Hebræorum, quarum una vocabatur Sephora, altera Phua,

16. Præcipiens eis: Quando obstetricabitis Hebræas, et partus tempus advenerit: si masculus fuerit, interficite eum: si femina, reservate.

17. Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares.

Israelitarum, ut facto lustro, ad bellum idonei a vigesimo anno ætatis et supra reperirentur sexcenta tria millia, quingenti, et quinquaginta; excepta tamen tota tribu Levi, et omnium tribuum feminis, infantibus ac pueris omnibus infra vigesimum annum, qui prædictum numerum armatorum [1] facile triplo superabant. Nam ut omittamus prodigiosam Ægypti fœcunditatem, et etiam extraordinariam Dei benedictionem promissam toties Patriarchis; potuit sola via naturali, spatio tot annorum, numerus Israelitarum, in tantam multitudinem, et etiam majorem, excrescere ut bene demonstrat Bonfrerius.

ỳ. 8. *Rex novus* — seu alterius novæ familiæ, ut ait Josephus [2]. Nam frequens erat apud Ægyptios regiarum familiarum mutatio, ut patet ex tot tamque diversis dynastiis, quas Eusebius et alii recensent. Cajetanus dicit, hunc fuisse natione *Assyrium*. Et probari videtur ex Isaiæ 52, v. 4, et Ezechiel 31, v. 3, ubi Pharao *Assur* vocatur.

Nota, Josephum a septimo rege 18 dynastiæ, nomine *Themosi* constitutum fuisse proregem Ægypti: sub hujus successore *Amenophi* hujus nominis in hac dynastia secundo, Jacobum cum suis omnibus in Ægyptum demigrasse: sub *Armesesmiamo*, seu *Ramesse* rege 17 ejusdem dynastiæ, cœptam esse persecutionem et duram servitutem Israelitarum. Et iste *novus* hic *rex* vocatur, et inter alia novam de nomine suo urbem *Ramessen* [3] ab Israelitis construi jussit. Hujus diuturnum fuit imperium, ad annos circiter 66. *Amenophis* vero ejus nominis tertius, successor *Ramessis*, is est qui plagis Ægyptiacis punitus, tandem in mari rubro submersus est. Ita Gerardus Mercator ex Manethone et Beroso apud Josephum.

Petes, quando cœperit, et quot annos durarit hæc dura servitus Israelitarum in Ægypto? Respondeo, Certum est, cœpisse ante ortum Moysis, qui fuit natus anno octogesimo [4] ante egressum ex Ægypto. Certum quoque videtur, non diu ante ortum Moysis cœpisse, saltem non totis viginti annis: nam cœpit, mortua demum *omni cognatione illa* [5] Josephi, quæ ingressa fuerat Ægyptum cum Jacob: atqui Caath filius Levi, qui inter hos fuit, facile ad id tempus supervixit [6] ut alios omittam, Gerardus Mercator vult cœpisse anno quinto ante ortum Moysis: Epiphanius, Genebrardus, Pererius, et Hebræi, septimo anno, quo eodem nata est Maria soror Moysis, quæ et inde sortita sit nomen suum, quod amaritudinem significat.

Vide in Chronico c. 17.

(1) Armatos exiisse dicitur Exodi 13, vers. 18.
(2) Lib. 2 Antiq. (3) Exodi 1, vers. 11.
(4) Exodi 7, vers. 7, et Deut. ult., vers. 7.
(5) Exodi 1, vers. 6. (6) Exodi 6, vers. 16.

18. Quibus ad se accersitis, rex ait: Quidnam est hoc quod facere voluistis, ut pueros servaretis?

19. Quæ responderunt: Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, et priusquam veniamus ad eas, pariunt.

20. Bene ergo fecit Deus obstetricibus: et crevit populus, confortatusque est nimis.

21. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.

22. Præcepit ergo Pharao omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite: quidquid feminini reservate.

℣. 21. *Ædificavit eis domos* — Id est, auxit earum familias non solum opibus, sed et prole copiosa. Proles enim sunt quasi lapides vivi, quibus parentum domus seu familiæ construuntur. Sic v. 1 dicebantur filii Jacob *ingressi Ægyptum singuli cum domibus suis.* Quin et Aristoteles [1] definit, domum esse œconomicam communicationem ex viro, uxore, filiis, servis, supellectili et jumentis [2].

Nota, non placuisse Deo, neque remunerari hic mendacium obstetricum, sed solam pietatem Hebræis exhibitam; nam erant hic varii actus boni, prorsus distincti ab illo mendacio. Quos S. Gregorius et Hugo putant solum ex naturali affectu profectos fuisse: sed S. Hieronymus, S. Thomas, Rupertus et Pererius volunt etiam ex supernaturali timore et amore Dei promanasse, ideoque illas his actibus etiam cælum promeruisse.

(1) Lib. 2 Polit., cap. 1.

(2) Shuckfordius *Hist. Orbis sacr. et prof.* tom. 2, p. 208 edit. Paris. a 1752, hunc et superiorem versiculum ita legit, atque interpretatur: *Et crevit populus, confortatusque est nimis: et* id factum, *quia timuerunt obstetrices Deum* (idest quia mares ab obstetricibus Deum timentibus non fuerant occisi). *Et* Pharao *ædificavit eis* (Ismaelitis) *domos* (ut scilicet congregati quum essent in certas domos, difficile filios recens natos occultarent) *præcepitque omni populo.* Neque miretur quispiam, Pharaonis nomen a Shuckfordio verbo *ædificavit* præponi, rectus enim casus, qui duo verba adficit, in Hebræo post alterum verbum collocatur. Non negavero et ingeniosam esse hancce interpretandi rationem, et omnem amovere difficultatem planissimumque reddere sensum. Addo præterea, quæ vers. 21 in vulgata ad obstetrices referuntur, si revera ad obstetrices spectant, debuisse potius post illa verba vers. 20, *bene ergo fecit Deus obstetricibus* collocari; quæ enim sequuntur *et crevit populus* et sensum turbant, et longe melius ante vers. 22 ponerentur. At quominus huic interpretationi adsentiar, illud facit, Shuckfordium multa hic sumere, quæ sacrorum librorum auctoritatem vel evertunt, vel certe infirmant. Sumit enim ante LXX Interpretes, qui eamdem quam nos, in hebræis codicibus versuum divisionem legere, ab imperito Amanuensi accentus, qui versuum finem antiquitus designabant, fuisse perperam collocatos atque hinc versuum quam habemus, minus aptam distributionem fuisse in Hebræos libros invectam. Id autem viam aperire sacro textui ad interpretis cujusque ingenium sententiasque non tam sanando, quam corrumpendo nemo non videt.

CAPUT II.

Moyses nascitur, in Nilo exponitur, a filia Pharaonis assumitur et adoptatur. Occidit Ægyptium: fugit in Madian: ubi ducta Sephora gignit Gersam et Eliezer.

1. Egressus est post hæc vir de domo Levi: [1] et accepit uxorem stirpis suæ.

2. Quæ concepit, et [2] peperit filium: et videns eum elegantem, abscondit eum tribus mensibus.

3. Cumque jam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam bitumine ac pice: posuitque intus infantulum, et exposuit eum in carecto ripæ fluminis,

4. Stante procul sorore ejus, et considerante eventum rei.

(1) Infr. 6, v. 20. (2) Ad Hebr. 11 v. 23.

5. [1] Ecce autem descendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine: et puellæ ejus gradiebantur per crepidinem alvei. Quæ cum vidisset fiscellam in papyrione, misit unam e famulabus suis: et allatam

6. Aperiens, cernensque in ea parvulum vagientem, miserta ejus, ait: De infantibus Hebræorum est hic.

7. Cui soror pueri: Vis, inquit, ut vadam, et vocem tibi mulierem hebræam, quæ nutrire possit infantulum?

8. Respondit: Vade. Perrexit puella, et vocavit matrem suam.

9. Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum istum, et nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, et nutrivit puerum: adultumque tradidit filiæ Pharaonis.

10. Quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum.

11. In diebus illis postquam creverat Moyses, [2] egressus est ad fratres suos: viditque afflictionem eorum, et virum ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis.

12. Cumque circumspexisset huc

℣. 5. *Fiscellam*, id est arculam, *in papyrione* — Id est, in parva cymba ex papyro efformata. Ægyptii enim ex *papyro* arbore tum naves et cymbas conficiunt, teste Herodoto, Plinio, Lucano, Theophrasto [3]: tum etiam chartam, tenuiore arboris filura per folia acu diducta, teste Plinio [4] eodem. Et hinc charta nostra, quæ non ex arbore, sed ex linteis contusis confecta est, propter similem tamen usum, papyrus vocatur. Ergo cymbæ vel arculæ *scirpeæ*, id est ex scirpo seu junco palustri contextæ, sed *bitumine ac pice* oblitæ, impositus erat infantulus, atque ita *flumini* Nilo expositus, sed *in carecto*, id est, in loco caricibus et arundinibus, seu juncis consito, ut fere fit ad ripas fluminum. Nam si arcula a ripa solvisset, a flumine in altum abrepta et eversa fuisset.

℣. 10. *Vocavit nomen ejus Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum* — Lingua enim Ægyptiaca *mos* aquam, *is* vel *ises* servatum significat. Ita Philo [5], Joseph, Rabanus, Clemens Alexandrinus [6] et Procopius. Sed eadem vox Ægyptiaca videtur etiam in Hebræum idioma translata; nam significat *eductum ex aquis* [7]. Et quasi prognostice designabat, filios Israel per hunc Moysen ex aquis miseriarum Ægypti, itemque maris rubri olim eductum iri. Hunc *in locum filii adoptavit filia Pharaonis*, quam Artapanus apud Eusebium [8] vocat *Merin:* Josephus [9] *Thermuth.* Addit Philo, eam unicam fuisse Pharaonis heredem, et sine prole, licet diu nuptam. Unde et Moyses regio more in aula educatus fuit, et, ut ait S. Stephanus, Actorum 7, *eruditus omni sapientia Ægyptiorum*, puta Geometria, Arithmetica, Astrologia, Musica, secretioribusque Ægypti (quæ hieroglyphicis notis continebantur) et politicis artibus. Addit Philo, etiam omnibus scientiis Chaldæorum, Assyriorum et Græcorum instructum fuisse, utpote designatum regni successorem. Nimirum ita disponente divina providentia, ut a puero artes omnes moresque regios et regendi populi praxin addisceret. Sed licet in aula educaretur, tamen a puero in veri Dei cultu per piam matrem instructus, aulicis deliciis aut vitiis effeminari se passus non est, aut a virtute divelli, multo minus ad idololatriam abduci.

℣. 11. *In diebus illis* — anno Moysis 40, ut asserit S. Stephanus [10] Actor. 7, *percussum*, id est occisum, *Ægyptium* clam arena contexit.

Petes, Quo jure occidit Ægyptium? Nullo, inquit S. Aug. contra Faustum. Sed postea [11] re melius expensa, jure, inquit, divino, et potestate jam tum Moysi

(1) Act. 7, vers. 21. Ad Hebr. 11, vers. 23.
(2) Ad Hebr. 11, vers. 24.
(3) Plin. l. 7, c. 56; Lucan. l. 4; Theophrast. l. 4 hist. Plantar.
(4) Lib. 13, cap. 11.
(5) Lib. 1 de Vita Mosis.
(6) Clem. lib. 1 Strom.
(7) Vide Bonfrerium.
(8) Euseb. de Præp. Evang. l. 9, c. 4.
(9) Jos. et Philo supra.
(10) Act. 7, vers. 23.
(11) Qq. super Exod., cap. 2.

atque illuc, et nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.

13. Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes; dixitque ei qui faciebat injuriam: Quare percutis proximum tuum?

14. Qui respondit: Quis te constituit principem et judicem super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moyses, et ait: Quomodo palam factum est verbum istud?

15. Audivitque Pharao sermonem hunc, et quærebat occidere Moysen: qui fugiens de conspectu ejus, moratus est in terra Madian, et sedit juxta puteum.

16. Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam: et impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui.

17. Supervenere pastores, et ejecerunt eas: surrexitque Moyses, et defensis puellis, adaquavit oves earum.

18. Quæ cum revertissent ad Raguel patrem suum, dixit ad eas: Cur velocius venistis solito?

19. Responderunt: Vir ægyptius liberavit nos de manu pastorum: insuper et hausit aquam nobiscum, potumque dedit ovibus.

20. At ille: Ubi est? inquit. Quare dimisistis hominem? vocate eum ut comedat panem.

21. Juravit ergo Moyses quod habitaret cum eo. [1] Accepitque Sephoram filiam ejus uxorem:

22. Quæ peperit ei filium, quem vocavit Gersam, dicens: Advena fui in terra aliena. Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis.

23. Post multum vero temporis mortuus est rex Ægypti: et ingemiscentes filii Israel, propter opera vociferati sunt: ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.

24. Et audivit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis quod pepigit cum Abraham, Isaac, et Jacob.

25. Et respexit Dominus filios Israel, et cognovit eos.

collata a Deo, a quo vindex et liberator populi Israelitici constitutus fuerat. Et satis constabat id Moysi, sed incertum an externa et sensibili revelatione, an vero sola inspiratione seu suggestione interna. Certe S. Stephanus Act. 7, diserte ait, *existimasse* Moysen constare Judæis, *quod Deus per manum ipsius daret salutem illis; licet illi id non intellexerint.* Ita S. Thomas [2], Rupertus, Tostatus, Cajetanus [3]. Addit Josephus et Artapanus, Moysen ante fugam ex Ægypto, præfuisse regiis exercitibus, et bellum contra Æthiopes feliciter gessisse. Fides sit penes auctores.

(1) Infr. 18, vv. 2, 3; 1 Paral. 23, vers. 15.
(2) 2. 2. q. 60, a. 6 ad 2.
(3) Confer Bollandianos T. 2 Sept. in *Comm. de S. Moyse*, § 4, n. 31 seq. Vide Bolland. in *cit. Com.* § 6, et Gilletum in l. 2 *Antiq. Judaic.*, adnot. 9.

CAPUT III.

Moyses pascens oves soceri sui Jethro, vocatur a Deo ex rubo ardente, sed incombusto; jubeturque adire Pharaonem, et ab eo missionem Hebræis deposcere.

1. Moyses autem pascebat oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian: cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.

2. [1] Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: et

(1) Act. 7, vers. 30.

videbat quod rubus arderet, et non combureretur.

3. Dixit ergo Moyses: Vadam, et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.

4. Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, et ait: Moyses, Moyses. Qui respondit: Adsum.

5. At ille: Ne appropies, inquit, huc: solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.

6. Et ait: [1] Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum.

7. Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi propter duritiam eorum qui præsunt operibus:

8. Et sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, et educam de terra illa in terram bonam, et spatiosam, in terram quæ fluit lacte et melle, ad loca Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi.

9. Clamor ergo filiorum Israel venit ad me: vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur.

10. Sed veni, et mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israel, de Ægypto.

11. Dixitque Moyses ad Deum: Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel de Ægypto?

12. Qui dixit ei: Ego ero tecum: et hoc habebis signum, quod miserim te: Cum eduxeris populum

℣. 2. *Videbat quod rubus arderet* — nempe vero et materiali igne per angelum producto ex vicino aere. Concurrebatque Deus cum hoc igne ut luceret, seseque diffunderet, sed non ut ureret, afflaret aut exsiccaret rubum, uti etiam contigit in fornace Babylonica. A *rubis* vero in eo monte frequentibus mons ipse vocatus est *Sinai*, quod hebraice *rubum* siguificat. Vocatur et *Horeb*, id est siccitas, solitudo, propter loci solitudinem et ariditatem. Erat enim unus idemque mons, sed duo ejusdem montis juga, in radice cohærentia diversis illis nominibus distinguebantur. Ita Adrich. et Serar. [2].

Petes, quid litteraliter sibi voluit rubus ardens incombustus? Respondeo, igne significabatur tyrannis Ægyptiaca: rubo Israelitæ; qui divina ope illæsi, imo splendidiores ex hoc igne egressuri essent, sed antea spinis suis, id est decem plagis, puncturi et perdituri Ægyptum. Ita Philo et Theodor.

Allegorice, ignis in rubo est Verbum Dei in humana carne, inquit S. Gregor. [3] et Cyrillus. Vel in utero Virginis illæsa virginitate, ut Theodoretus et S. Bernardus [4]. Moraliter, flammæ persecutionum aut tentationum, etiam internæ concupiscentiæ, non lædunt justos, sed clariores reddunt. Ita Pererius.

℣. 5. *Solve calceamentum* — Idem injunctum Josue c. 5. Nempe, ut majori veneratione ad locum illum accederet, quem Deus jam sua præsentia sanctificarat. Ita Eusebius, Hugo, Rupertus, Cajetanus. Hinc verisimiliter mos ille ad Judæos, aliasque gentes emanavit, pedes excalceandi in ingressu templi. Quod de sacerdotibus Judæorum certo constat ex c. 30 et 40 Exodi. De Pythagoræis quoque et Spartiatis, Turcis, aliisque Saracenis, de Æthiopibus etiam christianis, testes sunt Theodoretus, Procopius, Josephus, Hermippus, et alii earumdem gentium scriptores. Moraliter vero significatur, eum, qui per orationem vel contemplationem vult accedere ad Deum, debere et maxima reverentia id facere, et carnales omnes curas cogitationesque ac mundi affectus seponere. Ita Nazianzenus, Epiph., Nyssenus, Procop., Bern. [5]

℣. 12. *Et hoc habebis signum* — Particula *hoc* probabilius non demonstrat

(1) Matth. 22, v. 32; Marc. 12, v. 26; Luc. 20, v. 37.
(2) Adrich. de Locis SS.; Serar. lib. 1 Josue, cap. 4. q. 4.
(3) Lib. 28 Moral., cap. 2.
(4) Serm. de B. Virgine et Verbis Apoc. 12.
(5) Nazianz. Orat. 2 de Pascha; Epiph. in calce Anchorati; Nyssen. lib. de Vita Moysis; Procop. hic; Bern. super Apoc. 12 *Signum magnum.*

meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.

13. Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen ejus? Quid dicam eis?

14. Dixit Deus ad Moysen: EGO SUM QUI SUM. Ait: Sic dices filiis Israel: QUI EST, misit me ad vos.

15. Dixitque iterum Deus ad Moysen: Hæc dices filiis Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem.

16. Vade, et congrega seniores Israel, et dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, dicens: Visitans visitavi vos, et vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto.

17. Et dixi ut educam vos de afflictione Ægypti, in terram Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi, ad terram fluentem lacte et melle.

18. Et audient vocem tuam: ingredierisque tu, et seniores Israel, ad regem Ægypti, et dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocavit nos; ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro.

19. Sed ego scio quod non dimittet vos rex Ægypti ut eatis, nisi per manum validam.

20. Extendam enim manum meam,

hic sequentia, *immolabis*, vel, ut est in Hebræo, Chaldæo et Græco, immolabitis, *in monte hoc*; quia signum hic datur missionis divinæ ad populum Israeliticum et ad Pharaonem: quod certe præcedere vel saltem comitari debuit missionem, non subsequi. Sed demonstrat præcedentia, nempe *ego ero tecum*, id est, singulari assistentia ubique adero tibi, nempe per varia prodigia et miracula, quibus facile constabit omnibus, te fuisse a me missum.

y. 14. *Ego sum qui sum* — q. d. Nomen proprium discriminans nullum habeo, sed quod generalissimum est *ens* seu *esse*, mihi uni revera est proprium, nam ego solus a meipso, seu vi meæ solius essentiæ sum: ac proinde necessario et essentialiter, et infinite et illimitate, idque ab æterno, et immutabiliter: a quo, et ex quo, tamquam immenso essentiæ pelago, et primo essendi principio, cetera omnia creata entia promanarunt. Unde *esse* meum infinitis modis excellentius est *esse* omnium etiam nobilissimarum creaturarum, et harum *esse* respectu mei *esse*, potius censetur *non esse*, quam *esse*, quippe quæ ex se nihil sint: et sine me numquam essent; et licet acceperint jam *esse*, non tamen permanerent vel ad momentum, si manum meam conservatricem aliquando retraherem. Sed et hoc ipsum *esse* quod a me habent, quantillum, quam limitatum est, respectu mei *esse* quod in omni genere entis infinitum et illimitatum est! Nonne unaquæque creatura pro uno *esse* parvulo quod habet, infinita habet *non esse* aliarum rerum, quæ ipsa non est? Ergo *sic dices filiis Israel* de nomine meo te interpellaturis: *Qui est*, scilicet modo tam excellenti, tam sublimi, quo nulla creatura est, aut esse potest, qui est ipsummet *esse* tum suum formale, tum causale rerum omnium: qui est plenitudo et universitas totius *entis essentiæ et existentiæ*, misit me ad vos.

Nota. Ex quo Deus hoc sibi novum nomen indidit, cum antea non nisi *Elohim* diceretur, exinceps semper in Scripturis vocatur nomine tetragrammato *Jehova* vel *Jiheve* [1], quod et re, significatione, et radice, et litteris, et punctis idem esse quod *sum qui sum*, demonstrant Genebrardus, Bellarm. [2], Angelus Canisius [3], Galatinus, et Arias Montanus [4], a Lapide, Bonfrerius et alii [5].

(1) יהוה vel יהוה.
(2) Genebr. et Bellarm. in Psalm. 33
(3) De Locis Hebr. (4) Libro de Joseph.
(5) Præsertim vero Soucietus in egregia dissert.: *De nomine Dei Jehovah*, p. 232 seq. Confer etiam Shuckfordium t. 2 *Hist. Orbis sac. et prof.*, p. 368.

et percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum: post hæc dimittet vos.

21. Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis: [1] et cum egrediemini, non exibitis vacui:

22. Sed postulabit mulier a vicina sua et ab hospita sua, vasa argentea et aurea, ac vestes: ponetisque eas super filios et filias vestras, et spoliabitis Ægyptum.

(1) Infr. 11, vers. 2, et 12, vers. 36.

CAPUT IV.

Quod Moyses a Deo mittatur, triplici miraculo comprobatur, puta conversione virgæ in colubrum, manu divinitus leprosa et sanata, mutataque aqua in sanguinem. Porro missioni huic post multam tergiversationem acquiescit tandem Moyses, reditque in Ægyptum cum uxore et filiis. Sed, quia unus necdum circumcisus erat, mortis adit periculum: quod evadit, circumciso filio. Reduci fratri in Ægyptum occurrit Dei monitu Aaron.

1. Respondens Moyses, ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.

2. Dixit ergo ad eum: Quid est quod tenes in manu tua? Respondit: Virga.

3. Dixitque Dominus: Projice eam in terram. Projecit, et versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses.

4. Dixitque Dominus: Extende manum tuam, et apprehende caudam ejus. Extendit, et tenuit, versaque est in virgam.

5. Ut credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob.

6. Dixitque Dominus rursum: Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis.

7. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, et protulit iterum, et erat similis carni reliquæ.

8. Si non crediderint, inquit, tibi neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis.

9. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam: sume aquam fluminis, et effunde eam super aridam, et quidquid hauseris de fluvio, vertetur in sanguinem.

10. Ait Moyses: Obsecro, Domine,

℣. 4. *Apprehende caudam ejus* — Hæc tria portenta, colubri, lepræ, et sanguinis primario et per se adhibebantur ad probandum populo et Pharaoni, hanc Moysis missionem a Deo proficisci, ipsumque jussu Dei postulare quæ postulaturus veniebat. Simul tamen mystice designabant statum Israelitarum in Ægypto, et miseram eorumdem afflictionem, ac postliminio redemptionem. Nam virga seu sceptro significabatur primo, Josephi prorogis dominatio, et florens Israelitarum in Ægypto status. Secundo, dejectione virgæ in terram, et in colubrum conversione, dejectio eorumdem et afflictio. Denique restitutione ejusdem virgæ ex colubro, rediviva libertas, potentia et florentior status designabatur. Simili modo per leprosam manum, et aquam sanguineam, misera illa et crudelia tempora figurabantur, quibus et valetudinem, et vires, adeoque et succum, et sanguinem Israelitarum tyrannice exhauriebant Ægyptii, etiam infantulos aquis præfocantes; quam crudelitatem Deus aqua in sanguinem mutata portendit, se nunc acriter vindicaturum. Ita Lyranus, Tostatus, Pererius ex Origene et S. Augustinus.

non sum eloquens ab heri et nudiustertius: et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum.

11. Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et cæcum? nonne ego?

12. Perge igitur, [1] et ego ero in ore tuo: doceboque te quid loquaris.

13. At ille: Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es.

14. Iratus Dominus in Moysen, ait: Aaron frater tuus levites, scio quod eloquens sit: ecce ipse egreditur in occursum tuum, vidensque te lætabitur corde.

15. Loquere ad eum, et pone verba mea in ore ejus: et ego ero in ore tuo, et in ore illius, [2] et ostendam vobis quid agere debeatis.

16. Ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.

17. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.

18. Abiit Moyses, et reversus est ad Jethro socerum suum, dixitque ei: Vadam, et revertar ad fratres meos in Ægyptum, ut videam si adhuc vivant. Cui ait Jethro: Vade in pace.

19. Dixit ergo Dominus ad Moysen in Madian: Vade, et revertere in Ægyptum; mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam.

20. Tulit ergo Moyses uxorem suam, et filios suos, et imposuit eos super asinum, reversusque est in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua.

21. Dixitque ei Dominus revertenti in Ægyptum: Vide ut omnia ostenta quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum.

22. Dicesque ad eum: Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Israel.

23. Dixi tibi: Dimitte filium meum ut serviat mihi; et noluisti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.

24. Cumque esset in itinere, in diversorio occurrit ei Dominus, et volebat occidere eum.

25. Tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, et ait: Sponsus sanguinum tu mihi es.

℣. 13. *Mitte quem missurus es* — Justinus Martyr, Cyprianus, Tertullianus, Basilius, Cyrillus, Rupertus, et plerique veterum Patrum, hæc de Messia seu Christo intelligunt, et recte: quia ipse aptissimus erat illi rei, et ab æterno designatus populi liberator. Phrasis tamen Hebraica non aliud exigit, quam ut quivis demum alius magis ad id idoneus pro Moyse mitti postuletur. Et favet versio LXX et Vatabli: et sic exponunt Tostatus, Cajetanus, Oleaster.

℣. 16. *Tu eris ei in his quæ ad Deum pertinent* — Hebraice, *tu eris ei in Deum*. Id est, volo ut Aaron te consulat quid et quo tempore loqui et agere debeat, et tibi quasi Deo obediat: nam tibi ego, non vero illi, immediate pandam voluntatem meam.

℣. 25. *Circumcidit præputium filii sui* — Nempe, monitu angeli cognorat Sephora, ideo Deum iratum esse Moysi, quod filium suum juniorem hucusque, itineris forte prætextu, circumcidere neglexisset. Nam dedecebat, legislatorem futurum, in lege [3] servanda videri segniorem. Ergo periculo mariti territa Sephora, cultello lapideo, qui fors ad manum erat, arrepto, circumcidit filium, resectumque præputium humi ante Moysen abjecit.

Tetigitque pedes ejus, et ait: Sponsus sanguinum tu mihi es — q. d.: Mi marite, ego te morti destinatum ab angelo, redemi sanguine filii mei: atque ita jam secundo te mihi sponsum coemo: nam nuptiæ solebant olim coemptione fieri tum apud Hebræos, tum apud Romanos. Ita Tertullianus, Isidorus Pelusiota, Rupertus, Lyranus, Tostatus, Cajetanus, Perer.

(1) Matth. 10, vers. 20. (2) Infr. 7, vers. 2. (3) Genes. 17, vers. 10.

26. Et dimisit eum postquam dixerat: Sponsus sanguinum, ob circumcisionem.

27. Dixit autem Dominus ad Aaron: Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obviam ei in montem Dei, et osculatus est eum.

28. Narravitque Moyses Aaron omnia verba Domini quibus miserat eum, et signa quæ mandaverat.

29. Veneruntque simul, et congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel.

30. Locutusque est Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysen: et fecit signa coram populo.

31. Et credidit populus. Audieruntque quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem illorum: et proni adoraverunt.

CAPUT V.

Moyses cum Aarone adeunt Pharaonem, petuntque ut Hebræis permittat ire sacrificatum in deserto. Sed Pharao preces illorum contemnit, graviusque hoc nomine premit Hebræos: qui eam ob causam cum Moyse expostulant.

1. Post hæc ingressi sunt Moyses et Aaron, et dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto.

2. At ille respondit: Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel? nescio Dominum, et Israel non dimittam.

3. Dixeruntque: Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Domino Deo nostro: ne forte accidat nobis pestis aut gladius.

4. Ait ad eos rex Ægypti: Quare, Moyses et Aaron, sollicitatis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra.

5. Dixitque Pharao: Multus est populus terræ: videtis quod turba succreverit: quanto magis si dederit eis requiem ab operibus?

6. Præcepit ergo in die illo præfectis operum et exactoribus populi, dicens:

7. Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius: sed ipsi vadant et colligant stipulas.

8. Et mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quidquam: vacant enim, et idcirco vociferantur, dicentes: Eamus, et sacrificemus Deo nostro.

9. Opprimantur operibus, et expleant ea: ut non acquiescant verbis mendacibus.

10. Igitur egressi præfecti operum et exactores, ad populum dixerunt: Sic dicit Pharao: Non do vobis paleas:

11. Ite, et colligite sicubi invenire poteritis: nec minuetur quidquam de opere vestro.

12. Dispersusque est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.

13. Præfecti quoque operum instabant, dicentes: Complete opus

¥. 12. *Ad colligendas paleas* — In Hebræo, Chaldæo et Græco, *ad colligendas stipulas pro paleis*, quæ comminutæ, et luto commistæ reddebant duriores et firmiores lateres. Nam ubi figularis et pinguior est terra, minimeque porosa, ut in Ægypto, nisi paleas seu stipulas ejusmodi commisceas, quibus lutum porosius fiat; non poterit ferre vim ignis; sed magno crepitu lateres in frusta dis-

vestrum quotidie, ut prius facere solebatis quando dabantur vobis paleæ.

14. Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus: Quare non impletis mensuram laterum sicut prius, nec heri, nec hodie?

15. Veneruntque præpositi filiorum Israel, et vociferati sunt ad Pharaonem, dicentes: Cur ita agis contra servos tuos?

16. Paleæ non dantur nobis, et lateres similiter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, et injuste agitur contra populum tuum.

17. Qui ait: Vacatis otio, et idcirco dicitis: Eamus, et sacrificemus Domino.

18. Ite ergo, et operamini: paleæ non dabuntur vobis, et reddetis consuetum numerum laterum.

19. Videbantque se præpositi filiorum Israel in malo, eo quod diceretur eis: Non minuetur quidquam de lateribus per singulos dies.

20. Occurreruntque Moysi et Aaron, qui stabant ex adverso, egredientibus a Pharaone:

21. Et dixerunt ad eos: Videat Dominus et judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et præbuistis ei gladium, ut occideret nos.

22. Reversusque est Moyses ad Dominum et ait: Domine, cur afflixisti populum istum: quare misisti me?

23. Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem ut loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum, et non liberasti eos.

silient et diffringentur. Ita Philo, Lyranus, Tostatus, Oleaster.

Tropologice, quomodo Pharao, id est dæmon, suos occupet paleis et luto, et terrenarum rerum sordibus, ex SS. Gregorio, Augustino, Bernardo; vide Perer.

℣. 21. *Videat Dominus et judicet* — Formula est exprobrandi; quasi dicant: Deus qui omnia videt, ob injuriam quam nobis facitis postulando missionem a Pharaone, vos puniat et castiget.

Quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone — Id est, qui antea grati eramus Pharaoni, jam odiosos et execrabiles illi fecistis.

Et præbuistis ei gladium ut occideret nos — Id est, importuna vestra solicitatione dedistis regi occasionem nos durius affligendi.

Nota, cum Deus aliquid prædicit, aut promittit futurum, fere solet quædam mox subjungere contraria, quæ spem futuri videantur quasi tollere: idque ut nostram probet constantiam, et acuat fiduciam: ac re ipsa discamus, cum vehementissimæ ingruunt tentationes, tum proximam esse salutem et liberationem; ut hic magno suo bono experti sunt Israelitæ.

CAPUT VI.

Deus de novo animos addit Moysi, eique revelat nomen suum Jehova. Retexitur genealogia Ruben, Simeon et Levi usque ad Moysen et Aaron.

1. Dixitque Dominus ad Moysen: Nunc videbis quæ facturus sim Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, et in manu robusta ejiciet illos de terra sua.

2. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Ego Dominus

3. Qui apparui Abraham, Isaac, et Jacob, in Deo omnipotente: et nomen meum ADONAI non indicavi eis.

℣. 3. *Apparui Abraham, Isaac et Jacob, in Deo omnipotente* — Id est, declaravi patribus tuis me esse omnipotentem, quando nempe tantis benedictionibus illos cumulavi, et quantis volui opibus ditavi. Sed tamen familiarius me tibi aperui, cum

4. Pepigique fœdus cum eis, ut darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt advenæ.

5. Ego audivi gemitum filiorum Israel, quo Ægyptii oppresserunt eos: et recordatus sum pacti mei.

6. Ideo dic filiis Israel: Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, et eruam de servitute: ac redimam in brachio excelso, et judiciis magnis.

7. Et assumam vos mihi in populum, et ero vester Deus: et scietis quod ego sum Dominus Deus vester qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum:

8. Et induxerim in terram, super quam levavi manum meam, ut darem eam Abraham, Isaac, et Jacob: daboque illam vobis possidendam, ego Dominus.

9. Narravit ergo Moyses omnia filiis Israel: qui non acquieverunt ei, propter angustiam spiritus, et opus durissimum.

10. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

11. Ingredere, et loquere ad Pharaonem regem Ægypti, ut dimittat filios Israel de terra sua.

12. Respondit Moyses coram Domino: Ecce filii Israel non audiunt me: et quomodo audiet Pharao, præsertim cum incircumcisus sim labiis?

13. Locutusque est Dominus ad Moyses et Aaron, et dedit mandato Magno, qui licet offensus Hebræis, hac tamen majestate divini nominis perculsus, humi se prostravit et pronus adoravit, teste Josepho [2]. Idem nomen dicebatur *ineffabile,* non quod nemo id effari potest (nam et Moyses coram Hebræis, et coram Pharaone, uti jussus erat, ita effatus est); sed quia religionis causa, ab eo quasi sacratissimo, temere effando abstinebatur: et nonnisi in templo, cum pontifex populo benediceret [3], et cum Sanctum sanctorum ingrederetur [4], publice pronunciari solebat; teste eodem Josepho et Philone, et S. Hieron. [5], qui decem diversa Dei nomina pulcre explicat et distinguit.

℣. 12. *Incircumcisus labiis* — Id est, rudis, impeditus labiis et lingua, in loquendo rusticus, infacundus, et ad persuadendum ineptus. Metaphorice enim Hebræi vocabant *incircumcisos lingua, corde, mente, auribus* [6], quotquot horum aliquo vitio aut defectu aut excessu quasi callo laborabant.

nomen meum mihi maxime proprium *Adonai* (hebraice est *Jehova*) quod numquam illis *indicavi,* tibi manifestum fecerim: simulque deitatis seu divinæ essentiæ meæ, hoc nomine significatæ, notitiam clariorem tibi, quam patribus tuis dederim: tibi nomine illo meo manifeste declarans, me esse primum, summum, æternum, et omni modo infinitum ens; atque immensum essentiæ pelagus, causamque et principium quorumcumque voluero entium; q. d.: Debes ergo merito etiam præ aliis Patriarchis, quibus tanta lux non obtigit, mihi credere, mihique fidere, certoque tibi et aliis persuadere, nihil eorum omnium quæ promisi, mihi impossibile, difficile, aut minus cordi futurum: et, adversetur quantum volet Pharao, me vos ex ergastulo Ægypti certissimo educturum. Ita Philo, Theodoretus, Cyrillus, Procopius, Lyranus, Tostatus, Cajetanus, Eugubinus [1]. Hoc nomen Dei *Jehova* suminus Judæorum pontifex lamina aurea gestabat in fronte. Et sic Jaddus pontifex occurrit Alexan-

(1) Tres in hunc locum, qui certe difficultatis plenus est, eruditissimas scripsit dissertationes Soucietus, qui postquam in prioribus duabus ceterorum omnium, atque adeo Tirini, interpretationes refellit, in tertia hanc suam proponit, multisque confirmat: *apparui,* seu *visus sum Abrahamo, Isaaco, et Jacobo in Deum* SCHADDAI *(qui sufficit): Verum non illustris factus sum,* seu Hieronymi verbis, *non clarificatus sum* (Hebr. *nodati*) *nomine meo* JEHOVAH *illorum caussa* (Hebr. *Lahem*). Itaque quam alii in nomine *Jehovah* difficultati solvendæ viam quærunt, Soucietus in verbis illis *nodati Lahem* quærit, neque inutiliter. Certe vix illud defendi potest, quod hic ait Tirinus, prioribus Patriarchis ignotum fuisse Jehovæ nomen. Vide Gen. 22, v. 24; 14, vv. 12, 26, 40; 24, vers. 1, et Shuckfordium tom. 2 *Hist. Orbis sacr. et prof.,* pag. 379 seq.

(2) Lib. 11 Antiquit. in fine.

(3) Num. 6, vers. 24.

(4) Levit. 16.

(5) Epist. 136 ad Marcellam.

(6) Act. 7, vers. 51.

tum ad filios Israel, et ad Pharaonem regem Ægypti, ut educerent filios Israel de terra Ægypti.

14. Isti sunt principes domorum per familias suas. [1] Filii Ruben primogeniti Israelis: Henoch et Phallu, Hesron et Charmi:

15. Hæ cognationes Ruben. [2] Filii Simeon: Jamuel et Jamin, et Ahod, et Jachin, et Soar, et Saul filius Chananitidis: hæ progenies Simeon.

16. Et hæc nomina filiorum Levi per cognationes suas: Gerson et Caath et Merari. Anni autem vitæ Levi fuerunt centum triginta septem.

17. [3] Filii Gerson: Lobni et Semei, per cognationes suas.

18. [4] Filii Caath: Amram, et Isaar, et Hebron, et Oziel; anni quoque vitæ Caath, centum triginta tres.

19. Filii Merari: Moholi et Musi: hæ cognationes Levi per familias suas.

20. Accepit autem Amram uxorem Jochabed patruelem suam: quæ peperit ei Aaron et Moysen. Fueruntque anni vitæ Amram, centum triginta septem.

21. Filii quoque Isaar: Core, et Nepheg, et Zechri.

22. Filii quoque Oziel: Misael, et Elisaphan, et Sethri.

23. Accepit autem Aaron uxorem Elisabeth, filiam Aminadab, sororem Nahason, quæ peperit ei Nadab, et Abiu, et Eleazar, et Ithamar.

24. Filii quoque Core: Aser, et Elcana, et Abiasaph: hæ sunt cognationes Coritarum.

25. At vero Eleazar filius Aaron accepit uxorem de filiabus Phutiel: quæ peperit ei Phinees; hi sunt principes familiarum leviticarum per cognationes suas.

26. Iste est Aaron et Moyses, quibus præcepit Dominus ut educerent filios Israel de terra Ægypti per turmas suas.

27. Hi sunt, qui loquuntur ad Pharaonem regem Ægypti, ut educant filios Israel de Ægypto: iste est Moyses et Aaron,

28. In die qua locutus est Dominus ad Moysen, in terra Ægypti.

29. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Ego Dominus: loquere ad Pharaonem regem Ægypti, omnia quæ ego loquor tibi.

30. Et ait Moyses coram Domino: En incircumcisus labiis sum, quomodo audiet me Pharao?

(1) Gen. 46, vers. 9; Num. 26, vers. 5; 1 Par. 5, vers. 1.
(2) 1 Paral. 4, vers. 24.
(3) 1 Paral. 6, vers. 1, et 23, vers. 6.
(4) Num. 3, vers. 19; 26, vers. 57, 58; 1 Par. 6, vers. 2; 23, vers. 12.

CAPUT VII.

Remittit Dominus Moysen ad Pharaonem, coram quo virgam suam Moyses vertit in colubrum: et omnes aquas Ægypti convertit in sanguinem. Sed cum similia signa facerent etiam malefici, obduratur Pharao ne dimittat Hebræos.

1. Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis: et Aaron frater tuus erit propheta tuus.

℣. 1. *Constitui te Deum Pharaonis* — scilicet participatione divinæ meæ potentiæ, in puniendo Pharaone, et affligenda Ægypto. Quasi dicat: Tantum abest, tibi metuendus sit Pharao, ut ille potius cogendus sit te tamquam Deum metuere, et vel invitus tibi pariturus. Atque ut majori apud eum sis auctoritate, nolo per te multa illi loquaris, sed *Aaron erit propheta tuus*, id est interpres, per quem

2. [1] Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi: et ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel de terra sua.

3. Sed ego indurabo cor ejus, et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti,

4. Et non audiet vos: immittamque manum meam super Ægyptum, et educam exercitum et populum meum filios Israël de terra Ægypti per judicia maxima.

5. Et scient Ægyptii quia ego sum Dominus qui extenderim manum meam super Ægyptum, et eduxerim filios Israel de medio eorum.

6. Fecit itaque Moyses et Aaron sicut præceperat Dominus: ita egerunt.

7. Erat autem Moyses octoginta annorum, et Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem.

8. Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron:

9. Cum dixerit vobis Pharao, Ostendite signa: dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, et projice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum.

10. Ingressi itaque Moyses et Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus: tulitque Aaron virgam coram Pharaone et servis ejus, quæ versa est in colubrum.

11. [2] Vocavit autem Pharao sa-

quæ vel illi, vel populo dicta voles, exponi et promulgari facies. Ita S. Augustinus, Theodoretus, Rupertus. Sic 1. Corinth. 14 *prophetare* significat, interpretari, docere, prædicare verbum Dei.

¶. 3. *Ego indurabo cor ejus* — Non directe id volendo, intendendo, aut agendo; multo minus impellendo vel cogendo, ut impie blasphemat Calvinus et alii nostri temporis hæretici: sed solum indirecte causando, et per accidens, nempe non impediendo, sed permittendo, neque juvando indignum specialiore gratia, vel etiam juste quædam ponendo eique immittendo, per quæ suamet malitia sit indurandus. Unde passim ubi nos habemus, *Ingravatum*, vel *Induratum est cor Pharaonis*, in Hebræo est, *Induravit Pharao cor suum: Ingravavit cor suum.* Et c. 10, v. 16 Pharao minus impius quam Calvinus, non Deo, sed sibi culpam omnem adscribit, *Peccavi*, inquiens, *in Dominum Deum*, etc. Itaque Deus non voluit peccata vel indurationem Pharaonis: sed neque plagas Ægyptiacas immisit in eum finem, ut his ipse induraretur (absit hoc ab infinita illa bonitate): sed potius ut illis emolliretur, et ad divina jussa complenda flecteretur. Tamen, supposita ipsius pertinacia et obstinatione in malo, voluit Deus consequenter, punitionem illius, atque ex ea manifestationem suæ potentiæ et justitiæ divinæ ac gloriæ. Et sic infra c. 9, v. 16 dicit Deus Pharaoni: *Idcirco posui te*, LXX servavi, et hucusque in vita et regni solio stare te feci licet indignum, *ut ostendam in te* pro meritis puniendo, *fortitudinem meam et narretur nomen meum in omni terra.* Nam hos fines, supposita Pharaonis pertinacia, consequenti voluntate intendit Deus in hujus tyranni seu ad solium promotione, seu in eo conservatione. Antecedente vero voluntate non intendebat nisi Primo, ut illi, et per illum aliis beneficeret, et ut his prolixioribus beneficiis tandem resipisceret. Secundo, ut hac beneficentia et longanimitate bonitas et misericordia divina magis elucesceret. Tertio, ut per tyrannidem illius magis exercerentur amici Dei, et horum virtus ac corona, simulque Dei gloria augeretur. Cum vero nequitia Pharaonis Deus non omnes hos fines, quos antecedenter intendit, consecutus sit, in locum successit punitio [3] tyranni, et quæ ex hac consecutæ sunt, justitiæ divinæ declaratio, et potentiæ manifestatio, quas consequenter solum Deus intenderat. Atque ita semper infallibiliter consequitur Deus scopum et finem a se intentum nempe declarationem et extensionem gloriæ suæ, via misericordiæ, si velint homines obsequi voluntati antecedenti Dei: sin nolint, saltem via justitiæ, quam vult exercere voluntate consequente nequitiam eorumdem. Fusius hæc Ludovicus Molina, Vasquez, Valentia, Suarez et alii Scholastici Doctores.

(1) Sup. 4, vers. 15.

(2) 2 ad Tim. 3, v. 8. (3) Zach. 11, vers. 7.

pientes et maleficos: et fecerunt etiam ipsi per incantationes ægyptiacas et arcana quædam similiter.

12. Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed devoravit virga Aaron virgas eorum.

13. Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus.

14. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ingravatum est cor Pharaonis; non vult dimittere populum.

15. Vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas: et stabis in occursum ejus super ripam fluminis: et virgam quæ conversa est in draconem, tolles in manu tua.

16. Dicesque ad eum: Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto, et usque ad præsens audire noluisti.

17. Hæc igitur dicit Dominus: In hoc scies quod sim Dominus: ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, et vertetur in sanguinem.

18. Pisces quoque, qui sunt in fluvio, morientur, et computrescent aquæ, et affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis.

19. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, et extende manum tuam super aquas Ægypti, et super fluvios eorum, et rivos ac paludes, et omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem, et sit cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vasis quam in saxeis.

20. Feceruntque Moyses et Aaron sicut præceperat Dominus: [1] et elevans virgam, percussit aquam fluminis coram Pharaone et servis ejus: quæ versa est in sanguinem.

21. Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt: computruitque fluvius, et non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis, et fuit sanguis in tota terra Ægypti.

22. [2] Feceruntque similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis: et induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos, sicut præceperat Dominus.

23. Avertitque se, et ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice.

24. Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis aquam, ut biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis.

25. Impletique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluvium.

(1) Infr. 17, vers. 5; Psalm. 77, vers. 44.

(2) Sap. 17, vers. 7.

CAPUT VIII.

Secunda Ægypti plaga, ranarum: Tertia, sciniphum: Quarta, omnis generis muscarum. Sed post singulas induratur Pharao.

1. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, et dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi:

2. Sin autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis.

3. Et ebulliet fluvius ranas: quæ ascendent, et ingredientur domum tuam, et cubiculum lectuli tui, et super stratum tuum, et in domos servorum tuorum, et in populum tuum, et in furnos tuos, et in reliquias ciborum tuorum:

4. Et ad te, et ad populum tuum, et ad omnes servos tuos, intrabunt ranæ.

5. Dixitque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Extende manum tuam super fluvios ac super rivos et paludes, et educ ranas super terram Ægypti.

6. Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, et ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti.

7. [1] Fecerunt autem et malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram Ægypti.

8. Vocavit autem Pharao Moysen et Aaron, et dixit eis: Orate Dominum ut auferat ranas a me et a populo meo: et dimittam populum, ut sacrificet Domino.

9. Dixitque Moyses ad Pharaonem: Constitue mihi quando deprecer pro te, et pro servis tuis, et pro populo tuo, ut abigantur ranæ a te, et a domo tua, et a servis tuis, et a populo tuo: et tantum in flumine remaneant.

10. Qui respondit: Cras. At ille: Juxta, inquit, verbum tuum faciam, ut scias quoniam non est sicut Dominus Deus noster.

11. Et recedent ranæ a te, et a domo tua, et a servis tuis, et a populo tuo: tantum in flumine remanebunt.

12. Egressique sunt Moyses et Aaron a Pharaone: et clamavit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni.

13. Fecitque Dominus juxta verbum Moysi: et mortuæ sunt ranæ de domibus, et de villis, et de agris.

14. Congregaveruntque eas in immensos aggeres, et computruit terra.

15. Videns autem Pharao quod data esset requies, ingravavit cor suum, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus.

16. Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron: extende virgam tuam, et percute pulverem terræ: et sint sciniphes in universa terra Ægypti.

17. Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens: percussitque pulverem terræ, et facti sunt sciniphes in hominibus, et in jumentis: omnis pulvis terræ versus est in sciniphes per totam terram Ægypti.

18. Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent sciniphes, et non potuerunt: erantque sciniphes tam in hominibus quam in jumentis.

19. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic; induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus.

20. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Consurge diluculo, et sta coram Pharaone: egredietur enim ad

℣. 19. *Digitus Dei est hic* — Id est, potentia et virtus hic se prodit longe major omni nostra et dæmonum magistrorum nostrorum virtute: nempe virtus solius omnipotentis Dei, qua nos præpedimur et quasi ligamur. Ita Chaldæus, Rabbini, Tostatus, Lipomanus. Græci legunt, *digitus Dei* hoc *est*.

Petes, Cur Deus permittere noluerit dæmoni, ut *sciniphes* seu culices, rem vilissimam facillimamque præstigiis efformaret: cui indulsit longe graviora, scilicet ranas, sanguinem et dracones? Respondeo, ut tam Ægyptiis, quam toti orbi palam faceret, a se solo pendere omnia: se permittente, dæmonem quidvis posse in his sublunaribus: se nolente, nec culicem movere posse.

Petes Secundo, An magi præstigiis suis veras produxerint ranas, verum sanguinem, veros dracones? Respondet Josephus, Tertullianus, Justinus, Ambrosius, Hieronymus, Rupertus et Hugo, magos nihil produxisse, sed oculos intuentium ludificasse, objiciendo illis speciem seu figuram draconis, sanguinis, vel ranarum; cum tamen virga maneret virga, et aqua pura aqua, etc. [2]. Sed probabi-

(1) Sap. 17, vers. 7.
(2) Alii (vide Poli *Synopsim Criticorum* in hunc

aquas, et dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi.

21. Quod si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te, et in servos tuos, et in populum tuum, et in domos tuas, omne genus muscarum: et implebuntur domus Ægyptiorum muscis diversi generis, et universa terra in qua fuerint.

22. Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscæ: et scias quoniam ego Dominus in medio terræ.

23. Ponamque divisionem inter populum meum et populum tuum: cras erit signum istud.

24. Fecitque Dominus ita. [1] Et venit musca gravissima in domos Pharaonis et servorum ejus, et in omnem terram Ægypti: corruptaque est terra ab hujuscemodi muscis.

25. Vocavitque Pharao Moysen et Aaron, et ait eis: Ite, et sacrificate Deo vestro in terra hac.

26. Et ait Moyses: Non potest ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro; quod si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent.

27. Viam trium dierum pergemus in solitudinem: et sacrificabimus Domino Deo nostro, [2] sicut præcepit nobis.

lius puto, dæmonem subtracta oculis virga, et aqua, etc. veros dracones, et sanguinem, et ranas aliunde allatas (ut potest celerrime) substituisse: sicut Albertus Magnus refert, et vitulos et boves in aera a dæmone sublatos fuisse, ut plueret vitulos et boves. Ita S. August., Theodoretus, Lyranus, Burgensis, Cajetanus, Tostatus, a Lapide et alii. Et patet, quia Scriptura æque hos magorum, atque illos Moysis, dracones vocat. Et quomodo alioqui draco Moysis diceretur devorasse dracones magorum? an baculos devoravit? et, si solis spectris oculos ludificassent, an Moysi promptum non fuisset fraudem detegere, et magos et dæmonem confundere [3]?

Nota magos hos fuisse *Jannes* et *Mambres*, ut constat ex 2. Timoth. 3, v. 8.

Nota Secundo, miracula hæc omnia a Moyse patrata fuisse in *campo* seu provincia *Taneos*, quæ erat urbs regia Ægypti, ut dicitur Psalmo 77, v. 43, nempe, ut ubi hominum, maximeque aulicorum, et consequenter vitiorum, erat copia, ibi et plagæ inundarent. Sed mox ex regia pervaserunt totam Ægyptum, penetraruntque omnium Ægyptiorum domos etiam in terra Gessen in qua habitabant Hebræi: sed in domibus Hebræorum nulla

erat plaga. Patet ex v. 22 hic, et c. 10, v. 23. Adeo ut Philo, Josephus et alii affirment; ex uno eodemque fonte Hebræos aquam puram hausisse, Ægyptios sanguinem: in eodem loco Hebræis claram fulsisse lucem, Ægyptiis densissimas tenebras fuisse. Ita Abul., Pererius, et a Lapide.

Nota Tertio, has decem plagas non annum integrum tenuisse, ut quidam opinantur; sed verosimilius, spatio mensis unius alteriusve, vel paulo ampliori, omnes inflictas fuisse, puta medio Januarii usque ad medium Martii, seu Pascha, quando egressi sunt Ægypto Hebræi, ut dixi in Chronico cap. 17.

Nota Quarto, moraliter decem plagas Ægypti accommodat transgressoribus decem præceptorum decalogi, singulas singulis S. August. [4]; Orosius [5], decem persecutionibus primitivæ Ecclesiæ, et plagis immissis earumdem persecutionum auctoribus.

℣. 26. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus* — Id est, arietes, vitulos, tauros, quos Ægyptii tamquam deos colunt, ac proinde jugulari apud illos nefas est et abominatio seu abominabile scelus. Ita Philo et Josephus, Diodorus Siculus, Plutarchus, Strabo et Macrobius [6].

lucum, et Maffeji librum inscriptum *Arte magica annichilata*, pag. 180) fraude Magorum omnia hæc acta fuisse conjiciunt, qui scilicet veros dracones, ranas, etc. in medium adtulerint, sed ea dexteritate, ut illa aliunde fuisse translata antea ab ipsis nemo dignosceret.

(1) Sap. 16, vers. 9.

(2) Sup. 3, vers. 18.
(3) Vide etiam Shuckfordium tom. 2, p. 391.
(4) Tom. 9. (5) L. 7 Hist., c. 27.
(6) Philo lib. de Decalogo; Joseph. l. 1 contra Apionem; Diod. Sic. lib. 1; Plutarch. de Iside; Strabo l. 17; Macrob. l. 7, c. 7.

28. Dixitque Pharao: Ego dimittam vos, ut sacrificetis Domino Deo vestro in deserto: verumtamen longius ne abeatis, rogate pro me.

29. Et ait Moyses: Egressus a te, orabo Dominum: et recedet musca a Pharaone, et a servis suis, et a populo ejus cras: verumtamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum sacrificare Domino.

30. Egressusque Moyses a Pharaone, oravit Dominum.

31. Qui fecit juxta verbum illius: et abstulit muscas a Pharaone, et a servis suis, et a populo ejus: non superfuit ne una quidem.

32. Et ingravatum est cor Pharaonis ita, ut nec hac quidem vice dimitteret populum.

CAPUT IX.

Quinta plaga, pestis: Sexta, ulcerum: Septima, grandinis, fulminum, tonitruorum. Quibus cessantibus, iterum Pharao obduratur.

1. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, et loquere ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi.

2. Quod si adhuc renuis, et retines eos:

3. Ecce manus mea erit super agros tuos: et super equos, et asinos, et camelos, et boves, et oves, pestis valde gravis.

4. Et faciet Dominus mirabile, inter possessiones Israel, et possessiones Ægyptiorum, ut nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israel.

5. Constituitque Dominus tempus, dicens: Cras faciet Dominus verbum istud in terra.

6. Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die: mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum: de animalibus vero filiorum Israel nihil omnino periit.

7. Et misit Pharao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his quæ possidebat Israel. Ingravatumque est cor Pharaonis, et non dimisit populum.

8. Et dixit Dominus ad Moysen et Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, et spargat illum Moyses in cælum coram Pharaone.

9. Sitque pulvis super omnem terram Ægypti: erunt enim in hominibus, et jumentis ulcera, et vesicæ turgentes, in universa terra Ægypti.

10. Tuleruntque cinerem de camino, et steterunt coram Pharaone, et sparsit illum Moyses in cælum: factaque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus, et jumentis:

11. Nec poterant malefici stare coram Moyse, propter ulcera quæ in illis erant, et in omni terra Ægypti:

12. Induravitque Dominus cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut locutus est Dominus ad Moysen.

13. Dixitque Dominus ad Moysen: Mane consurge, et sta coram Pharaone, et dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi.

14. Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, et super servos tuos, et super populum tuum: ut scias quod non sit similis mei in omni terra.

15. Nunc enim extendens manum percutiam te et populum tuum peste, peribisque de terra.

16. [1] Idcirco autem posui te, ut

(1) Ad Rom. 9, vers. 17.

ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra.

17. Adhuc retines populum meum: et non vis dimittere eum?

18. En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, a die qua fundata est, usque in præsens tempus.

19. Mitte ergo jam nunc, et congrega jumenta tua, et omnia quæ habes in agro: homines enim, et jumenta, et universa quæ inventa fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque super ea grando, morientur.

20. Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos et jumenta in domos:

21. Qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit servos suos et jumenta in agris.

22. Et dixit Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum, ut fiat grando in universa terra Ægypti super homines, et super jumenta, et super omnem herbam agri in terra Ægypti.

23. [1] Extenditque Moyses virgam in cælum, et Dominus dedit tonitrua, et grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti.

24. Et grando et ignis mista pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis, quanta ante numquam apparuit in universa terra Ægypti ex quo gens illa condita est.

25. Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum: cunctamque herbam agri percussit grando, et omne lignum regionis confregit.

26. Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit.

27. Misitque Pharao, et vocavit Moysen et Aaron, dicens ad eos: Peccavi etiam nunc: Dominus justus: ego et populus meus, impii.

28. Orate Dominum, ut desinant tonitrua Dei, et grando: ut dimittam vos, et nequaquam hic ultra maneatis.

℣. 24. *Grando et ignis mista pariter* — Ita Hebræus, Chaldæus et LXX, et Sapientiæ 16, v. 17 pro re mirabili commemoratur, quod ignis de cælo fulminatus invalesceret magis in aqua, et quod grando igne non liquesceret. Nempe mole et crassitie sua resistebat igni; erant enim quasi frusta glaciei, quibus et homines et jumenta, quæ variis locis peste absumpta non fuerant, quin et arbores et ædes hinc inde prosternebantur. Ut et sub Josue in Chanaanitide, et anno Christi 824 in Gallia, et alias in Germaniæ variis locis horrendæ magnitudinis grandinem etiam nostro seculo incredibilia damna intulisse, commemorant Bonfinius, Gaguinus, Olaus Magnus, Krantzius, et Surius [2].

Nota, tanto admirabiliora hæc visa Ægyptiis, quanto minus hæc illis videre consueta. Nam teste Philone, Josepho, Plinio et Claudiano, nullæ solent aut pluviæ, aut grandines in Ægypto decidere, neque fulmina, aut fulgura, aut tonitrua sentiri. Quod cum Seneca [3] et Andrea Theveto [4] intelligo de interioribus et altioribus partibus. Nam in maritimis Ægypti regionibus, et qua Æthiopiam respicit, certum est nonnumquam pluere et grandinare; sed parvis et raris pluviis, et grandine rariore. Omnis vero terræ rigatio fit a Nilo exundante, qui aquis suis terram humectat, et limo advecto stercorat. Incipit autem hæc inundatio a solstitio æstivo, et desinit cum æquinoctio autumnali: quia tum temporis in vicinis locis Ægypto altioribus hiems est: et aquæ partim e pluviis hiemalibus, partim ex liquatis nivibus auctæ in Nilum illabuntur, eumque exundare faciunt. Ita Aristoteles, Scaliger, et Conimbricenses, et experientia docet [5].

(1) Sap. 16, vers. 16, et 19, vers. 19.
(2) Bonfinius dec. 1, l. 10, et dec. 4, l. 2; Gaguin. l. 9; Olaus l. 1, c. 22; Krantzius l. 9, c. 3; Surius anno Christi 1507.
(3) Præfat. in lib. 4 Naturalium quæst.
(4) In Cosmographia.
(5) Arist. in Meteorolog.; Scaliger. exercit. 47; Conimbric. tract. 9 in Meteora, cap. 10.

29. Ait Moyses: Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, et cessabunt tonitrua, et grando non erit: ut scias quia Domini est terra:

30. Novi autem, quod et tu, et servi tui, necdum timeatis Dominum Deum.

31. Linum ergo et hordeum læsum est, eo quod hordeum esset virens, et linum jam folliculos germinaret:

32. Triticum autem et far non sunt læsa, quia serotina erant.

33. Egressusque Moyses a Pharaone ex urbe, tetendit manus ad Dominum: et cessaverunt tonitrua et grando, nec ultra stillavit pluvia super terram.

34. Videns autem Pharao quod cessasset pluvia, et grando, et tonitrua, auxit peccatum:

35. Et ingravatum est cor ejus et servorum illius, et induratum nimis: nec dimisit filios Israel, sicut præceperat Dominus per manum Moysi.

CAPUT X.

Octava plaga, locustarum. Nona, densissimarum tenebrarum. Quibus territus Pharao, Hebræos abire permittit, sed pecora comitari non vult. Urgenti ei Moysi mortem minatur.

1. Et dixit Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem: ego enim induravi cor ejus, et servorum illius: ut faciam signa mea hæc in eo,

2. Et narres in auribus filii tui, et nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, et signa mea fecerim in eis: et sciatis quia ego Dominus.

3. Introierunt ergo Moyses et Aaron ad Pharaonem, et dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Usquequo non vis subjici mihi? dimitte populum meum, ut sacrificet mihi.

4. [1] Sin autem resistis, et non vis dimittere eum: ecce ego inducam cras locustam in fines tuos:

5. Quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam ejus appareat, sed comedatur quod residuum fuerit grandini: corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris.

6. Et implebunt domos tuas, et servorum tuorum, et omnium Ægyptiorum: quantam non viderunt patres tui, et avi, ex quo orti sunt super terram, usque in præsentem diem. Avertitque se, et egressus est a Pharaone.

7. Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum: Usquequo patiemur hoc scandalum? dimitte homines ut sacrificent Domino Deo suo: nonne vides quod perierit Ægyptus?

8. Revocaveruntque Moysen et Aaron ad Pharaonem: qui dixit eis: Ite, sacrificate Domino Deo vestro: quinam sunt qui ituri sunt?

9. Ait Moyses: Cum parvulis nostris et senioribus pergemus, cum filiis et filiabus, cum ovibus et armentis; est enim solemnitas Domini Dei nostri.

10. Et respondit Pharao: Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, et parvulos vestros, cui dubium est quod pessime cogitetis?

11. Non fiet ita, sed ite tantum viri, et sacrificate Domino: hoc enim et ipsi petistis. Statimque ejecti sunt de conspectu Pharaonis.

(1) Sap. 16, vers. 9.

12. Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, ut ascendat super eam; et devoret omnem herbam quæ residua fuerit grandini.

13. Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti: et Dominus induxit ventum urentem tota die illa et nocte: et mane facto, ventus urens levavit locustas.

14. Quæ ascenderunt super universam terram Ægypti: et sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futuræ sunt.

15. Operueruntque universam superficiem terræ, vastantes omnia. Devorata est igitur herba terræ, et quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat: nihilque omnino virens relictum est in lignis et in herbis terræ, in cuncta Ægypto.

16. Quam ob rem festinus Pharao vocavit Moysen et Aaron, et dixit eis: Peccavi in Dominum Deum vestrum, et in vos.

17. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, et rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam.

18. Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis, oravit Dominum.

19. Qui flare fecit ventum ab occidente vehementissimum, et arreptam locustam projecit in mare Rubrum; non remansit ne una quidem in cunctis finibus Ægypti.

20. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel.

21. Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum: et sint tenebræ super terram Ægypti tam densæ, ut palpari queant.

22. Extenditque Moyses manum in cælum: et factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus.

23. [1] Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat: [2] ubicumque autem habitabant filii Israel, lux erat.

24. Vocavitque Pharao Moysen et Aaron, et dixit eis: Ite, sacrificate Domino: oves tantum vestræ et armenta remaneant, parvuli vestri eant vobiscum.

℣. 21. *Tenebræ tam densæ ut palpari queant* — Est hyperbole, quasi dicas, Maximæ; et quæ omnem omnino lucem, etiam astrorum, etiam ignis et facularum excluderent, ut habetur Sapientiæ 17, v. 5. Unde Philo, *Ignis*, inquit, *quo utimur, vel aere turbato extinguebatur, vel a crassissimis tenebris vincebatur.* Ubi tenebras vocat *crassissimas* ratione vaporum et nebularum spissarum quæ tenebris conjunctæ erant, quarum ratione vult idem Philo et Tostatus tenebras hic palpabiles vocari. In libro Sapientiæ supra citato, additur, *Ægyptiis flammas ignis;* et horribiles, *sonitus, animalium mugitus, serpentum sibilos, fragorem petrarum ac ventorum, et spectra terrifica* apparuisse: et *vinculis tenebrarum ac longæ noctis* (nempe integri tridui) *compeditos, in carcere sine ferro reclusos* fuisse. Quo toto tempore nec edere, nec bibere, nec somnum aut quietem capere ullus Ægyptiorum potuit: quin *nec loco* quis *suo se movit:* sed timore quasi exanimati, et stupore immobiles, extremum in horas exitium præstolabantur. Hebræis interea suis in domibus lux erat, imo in iisdem ædibus tenebræ Ægyptiis erant, lux Hebræis, Deo concursum suum quem Ægyptiis subtrahebat, non denegante oculis Hebræorum. Ita Lyranus, Tostatus, Cajetanus, Castrius [3] et Pererius. Addit S. Bernard. [4] Deum tantas tenebras Ægyptiis immisisse, ut ex hac quasi imagine discerent Primo, tenebras suæ conscientiæ; Secundo, tenebras inferni sibi imminentes: ut innuitur Sap. 17, v. 20.

(1) Sap. 17, vers. 2.
(2) Sap. 18, vers. 1.
(3) In Sapient. 17 in fine.
(4) Serm. 72 in Cant.

25. Ait Moyses: Hostias quoque et holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro.

26. Cuncti greges pergent nobiscum: non remanebit ex eis ungula: quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri: præsertim cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perveniamus.

27. Induravit autem Dominus cor Pharaonis, et noluit dimittere eos.

28. Dixitque Pharao ad Moysen: Recede a me, et cave ne ultra videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi, morieris.

29. Respondit Moyses: Ita fiet ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam.

CAPUT XI.

De ima et ultima Ægypti plaga, strages omnium primogenitorum. Jubenturque Hebræi spoliare Ægyptum.

1. Et dixit Dominus ad Moysen: Adhuc una plaga tangam Pharaonem et Ægyptum, et post hæc dimittet vos, et exire compellet.

2. [1] Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, et mulier a vicina sua, vasa argentea et aurea.

3. Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis. [2] Fuitque Moyses vir magnus valde in terra Ægypti, coram servis Pharaonis et omni populo.

4. Et ait: Hæc dicit Dominus: Media nocte egrediar in Ægyptum:

5. Et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis qui sedet in solio ejus, usque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam, et omnia primogenita jumentorum.

℣. 2. *Postulet vir ab amico suo vasa argentea*, etc. — His verbis Deus, qui rerum omnium dominus est, innuit Hebræis, se dono illis dare vasa pretiosa, et thesauros Ægyptiorum: ut sic idololatriam horum, et luxum, et injustitiam castiget. Quamquam et sine expressa Dei licentia potuerint Hebræi justis titulis eadem sibi vindicare. Primo, titulo compensationis pro laboribus, quibus injuste oppressi gratis servierant Ægyptiis. Secundo, titulo justi belli, quo Ægyptios hostes suos et tyrannos invadere poterant et spoliare. Ita Philo, et S. Augustinus [3], et insinuatur Sapientiæ 10, v. 17. Quare licet per speciem accommodati accederint ad sacrificia et divinam solemnitatem peragendam, potuere nihilominus tamquam justam mercedem, et justo bello parta spolia, et cælitus sibi donata retinere.

℣. 5. *Ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam* — Idem est cum eo quod c. seq., v. 29 dicitur, *Ad primogenitum captivæ quæ* est *in carcere*. Per *carcerem* enim designatur ergastulum et pistrinum in quod mancipia compingebantur, et fere ad molam cogebantur: sicut Judicum 16, v. 21 de Samsone habetur, quod Philisthæi carcere conclusum molere fecerint. Plura de his ergastulis Lipsius [4] et Bonfrerius. Porro causas et convenientiam harum decem plagarum cum sceleribus Ægyptiorum insinuat partim Moyses hinc inde, partim Sapiens c. 11 et 18. Verbi gratia, Ægyptii fuderant sanguinem tot infantium quos in Nilo demerserant: Deus aquam Nili in sanguinem convertit. Ægyptii misero innocentium ejulatu, et luctuosis Hebræorum lacrymis commoti non fuerant: Deus horrendo ranarum clamore et fœda spurcitie aures, oculos et ollas illorum complet. Ægyptii molestis injustisque laboribus ac flagellis sævierant in miseros, nec quietem capere siverant: Deus sciniphes immittit et muscas, quæ morsu et punctione

(1) Sup. 3, vers. 22. Infra 12, vers. 35.
(2) Eccli. 45, vers. 1.
(3) Lib. 22 contra Faustum, c. 71.
(4) Lib. 2 Elect., cap. 15.

6. Eritque clamor magnus in universa terra Ægypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est.

7. Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine usque ad pecus: ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios et Israel.

8. Descendentque omnes servi tui isti ad me, et adorabunt me, dicentes: Egredere tu, et omnis populus qui subjectus est tibi: post hæc egrediemur.

9. Et exivit a Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moysen: Non audiet vos Pharao, ut multa signa fiant in terra Ægypti.

10. Moyses autem et Aaron fecerunt omnia ostenta quæ scripta sunt, coram Pharaone. Et indura-vit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua.

continua, et inde nascente pruritu, etiam ipsis quietem adimant. Ægyptii pecudes et jumenta Hebræis ademerant, imo pecudum instar abusi illis fuerant, et onera et sarcinas suomet corpore ferre coegerant: Deus immissa peste pecudes illorum omnes absumit. Ægyptii immanitate flagellorum et verberum sæpe corpora Hebræorum livida et tumentia fecerant: Deus illos ulcere pessimo a capite ad pedes flagellat. Ægyptii fulminibus verborum, minarum, conviciorum, grandinibus pugnorum, calcium, vulnerum sævierant in Hebræos: Deus horrendis vicissim fulminibus, tonitruis, grandinibus, sata, jumenta, mancipia ipsorum prosternit et necat. Ægyptii oppressione Hebræorum res suas augere voluerant: Deus locustas mittit quæ omnia depascuntur. Ægyptii tenebris et cæcitate mentis obstinate involvi cupiebant, neque Hebræos injusto carcere liberare volebant: Deus etiam palpabilibus tenebris, et infernali nocte ac carcere eosdem involvit. Ægyptii populum Israeliticum, Dei *filium primogenitum* (ut loquitur Deus Exodi 4, v. 22) contra expressam Dei voluntatem tam impie, tam injuste, tanto tempore afflixerant: Deus omnia illorum primogenita nocte una jugulat, et post paullo omnem regni florem, et decus et robur omne in mare præcipitat.

CAPUT XII.

Ritus immolandi, et comedendi agnum paschalem. Cædes omnium primogenitorum Ægypti, Hebræis ubique intactis: qui ab Ægyptiis Ægypto egredi compulsi, secum deferunt spolia et opes Ægyptiorum.

1. Dixit quoque Dominus ad Moysen et Aaron, in terra Ægypti:

2. Mensis iste, vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni.

3. Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, et dicite eis: Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas.

4. Sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui junctus est domui suæ, juxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni.

5. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis et hœdum.

6. Et servabitis eum usque ad

℣. 5. *Juxta quem ritum tolletis et hœdum* — Id est, eadem omnia quæ de *agno* præscripsi, servabitis etiam in *hœdo*, si eum loco agni pro paschali victima assumatis: quod omnibus licebat, et deficientibus agnis, subinde necessum erat. Sive ergo sumeretur *agnus*, sive *hœdus*, debebat esse *anniculus*, hoc est, non excessisse annum. Nam poterat sumi etiam semestris, vel bimestris, vel minoris ætatis: dummodo tamen septem dies explesset: hæc enim ætas ut minimum ne-

quartamdecimam diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam.

7. Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.

8. Et edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus.

9. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni: caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis.

10. Nec remanebit quidquam ex eo usque mane; si quid residuum fuerit, igne comburetis.

11. Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter: est enim Phase (id est transitus) Domini.

12. Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus: et in cunctis diis Ægypti faciam judicia, ego Dominus.

cessaria erat in omni victima, ut patet Lev. 22. Secundo, debebat esse *sine macula*. Hebraice, Chaldaice et Græce est, *perfectus, integer*. Ergo *macula* hic sumitur pro vitio seu defectu, vetaturque ne assumatur agnellus cæcus, claudus, mancus, mutilus, æger, scabiosus, ulcerosus, aut alio vitio laborans, ut explicatur Lev. 22, v. 22. Et ideo jubebatur decima die mensis primi *Nisan* in domum cujusque induci, scilicet toto quatriduo ante tempus immolationis: ut spatium esset sufficiens commode explorandi an omni vitio careret. Non requirebatur autem ut omni ex parte candidus, aut unicolor esset, aut nulla nigroris alteriusve coloris macula respersus, ut quidam imaginantur.

Nota primo. Paschalis hujus sacrificii seu immolationis agni minister seu sacrificus non debebat esse *sacerdos Aaronicus*, sed quivis paterfamilias id muneris subibat nomine omnium qui erant illius familiæ: et sic dicitur hic *universa multitudo filiorum Israel* agnum *immolare*. Et licet post paullo decreverit Deus, ut nonnisi uno certo in loco ad id designando, v. g. Jerosolymis, vel ubi esset arca fœderis [1], liceret immolare aut edere agnum paschalem: non tamen jussit id per sacerdotes Aaronicos fieri; sed privilegium hoc, utpote antiquius sacerdotio Aaronico, reliquit juxta primævam suam institutionem omnibus et singulis patribusfamilias, cujuscumque demum tribus aut conditionis essent. Et hoc nomine dici posset, omnes patresfamilias, etiam instituto jam Aaronico sacerdotio, mansisse quales ante fuerant *sacerdotes*; non quidem absolute, neque respectu alicujus publici sacrificii (nam hoc solis Aaronis filiis concessum erat), sed solum diminute, quoad hoc unicum dumtaxat in anno sacrificium paschale, quod domesticum erat et privatum. Ita Philo [2] oculatus testis, Lyranus, Dionys. Carthusianus, Emmanuel Sa, a Lapide, Bonfrerius et alii, contra Serarium et Tostatum.

Nota secundo. Cæremonias et circumstantias omnes hujus sacrificii paschalis, et absumptionis ejusdem, v. g. quod *nocte*, quod *assum igni*, quod cum *azymis, cum lactucis agrestibus*, ut endivia vel cichorio, aliisve amaris herbis, ut vertit Chaldæus, quod item *cum pedibus et intestinis*, ante tamen purgatis et exsecto felle: quod *succinctis renibus*, cum *calceis et baculis*, etc. adhiberi jussit Deus etiam secuturis seculis, Primo, ad indicandam festinationem qua contigit illa ex Ægypto migratio. Secundo, ad repræsentandam æternum magnitudinem et celebritatem tanti beneficii. Tertio, et præcipue, ad præfigurandum Christi veri et immaculati agni sacrificium tum incruentum Ss. Eucharistiæ in ultima cœna: tum cruentum passionis in ara crucis. Nam ut erat figura utriusque, ita circumstantiæ et cæremoniæ omnes utrumque ad amussim allegorice repræsentant, ut SS. Patres, adeoque et Joannes Evangelista [3], et S. Paulus [4] aptissime exponunt.

(1) Deut. 16, vers. 6.
(2) Lib. 3 de Vita Moysis et lib. de Decalogo.
(3) Joan. 19, vers. 36.
(4) 1. ad Cor. 5.

13. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis; et videbo sanguinem, et transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens quando percussero terram Ægypti.

14. Habebitis autem hunc diem in monumentum: et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.

15. Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad diem septimum.

16. Dies prima erit sancta atque solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.

17. Et observabitis azyma: in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti, et custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo.

18. [1] Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam, comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam.

19. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tam de advenis quam de indigenis terræ.

20. Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis vestris edetis azyma.

21. Vocavit autem Moyses omnes seniores filiorum Israel, et dixit ad eos: Ite tollentes animal per familias vestras, et immolate Phase.

22. [2] Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, et aspergite ex eo superliminare, et utrumque postem: nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ usque mane.

23. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit sanguinem in superliminari, et in utroque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras et lædere.

24. Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usque in æternum.

25. Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis ut pollicitus est, observabitis ceremonias istas.

26. Et cum dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio?

27. Dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, et domos nostras liberans. Incurvatusque populus adoravit.

28. Et egressi filii Israel fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi et Aaron.

29. Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat, [3] usque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere, et omne primogenitum jumentorum.

30. Surrexitque Pharao nocte, et omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus: et ortus est clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus.

31. Vocatisque Pharao Moyse et Aaron nocte, ait: Surgite, et egredimini a populo meo, vos et filii Israel: ite, immolate Domino sicut dicitis.

32. Oves vestras et armenta assumite ut petieratis, et abeuntes benedicite mihi.

33. Urgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur.

34. Tulit igitur populus consper-

(1) Lev. 23, vers. 5; Num. 28, vers. 16.

(2) Ad Hebr. 11, v. 28. (3) Sup. 11, v. 5; Sap. 18, v. 5.

sam farinam ante quam fermentaretur: et ligans in palliis posuit super humeros suos.

35 Feceruntque filii Israel [1] sicut præceperat Moyses; et petierunt ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, vestemque plurimam.

36. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis: et spoliaverunt Ægyptios.

37. Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth, sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis.

38. Sed et vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oves et armenta et animantia diversi generis multa nimis.

39. Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant: et fecerunt subcinericios panes azymos: neque enim poterant fermentari cogentibus exire Ægyptiis, et nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti quidquam occurrerat præparare.

40. Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.

41. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti.

42. Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti: hanc observare debent omnes filii Israel in generationibus suis.

43. Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron: Hæc est religio Phase: Omnis alienigena non comedet ex eo.

44. Omnis autem servus emptitius circumcidetur, et sic comedet.

45. Advena et mercenarius non edent ex eo.

46. In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, [2] nec os illius confringetis.

47. Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud.

48. Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus,

℣. 40. *Habitatio filiorum Israel in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum* — Scilicet, inchoando non a descensu Jacob in Ægyptum, sed ab initio peregrinationis Abrahæ partim in Ægypto, partim in Chanaanitide. Cœpit enim hæc peregrinatio anno 75 vitæ Abrahæ, quando et promissio de Isaaco cælitus illi facta [3]; et prædictum, posteros ejus peregrinos fore 400 annis. Nam ab illa promissione et prædictione usque ad ablactatum Isaac, fluxerunt anni 30; inde ad egressum Hebræorum ex Ægypto, alii 400 anni, qui simul faciunt 430. Ita Josephus [4], Eusebius, Athanasius, Cyrillus, Rupertus, Abulensis, Cajetanus. Et ita habent LXX qui diserte addunt, hunc esse numerum annorum quibus *habitarunt filii Israel et patres eorum in terra Ægypti, et in terra Chanaan.* Vide Serarium [5] et Bonfrerium.

Nota, egressos filios Israel ex Ægypto 25 die Martii: nempe eodem mense et hebdomadæ die, quo ante annos 2543 creatus fuerat mundus: et post annos 1457 incarnatus est Christus, et quo 34 post annis resurrexit a mortuis: et quo putatur in fine mundi venturus ad judicium extremum, nempe 25 Martii die dominica.

Vide Chronicon nostrum cap. 48. in fine. Item Eugubinum, et Andream Masium, et Chronographos.

℣. 43. *Omnis alienigena non comedet ex* Phase, seu victima paschali: neque *advena*, neque *mercenarius*, v. 45 — Subaudi, nisi vestram velint religionem suscipere, et circumcidi: tum enim, neque ante, permitto illis esum agni. Sed hæc omnia libera ipsis relinquo. Sed *servis* vestris *emptitiis* seu mancipiis, si apud vos permanserint, nolo libera relinqui, sed illis omnia eadem præcipio: neque enim cupio vos alios emere servos, quam qui parati sint religionem vestram amplecti, et circumcidi: et, cum circumcisi fuerint, volo et illos ad esum agni admitti. Ita Abulensis et alii.

(1) Sup. 11, vers. 1.
(2) Num. 9, vers. 12; Joan. 19, vers. 36.
(3) Gen. 15, vers. 13. (4) L. 2 Antiq., c. 6.
(5) In Prolog. Bibl., cap. 17, q. 23.

et tunc rite celebrabit: eritque sicut indigena terræ: si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.

49. Eadem lex erat indigenæ et colono qui peregrinatur apud vos.

50. Feceruntque omnes filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi et Aaron.

51. Et eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti per turmas suas.

CAPUT XIII.

Jubet Deus sibi offerri omnia primogenita hominum et pecorum. Hebræi secum efferunt ossa Joseph. Dux itineris Hebræorum est columna ignis et nubis.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. [1] Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus quam de jumentis: mea sunt enim omnia.

3. Et ait Moyses ad populum: Mementote diei hujus in qua egressi estis de Ægypto et de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto: ut non comedatis fermentatum panem.

4. Hodie egredimini mense novarum frugum.

5. Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi et Hethæi et Amorrhæi et Hevæi et Jebusæi, quam juravit patribus tuis ut daret tibi, terram fluentem lacte et melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense isto.

6. Septem diebus vesceris azymis: et in die septimo erit solemnitas Domini.

7. Azyma comedetis septem diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.

8. Narrabisque filio tuo in die illo, dicens: Hoc est quod fecit mihi Dominus quando egressus sum de Ægypto.

9. Et erit quasi signum in manu tua, et quasi monumentum ante oculos tuos: et ut lex Domini semper sit in ore tuo, in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto.

10. Custodies hujuscemodi cultum statuto tempore a diebus in dies.

℣. 2. *Sanctifica mihi omne primogenitum* — Id est, consecra et offer mihi; et quidem primogenita hominum, in perpetuum mei servitium, applicando eos obsequio templi mei: primogenita vero animalium mundorum, offer in hostiam pacificam [2].

Nota, loco primogenitorum totius Israelis, qui tota vita sua debuissent alligari servitio templi, selegit, et substituit Deus solam sed totam [3] tribum *Levi*.

Nota secundo, ex illo, *quod aperit vulvam*, colligi, non omne *paternum* primogenitum, sed solum *maternum* offerendum fuisse Deo. Hinc ex vidua quæ ante pepererat, susceptus filius: vel ex non vidua, sed quæ femellam ante pepererat: non erat Deo offerendus, quia non ipse, sed alia præcedens proles vulvam matris aperuerat. Qui tamen plures (uti tum licuit) habebat uxores, debebat singularum uxorum primum fœtum, si masculus erat, Deo consecrare.

Nota tertio, Christum, quia nascens vulvam matris non reseravit, sed penetravit, hac lege non fuisse comprehensum. Ita Cyrillus Jerosolymitanus, et Hormisda papa [4]: licet contra sentiant Rupertus, Jansenius, Tostatus.

(1) Infr. 34, vers. 19; Num. 8, vers. 16; Luc. 2, vers. 23; Lev. 27, vers. 26.

(2) Num. 18, vers. 15. (3) Num. 3 et 8.
(4) Cyrill. hom. de occursu Domini; Hormisda epist. 1, cap. 3.

11. Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi, sicut juravit tibi et patribus tuis, et dederit tibi eam:

12. [1] Separabis omne quod aperit vulvam Domino, et quod primitivum est in pecoribus tuis: quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino.

13. Primogenitum asini mutabis ove: quod si non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes.

14. Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid est hoc? respondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti, de domo servitutis.

15. Nam cum induratus esset Pharao, et nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito hominis usque ad primogenitum jumentorum: idcirco immolo Domino omne quod aperit vulvam masculini sexus, et omnia primogenita filiorum meorum redimo.

16. [2] Erit igitur quasi signum in manu tua, et quasi appensum quid, ob recordationem, inter oculos tuos: eo quod in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto.

17. Igitur cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim quæ vicina est: reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum.

18. Sed circumduxit per viam deserti, quæ est juxta mare Rubrum: et armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti.

19. Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum: eo quod adjurasset filios Israel, dicens: [3] Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum.

20. Profectique de Socoth castrametati sunt in Etham, in extremis finibus solitudinis,

21. [4] Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis: ut dux esset itineris utroque tempore.

22. Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.

℣. 21. *Columna nubis* — Una eademque erat cum *columna ignis*, quæ mota et directa ab angelo quasi a nauclero, interdiu speciem nubis, noctu ignis seu flammæ referebat: et instar altissimæ columnæ ad cælum protensæ, ut a totis castris cerni posset, præcedebat universum agmen cum iter faciendum esset; cum vero quiescendum, supra locum tabernaculi immota hærebat. Tantum vero luminis noctu subministrabat, ut, cum omni alia luce carerent Hebræi, solis radiis illius sat juvarentur, etiam in suis tentoriis, ad omnia quæ necessaria essent videnda et peragenda. Et totis quadraginta annis hoc modo adfuit continuo Hebræis, usque ad mortem Moysis, cum nempe jam in proximo esset ut Jordanem trajicerent. Nam tum defecisse columnam, vel ex eo patet, quod in trajectione Jordanis jubeantur Hebræi non jam amplius columnam ducem viæ aspicere et sequi, sed arcam a sacerdotibus bajulatam eminus præeuntem: cum alioqui longe facilius fuisset columnam ducem intueri et sequi, quam arcam. Ita S. Augustinus, Abulensis, Masius, Serarius [5]. Neque sine mysterio: nam cum Josue, figura et antitypo Christi, cessare debebant nubes et velamina Moysaica. Quamquam et hæc columna typus quoque fuerit Christi, uti et Spiritus sancti, ut fuse demonstrant Ambrosius, Gregorius et Rupertus [6, 7].

(1) Infr. 22, v. 29, et 34, v. 19; Ezech. 44, v. 30.
(2) Deut. 6, v. 8. (3) Gen. 50, vers. 24.
(4) Num. 14, vers. 14; 1 ad Cor. 10, vers. 1; Esdr. 9, vers. 19.
(5) S. Aug. q. 3 in Josue; Abul., Mas., Serar. in Josue 3.
(6) Lib. 2 in Exod, cap. 28.
(7) Benedictinus Martin pag. 1 *Explic. difficil. Scrint locor.*, p. 53, huc trahit, quod de Alexandro Curtius l. 5, c. 2, de Arabibus Frontinus *Stratag.* l. 2, c. 5, perhibet atque universim Vegetius monet *de re milit.* l. 3, c. 9, *si divisæ sint copiæ, per noctem*

CAPUT XIV.

Rex Pharao cum suis insequitur Hebræos. Sed angelus per columnam nubis medium sese interponit. Moyses virga dividit mare Rubrum, quod sicco pede transeunt Hebræi: Ægyptii aquis involvuntur et suffocantur.

1. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israel: Reversi castrametentur e regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum et mare contra Beelsephon: in conspectu ejus castra ponetis super mare.

3. Dicturusque est Pharao super filiis Israel: Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum.

4. Et indurabo cor ejus, ac persequetur vos: et glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus; scientque Ægyptii quia ego sum Dominus. Feceruntque ita.

5. Et nuntiatum est regi Ægyptiorum quod fugisset populus: immutatumque est cor Pharaonis et servorum ejus super populo, et dixerunt: Quid voluimus facere ut dimitteremus Israel, ne serviret nobis?

6. Junxit ergo currum, et omnem populum suum assumpsit secum.

7. Tulitque sexcentos currus electos, et quidquid in Ægypto curruum fuit: et duces totius exercitus.

8. Induravitque Dominus cor Pharaonis regis Ægypti, et persecutus est filios Israel: at illi egressi erant in manu excelsa.

9. [1] Cumque persequerentur Ægyptii vestigia præcedentium, repererunt eos in castris super mare: omnis equitatus et currus Pharaonis, et universus exercitus, erant in Phihahiroth contra Beelsephon.

10. Cumque appropinquasset Pharao, levantes filii Israel oculos, viderunt Ægyptios post se: et timuerunt valde: clamaveruntque ad Dominum,

11. Et dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos ut moreremur in solitudine: quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto?

12. Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes: Recede a nobis, ut serviamus Ægyptiis? multo enim melius erat servire eis, quam mori in solitudine.

13. Et ait Moyses ad populum: Nolite timere: state, et videte magnalia Domini quæ facturus est hodie: Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum.

14. Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.

15. Dixitque Dominus ad Moysen: Quid clamas ad me? Loquere filiis Israel ut proficiscantur.

16. Tu autem eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et divide illud: ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum.

17. Ego autem indurabo cor Æ-

FLAMMAS, *per diem* FUMUM *significare socius quod aliter nuntiari non potest;* immo contendit, columnam hanc gentibus hujus moris præbuisse exemplum. Atqui id mihi videtur, egregie desipere nimio profanæ antiquitatis studio; nam columna non ad significandum dissitis *quod aliter nuntiari non potest,* a Deo data Hebræis fuit, sed *ut dux esset* ipsis *itineris utroque tempore;* totis præterea 40 annis numquam columna illa defecit, signa vero illa profanarum gentium ad tempus, et certis tantum necessitatis casibus edebantur; denique necesse gentibus non fuit ex sacris libris morem illum haurire, quem natura et ingenium facile suggerere cuique poterat. Nec felicior mihi videtur Martin, dum Juvenalem credit columnam nubis spectasse, dum Sat. 14, ait de Judæis:

Nil præter nubes, et cœli numen adorant.

Nam, ut Canterus animadvertit *Nov. lect.* l. 4, c. 2, ad id respexit Juvenalis, quod Deus in nubibus semper iis apparebat.

(1) 1 Machab. 4, vers. 9; Jos. 24, vers. 6.

gyptiorum ut persequantur vos: et glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus, et in curribus et in equitibus illius.

18. Et scient Ægyptii quia ego sum Dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone, et in curribus atque in equitibus ejus.

19. Tollensque se angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos: et cum eo pariter columna nubis, priora dimittens post tergum

20. Stetit, inter castra Ægyptiorum et castra Israel, et erat nubes tenebrosa, et illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent.

21. Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi et urente tota nocte, et vertit in siccum: divisaque est aqua.

22. [1] Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus a dextra eorum et læva.

23. Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos, et omnis equitatus Pharaonis, currus ejus et equites, per medium maris.

24. Jamque advenerat vigilia matutina, [2] et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum:

25. Et subvertit rotas curruum,

℣. 20. *Erat nubes tenebrosa.* — Quomodo ergo *illuminans noctem?* Respondeo, migrarat angelus cum columna nubis a fronte castrorum ad tergum, positaque erat nubes per media inter Hebræos et Ægyptios insequentes: et parte sui posteriore, qua respiciebat Ægyptios, densior et latior erat, atque ideo tenebrosa, præpediens et aspectum ipsis, et accessum ad Hebræos; anteriore vero sui parte lucida erat et flammea, radios lucis suæ emittens ultra omnia castra usque ad primam Hebræorum aciem, et hoc novo modo viam illis per mare demonstrans. Ita Tostatus et Pererius.

℣. 22. *Ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris.* — Præibat Moyses, et usque in adversam ripam salvos omnes et sicco vestigio deduxit: nempe per spatium trium leucarum seu milliarium horariorum. Ita Josephus, Adrichomius et Joannes de Barros ex Philone, Gregorio Nysseno [3], Lyrano et Cajetano. Addunt Hebræi, tribum Juda duce Aminadab ceteris trepidantibus primam post Moysen, iniisse mare, ideoque deinceps fuisse perpetuo primam et ducem reliquarum, promeritamque regium sceptrum quod Judæ promissum erat Genesis 49, v. 10 [4].

℣. 24. *Vigilia matutina* est quarta et ultima noctis vigilia [5], quæ auroram et diluculum advehebat.

Et ecce Dominus interfecit exercitum Ægyptiorum — Nempe emicabant e nube fulmina, fulgura, tonitrua, et lapides et tela ignita vibrabantur, quibus et rotæ curruum confractæ, et equi dejecti, et *in profundum* seu in terram deorsum præcipitati sunt. Et hæc ab angelo facta prius quam mare in suum locum revolveretur; qua deinde revolutione, reliqui a priori clade exempti Ægyptii, aquis obruti sunt omnes ad unum. Numerus pereuntium hic Ægyptiorum, ex calculo Josephi [6], fuit quinquaginta millium equitum, et ducentorum millium peditum, præter sexcentos currus falcatos, seu falcibus undique armatos, de quibus hic versu 7. Vestigia vero curruum istorum, et orbitas rotarum perpetuo conspicua deinceps remansisse non solum in littore, sed etiam in ipso rubro mari, tradunt Orosius et Diodorus Tarsensis [7].

Nota, mare hoc in sinu Arabico situm

(1) Psalm. 77, v. 13, et 104, v. 37, et 113, v. 3. Ad Hebr. 11, v. 29. (2) Sap. 18, 15.

(3) Josephus l. 2 Antiq. in fine; Adrich. de terra sancta; Barros in Hist. Asiæ, dec. 2, l. 8, c. 1; Philo. l. 3 Vitæ Moysis; Greg. Nyss. de Vita Moysis.

(4) Ausus est Clericus nullum in hac maris rubri trajectione miraculum agnoscere. Sed confer non Calmeti solum dissertationem hoc de argumento, aut P. Prati disquisitionem, tom. 2 operum Sulpicii Severi in *Observationibus*, sed vel protestantem Shuckfordium, tom. 2 *Histor. Orbis sacr. et prof.*, pag. 422 seqq. De Josephi mente, qui miraculum hocce saltem visus est extenuare voluisse, consule Bollandianos tom. 2 *sept. Comm. de S. Moyse*, § 22, et Gilletum in lib. 2 *Judaic.*, Josephi *Antiq.*, adnot. 10.

(5) Chronici c. 2. (6) Supra.

(7) Orosius l. 1 hist, c. 10; Tarsensis Chrysostomi præceptor, in Catena.

ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptii: Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.

26. Et ait Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus et equites eorum.

27. Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, et involvit eos Dominus in mediis fluctibus.

28. Reversæque sunt aquæ, et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec unus quidem superfuit ex eis.

29. Filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, et aquæ eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris:

30. Liberavitque Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum.

31. Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, et manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, et crediderunt Domino, et Moysi servo ejus.

non vocari rubrum a sanguine Ægyptiorum, quo submersis illis fuerit quasi rubricatum, ut quidam opinati sunt, sed neque aquam illius esse natura sua rubram: nam pellucida prorsus est, instar alterius cujusvis aquæ, ut haurientibus patet. Sed rubrum colorem repræsentant pluribus locis arenæ rubeæ seu corallinæ quibus maris illius fundus scatet. Ita Barrius, Andreas Masius, et Conimbricenses [1].

Allegorice mari huic comparat baptismum apostolus Paulus 1. ad Corinth. 10, et fuse exponunt Origenes, Theodoretus, Rupertus.

(1) In Meteora tract. 8, c. 2.

CAPUT XV.

Moyses et Hebræi canunt epinicion Deo, uti et Maria cum feminis. Veniunt Hebræi in Mara, ubi Moyses amaras aquas insperso ligno dulces reddit. Inde pergunt in Elim, ubi erant 12 fontes et 70 palmæ.

1. Tunc [1] cecinit Moyses et filii Israel carmen hoc Domino, et dixerunt: Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare.

2. [2] Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem: iste Deus meus, et glorificabo eum: Deus patris mei, et exaltabo eum.

3. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus.

4. Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare: electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro.

5. Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.

6. Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine: dextera tua, Domine, percussit inimicum.

7. Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos: misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam.

8. Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ: stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.

9. Dixit inimicus: Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea: evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.

(1) Sap. 10, vers. 20. (2) Isa. 12, vers. 2; Ps. 117, vers. 14.

10. Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare : submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

11. Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?

12. Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra.

13. Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti: et portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum.

14. Ascenderunt populi, et irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim.

15. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

16. Irruat super eos formido et pavor, in magnitudine brachii tui: fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.

17. Introduces eos, et plantabis in monte hereditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es, Domine : sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ.

18. Dominus regnabit in æternum et ultra.

19. Ingressus est enim eques Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare: et reduxit super eos Dominus aquas maris: filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio ejus.

20. Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris,

21. Quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino ; gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem ejus dejecit in mare.

22. Tulit autem Moyses Israel de mari Rubro, et egressi sunt in desertum Sur : ambulaveruntque tri-

℣. 13. *Portasti eum:* Enallage temporis præteriti pro futuro, est enim prophetia : id est portabis, *ad habitaculum sanctum tuum*, seu in terram sanctam, puta Chanaanitidem; quam versu 17 vocat *montem hereditatis et sanctuarium* Dei: quia Deus illam terram peculiariter designarat sanctificare non solum inhabitatione Patriarcharum, totiusque populi sui sancti, qui erat *hereditas* Dei: sed et templo suo istic exædificando, et cultu divino publice ibi excitando. Vocat vero *montem*, quia ut plurimum montuosa et clivosa erat terra Palæstinæ: et quia in ea erat mons Sion vel Moria, in quo prævidebat Moyses constructum iri templum Domini a Salomone. In hoc templo *regnabit Dominus*, seu rex ab omnibus agnoscetur, coletur, laudabitur, adorabitur, *in æternum et ultra* — Hyperbole, id est perpetuo scilicet quamdiu synagoga stabit, et quamdiu Ecclesia Christi durabit, cum militans in terris, quæ allegorice; tum triumphans in cælis, quæ anagogice per synagogam et templum Jerosolymitanum significatur. Ita S. Augustinus, Rabbi Salomon et Lyranus etiam ad litteram hæc omnia exponunt de patria cælesti seu Ecclesia triumphante [1].

℣. 20. *Maria prophetissa* — Nam revelationes ipsi peculiariter a Deo factas constat ex verbis Num. 12, v. 2: *Nonne et nobis similiter locutus est Dominus?* Petes, An Maria soror Moysis virgo permanserit; an vero fuerit matrimonio copulata? Virginem mansisse censet Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Cosmas Magallianus [2] fuisseque instar Sibyllæ. Nam si conjugata fuisset, jam non *soror Aaronis* aut Moysis, sed uxor talis, more S. Scripturæ hoc cap. et alibi vocaretur. Nolim tamen contendere cum Serario [3], et aliis qui secuti Josephum [4] censent nupsisse *Hur*, avo *Beseleelis*, cujus mentio fit Exod. 24, v. 14, ut fuse demonstrat Bonfrerius, et ex eo maxime quod illo tempore virginitatis studium et rarum esset, et laudi non daretur.

(1) Epinicium hoc fuisse hexametris versibus contextum scribit Josephus; qua de re vide Gilletum *admot.* XI *in* 2 *Judaic. Antiquit. lib.*

(2) Greg. Nyss. l. de Virginit., c. 19; Ambr. de Virginibus et epist. 82; Magall. in Cant. Moysis.
(3) L. 1 Josue, c. 3, q. 10. (4) L. 3 Ant., c. 2 et 4.

bus diebus per solitudinem, et non inveniebant aquam.

23. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ: unde et congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, id est, amaritudinem.

24. Et murmuravit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus?

25. At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum: quod [1] cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt; ibi constituit ei præcepta, atque judicia, et ibi tentavit eum,

26. Dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, et quod rectum est coram eo feceris, et obedieris mandatis ejus, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te: ego enim Dominus sanator tuus.

27. [2] Venerunt autem in Elim filii Israel, ubi erant duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmæ: et castrametati sunt juxta aquas.

℣. 25. *Ostendit ei lignum* — Verisimilius est fuisse certam speciem ligni, cui naturalis inesset virtus dulcorandi, (ut solet glycerizæ), et adustas terræ partes quæ reddunt aquas amaras, secernendi ac fugandi. Quod colligitur ex 38 c. Ecclesiastici v. 5, ubi ex professo deprædicans vim medicam variarum rerum naturalium, pro exemplo dat id de quo hic agimus lignum, cum ait: *Nonne a ligno indulcata est aqua amara?* Certe si solo miraculo id huic ligno obtigisset, nulla esset vis exempli ad commendandas aut comprobandas res medicas naturales. Ita Cajetanus, Lyranus, et Franciscus Valesius [3, 4].

Allegorice adumbratur virtus crucis Christi. Sicut vers. ult. per 12 fontes 12 Apostoli, per 70 palmas 70 discipuli Christi designantur, quorum opera totius mundi sitis et fames spiritualis depulsa fuit. Ita SS. Patres omnes et Doctores.

(1) Judith 5, vers. 15; Eccli. 38, vers. 5.
(2) Num. 33, ver. 9.
(3) De S. Philosophia, c. 15.
(4) Josephus hocce Dei beneficium mire extenuat, fabulisque corrumpit. Vide Bolland. § XXIV *Comm. de S. Moyse*, et Shuckfordium tom. 3 *Hist. Orbis sacr. et prof.*, pag. 5 seq. Verum hic quam recte Josephum castigat, tam impie divinam Ecclesiastici auctoritatem levissimis conjecturis aggreditur. Ait 1. Incredibile dictu esse, Moysen integram arborem in aquas injecisse, neque enim potuisset illam attollere; perinde ac si aut ligni nomen, quo Ecclesiasticus utitur, vel exiguo arboris ramo convenire non posset, aut arbor Moysis jussu a populo non potuerit cædi, et in aquas projici. Ait 2. Vel maximam arborem non potuisse momento dulcedinem cum aquis amaris, quæ restinguendæ immensæ multitudinis siti satis essent, communicare: sed neque Ecclesiasticus, nec Moses momento dulcoratas aquas fuisse scribit: finge aliquot horas insumptas: quid absurdi? Vin momento aquas dulcedine fuisse perfusas? Non potuit Deus naturalem ligni virtutem corroborare, ut momento conversio illa peragueretur? Ait 3. Plinium, et ceteros rerum naturalium peritos scriptores hujusmodi arborem ignorasse: at numquid non peritior Deus Plinio, omnibusque rerum naturalium studiosis ut arborem his ignotam, ejusque virtutem nosset? Quid porro mirum etiam post hocce Dei beneficium latuisse illos hanc arborem, quum nomen illius sacer scriptor siluerit, Hebræorumque res inter gentes non omnino fuerint divulgatæ? Hisce argumentis uti debuerat potius Shuckfordius, ut ostenderet (quod Grotius aliique ajunt) Ecclesiasticum minime spectasse, quo de hic agitur, miraculum, non ad elevandam sacri scriptoris auctoritatem.

CAPUT XVI.

Deficiente farina Hebræi fame pressi murmurant. Deus mittit coturnices, et pluit manna, quo illos aluit per 40 annos.

1. Profectique [1] sunt de Elim, et venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai: quintodecimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti.

2. Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen et Aaraon in solitudine.

(1) Sap. 11, vers. 2.

3. Dixeruntque filii Israel ad eos: Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate: cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?

4. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce, ego pluam vobis panes de cælo: egrediatur populus, et colligat quæ sufficiunt per singulos dies: ut tentem eum utrum ambulet in lege mea, an non.

5. Die autem sexto parent quod inferant: et sit duplum quam colligere solebant per singulos dies.

6. Dixeruntque Moyses et Aaron ad omnes filios Israel: Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti:

7. Et mane videbitis gloriam Domini: audivitenim murmur vestrum contra Dominum: nos vero quid sumus, quia mussitastis contra nos?

8. Et ait Moyses: Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, et mane panes in saturitate: eo quod audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis contra eum: nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.

9. Dixit quoque Moyses ad Aaron: Dic universæ congregationi filiorum Israel: Accedite coram Domino: audivit enim murmur vestrum.

10. Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem: et ecce gloria [1] Domini apparuit in nube.

11. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens:

12. Audivi murmurationes filiorum Israel: loquere ad eos: Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus; scietisque quod ego sum Dominus Deus vester.

13. [2] Factum est ergo vespere, et ascendens coturnix, cooperuit castra: mane quoque ros jacuit per circuitum castrorum.

14. Cumque operuisset superficiem terræ, [3] apparuit in solitudine minutum, et quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram.

15. Quod cum vidissent filii Israel,

ỳ. 9. *Accedite coram Domino* — Id est, convenite ad tabernaculum, ubi Deus publice colebatur, et quo omnes statis temporibus convenire solebant religionis et precationis causa. Nam tale aliquod tabernaculum fuisse in castris jam inde ab initio etiam ante quam extaret illud majus, quod paullo post Deo ex Sinai jubente constructum fuit, patet ex Exodi 33, v. 7 et sequentibus. Super hoc tabernaculo, cum Deus Moysi loqui vellet, apparebat *gloria Domini in nube;* id est, ex nube admodum lucida et splendida emicabat gloria et potentia divina, obumbrans verosimiliter Moysen istic orantem [4].

ỳ. 14. *Quasi pilo tusum* — Id est, quasi in mortariolo in minuta grana redactum et decorticatum. Ita Chaldæus; LXX *quasi crystallus,* quia erat colore albicante [5], et instar pruinæ, ut hic [6] dicitur, concretæ et conglaciatæ. Numerorum tamen undecimo dicitur fuisse coloris bdellii, hoc est albi ad flavedinem tendentis. Forte splendor albedini adjunctus flavum ex parte apparere faciebat. Licet etiam, teste Francisco Valesio [7], manna reperiatur nonnihil revera flavescens.

Petes, An cæleste illud manna fuerit ejusdem speciei cum nostro manna vulgari, quod in monte Libano [8], et in Arabia [9] passim, et etiam in Calabria [10] colligi

(1) Eccli. 45, vers. 3. (2) Num. 11, v. 31.
(3) Num. 11, vers. 31; Psalm. 77, vers. 24.
(4) Vers. 13: [a] *Factum est ergo vespere, et ascendens coturnix cooperuit castra.* Ita ad unum omnes cum LXX. Auctore sapientiæ xvi, 3, Philone. Verum Ludolphus *Hist. Æthiop.* et post eum Saurinus locustas in coturnicum locum sufficere se posse sunt arbitrati, quin risui eruditorum omnium virorum obnoxios se se præberent. Hocce commentum Clericus, et multo luculentius Gilletus in lib. 3 *Antiq. Judaic.,* adnot. 1 confutavit.
(5) Hic vers. 31. (6) Vers. 14.
(7) Supra cap. 57.
(8) Galenus lib. 3 de alimentis.
(9) Josephus supra c. 1.
(10) Matthiolus in Dioscoridem l. 1, c. 37.

dixerunt ad invicem: Manhu? quod significat: Quid est hoc? ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses: [1] Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.

16. Hic est sermo, quem præcepit Dominus: Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum: gomor per singula capita, juxta numerum animarum vestrarum quæ habitant in tabernaculo sic tolletis.

17. Feceruntque ita filii Israel: et collegerunt, alius plus, alius minus.

18. Et mensi sunt ad mensuram gomor: [2] nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus pa-

solet? Respondeo, quoad substantiam videri fuisse ejusdem speciei. Ita Franciscus Valesius, Levinus Lemnius, et Conimbricenses [3]. Sed accidentariis præcellentiis longe nobilius erat nostro: nam ut de quantitate taceam, quæ vicies aut trieies centenis hominum millibus quotidie pascendis sufficeret; præter morem vulgaris mannæ, quod solis diebus æstivis, serenis et rorulentis generatur: istud Moysis manna quotidie depluebat, tam hieme, quam æstate, idque totis quadraginta annis solis Sabbatis exceptis: sed tunc pridie, scilicet die Veneris, duplum depluebat, quantum nempe biduo nutriendis omnibus necessum et satis esset. Secundo, manna Moysis asservatum in alterum hebdomadæ diem quam Sabbatum, putrescebat, angelo materiam dissolvente, cum tamen natura sua posset diutius asservari. Tertio, sole liquescebat quod in agro remanserat, cum quod in vasis collectum erat, usque eo durum esset, ut et pilo et mola tunderetur, nec igne liquesceret, sed in tortulas formaretur, Num. 2, v. 8 [4]. Quarto, æquali apud omnes mensura *gomor* (scilicet quæ cuivis, etiam edaciori stomacho sufficeret) collectum domi reperiebatur, quantumcumque quis ex agro seu plus seu minus corrasisset [5]. Quinto, sapore erat præstantissimo: nam præter melleum, qui mannæ congenitus est, ad vitandam nauseam indiderat Deus supranaturam, illi omnem saporem, quem comedentium quisque optabat, ita Sapientiæ 16, vv. 20 et 21. Unde et ibidem c. 19, v. 20, in Græco manna vocatur ambrosia, quæ ob delicias a poetis fingitur esse cibus deorum, et ferculum immortalitatis. Ita Abulensis, Hugo Cardinalis et alii. Sed hoc non murmuratoribus aut dyscolis, qui nauseabant *super cibo isto levissimo*, Num. 2, sed solis *filiis* Dei, seu justis, privilegium concessum erat, inquit S. Augustinus.

Qui et allegorice hæc omnia applicat venerabili Eucharistiæ. Tropol. S. Greg. gratiæ et consolationi divinæ. Anagogice uterque deliciis Beatorum; ut etiam insinuatur Apoc. 2, v. 17. Vide etiam Cyrillum, Chrysostomum, Theophylactum et Rupertum. Non tamen ideo manna istud *panis cœli et panis angelorum* vocatur, quasi eo vescerentur et angeli, sed quia ope angelorum ex vicino aere, qui nomine cœli intelligitur, quotidie producebatur: vel per catachresin, *panis angelorum*, id est panis optimus et angelis dignus. Simile manna simili miraculo post Christi tempora, Honorio et Theodosio Imperatoribus, in insulis Balearibus depluit rursum Deus in gratiam Judæorum qui tum plurimi ad fidem Christi accedebant [6]. Et alias iterum eodem manna pavit aliquamdiu decem illa Martyrum millia, de quibus Serarius noster c. 5 in Josue q. 37.

(1) 1 ad Cor. 10, vers. 3.
(2) 2 ad Cor. 8, vers. 15.
(3) Lemnius de Herbis Biblicis, c. 3; Conimbr. tract. 7 in Meteora, cap. 1.
(4) Salmasius in Exercitationibus *de Homonymis Hyles Iatricæ* ex sequentibus confutatur: putavit enim ille, manna Hebræorum nihil a communi distulisse. Clericus, Calmetius, Saurinus in hunc Exodi locum Salmasium pluribus refellerunt.
(5) Negat hoc Shuckfordius tom. 3 *Hist. Orbis sac. et prof.*, pag. 14, ut quid enim, inquit, jussisset Deus, gomor colligi per singula capita si miraculo æquare mensuras instituisset? Non ergo quod in Vulgata legitur, Dei miraculo qui plus collegerat, æquam, atque ille qui minus collegerat, portionem habuit, sed Mosis voluntate, atque administratione. Hæc ille, qui huc etiam invitum trahit Paullum 2 ad Cor. 8, vers. 15. Sed necesse non est, novam hancce interpretationem, quæ etiam cum LXX interpretum versione pugnat, inducere. Jussit Deus gomor a singulis colligi; tum ut inobedientiam audaciamque eorum confunderet, qui plus collegerant, miraculo illorum mensuram minuit, ceterisque cœquavit: quid hic, quod fidem superet? Sed nimirum miracula ad Protestantium palatum non sunt.
(6) Baron. t. 5 ex Severo Episc. Minoricensi.

raverat, reperit minus: sed singuli juxta id quod edere poterant, congregaverunt.

19. Dixitque Moyses ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane.

20. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis usque mane, et scatere cœpit vermibus, atque computruit: et iratus est contra eos Moyses.

21. Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum: cumque incaluisset sol, liquefiebat.

22. In die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est, duos gomor per singulos homines: venerunt autem omnes principes multitudinis, et narraverunt Moysi.

23. Qui ait eis: Hoc est quod locutus est Dominus: Requies sabbati sanctificata est Domino cras; quodcumque operandum est facite, et quæ coquenda sunt coquite: quidquid autem reliquum fuerit, reponite usque in mane.

24. Feceruntque ita ut præceperat Moyses, et non computruit, neque vermis inventus est in eo.

25. Dixitque Moyses: Comedite illud hodie, quia sabbatum est Domini: non invenietur hodie in agro.

26. Sex diebus colligite: in die autem septimo sabbatum est Domini, idcirco non invenietur.

27. Venitque septima dies: et egressi de populo ut colligerent, non invenerunt.

28. Dixit autem Dominus ad Moysen: Usquequo non vultis custodire mandata mea et legem meam?

29. Videte quod Dominus dederit vobis sabbatum, et propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices: maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo.

30. Et sabbatizavit populus die septimo.

31. Appellavitque domus Israel nomen ejus Man: quod erat quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi similæ cum melle.

32. Dixit autem Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, et custodiatur in futuras retro generationes: ut noverint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti.

33. Dixitque Moyses ad Aaron: Sume vas unum, et mitte ibi Man, quantum potest capere gomor: et repone coram Domino, ad servandum in generationes vestras:

34. Sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum.

35. [1] Filii autem Israel comedesunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terræ Chanaan.

36. Gomor autem decima pars est ephi.

(1) 2 Esd. 9, vers. 21; Judith. 5, vers. 15.

CAPUT XVII.

Ob sitim murmurat iterum populus: sed Moyses jussu Dei percutiens petram in Raphidim copiosas inde aquas elicit. Amalec invadit Hebræos, sed orante Moyse cæditur a Josue.

1. Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin per mansiones suas, juxta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo.

2. [1] Qui jurgatus contra Moysen,

(1) Num. 20, vers. 4.

ait: Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moyses: Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum?

3. Sitivit ergo ibi populus præ aquæ penuria, et murmuravit contra Moysen, dicens: Cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, et liberos nostros, ac jumenta, siti?

4. Clamavit autem Moyses ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? adhuc paululum, et lapidabit me.

5. Et ait Dominus ad Moysen: Antecede populum, et sume tecum de senioribus Israel: et virgam qua [1] percussisti fluvium, tolle in manu tua, et vade.

6. En ego stabo ibi coram te, supra petram Horeb: percutiesque petram, et exibit ex ea aqua, ut bibat populus. Fecit Moyses ita coram senioribus Israel:

7. Et vocavit nomen loci illius, Tentatio, propter jurgium filiorum Israel, et quia tentaverunt Dominum, dicentes: Est ne Dominus in nobis, an non?

8. [2] Venit autem Amalec, et pugnabat contra Israel in Raphidim. 9. Dixitque Moyses ad Josue: Elige viros, et egressus, pugna contra Amalec: cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea.

10. Fecit Josue ut locutus erat Moyses, et pugnavit contra Amalec; Moyses autem et Aaron et Hur ascenderunt super verticem collis.

11. Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.

12. Manus autem Moysi erant graves: sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem et Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte.

℣. 11. [3] *Cum levaret Moyses manus* — scilicet in cælum ad Deum, supple, cum frequenti prece, et contentione animi. Oleaster et Cajetanus volunt Moysen ita elevasse manus, ut eas invicem conjungeret, et inter utramque tenuisse *virgam Dei*, id est, illam thaumaturgam, qua ope Dei patrabantur tot miracula. Sed Justinus [4], Tertullianus et Prosper dicunt, expandisse utrimque manus in formam crucis. Ac primo sic stantem orasse vult S. Jo. Chrysostomus, Hugo de S. Victore, et Serarius [5]: deinde cum *graves* fierent *manus*, id est cum diuturna expansione gravarentur, et præ lassitudine subsiderent, saxo impositum sedisse, atque ita brachia sedentis commode ab Aarone et Hur sustentari potuisse. Hoc vero publico symbolo protestabatur Moyses, se non ab imbelli suorum turba, sed cælitus a Deo sperare et orare victoriam. Dicit Josephus, ex Hebræis eo bello ne vel unum cecidisse. Sed hoc verosimile non videtur, cum hic expresse dicatur, Moyse remittente manus, superasse Amalec Hebræos, quod insinuat, saltem aliquot ex Hebræis cæsos fuisse. Narrat Baronius [6] ex Niceta Choniata similes victorias complures ex Scythis retulisse Cajo-Joannem Alexii Comneni filium in Oriente Imperatorem, cum simili brachiorum expansione Deum exoraret. Narrat et Pater du Jarric [7], pauculos Lusitanos in Africa duodecies centena millia Angolanorum incredibili celeritate fudisse fugasseque, cum Pater Barreira e Societate *Jesu* manus ex urbis vicinæ mœnibus, instar Moysis, ad cælum protenderet, non nisi pauculis suorum amissis, qui, dum idem Pater manus nonnihil remisisset, prostrati fuerant.

(1) Sup. 14, vers. 21; Psalm. 77, vers. 15; 1 ad Cor. 10, vers. 4.
(2) Judith 4, v. 13. Sap. 11, v. 3. Deut. 25, v. 17.
(3) Vers. 6: " *Percutiesque petram, et exibit ex ea aqua.* Ajebat Tertullianus *de Baptismo; hæc est aqua, quæ de* COMITE *petra populo defluebat.* Rabbini atque Usserius idem sentiunt, petram nimirum hic a Moyse percussam Israelitas esse in itinere comitatam: quod videtur Paulus indicare, 1 ad Cor. 10, vers. 4. Alii non petram ipsam, sed aquas ex ea miraculo derivatas ajunt in flumen quoddam conversas, quod in deserto Israelitas quocumque irent, comitabatur, dum Kades pervenissent. Utramque sententiam refellit miraculorum osor Shuckfordius tom. 3 *Hist. Orbis sacr. et prof*, pag. 19 seqq.
(4) Contra Tryphonem.
(5) Lib. 1 Josue, cap. 3, q. 11.
(6) Cap. 12 ad annum Christi 1123.
(7) In Hist. Indic.

Et factum est ut manus illius non lassarentur usque ad occasum solis.

13. Fugavitque Josue Amalec, et populum ejus in ore gladii.

14. Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monimentum in libro, et trade auribus Josue: delebo enim memoriam Amalec sub cælo.

15. Ædificavitque Moyses altare: et vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea, dicens:

16. Quia manus solii Domini, et bellum Domini, erit contra Amalec, a generatione in generationem.

℣. 14. *Scribe hoc ob monimentum*, hoc est, in memoriam perpetuam, *et trade auribus Josue*, seu, refer et indica Josue reliquorum bellorum duci futuro. Refer, inquam, quod sequitur, nempe delendam *memoriam Amalec sub cælo*, unde versu ult. additur: *Quia manus solii Domini*, id est potentia seu virtus divina, a solio majestatis ejus protensa, *et bellum Domini*, id est bellum [1] sævissimum crudelissimumque *erit* perpetuo Hebræis cum Amalecitis. Ita Lyranus et Dionysius Carthusianus. Cujus ejusdem rei præceptum Israelitis datur Deuter. 25, v. 17. Exterminati vero sunt de facto a Saule 1. Reg. 15, cum jubente Deo internecione deleti sunt Amalecitæ. Erant hi oriundi, et denominati ab Amalec nepote Esau Genes. 36, v. 12, et 1. Paral. 1, v. 36. Causæ belli erant vetus odium posterorum Esau in posteros Jacobi, quodque ob ereptam olim primogenituræ prærogativam, ab illis sibi metuerent [2].

Tropologice, egressis ex Ægypto vitiorum occurrent Amalecitæ, seu hostium et tentationum omne genus: sed virtute crucis Christi omnia facillime dissipantur.

(1) Gen. 10, vers. 8, et cap. 13, vers. 13.
(2) Mira hic comminiscitur Shuckfordius, atque Hebræum textum audacter corrigit, ut demum hunc esse sensum vers 16 colligat: *Quia manus* (Amalec) *fuit contra vos, bellum Domini*, etc. Vide illum tom. 3, pag. 29. Formam juramenti in iis verbis *manus solii Domini* agnosce, quamquam ita sentientes sugillet Scaliger lib. 3 *de emend. temp.*, pag. 223 Confer ex ipsis Protestantibus Joann. Franc. Buddeum in *Histor. Ecclesiast. Veter. Test.* tom. 1, pag. 602, et Zornium *Bibliogr. antiq. exeg.*, pag. 673 seqq.

CAPUT XVIII.

Jethro socer Moysis, uxorem ejus Sephoram cum filiis ad eum reducit: ejusque monitu Moyses cum pluribus aliis regimen populi partitur, creatque magistratus varios et judices.

1. Cumque audisset Jethro, sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat Deus Moysi, et Israeli populo suo, et quod eduxisset Dominus Israel de Ægypto:

2. Tulit Sephoram uxorem Moysi quam remiserat:

3. Et duos filios ejus, quorum unus vocabatur Gersam, dicente patre: [1] Advena fui in terra aliena.

4. Alter vero Eliezer: Deus enim, ait, patris mei adjutor meus, et eruit me de gladio Pharaonis.

5. Venit ergo Jethro cognatus Moysi, et filii ejus, et uxor ejus, ad Moysen in desertum, ubi erat castrametatus juxta montem Dei.

6. Et mandavit Moysi, dicens: Ego Jethro cognatus tuus venio ad te, et uxor tua, et duo filii tui cum ea.

7. Qui egressus in occursum cognati sui, adoravit, et osculatus est eum: salutaveruntque se mutuo verbis pacificis. Cumque intrasset tabernaculum,

8. Narravit Moyses cognato suo cuncta quæ fecerat Dominus Pha-

℣. 1. *Jethro cognatus Moysi* — In Hebraico, Chald. et Græco est, *socer Moysi*; ut constat ex cap. 3, v. 1 supra.

(1) Sup. 2, vers. 22

raoni, et Ægyptiis propter Israel: universumque laborem, qui accidisset eis in itinere, et quod liberaverat eos Dominus.

9. Lætatusque est Jethro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israeli, eo quod eruisset eum de manu Ægyptiorum,

10. Et ait: Benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu Ægyptiorum, et de manu Pharaonis, qui eruit populum suum de manu Ægypti.

11. Nunc cognovi, quia magnus Dominus super omnes deos: eo quod [1] superbe egerint contra illos.

12. Obtulit ergo Jethro cognatus Moysi holocausta et hostias Deo: veneruntque Aaron et omnes seniores Israel, ut comederent panem cum eo coram Deo.

13 Altera autem die sedit Moyses ut judicaret populum, qui assistebat Moysi a mane usque ad vesperam.

14. Quod cum vidisset cognatus ejus, omnia scilicet quæ agebat in populo, ait: Quid est hoc quod facis in plebe? cur solus sedes, et omnis populus præstolatur de mane usque ad vesperam?

15. Cui respondit Moyses: Venit ad me populus quærens sententiam Dei.

16. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me ut judicem inter eos, et ostendam præcepta Dei et leges ejus.

17. At ille: Non bonam, inquit, rem facis:

18. Stulto labore consumeris et tu, et populus iste qui tecum est: ultra vires tuas est negotium, [2] solus illud non poteris sustinere.

19. Sed audi verba mea atque consilia, et erit Deus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum:

20. Ostendasque populo cerimonias et ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, et opus quod facere debeant.

21. Provide autem de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos,

22. Qui judicent populum omni tempore: quidquid autem majus fuerit, referant ad te, et ipsi minora tantummodo judicent: leviusque sit tibi, partito in alios onere.

23. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, et præcepta ejus poteris sustentare: et omnis hic populus revertetur ad loca sua cum pace:

24. Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat.

25. Et electis viris strenuis de

¥. 11. *Nunc cognovi quia magnus Dominus* — Id est, certa claraque experientia didici potentiam divinam. Unde patet, hinc non sat solide collegisse Rabbi Kimki, Tostatum et Pererium; hunc *Jethro* non fuisse hucusque cultorem veri Dei, sed *sacerdotem* idolorum. Nam simili modo colligere liceret, Deum nescivisse Abraham timere Dominum, quia Genes. 22 simili phrasi ait, *Nunc cognovi quod timeas Deum.* Et verosimile est, hunc Jethro, qui et Raguel vocatur, fuisse ex filiis Abrahæ e Cetura prognatum, ut vult Demetrius historicus et alii apud Euseb. [3], qui illum ab Abrahamo quintum faciunt, et veri Dei sacerdotem, simul et suæ gentis principem vocant. Et ut daremus fuisse aliquando idololatram, ante Moysis ad eum accessum; quis credat, quadraginta annorum spatio, quibus apud eum Moyses permansit, non fuisse a Moyse instructum in cognitione et cultu veri Dei?

(1) Sup. cap. 1, vers. 14, et cap. 5, vers. 7, et cap. 10, vers. 10, et cap. 14, vers. 8.

(2) Deut. 1, vers. 12.

(3) Lib. 9 Præparat. Evang., cap. 4.

cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos et centuriones, et quinquagenarios, et decanos.

26. Qui judicabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo judicantes.

27. Dimisitque cognatum suum: qui reversus abiit in terram suam.

CAPUT XIX.

Hebræi veniunt in Sinai. Jussu Dei Moyses in montem ascendit: populus sanctificatur, præparaturque ad legem Dei reverenter excipiendam. Quo vero majore Dei metu et religione percellantur, Deus montem replet fumo, igne, fulguribus, tonitruis, terræ motu et buccinæ clangore.

1. Mense tertio egressionis Israel de terra Ægypti, [1] in die hac venerunt in solitudinem Sinai.

2. Nam profecti de Raphidim, et pervenientes usque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibique Israel fixit tentoria e regione montis.

3. [2] Moyses autem ascendit ad Deum, vocavitque eum Dominus de monte, et ait: Hæc dices domui Jacob, et annuntiabis filiis Israel:

4. Vos [3] ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quo modo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi.

5. Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: [4] mea est enim omnis terra.

℣. 1. *In die hac* — scilicet eadem, sive ejusdem numeri cum mense tertio: id est, tertia die tertii mensis. Hinc et ex v. 11 colligitur, legem e monte Sinai Judæis datam quinquagesima die post egressum ex Ægypto, nempe sexta die mensis Sevan: qua die Hebræi in memoriam tanti beneficii quotannis celebrabant festum Pentecostes, ut notat Genebrardus ex Calendario Hebræorum.

Nota. Hæc mansio in Sinai fuit duodecima. In qua manserunt immoti toto reliquo primo anno egressus sui ex Ægypto. Quo tempore composuit formavitque Deus Synagogam seu Ecclesiam Judæorum, leges dictando; sacerdotium, sacrificia, et varias cæremonias instituendo. Nam omnia quæ ab hoc c. 19 usque ad finem Exodi conscripta sunt, item quæ toto Levitico, et libro Numerorum usque ad medium cap. 10, gesta sunt uno hoc loco in Sinai. Ita S. Hieronymus.

Vide Chronicon cap. 19.

℣. 4. *Super alas aquilarum* — Hebræi sæpe omittunt particulas similitudinum; quæ nihilominus subaudiendæ sunt. Vult ergo dicere, quod instar aquilæ, quæ pullos suos suis alis altissime sed securissime vectat, et ad solis intuitum assuefacit, et prædam de longe prospicere atque invadere docet: ita Deus alis suæ potentiæ et providentiæ Hebræos ex nido Ægypti sustulit ad sui cognitionem et cultum, et ad prædam Amalecitarum et Chananæorum.

℣. 5. *Eritis mihi in peculium.* Id est, eritis mihi peculiaris hereditas, præ omnibus electa et dilecta. *Mea est enim omnis terra* — q. d. Etsi enim omnis terra pari jure mea sit, attamen vobis peculiariter hoc beneficii præstabo, ut sitis et vocemini passim *populus Dei* et *regnum sacerdotale;* id est, non laicum aut profanum regnum, sed sacrum, meoque cultui et sacrificiis peculiariter astrictum. LXX et ex eis S. Petrus [5], pro *peculio* et *regno sacerdotali,* vertunt, *populos acquisitionis,* et *regale sacerdotium,* quasi dicant, Populus quem Deus eruendo ex Ægypto sibi ut proprium acquisivit et vendicavit, et usque eo honoris ac dignitatis extulit, ut ex manci-

(1) Num. 33, vers. 15. (2) Act. 7, vers. 38.
(3) Deut. 29, vers. 2.
(4) Psalm. 23, vers. 1.
(5) 1. Petr. 2, vers. 9.

6. [1] Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. Hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israel.

7. Venit Moyses: et convocatis majoribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandaverat Dominus.

8. Responditque omnis populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Cumque retulisset Moyses verba populi ad Dominum,

9. Ait ei Dominus: Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, et credat tibi in perpetuum. Nuntiavit ergo Moyses verba populi ad Dominum:

10. Qui dixit ei: Vade ad populum, et sanctifica illos hodie, et cras, laventque vestimenta sua.

11. Et sint parati in diem tertium: in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai.

12. Constituesque terminos populo per circuitum, et dices ad eos: Cavete ne ascendatis in montem, [2] nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem, morte morietur.

13. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis: sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet; cum cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem.

14. Descenditque Moyses de monte ad populum, et sanctificavit eum. Cumque lavissent vestimenta sua,

15. Ait ad eos: Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris.

16. Jamque advenerat tertius dies, et mane inclaruerat: et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, et nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat: et timuit populus qui erat in castris.

17. Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis.

18. [3] Totus autem mons Sinai fumabat: eo quod descendisset Dominus super eum in igne, et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace: eratque omnis mons terribilis.

19. Et sonitus buccinæ paullatim crescebat in majus, et prolixius tendebatur: Moyses loquebatur, et Deus respondebat ei.

20. Descenditque Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, et vocavit Moysen in cacumen ejus. Quo cum ascendisset,

21. Dixit ad eum: Descende, et contestare populum: ne forte velit

piis reges ac sacerdotes fecerit, ut habet Chaldæus, quæ utraque dignitas omnium suprema est, maximeque sublimis in orbe terrarum.

℣. 10. *Sanctifica illos hodie et cras* — Hebraismo. Id est, separa, sejunge populum ab omni sorde; quod fiebat lotione corporum, vestium, vasorum, emundatione castrorum, continentia ab uxoribus, etc. Sic v. 23 dicitur mons Sinai fuisse *sanctificatus*, id est, termino separatus ab accessu populi, ut ita quasi soli Deo dicatus videretur, et nemo illum tamquam rem profanam contingeret.

℣. 13. *Cum cœperit clangere buccina.* In Hebræo, Chaldæo et Græco additur, *prolixius;* q. d. Cum Israelitæ altiorem et prolixiorem e monte Sinai audierint sonum ab angelis edendum, qui sonus sonum buccinæ referet, *tunc ascendant in montem* — non in cacumen, quia id omnibus præterquam uni Moysi vetitum fuerat; sed ad radices montis, ubi termini statuti erant, quos transire nemini licebat. Ergo strepitu buccinæ angelicæ evocandi dicuntur e castris ad radicem montis Sinai, e quo Deus augusta et majestatis plena voce Decalogum toto audiente populo detonabat.

(1) 1 Petr. 2, v. 9. (2) Ad Hebr. 12, vers. 18. (3) Deut. 4, vers. 11.

transcendere terminos ad videndum Dominum, et pereat ex eis plurima multitudo.

22. Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.

23. Dixitque Moyses ad Dominum: Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai: tu enim testificatus es, et jussisti, dicens: Pone terminos circa montem, et sanctifica illum.

24. Cui ait Dominus: Vade, descende: ascendesque tu, et Aaron tecum, sacerdotes autem et populus ne transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne forte interficiat illos.

25. Descenditque Moyses ad populum, et omnia narravit eis.

CAPUT XX.

Angelus vice Dei ex monte Sinai proclamat et promulgat Decalogum toti populo Hebræorum. Sed hi malunt, internuntio Moyse mandata Dei sibi exponi. Moyses ergo ascendit ad Deum in caliginosiore montis loco latentem: jubeturque ante omnia facere altare ex terra vel lapide infecto.

1. Locutusque est Dominus cunctos sermones hos:

2. [1] Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis.

3. Non habebis deos alienos coram me.

4. [2] Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, et quæ in terra

℣. 4. *Non facies tibi sculptile* — LXX *idolum*. Id est, imaginem Dei falsi et ficti. Non ergo prohibetur hic quævis imago, ut vult Calvinus et alii nostri hæretici: sed sola imago alterius Dei, vel, si veri Dei, sola imago qua divina natura ex se incomprehensibilis, ad vivum repræsentetur (ut idololatræ fingebant) idque sive ea per se, vel in se repræsentetur, sive per aliquam creaturam, v. g. solem, lunam, vitulum, bovem, etc. Et sic explicans infra v. 23, quid intelligat per *sculptile*, dicit, *Non facietis deos argenteos: nec deos aureos*. Et patet clarissime ex eo quod hic subdit: *Non adorabis ea, neque coles*, vel, ut clarius in Levit. cap. 26, vers. 1: *Non facietis vobis idolum et sculptile, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum*. Ubi plura vide hac de re. Ergo seclusa adoratione, et periculo idololatriæ non vetatur hic usus imaginum seu Dei veri, seu creaturarum: nam Deus ipsemet, etiam post hoc præceptum, jussit *serpentem æneum* [3] fieri: jussit *duos Cherubinos*, etiam in Sancto sanctorum collocari. Quibus plurimos alios Cherubinos [4] in omnibus parietibus templi Salomon adjecit: itemque 12 boves æneos [5] qui sustinerent mare æneum: et in solio suo leones [6] et leunculos, etc. Quin et ipse Deus imaginem quoque sui corpoream humanamque objecit oculis Moysis [7], Josue [8], Isaiæ [9], Ezechielis [10], Danielis [11], et S. Joannis [12], non spectandam modo, sed et venerandam. Unde constat, hæc per se illicita aut prohibita non fuisse. Judæi tamen, maxime posterioribus seculis, conscii suæ infirmitatis, et in idololatriam pronitatis, quo remotiores essent ab omni periculo, omnem imaginum usum sibi ultro interdixisse videntur, et hoc est quod Philo, et Josephus, et Origenes [13] et alii [14] subinde insinuant,

(1) Deut. 5, vers. 6; Psalm. 80, vers. 11.
(2) Levit. 26, vers. 1; Deut. 4, vers. 15; Jos. 24, vers 14.
(3) Num. 21. (4) 3 Reg. 6.
(5) 3 Reg. 7, vers. 25.
(6) Cap. 10, vers. 20. (7) Exod. 33 et 34.
(8) Josue 5, vers. 13. (9) Isa. 6, vers. 1.
(10) Ezech. 1, vers. 26. (11) Dan. 7, vers. 9.
(12) Apoc. 1, vers 13.
(13) Philo in Flaccum, et in legat. ad Cajum; Josephus l. 15 Antiquit., c. 11; l. 17, c. 8; l. 18, c. 4, et de Bello l. 1, c. 1, et l. 2, c. 8, et l. 2 contra Apionem; Orig. l. 4 contra Celsum.
(14) Tertull. l. 4 contra Marcionem, cap. 22, et alii apud Vasquez t. 1 in 3 p., disput. 304, c. 1.

deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra.

5. Non adorabis ea, neque coles: ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me:

6. Et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea.

7. [1] Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

8. [2] Memento ut diem sabbati sanctifices.

9. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua.

10. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas.

11. [3] Sex enim diebus fecit Dominus cælum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum.

12. [4] Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

13. [5] Non occides.

14. Non mœchaberis.

15. Non furtum facies.

16. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

17. [6] Non concupisces domum

illicitum fuisse Judæis habere statuas vel imagines. Illicitum, inquam, non lege naturali, aut positiva Dei, sed proprio decreto, et majorum traditione ubique recepta. Cogebantur tamen subinde imperio tyrannorum nummos admittere Cæsaris imagine notatos, ut colligitur ex Matthæi 22: *Cujus est imago hæc et superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris.* Nihil ergo hinc erui potest contra usum vel cultum imaginum inter Christianos, qui periculo tali idololatriæ obnoxii non sunt, et apud quos numquam lex ejusmodi fuit: neque Christiani adstringuntur traditionibus Judaicis, aut legibus cæremonialibus eorumdem; qualis ut summum esset illa lex divina positiva, si quæ aliquando fuisset, quæ illis imaginum usum inhibuisset.

¶. 5. *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem* — si nempe filii sequantur et imitentur peccata patrum. Ita Chaldæus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Chrysostomus, Theodoretus, S. Thomas [7] et alii. In quo sane nihil notari potest inclementiæ aut severitatis. Quin potius maximæ clementiæ est, cum quis pœnam meretur, non statim punire, sed eo usque differre, ut, si posteri se corrigant, nec parentum scelera imitentur, paratus sit pœnam omnino tollere: sin pergant in parentum impietate, tamen nonnisi post aliquot generationes pœnam irrogare.

Nota, Deum tali casu non gravius filios punire quam propria ipsorum peccata mereantur; sed tamen gravius punire quam solos filios peccantes punivisset, si parentum et avorum peccata non præcessissent. Tunc enim completa peccatorum mensura a se prædefinita, ad plenam vindictam prosilit, alias vindictam majore misericordia temperaturus. Quod subinde quidam filiorum etiam innocentes involvantur iisdem malis quibus nocentes, id nonnisi in corporalibus et temporalibus locum habet: neque pœnæ sunt illis, sed solum pœnalitates seu molestiæ quædam, et materia majoris virtutis ac meriti: qualem etiam justissimis et maximis amicis suis sæpenumero Deus immittit, ad majus illorum bonum et gloriam.

(1) Deut. 5, vers. 11; Levit. 19, vers. 12; Matth. 5, vers 33.
(2) Ezech. 20, v. 12; Deut. 5, v. 14; Infr. 31, v. 13.
(3) Gen. 2, vers. 2.
(4) Deut. 5, vers. 16; Matth. 15, vers. 4; Ad Ephes. 6, vers. 2.
(5) Matth. 5, vers. 21.
(6) Ad Rom. 7, vers. 7, et 13, vers. 9.
(7 Hieron. in Ezech. 18; Aug. in Qq. veteris et novi Testam., c. 14; Greg lib. 15 Moral., c 22; Chrysost. in Psalm. 48; Theod. q. 40 in Exodi; S. Thom. 1. 2. q. 87, a. 8.

proximi tui: nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

18. Cunctus autem populus videbat voces et lampades, et sonitum buccinæ, montemque fumantem: et perterriti ac pavore concussi, steterunt procul,

19. Dicentes Moysi: Loquere tu nobis, et audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.

20. Et ait Moyses ad populum: Nolite timere: ut enim probaret vos venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis.

21. Stetitque populus de longe. [1] Moyses autem accessit ad caliginem in qua erat Deus.

22. Dixit præterea Dominus ad Moysen: Hæc dices filiis Israel: Vos vidistis quod de cælo locutus sim vobis.

23. Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis.

24. [2] Altare de terra facietis mihi, et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra, oves vestras et boves, in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei: veniam ad te, et benedicam tibi.

25. [3] Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim levaveris cultrum super eo, polluetur.

26. Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.

(1) Ad Hebr. 12, vers. 18. Deut. 18, vers. 16.
(2) Infr. 27, vers. 8, et 38, vers. 7.

(3) Deut. 27, vers. 5; Jos. 8, vers. 31.

CAPUT XXI.

Sicut cap. præcedenti sanxerat Deus præcepta moralia, nempe Decalogum: sic hoc capite sancit judicialia, circa servos, ancillas, furta, homicidia, maledicta, rixas, legem talionis, etc.

1. Hæc sunt judicia quæ proponeş eis.

2. Si [1] emeris servum hebræum, sex annis serviet tibi: in septimo egredietur liber gratis.

3. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat: si habens uxorem, et uxor egredietur simul.

4. Sin autem dominus dederit illi uxorem, et pepererit filios et filias: mulier et liberi ejus erunt domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo.

5. Quod si dixerit servus: Diligo dominum meum et uxorem ac liberos, non egrediar liber:

6. Offeret eum dominus diis, et applicabitur ad ostium et postes, perforabitque aurem ejus subula: et erit ei servus in seculum.

v. 6. *Offeret eum diis* — Id est, judicibus seu magistratibus, qui participant aliquid divinitatis, nempe judiciariam potestatem, dum exercent judicium et justitiam nomine et vice Dei. Volebat autem Deus in re tanti momenti, quanti est perpetua servitus, nihil temere aut inconsulto fieri; sed rem per judices publicos cognosci, et nonnisi ex illorum sententia constitui. Cognita vero servi voluntate, *applicandus* erat *ad ostium* domus heri sui, ut habetur expresse Deut. 15 [2], et *ad postem perforanda auris subula:* idque non tam in pœnam aut ignominiam, ut qui negligeret recuperare libertatem, quæ beneficio legis illi offerebatur, ut putat S. Thomas, Cajetanus, Abulensis et Lyranus: quam in signum perpetuæ servitutis, et renunciationis juris sui: ut explicat Theodoretus, Rupertus et Li-

(1) Deut. 15, vers. 12; Jerem. 34, vers. 14.

(2) Deut. 15, vers. 17, et ita explicat Glossa ordinaria, Cajetan., Lipom., Bonfrer.

7. Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt.

8. Si displicuerit oculis domini sui cui tradita fuerat, dimittet eam: populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreverit eam.

9. Sin autem filio suo desponderit eam, juxta morem filiarum faciet illi.

10. Quod si alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias, et vestimenta, et pretium pudicitiæ non negabit.

11. Si tria ista non fecerit, egredietur gratis absque pecunia.

12. [1] Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.

13. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus: [2] constituam tibi locum in quem fugere debeat.

14. Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias: ab altari meo evelles eum, ut moriatur.

15. Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.

16. Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur.

17. [3] Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur.

18. Si rixati fuerint viri, et percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo:

19. Si surrexerit, et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit, ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat.

20. Qui percusserit servum suum vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit.

21. Sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est.

22. Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem prægnantem, et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subjacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, et arbitri judicaverint.

23. Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima,

24. [4] Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede,

25. Adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.

26. Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit.

27. Dentem quoque si excusserit servo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos.

28. Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur: et non comedentur carnes ejus, dominus quoque bovis innocens erit.

29. Quod si bos cornupeta fuerit

pomanus. Nam hac cæremonia designabatur, servum debere domino suo perpetuam obedientiam, atque ita posti domus affixum, et ostio conclusum esse, ut illo egredi non possit nisi voluntate aut jussu domini sui.

Nota tamen, quod hic dicitur, *Et erit ei servus in seculum*, non necessario intelligendum de toto tempore vitæ servi illius; sed ab interpretibus limitari usque ad annum Jubilæum, qui erat quinquagesimus cujusque seculi: sive is adhuc procul, sive parum abesset. Erat enim adhuc alia tum lex Levitici 25, quæ hanc rursus servitutis obligationem relaxari jubebat, additis etiam aliis quibusdam servi manumittendi privilegiis, ut exponit Josephus [5], et alii passim.

(1) Levit. 24, vers. 17. (2) Deut. 19, vers. 2. (3) Levit. 20, vers. 9; Prov. 20, v. 20; Matth. 15, vers. 4; Marc. 7, vers. 10.

(4) Matth. 5, vers. 38; Levit. 24, vers. 20; Deut. 19, vers. 21.
(5) Lib. 4 Antiq., cap. 8.

ab heri et nudiustertius, et contestati sunt dominum ejus, nec recluserit eum, occideritque virum aut mulierem: et bos lapidibus obruetur, et dominum ejus occident.

30. Quod si pretium fuerit ei impositum, dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus.

31. Filium quoque et filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subjacebit.

32. Si servum ancillamque invaserit, triginta siclos argenti domino dabit, bos vero lapidibus opprimetur.

33. Si quis aperuerit cisternam, et foderit, et non operuerit eam, ceciderit bos aut asinus in eam,

34. Reddet dominus cisternæ pretium jumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit.

35. Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et ille mortuus fuerit: vendent bovem vivum, et dividentpretium, cadaver autem mortui inter se dispertient.

36. Sin autem sciebat quod bos cornupeta esset ab heri et nudiustertius, et non custodivit eum dominus suus: reddet bovem pro bove, et cadaver integrum accipiet.

CAPUT XXII.

Pergit sancire leges judiciales de furto, de deposito, de commodato, de fornicatione, de maleficiis, de charitate in peregrinos, viduas, pupillos: de usura et pignore: de decimis et primitiis.

1. Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, et occiderit vel vendiderit: quinque boves pro uno bove restituet,[1] et quatuor oves pro una ove.

2. Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis.

3. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur.

4. Si inventum fuerit apud eum quod furatus est, vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis: duplum restituet.

5. Si læserit quispiam agrum vel vineam, et dimiserit jumentum suum ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet.

6. Si egressus ignis invenerit spinas, et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit.

7. Si quis commendaverit amico pecuniam, aut vas in custodiam, et ab eo qui susceperat, furto ablata fuerint: si invenitur fur, duplum reddet.

8. Si latet fur, dominus domus

℣. 1. Quare fur *quinque boves pro uno bove restituet*, et solum *quatuor oves pro una ove?* Respondet Theodoretus et sanctus Thomas[2], quia majus furtum et damnum est bovis subducti, nam bos etiam arationi servit, non item ovis: ergo etiam majori pœna plectendum cum simul furto impediatur agricultura.

Nota, has et sequentes leges judiciales positivas usque ad c. 25, quia pœnales fere sunt, non obligasse nisi post sententiam judicis, qua quis damnabatur ad tale auctarium, vel aliam pœnam subeundam.

(1) 2 Reg. 12, vers. 6.

(2) S. Thom. 1. 2. q. 105, a. 2 ad 9.

applicabitur ad deos, et jurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui,

9. Ad perpetrandam fraudem, tam in bove, quam in asino, et ove ac vestimento, et quidquid damnum inferre potest: ad deos utriusque causa perveniet: et si illi judicaverint, duplum restituet proximo suo.

10. Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem, et omne jumentum ad custodiam, et mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit:

11. Jusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui: suscipietque dominus juramentum, et ille reddere non cogetur.

12. [1] Quod si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino.

13. Si comestum a bestia, deferat ad eum quod occisum est, et non restituet.

14. Qui a proximo suo quidquam horum mutuo postulaverit, et debilitatum aut mortuum fuerit domino non præsente, reddere compelletur.

15. Quod si impræsentiarum dominus fuerit, non restituet, maxime si conductum venerat pro mercede operis sui.

16. [2] Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, et habebit eam uxorem.

17. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.

18. Maleficos non patieris vivere.

19. Qui coierit cum jumento, morte moriatur.

20. [3] Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli.

21. Advenam non contristabis, neque affliges eum: advenæ enim et ipsi fuistis in terra Ægypti.

22. [4] Viduæ et pupillo non nocebitis.

23. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum:

24. Et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli.

25. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.

26. [5] Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei.

27. Ipsum enim est solum quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat: si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.

28. Diis non detrahes, et [6] principi populi tui non maledices.

29 Decimas tuas, et primitias tuas non tardabis reddere: [7] primogenitum filiorum tuorum dabis mihi.

30. De bobus quoque, et ovibus similiter facies: septem diebus sit cum matre sua, die octava reddes illum mihi.

31. Viri sancti eritis mihi: [8] carnem, quæ a bestiis fuerit prægustata, non comedetis, sed projicietis canibus.

(1) Gen. 31, vers. 39.
(2) Deut 22, vers. 28.
(3) Levit. 19, vers. 4. (4) Zach. 7, vers. 10.
(5) Deut. 24, v. 13. (6) Act. 25, vers. 5.
(7) Ezech. 44, vers. 30. Sup. 13, vv. 2 et 12. Infra 34, vers. 19. (8) Levit. 22, vers. 8.

CAPUT XXIII.

Leges aliæ judiciales circa charitatem erga proximum, et personarum ac munerum acceptionem. Mox subdit quasdam cæremoniales leges de sabbato seu quiete septimi anni, et tribus præcipuis anni festis. Denique promittit Deus Hebræis angelum ducem perpetuum et custodem, aliaque bona, si legibus suis obediant.

1. Non suscipies vocem mendacii: nec junges manum tuam ut pro impio dicas falsum testimonium.

2. Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies.

3. Pauperis quoque non misereberis in judicio.

4. [1] Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.

5. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.

6. Non declinabis in judicium pauperis.

7. Mendacium fugies; [2] insontem et justum non occides: quia aversor impium.

8. [3] Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum.

9. Peregrino molestus non eris: scitis enim advenarum animas: quia et ipsi [4] peregrini fuistis in terra Ægypti.

10. Sex annis seminabis terram tuam, et congregabis fruges ejus.

11. Anno autem septimo [5] dimittes eam, et requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui; et quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri: ita facies in vinea, et in oliveto tuo.

℣. 11. *Anno septimo dimittes eam* (terram), *et requiescere facies* —

Nota. Sicut septima hebdomadæ dies ex decreto Dei erat sabbatum hominum, ita septimus annus erat sabbatum terræ, id est plena quies terræ, ut eam nec aratro subigere, nec conserere, nec demetere liceret, Levitici 25, v. 4. Hinc et *sabbaticus* vocabatur hic annus: inchoabaturque non a mense *Nisan* seu Martio nostro (unde exordium sumebat annus sacer [6]), quia sic periissent messes duorum annorum: sed a mense *Tisri* [7], seu Septembri nostro, a quo civilem annum suum more Ægyptiorum et aliarum gentium etiam Judæi inchoabant: uti et annum suum Jubilæum, qui mense septimo, die decima, cum festo expiationis, ex præscripto Dei inchoabatur, Levit. 25, vers. 9. Ita Burgensis, Cajetanus, Scaliger, Torniellus, Serarius, Pererius contra Abulensem [8]. Sed erant alia quoque ejusdem septimi sabbatici anni privilegia. Nam et servi omnes Hebræi natione, perfecte liberi reddebantur, si volebant, ut patet hic cap. 21, vers. 2. Et iisdem Hebræis, si qui forte ratione egestatis mutuum ab alio Hebræo accepissent, nec haberent unde tum redderent, debebat illud debitum ipsis remitti, etiam sine obligatione reddendi in posterum, si forte ad lautiorem fortunam devenire contigisset: ut colligitur ex Deuter. 15. Neque durior censebatur illa creditorum seu mutuantium conditio, cum et ante præsciretur, et nonnisi in mutuo ratione egestatis (quod parce dari solet) locum haberet: et Deus vicissim amplam mercedem ei qui has caritatis leges servaret, pollicitus esset. Denique debebat sub

(1) Deut. 22, vers. 1. (2) Dan. 13, vers. 53.
(3) Deut. 16, vers. 19; Eccli. 20, vers. 31.
(4) Gen. 46, vers. 6. (5) Lev. 25, v. 4.
(6) In Chronico c. 21. (7) Exod. 23, vers. 16, ubi mensis hic vocatur *exitus anni*.

(8) Burgens. ad Exodi 12; Cajet. in Levit. 25; Scaliger. de Emendat. tempor., de anno Sabbatico; Torniellus ad annum 2584; Serarius ad Josue 13, q. 14; Pererius lib. 1 in Genesin; Abulens. in Levit. 25, q. 8.

12. Sex diebus operaberis: septimo die cessabis, ut requiescat bos et asinus tuus: et refrigeretur filius ancillæ tuæ, et advena.

13. Omnia quæ dixi vobis, custodite. Et per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro.

14. Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis.

15. Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, [1] sicut præcepi tibi, tempore mensis novorum, quando egressus es de Ægypto: [2] non apparebis in conspectu meo vacuus.

16. Et solemnitatem messis primitivorum operis tui, quæcumque seminaveris in agro; solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.

17. [3] Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.

18. Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps solemnitatis meæ usque mane.

19. [4] Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. [5] Non coques hœdum in lacte matris suæ.

20. Ecce ego mittam angelum

initium ejusdem anni Sabbatici legi publice toto audiente populo Deuteronomium, scilicet in festo Scenopegiæ seu Tabernaculorum, die decimaquinta mensis *Tisri;* id enim præcipitur Deuter. 31, vers. 10.

Causa vero motiva cur sabbatum hoc, seu quietem septimi anni instituerit Deus, fuisse videtur, prima, ut debitus Deo honor et cultus exhiberetur, ut fiebat etiam quiete sabbati cujusque hebdomadæ. Secunda, ut discerent Judæi fidere Deo, et a nimiis vitæ hujus curis avaritiaque abstraherentur, dum experientia docerentur, Deum sibi etiam non serentibus aut metentibus, posse, si vellet, de omnibus necessariis abunde prospicere, ut prospiciebat sexto anno, quo duplam vel triplam messem præter solitum metebant. Tertia, ut Hebræos clementiæ admoneret, etiam erga inanima, multoque magis erga animata, et omnium maxime erga fratres suos Hebræos. Quarta, ut pauperes septimo illo anno pomis arborum, et fructibus agrorum, saltem ex granis anno sexto deciduis, vel sponte nascentibus gauderent; ut hic expresse decernit. De Jubilæo vide Lev. 25.

℣. 17. *Ter in anno apparebit omne masculinum* — A vigesimo anno usque ad quinquagesimum, inquit Cajetanus; vel, ut quidam alii, usque ad sexagesimum [6], comparebit in loco qui publico Dei cultui destinabitur, ut post destinata fuit Jerosolyma. *Ter in anno,* tribus scilicet jam dictis celeberrimis festis: solemnitate azymorum seu Pascha: solemnitate messis primitivorum, id est Pentecoste, qua panes duo primitiarum e recenti frumento confecti debebant Deo offerri [7]; et solemnitate in exitu anni, id est Scenopegiæ [8] seu Tabernaculorum, decimaquinta mensis septimi, anni sacri; ultimi vero mensis, anni civilis.

℣. 19. *Non coques hœdum in lacte matris suæ* — Id est, dum adhuc sugit lac matris suæ, inquit Vatablus, et Arias Montanus, ex Chrysostomo et August. [9]; qui addunt, hac figura designari, Christum non occisum iri infantem, quantumcumque id acturus esset Herodes et Judæi. Sed malo cum Philone [10] domestico teste, Clemente Alexandrino [11], Lyrano, S. Thoma, Cajetano, Tostato et Oleastro proprie, ut verba sonant accipere, nempe vetari, ne quis carnes hœdi, vel agni (ut habent LXX), *in lacte matris* vice aquæ decoquat in olla. Idque ad avertendam speciem omnem crudelitatis, qualis esset haud dubie, cum quis in condimentum occisi verteret quod illi a natura concessum erat in nutrimentum.

(1) Sup. 13, vv. 3, 4; Infr. 34, v. 22.
(2) Deut. 16, v. 16; Eccli. 35, v. 6.
(3) Infr. 34, v. 23; Deut. 16, v. 16.
(4) Infr. 34, v. 26.
(5) Deut. 14, v. 21.
(6) Colligitur ex Levit. ult., vers. 3.
(7) Levit. 23. (8) Deut. 16, vers. 16.
(9) Chrysost. hom. de Innoc.; Aug. q. 90 in Ex.
(10) Philo l. de Charitate.
(11) Lib. 2 Stromat.

meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi.

21. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo.

22. [1] Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te.

23. [2] Præcedetque te angelus meus, et introducet te ad Amorrhæum, et Hethæum, et Pherezæum, Chananæumque, et Hevæum, et Jebusæum, quos ego conteram.

24. Non adorabis deos eorum, nec coles eos: non facies opera eorum, sed destrues eos, et confringes statuas eorum.

25. Servietisque Domino Deo vestro, ut benedicam panibus tuis et aquis, et auferam infirmitatem de medio tui.

26. Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua: numerum dierum tuorum implebo.

27. Terrorem meum mittam in præcursum tuum, et occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam:

28. Emittens [3] crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, et Chananæum, et Hethæum, antequam introeas.

29. Non ejiciam eos a facie tua anno uno: ne terra in solitudinem redigatur, et crescant contra te bestiæ.

30. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, et possideas terram.

31. Ponam autem terminos tuos a mari Rubro usque ad mare Palæstinorum, et a deserto usque ad fluvium: tradam in manibus vestris habitatores terræ, et ejiciam eos de conspectu vestro.

32. [4] Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum.

33. Non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, si servieris diis eorum: quod tibi certe erit in scandalum.

(1) Deut. 7, vers. 14.
(2) Infr. 33, v. 2; Deut. 7, v. 22; Jos. 24, v. 11.
(3) Deut. 7, v. 20. (4) Deut. 7, v. 2. Infr. 34, v. 15.

CAPUT XXIV.

Moyses leges Domini ad populum refert. Populus eas acceptat, et fœdus æternum sancitur inter Deum et populum. Jubetur rursum Moyses in montem ascendere, ut tabulas legis a Deo conscriptas accipiat. Ascendit, manetque in monte quadraginta diebus.

1. Moysi quoque dixit: Ascende ad Dominum tu, et Aaron, Nadab, et Abiu, et septuaginta senes ex Israel, et adorabitis procul.

2. Solusque Moyses ascendet ad Dominum, et illi non appropinquabunt: nec populus ascendet cum eo.

3. Venit ergo Moyses, et narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia: responditque omnis populus una voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.

4. Scripsit autem Moyses universos sermones Domini, et mane consurgens ædificavit altare ad radices montis, et duodecim titulos per duodecim tribus Israel.

5. Misitque juvenes de filiis Israel, et obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos.

6. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras; partem autem residuam fudit super altare.

7. Assumensque volumen fœderis legit, audiente populo; qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes.

8. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, et ait: Hic est [1] sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.

9. Ascenderuntque Moyses et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta de senioribus Israel:

10. Et viderunt Deum Israel: et sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cælum, cum serenum est.

11. Nec super eos, qui procul recesserant de filiis Israel, misit manum suam: viderunt que Deum, et comederunt, ac biberunt.

12. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem, et

℣. 6. *Dimidiam partem sanguinis misit in crateras* — ut ea populum postea adspergeret, ut sequitur v. 8. Hic Deus fœdus init cum Hebræis, et vetus testamentum seu pactum more prisco sancit sanguine victimarum, volens ostendere se cum illis quam humanissime agere, nec nisi consentientibus legem dare velle. Hinc ut par cum pari fœdus init, quo non minus se quam ipsos involvit et obstringit. Ergo ex parte Dei stat *altare ad radices montis* Sinai: ex parte Hebræorum stant *duodecim tituli*, seu rudia saxa in titulos seu statuas erecta: itemque *duodecim juvenes* e primogenitis, ut habet Chaldæus, principum duodecim tribuum: nam primogeniti erant adhuc tunc sacerdotes, necdum instituto sacerdotio Aaronico. Hi offerunt holocausta et victimas pacificas Deo. Mox ad fœdus sanciendum pars utraque sanguine victimarum adspergitur: scilicet tam Deus, quam populus. Sed quia Deus incorporeus non poterat in se, aut per se conspergi, hinc pro Deo altare, et volumen fœderis adspergitur.

Allegorice, Christus novum testamentum sanxit effusione veri sanguinis sui, incruenta in ultima cœna: cruenta in ara crucis. Ita Apostolus ad Hebræos 9, ubi addit Moysen hic ad adspersionem populi et altaris adhibuisse etiam aquam, lanam coccineam et hyssopum.

℣. 9. *Nadab et Abiu* (duo Aaronis majores natu filii) *et septuaginta de senioribus Israel* — nempe iidem illi qui Num. 11 prophetasse dicuntur: *ascenderunt* ultra præstitutos plebi terminos, in montem Sinai, cum Moyse et Aarone, scilicet aliquousque.

℣. 10. *Et viderunt Deum Israel*, humana et augusta specie judicis vel principis sese ostentantem: et scabellum pedum ejus quasi *sapphirinum*. Nam fere ubicumque Dei thronus describitur, quasi ex lapide sapphiro compactus exhibetur, sicut *cælum cum serenum est* [2].

Nota. Hanc Dei speciem non vidit plebs, ne ejus idolum aliquod fingeret, sed soli seniores a plebe remoti, et in montem aliquousque evecti: qui, cum Dei legislatoris majestatem penitius intuiti essent, populo melius eamdem inculcare potuerunt. Subditur vero:

Et comederunt ac biberunt, nec super eos, qui procul recesserant de filiis Israel, misit manum suam Deus — Id est, Deus principes illos, qui a plebe procul aberant, etsi ex monte Deum viderint, nulla calamitate affecit, sed sanos incolumesque ad propria remisit, quod vel ex eo patuit, quod reversi ad suos, comederint et biberint, ut solent perfecte sani. Quæ res visa est omnibus admirabilis, cum passim invaluisset opinio, ei qui Deum videret moriendum esse.

(1) Ad Hebr. 9, vers. 20.

(2) Shuckdorfius tom. 3, p. 45. Deum invisibilem inter, et Deum Israelis distinguit, ac Mosen de hoc intellexit, nempe de secunda Trinitatis persona, quæ Moysi, et ceteris videndam se præbuerit in reali corpore, quemadmodum ex mortuis resurgens postea Apostolis se conspiciendam exhibuit. Verum ego hic multos, nec leves errores invenio: secunda enim Trinitatis persona ante corpus in B. Virginis utero adsumptum æque invisibilis fuit, ac ceteræ Trinitatis personæ, ac Deus, nisi illam cum Arianis et Socinianis Deum non esse impie adseramus. Deinde ex mortuis resurgens verum habuit corpus, illud nempe ipsum, quod verbum caro factum susceperat: an verum corpus adsumpsisse Verbum ante incarnationem, ut in ipsa incarnatione, dicemus?

esto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, et legem ac mandata quæ scripsi, ut doceas eos.

13. Surrexerunt Moyses et Josue minister ejus: ascendensque Moyses in montem Dei,

14. Senioribus ait: Expectate hic donec revertamur ad vos. Habetis Aaron et Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.

15. Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem,

16. Et habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus: septimo autem die vocavit eum de medio caliginis.

17. Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis, in conspectu filiorum Israel.

18. Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem: [1] et fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus.

(1) Deut. 9, v. 9.

CAPUT XXV.

Jubet Deus arcam fœderis construi cum propitiatorio et duobus Cherubim: item mensam propositionis panum, et septices candelabrum. Itaque prosequitur hic Deus tertium legum genus nempe cæremoniales et continuat etiam sequentibus capitibus.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. [1] Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias, ab [2] omni homine qui offeret ultroneus, accipietis eas.

3. Hæc sunt autem quæ accipere debetis: aurum, et argentum, et æs,

4. Hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum, pilos caprarum,

5. Et pelles arietum rubricatas, pellesque janthinas, et ligna setim:

6. Oleum ad luminaria concinnanda: aromata in unguentum, et thymiamata boni odoris:

7. Lapides onychinos, et gemmas ad ornandum ephod ac rationale.

8. Facientque mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum:

9. [3] Juxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi, et omnium vasorum in cultum ejus: sicque facietis illud:

10. Arcam de lignis setim compingite, cujus longitudo habeat duos et semis cubitos: latitudo, cubitum et dimidium: altitudo, cubitum similiter ac semissem.

11. Et deaurabis eam auro mundissimo intus et foris: faciesque supra, coronam auream per circuitum:

12. Et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos: duo circuli sint in latere uno, et duo in altero.

13. Facies quoque vectes de lignis setim, et operies eos auro.

14. Inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis:

15. Qui semper erunt in circulis, nec umquam extrahentur ab eis.

¶. 4. *Per hyacinthum, et purpuram, et coccum,* intelligit fila seu lanea seu linea coloris hyacinthini seu janthini, purpurei et coccinei. Porro hyacinthinus

(1) " Vers. 2: *Loquere filiis Israel.* Hoc, et sequentia Exodi capita ostendunt, egregie falli Isidorum Clarium, aliosque qui post pseudo-Clementem in *Const. Apost.* censent, Judæos, nisi idolum erigentes peccassent, unum decalogum a Deo fuisse accepturos, cæremonias vero legales ipsis datas post idololatriam. Hanc sententiam multis refellit Shuckdorfius tom. 3 *Hist. Orbis sacr. et prof.*, p. 159 seq. "

(2) Infra 35, vers. 5. (3) Ad Hebr. 9, v. 2.

16. Ponesque in arca testificationem quam dabo tibi.

17. Facies et propitiatorium de auro mundissimo: duos cubitos et dimidium tenebit longitudo ejus, et cubitum ac semissem latitudo.

color idem est qui violaceus, vel cæruleus et cælestis, cujusmodi colorem tam flos, quam gemma *hyacinthus* refert: quem *amethystinum* Plinius [1] vocat, et dicit confici ex *purpura* et *buccino* commixtis. *Purpura* succus seu sanguis est ostrei vel conchæ, quæ *purpura*, alias *pelagia* vocatur. *Buccinum* quoque alterius conchæ etiam *buccinum* dictæ succus est, sed duplo pretiosior et carior purpura, quo regiæ vestes tingi solebant. *Coccus* granum est fruticis cujusdam, ilici breviori non absimilis, in Armenia, Asia, Lusitania sat frequentis. Et quia species una hujus cocci seu grani est, maxime in Asia, ut inquit Plinius [2], in quo, nisi mature fumo exsiccetur, innascitur vermiculus ejusdem coloris, qui vino albo forti immersus, ac postea arefactus, atque in pulverem redactus, etiam ipse rubricat pannos; hinc pro *coccineo* colore sæpe noster Interpres reddit *vermiculum:* et Galli *vermeillon:* nos *scarlatium* vel *cramesinum* vocamus. Sed hujus *cocci* vix ullus hoc tempore usus est, ex quo aliud grani genus e Brasilia et aliis Indiarum locis, quod *cochenille* vocant, ad nos delatum est, omnium pene colorum tincturæ subserviens.

Byssus est lini genus subtilissimum et candidissimum, qualis est Cameracensis vel Hollandica tela subtilior. Et a *serico* distinguitur, quod istud ex vermibus colligatur: illa e terra proveniat. Ita Hebræi omnes, et cum his Oleaster, Lyranus, Abulensis, Carthusianus in hunc Exodi locum: item P. Ferdinandus, Forsterus, Kirckerus [3] et alii. *Byssus* vero hæc, uti et sericum, et telæ bombycinæ relinquebantur subinde colori suo naturali, qui est candidus: aliquando tingebantur aliquo ex prædictis coloribus. Quin et, ut pulcrior et splendidior esset color, bis eidem tincturæ immergebantur, et coccus cocco, et purpura purpuræ superinducebatur: et hoc vocat hic Noster *coccum bis tinctum.*

Atque ex his jam dictis quatuor coloribus, quatuor elementa mundi repræsentantibus, omnes vestes sacerdotales omniaque ornamenta tabernaculi concinnari jussa, ut majestas Dei creatoris omnium elementorum undique eluceret: monerenturque ministri tabernaculi continue pro toto mundo, quem repræsentabant, Deo supplicare. Ita S. Hieronymus [4].

¥. 16. *Pones in arca testificationem* — Id est, legem divinam tabulis lapideis inscriptam. Quæ quia Dei voluntatem populo testatam faciebat [5], et fœdus quoque inter Deum et populum initum contestabatur [6]; nunc Testificatio, nunc Testimonium, nunc Fœdus appellari consuevit. Et *arca*, quæ legem inclusam asservabat, inde dicebatur arca testimonii, arca testamenti, arca fœderis, etc. Unde et summa erat arcæ hujus religio. Erat autem arca cistula quadrata ex lignis *setim*, locus est in eremo Sinai sic dictus, unde et arbori huic inditum nomen *setim*, quæ similis est, teste Hieronymo, spinæ albæ, redditque ligna durissima, levissima, pulcherrima et *imputribilia*, quo modo et LXX vertere solent. Hæc arcula lignea tegebatur ab intus et deforis lamellis aureis. Longa erat duos cubitos et semis, alta et lata cubitum unum et semis.

Per circuitum arcæ *supra*, id est in superiori parte, erat *corona aurea*, seu limbus prominens: qui *corona* dicebatur, non quod rotundus esset (nam erat, sicut et ipsa arca, forma quadrangulari), sed quod totam arcam cingeret et ambiret. Arcæ operculum, quod nullo ligno, sed solido constabat auro, dicebatur *propitiatorium:* quod Deus, cujus illud quasi sedes erat et thronus, cum inibi exoraretur, propitium se et placatum exhiberet, respondendo Moysi, vel sacerdoti se consulenti, unde et *oraculum* hic vocatur. Utrimque ad arcæ latera *Cherubini* erant *productiles*, id est non solidi, aut arte fusoria facti, sed auro ductili, et malleorum ictibus extenso, forma juvenum speciosissimorum quaternis alis,

(1) Lib. 9, cap. 36, 38, 40, 41, et lib. 21, c. 8.
(2) Lib. 16, c. 8, et lib. 24, c. 4, et Dioscorides lib. 4, cap. 43.
(3) Ferdin. in Thesauro divinæ Scripturæ, § *Byssus;* Forster. in Dictionario Hebræo; Kircher. in Concordantiis Latino-Græco-Hebraicis.
(4) Ad Fabiolam. (5) Ita Vatabl., Sa, Torniell.
(6) Oleaster, Cajetanus, Tostatus, Arias Mont.

18. Duos quoque cherubim aureos et productiles facies, ex utraque parte oraculi.

19. Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero.

20. Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas et operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca,

21. In qua pones testimonium quod dabo tibi.

22. Inde præcipiam, et loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israel.

23. Facies et mensam de lignis setim, habentem duos cubitos longitudinis, et in latitudine cubitum, et in altitudine cubitum ac semissem.

24. Et inaurabis eam auro purissimo: faciesque illi labium aureum per circuitum,

25. Et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis: et super illam, alteram coronam aureolam.

26. Quatuor quoque circulos aureos præparabis, et pones eos in quatuor angulis ejusdem mensæ per singulos pedes.

27. Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, et possit mensa portari.

28. Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, et circumdabis auro ad subvehendam mensam.

29. Parabis et acetabula, ac phialas, thuribula, et cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo.

30. Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.

quarum binis corpora sua tegebant, binis vero aliis, uti et brachiis totiusque corporis compositione, se Deo, quasi regi suo in throno sessitanti, humillimum obsequium exhibere simulabant. De quibus vide Villalpandum, Alcazar et alios.

Allegorice, S. Gregorius et Isidorus per arcam intelligunt Ecclesiam Christi, maxime triumphantem: S. Bernardus beatissimam Virginem Mariam: Rupertus et Beda humanam naturam Christi. Nam omnibus his omnia aptissime quadrant.

℣. 30. *Pones super mensam panes propositionis*, seu quos proponi jubeo *in conspectu meo semper* — id est, in conspectu arcæ, ante Sanctum sanctorum. Hinc Hebræi et LXX verterunt, *panes faciei*, seu ante faciem positos. Erant hi panes azymi numero duodecim, ex publico præberi, et Sabbatis semper renovari soliti; quibus duodecim tribus publice significabant se a Deo continuo ali, et gratitudinis ergo perpetuum quasi sacrificium illi offerre, et vicem referre. Nam et thus panibus istis imponebant, ut dicitur Levit. 24 et solis sacerdotibus in esum cedere poterant. Thuri vero imponendo serviebant *thuribula*, sicut *phialæ* sali, *crateres* et *cyathi* libamini-

(1) Proleg. de mensuris.

nibus, seu vino libando. Nam speciem convivii præferebat hæc mensa.

Nota ex Levit. 24 panes singulos fuisse *duarum decimarum* ephi [1], seu modii majoris, id est duorum *gomor:* seu quantum pro diurno victu duorum sufficeret. Et hos panes coqui solitos forma planiore quam nostrates, ut seni supra se invicem duobus ordinibus imponi possent mensæ bicubitali. E qua ne quid fors e mensa in terram decideret, impediebat *labium aureum*, id est limbus aureus planus mensulam ex omni parte terminans: itemque alius limbus illi plano superimpositus, et ad quatuor digitos sursum assurgens: qui quia non planus undique et æqualis erat, sed hinc et inde cavitatibus artificio incisis, et emblematis exornatus, vocatur hic *corona interrasilis*. Et huic coronæ interrasili ac palmari superinducta erat tertia *corona aureola*, id est limbus parvus ex auro circumcirca ductus, qui secundum illum limbum clauderet et finiret: quem LXX vocant *vertibilem undulam*, quod etiam hic limbus superne esset undulis distinctus et intercisus [2].

Allegorice, designatur hic mensa Eu-

(2) De his panibus vide Gilletum *in lib. 3 Ant. Judaic., adnot.* 7

31. Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile ejus, et calamos, scyphos, et sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia.

32. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, et tres ex altero.

33. Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphærulaque simul et lilium: et tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulaque simul et lilium; hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili.

34. In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos, et lilia.

35. Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt, procedentes de hastili uno.

36. Et sphærulæ igitur et calami ex ipso erunt, universa ductilia de auro purissimo.

37. Facies et lucernas septem, et pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso.

38. Emunctoria quoque, et ubi quæ emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purissimo.

39. Omne pondus candelabri cum universis vasis suis habebit talentum auri purissimi.

40. [1] Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.

charistica, secundum S. Hieronymum [2], Cyrillum, Rupert., Damascenum [3]. Tropologice opera misericordiæ. Ita Beda et alii.

℣. 31. *Facies et candelabrum ductile* — Non fuit ergo *fusile* vel *conflatile*, ut ait Josephus [4], sed ex laminis aureis per malleorum ictus attenuatis confectum. Hastile candelabri tres utrimque habebat calamos seu ramos, quorum singuli in summitate habebant lucernam: unde lucernæ erant septem. Singuli rami ornati erant triplici ordine *scyphorum, sphærularum* et *liliorum*, vicissim sibi succedentium et conjunctorum: hastile vero seu stipes rectus quadruplici serie eorumdem ornabatur. Totum candelabrum uno constabat auri talento. Lucernæ illæ septenæ simul omnes tota et sola nocte locum tabernaculi, et mensæ panum propositionis, quæ erat in Sancto, ante Sanctum sanctorum, illuminabant. Mane quaternæ extinguebantur, sed tres reliquæ manebant etiam per diem accensæ, ut ex Josepho et SS. Scripturis optime demonstrat P. Bonfrerius c. 27 Exodi.

Mystice candelabrum hoc septifidum, imago erat cælestis sphæræ septilustris, sive septem planetarum: Tabernaculum typus mundi: Sanctum sanctorum typus cæli empyrei Beatorum. Ita Philo.

Allegorice candelabrum est divina sapientia ac providentia, ut patet ex Zach. 4, v. 6, vel est Christus, vel Ecclesia Christi, Apoc. 1, v. ult., vel fides et doctrina Ecclesiæ, cujus septenæ lucernæ, id est Doctores, tota præsentis seculi nocte lucent coram Deo et hominibus: ita sanctus Gregorius, Beda et Ribera [5].

(1) Ad Hebr. 8, vers. 5; Act. 7, vers. 44.
(2) In cap. 1 Malach.
(3) Lib. 4 Fidei, cap. 14.
(4) Lib. 3 Antiq., cap. 7.
(5) Lib. 1 de Temp., cap. 18.

CAPUT XXVI.

Præscribitur fabrica tabernaculi; nempe quatuor ejus tegumenta. Primum et infimum decem cortinarum polymitarum. Secundum, sagorum cilicinorum. Tertium, ex pellibus arietum rubricatis. Quartum, et supremum, ex pellibus janthinis. Deinde describuntur tabernaculi tabulæ cum suis basibus: vectes stringentes hasce tabulas: velum unum oppansum Sancto, et alterum Sancto sanctorum.

1. Tabernaculum vero ita facies: Decem cortinas de bysso retorta, et hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies.

2. Longitudo cortinæ unius ha-

℣. 1. *Tabernaculum* erat templum mobile et portatile, inquit Josephus, cum Hebræis ambulans per desertum: eratque quasi tentorium castrense, quod per partes solvebatur et convasabatur cum castra moverentur. In longum habebat *cubitos triginta*, in latum *decem*, in altum *decem* [1]. Compactum erat ex tabulis lignorum *setim* [2] inauratis, quarum quæque lata erat *cubitum et semis* [3], et duabus *argenteis basibus* [4], terræ affigebatur. Ergo viginti erant tabulæ in longum ex una parte: et totidem ex altera: quæ in latum transversim ad occidentalem plagam similibus octo aliis [5] *tabulis* jungebantur. Tabulæ sibi mutuo *incastraturis* [6] seu commissuris jungebantur, attenuato latere unius tabulæ, et in vicinæ tabulæ concavitatem immisso. A fronte, ad ingressum tabernaculi in parte orientali, loco tabularum erant *quinque columnæ setim inauratæ* [7] et tectæ *tentorio* [8], id est velo oblongo, sed non ad terram usque deciduo, quo et lumen hauriri posset, et sacerdotibus (quibus solis ingredi licebat) accessus daretur. Hæ columnæ et tabulæ sic undique compactæ tegebantur superne primo, *cortinis decem* [9], contextis opere *plumario* [10], id est polymito seu phrygio ad instar plumarii, seu quod plumas nobiliorum avium referret: contextis, inquam, ex *bysso*, et aliis filis *hyacinthinis*, *coccineis*, *et purpureis:* iisque non simplicibus, sed duplicatis aut triplicatis, adeoque et *retortis* [11] et inter se convolutis: quo spissius et durabilius esset opus [12]. Hæ cortinæ ad modum tentorii superne distendebantur, et pro cælo seu testudine erant: unde et *tentoria* [13] hic vocantur. Secundo, cortinis istis superinducta erant undecim *saga cilicina* [14], id est undecim cortinæ e pilis caprarum contextæ. His tertio, *pelles arietum rubricatæ* [15], id est rubro colore tinctæ. Quarto, denique pellibus istis rubris aliæ rursum *pelles janthini* [16] coloris superinductæ erant, contra pluvias et procellas. Et his quatuor cortinis constabat *tectum* [17], seu operculum tegens tabernaculum.

Ab intus tabernaculum in duas dividebatur partes. Prior sive anterior erat viginti cubitorum, dicebaturque *Sanctum*, vel *Sancta*, vel *Sanctuarium* [18]. Posterior et interior erat decem cubitorum in longum, totidemque in latum, vocabaturque *Sanctum sanctorum*, vel *Sanctuaria sanctuarii* [19], id est sanctissima pars tabernaculi: eratque quasi chorus sacelli. In hunc locum soli summo Pontifici licitum erat ingredi, nec nisi *semel in anno*, nempe die *expiationis*, Levit. 16. Dividebatur autem *Sanctum* a *Sancto sanctorum* per *velum* [20], quod moriente Christo scissum est, quia Christus morte sua *Sanctum sanctorum*, id est cælum et claram Dei visionem, reseravit. In *Sancto sanctorum* non erat aliud quam *arca* cum

(1) Exod. 26, vv. 16, 18.
(2) Vers. 15. (3) Vers. 16.
(4) Vers. 19. (5) Usque vers. 24.
(6) Vers. 17. (7) Vers. 37.
(8) Vers. 36. (9) Vers. 1.
(10) Vers. 31, 36. (11) Vers. 1, 36.
(12) Plura in hanc rem ex profana antiquitate congerit de more Martin Benedictinus p. 1 *Explan. difficil. script. loc.*, p. 66 seq.
(13) Vers. 2. (14) Vers. 7.
(15) Vers. 14. (16) Vers. 14.
(17) Vers. 12. (18) Vers. 33.
(19) Vers. 33, 34. (20) Vers. 33.

bebit viginticocto cubitos: latitudo, quatuor cubitorum erit. Unius mensuræ fient universa tentoria.

3. Quinque cortinæ sibi jungentur mutuo, et aliæ quinque nexu simili cohærebunt.

4. Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, ut possint invicem copulari.

5. Quinquagenas ansulas cortina habebit in utraque parte, ita insertas, ut ansa contra ansam veniat, et altera alteri possit aptari.

6. Facies et quinquaginta circulos aureos quibus cortinarum vela jungenda sunt, ut unum tabernaculum fiat.

7. Facies et saga cilicina undecim, ad operiendum tectum tabernaculi.

8. Longitudo sagi unius habebit triginta cubitos: et latitudo, quatuor: æqua erit mensura sagorum omnium.

9. E quibus quinque junges seorsum, et sex sibi mutuo copulabis, ita ut et sextum sagum in fronte tecti duplices.

10. Facies et quinquaginta ansas in ora sagi unius, ut conjungi cum altero queat: et quinquaginta ansas in ora sagi alterius, ut cum altero copuletur.

11. Facies et quinquaginta fibulas æneas, quibus jungantur ansæ, ut unum ex omnibus operimentum fiat.

12. Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto, id est, unum sagum quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi.

13. Et cubitus ex una parte pendebit, et alter ex altera, qui plus est in sagorum longitudine, utrumque latus tabernaculi protegens.

14. Facies et operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: et super hoc rursum aliud operimentum de janthinis pellibus.

15. Facies et tabulas stantes tabernaculi de lignis setim,

16. Quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, et in latitudine singulos ac semissem.

17. In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur: atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur.

18. Quarum viginti erunt in latere meridiano quod vergit ad austrum.

19. Quibus quadraginta bases argenteas fundes, ut binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur.

20. In latere quoque secundo tabernaculi quod vergit ad aquilonem, viginti tabulæ erunt,

21. Quadraginta habentes bases argenteas; binæ bases singulis tabulis supponentur.

22. Ad occidentalem vero plagam tabernaculi facies sex tabulas,

propitiatorio [1] et *Cherubinis, tabulæ legis* in arca; *virga Aaron,* et *urna cum manna* utrimque ad latera arcæ. In *Sancto* [2] autem erat *mensula panum propositionis* ad latus aquilonare: *candelabrum* septifidum ad meridionale: in medio *altare thymiamatis* obversum arcæ et propitiatorio, ut eo ascenderet fumus thymiamatis, quod Deo adolebant in hoc altari. Ad hanc tabernaculi formam solitas olim construi ecclesias Christianorum docet Cæsar Baronius [3].

Allegorice tabernaculum applicat Cyrillus naturali *corpori Christi,* conformiter verbis ejusdem [4], *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Alii cum S. Paulo, et Joanne Evangelista [5], mystico corpori Christi, id est *Ecclesiæ.* Origenes cum eodem sancto Paulo [6] applicat cuivis *animæ fideli.*

(1) Vers. 33, 34. (2) Vers. 35.
(3) Multa, quæ ad illustranda de Tabernaculo hic dicta mirifice faciunt, invenies apud Gilletum *in 3 Ant. Judaic. libr. adnot. 3, 4 et 5.*

(4) Joan. 2, vers. 19.
(5) 1. ad Tim. 4, vers. 15; Apoc. 21, vers. 3.
(6) Ad Ephes. 3, vers. 17; Orig. hom. 9.

23. Et rursum alias duas quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi.

24. Eruntque conjunctæ a deorsum usque sursum, et una omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis quæ in angulis ponendæ sunt, similis junctura servabitur.

25. Et erunt simul tabulæ octo, bases earum argenteæ sedecim, duabus basibus per unam tabulam supputatis.

26. Facies et vectes de lignis setim quinque ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi.

27. Et quinque alios in altero, et ejusdem numeri ad occidentalem plagam:

28. Qui mittentur per medias tabulas a summo usque ad summum.

29. Ipsas quoque tabulas deaurabis, et fundes in eis annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant: quos operies laminis aureis.

30. Et eriges tabernaculum juxta exemplar quod tibi in [1] monte monstratum est.

(1) Sup. 25, vers. 40.

31. Facies et velum de hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumario et pulcra varietate contextum:

32. Quod appendes ante quatuor columnas de lignis setim, quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, et habebunt capita aurea, sed bases argenteas.

33. Inseretur autem velum per circulos, intra quod pones arcam testimonii, quo et sanctuarium, et sanctuarii sanctuaria dividentur.

34. Pones et propitiatorium super arcam testimonii in Sancto sanctorum:

35. Mensamque extra velum: et contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte aquilonis.

36. Facies et tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumarii.

37. Et quinque columnas deaurabis lignorum setim, ante quas ducetur tentorium: quarum erunt capita aurea, et bases æneæ.

CAPUT XXVII.

Describitur altare holocaustorum cum suis vasis, craticula et vectibus. Dein atrium tabernaculi cum suis columnis et velis quibus cingebatur. Denique oleum lucernarum, et accensio earumdem.

1. Facies [1] et altare de lignis setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, id est, quadrum, et tres cubitos in altitudine.

2. Cornua autem per quatuor an-

†. 1. *Facies et altare* — Duplex erat altare, unum *thymiamatis*, de quo c. 30, et hoc erat intus in Sancto, seu anteriore parte tabernaculi. Alterum *holocaustorum* [2], de quo hic agitur, in quo et holocausta, et quævis aliæ victimæ immolabantur et cremabantur: eratque positum ante tabernaculum in medio *atrii* sub dio, nempe propter ignem, fumum, et nidorem victimarum. Compactum erat ex lignis *setim* [3], quæ, ne ab igne læderentur, *æneis* [4] laminis exterius tegebantur: interius vero vel cespite, vel rudi lapidum et cæmenti compagine adversus eumdem ignem muniebantur circumcirca. In medio vero *cavum* erat *altare*, et superne apertum, cui in medio *craticula ænea in modum retis* [5] fora-

(1) Infr. 38, vers. 6.
(2) Exodi 27, vers. 1. (3) Vers. 1. (4) Vers. 2. (5) Vers. 4.

gulos ex ipso erunt: et operies illud ære.

3. Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, et forcipes atque fuscinulas, et ignium receptacula: omnia vasa ex ære fabricabis.

4. Craticulamque in modum retis æneam: per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei,

5. Quos pones subter arulam altaris: eritque craticula usque ad altaris medium.

6. Facies et vectes altaris de lignis setim duos, quos operies laminis æneis:

7. Et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum.

8. [1] Non solidum, sed inane et cavum intrinsecus facies illud, sicut tibi in monte monstratum est.

9. Facies et atrium tabernaculi, in cujus australi plaga contra meridiem erunt tentoria de bysso retorta: centum cubitos unum latus tenebit in longitudine.

10. Et columnas viginti cum basibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea.

11. Similiter et in latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, et bases æneæ ejusdem numeri, et capita earum cum cælaturis suis argentea.

12. In latitudine vero atrii, quod respicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos,

minata, ambitu undique seu limbo latiore non pertuso (quem *arulam* [2] hic vocat) cincta superponebatur, per quam cineres, favillæ et prunæ minores decíderent: victimæ vero superimpositæ sustentarentur, et ab igne subjecto cremarentur. Hæc *craticula* cum sua *arula* seu limbo poterat separari a reliquo altari: erantque diversi *vectes* [3] craticulæ et altaris, quibus utrumque seorsim, cum movenda essent, attolli et devehi possent. Fusius hoc altare descriptum habes apud Ezechielem [4]. Morale et Allegoriam ex S. Gregorio et Beda, qui animæ fideli, et cruci Christi accommodant; vide apud Franciscum Riberam [5].

℣. 9. *Facies et atrium* — Erat area sub dio quadrangularis ambiens tabernaculum et altare holocaustorum, tum reverentiæ, tum ornatus causa. *Centum cubitos* [6] in longum habebat, scilicet *ab Oriente* versus Occidentem: *quinquaginta* [7] vero in latum, *ab Aquilone* ad Austrum. Ergo duplo longior quam lata. Tota vero area circumcirca claudebatur *sexaginta* [8] *columnis æneis*, sed *argenteis* fiosculis, ramis, vel emblematis undique vestitis: singulis columnis spatio quinque cubitorum a se invicem distantibus. *Viginti columnæ* faciebant latus *australe*, totidem latus *boreale*; decem claudebant latus *occidentale*, et decem reliquæ *orientale*. Ex his columnis vela *byssina*, sed absque opere phrygio, circumcirca dependebant, quæ hic *tentoria* [9] vocat, et instar murorum sepiebant et claudebant atrium: quod nulli præterquam Sacerdotibus et Levitis, ingredi licebat. Unicum *velum viginti cubitorum*, quod erat in fronte seu *aditu atrii* a parte orientali, eratque quasi porta atrii, *plumarium* [10] erat, id est acu pictum, et opere phrygio seu polymito variegatum. Hujus atrii pars media, seu quinquaginta priores cubiti ab Oriente in quadrum, deputati erant sacrificiis; unde et in medio illius spatii erat *altare holocaustorum* ante frontem tabernaculi. In altera medietate atrii, quæ tota dicata erat tabernaculo, *tabernaculum* ipsum figebatur, eo situ, ut a columnis atrii lateralibus ad Austrum et Septemtrionem utrimque distaret viginti cubitis: ab Occidente vero decem cubitis, a columnis posterioribus; et totidem cubitis versus Orientem, a septo anterioris partis atrii sacrificiis deputatæ abesset. Morale vide apud S. Gregorium, Bedam et Riberam.

(1) Sup. 20, vers. 24.
(2) Vers. 5. (3) Vers. 6.
(4) Cap. 43, vers. 13. (5) Lib. 2, c. 21.
(6) Exodi 27, v. 9, 11. (7) Vers. 12, 13.
(8) Vers. 10, 11 usque 17.
(9) Vers. 9 usque 16. (10) Vers. 16.

et columnæ decem, basesque totidem.

13. In ea quoque atrii latitudine, quæ respicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt.

14. In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur, columnæque tres et bases totidem:

15. Et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, et bases totidem.

16. In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumarii: columnas habedit quatuor, cum basibus totidem.

17. Omnes columnæ atrii per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, et basibus æneis.

18. In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit: fietque de bysso retorta, et habebit bases æneas.

19. Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus et ceremonias, tam paxillos ejus quam atrii, ex ære facies.

20. Præcipe filiis Israel ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum: ut ardeat lucerna semper

21. In tabernaculo testimonii, extra velum quod oppansum est testimonio. Et collocabunt eam Aaron et filii ejus, ut usque mane luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum a filiis Israel.

CAPUT XXVIII.

Describuntur vestes sacræ summi Pontificis, et aliorum quoque vulgarium sacerdotum.

1. Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi: Aaron, Nadab, et Abiu, Eleazar, et Ithamar.

2. Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam et decorem.

3. Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi.

4. Hæc autem erunt vestimenta quæ facient: Rationale, et superhumerale, tunicam et lineam strictam, cidarim et balteum. Facient vestimenta sancta fratri tuo Aaron et filiis ejus, ut sacerdotio fungantur mihi.

℣. 4. *Hæc erunt vestimenta* — Vulgarium sacerdotum vestimenta, quibus in tabernaculo ministrabant Deo, erant hæc quatuor. Primo, *femòralia* [1] *linea* seu *byssina*. Secundo, *tunica* talaris, etiam *linea* seu byssina, sed *stricta* [2], id est sine laxitate aut fluxu superfluæ materiæ, sine rugis, sinubus aut plicis, sed corpori ubique decenter adaptata. Tertio, *zona* seu *balteum* [3] opere phrygio contextus ex variis coloribus, inquit Josephus [4], Hieronymus et Isidorus, sed sine auro, latus quatuor digitis, textura præ se ferens exuvium serpentis. Quarto, *cidaris* [5] seu tiara in capite, et quasi pileus e bysso, rotundus instar mediæ sphæræ, per vittam occipitio adstrictus. Præter hæc omnibus sacerdotibus communia, habebat summus Pontifex alia quatuor sibi propria. Primo, tunicæ strictæ albæ, de qua jam dixi, superinduebat aliam *tunicam* fere talarem, sed *hyacinthinam* [6], e qua inferne *aurea* [7] *tintinnabula*, et *mala punica* opere phrygio con-

(1) Exodi 28, vers. 42. (2) Vers. 4.
(3) Vers. 4. (4) Lib. 3 Antiq., c. 8.
(5) Exodi 28, vers. 4. (6) Vers. 31.
(7) Vers. 33, 34.

5. Accipientque aurum, et hyacinthum, et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum.

6. Facient autem superhumerale de auro et hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere polymito.

7. Duas oras junctas habebit in utroque latere summitatum, ut in unum redeant.

8. Ipsa quoque textura et cuncta operis varietas erit ex auro, et hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta.

9. Sumesque duos lapides onychinos, et sculpes in eis nomina filiorum Israel:

10. Sex nomina in lapide uno, et sex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis eorum.

11. Opere sculptoris et cælatura gemmarii, sculpes eos nominibus filiorum Israel, inclusos auro atque circumdatos:

12. Et pones in utroque latere superhumeralis, memoriale filiis Israel. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum, ob recordationem.

13. Facies et uncinos ex auro,

14. Et duas catenulas ex auro purissimo sibi invicem cohærentes, quas inseres uncinis.

15. Rationale quoque judicii fa-

texta, numero septuaginta, inquit Josephus, alternis dependebant. Secundo, *zona* altera et priore nobilior, qua vestis hæc hyacinthina adstringebatur. Tertio, *superhumerale* vestis erat extima, eademque pretiosissima, *polymito* [1] seu phrygio *opere* contexta, græce επωμις dicta, quod humeros tegeret: hebraice *ephod*. Erat instar interulæ ad cingulum usque porrectæ, quæ duabus constabat partibus, anteriori et posteriori: quæ duæ partes *in utroque latere summitatum* [2], id est, in utriusque partis summitate, jungi debebant in humeris, ut e duabus unus quasi thorax efficeretur. Et habebat hic thorax in anteriore pectoris parte superassutum aliud pretiosioris operis phrygici ornamentum *quadratum* [3] *palmare*, dictum græce λόγιον, latine *rationale* [4] *judicii;* quod per illud, quasi esset rationale seu ratione præditum, redderentur oracula et responsa divina, quibus *judicia* seu sententiæ Dei hominibus manifesta fiebant. Pontifex enim indutus *ephod*, et ornatus hoc *rationali*, consulebat Deum de futuris et dubiis: Deus vero voce aliqua vel interna, vel externa respondebat consulenti. Huic rationali intextæ erant *duodecim* [5] pretiosæ diversi generis gemmæ, et cuique gemmæ insculptum nomen unum *duodecim Patriarcharum* vel *tribuum Israel*. Eadem

nomina erant etiam insculpta duobus *lapidibus onychinis* [6] eximiæ magnitudinis, quibus quasi nodis nectebantur in humeris summitates *ephod*. Et horum singulis arte gemmaria insculpta erant *sex nomina* [7] sex tribuum. Idque in *memoriale* [8] *filiis Israel*, et *ob recordationem*, id est, ut meminerit et recordetur Pontifex, suum munus esse, subditos suos ferre non solum in *pectore* per amorem, sed etiam in *humeris*, eorum onera et peccata ferendo, ac Deum pro ipsis deprecando et sacrificiis placando. Ita sanctus Hieronymus [9] et Beda, et Oleaster, Cajetanus, et Torniellus, qui cum Aria Montano, sub *pala* horum duorum *onychinorum* in humeris Pontificis collocat *aureos* illos *uncinos* quorum hic [10] fit mentio, qui mordebant *catenas aureas* insertas in summitate annuli *rationalis*, atque ita retinebant rationale in sua lacuna, in qua ad pectus Pontificis recipi debebat.

Quartum Pontificis peculiare ornamentum erat *lamina aurea* [11] tiaræ pontificiæ *in fronte* affixa, cui insculptum erat *Sanctum Domino*, id est *Jehova*, de quo egi Exod. 3, v. 14, quod inter cetera nomina resque divinas erat sanctissimum, summeque reverendum. Ita Josephus, Philo, Hieronymus, Augustinus, Beda, Sixtus Senensis et Torniellus [12].

(1) Vers. 6. (2) Vers. 7. (3) Vers. 16.
(4) Vers. 15. (5) Vers. 17 usque 22.
(6) Vers. 9. (7) Vers. 10.
(8) Vers. 12. (9) Ep. ad Fabiolam.
(10) Exodi 28, vv. 13, 14.

(11) Vers. 36, 37, 38.
(12) Joseph. l. 6 Belli, c. 6; Philo l. 3 de Vita Moysis; Hieron. sub.; Aug. q. 120 in Exod.; Beda in Catena; Sixtus l. 2 Biblioth. l; P. Tornielius in Annal.

cies opere polymito juxta texturam superhumeralis, ex auro, hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta.

16. Quadrangulum erit et duplex: mensuram palmi habebit tam in longitudine quam in latitudine.

17. Ponesque in eo quatuor ordines lapidum: in primo versu erit lapis sardius, et topazius, et smaragdus:

18. In secundo carbunculus, sapphirus, et jaspis:

19. In tertio ligurius, achates, et amethystus:

20. In quarto chrysolitus, onychinus, et beryllus; inclusi auro erunt per ordines suos.

21. Habebuntque nomina filiorum Israel: duodecim nominibus cælabuntur, singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus.

22. Facies in rationali catenas sibi invicem cohærentes ex auro purissimo:

23. Et duos annulos aureos, quos pones in utraque rationalis summitate:

24. Catenasque aureas junges annulis, qui sunt in marginibus ejus.

25. Et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere superhumeralis quod rationale respicit.

26. Facies et duos annulos aureos, quos pones in summitatibus rationalis, in oris quæ e regione sunt superhumeralis, et posteriora ejus aspiciunt.

27. Nec non et alios duos annulos aureos, qui ponendi sunt in utroque latere superhumeralis deorsum, quod respicit contra faciem junctureæ inferioris, ut aptari possit cum superhumerali.

28. Et stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina, ut maneat juncturæ fabrefacta, et a se invicem rationale et superhumerale nequeant separari.

29. Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in rationali judicii super pectus suum, quando ingredietur sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum.

30. Pones autem in rationali judicii Doctrinam et Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: et gesta-

℣. 30. *Pones autem in rationali judicii Doctrinam et Veritatem* — Hebraice, *pones urim et tummim*, id est, pones illuminationes et perfectiones.

Petes, quid hæc fuerint? Respondent Lyranus, Abulensis, Ribera, Serarius, Delrio, Pererius, Barradius, Villalpandus, Bonfrerius, Genebrardus, Torniellus [1], ipsas duodecim gemmas rationali infixas, *urim et tummim* vocatas fuisse, quatenus per illarum insolitum splendorem, vel aliam notabilem mutationem Deus oracula reddebat consulentibus, ita *docens* seu *illuminans* illos, ac *perfectam veritatem* manifestans. Sed salva tantorum Doctorum reverentia, jubet hic Deus præter lapides pretiosos jam dictos, imponi rationali etiam *urim et tummim:* ergo erat quid diversum a gemmis. Neque verum est, semper oracula captata fuisse ex splendore aut immutatione gemmarum. Quis enim aut splendor, aut alia immutatio potuit Davidi suggerere, 2 Regum 5, et 1 Paralip. 14, *Ne ascendas contra* Philisthæos, *sed gyra post tergum eorum, ex adverso pyrorum: et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium*, etc. Dico ergo cum Philone, sancto Augustino, Rabbino Kimhi, Ruperto, Hugone Victorino, Hugone Cardinali, Magistro historiæ Scholasticæ, Emanuele Sa, Bellarmino, Azor [2], et Cornelio a Lapide, has voces *urim et tummim* inscriptas vel insculptas fuisse ipsi rationali in medio gemmarum: idque ut designaretur,

(1) Lyranus et Abulens. et Bonfr. hic; Ribera l. 3 de Templo, c. 12; Serar. l. 1 Josue, c. 9, q. 24; Delrio l. 4 Magic., c. 1, q. 2; Perer. in Gen. t. 4 ad c. 25; Barrad. t. 2 Concord. l. 2, c. 46; Villalp. ad Ezech. 28; Genebr. anno 3640; Torn. anno 2544, n. 86.

(2) Philo sup. et l. de Jud.; Aug. q. 117 in Exod.; Bell. l. 4 de Pont., c. 3; Azor t. 1 Moral., l. 6, c. 42.

bit judicium filiorum Israel in pectore suo, in conspectu Domini semper.

31. Facies et tunicam superhumeralis totam hyacinthinam,

32. In cujus medio supra erit capitium, et ora per gyrum ejus textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facile rumpatur.

33. Deorsum vero, ad pedes ejusdem tunicæ, per circuitum, quasi mala punica facies, ex hyacintho, et purpura, et cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis,

34. Ita ut tintinnabulum sit aureum et malum punicum: rursumque tintinnabulum aliud aureum et malum punicum.

35. [1] Et vestietur ea Aaron in officio ministerii, ut audiatur sonitus quando ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur.

36. Facies et laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino.

37. Ligabisque eam vitta hyacinthina, et erit super tiaram,

38. Imminens fronti pontificis. Portabitque Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt et sanctificaverunt filii Israel, in cunctis muneribus et donariis suis. Erit autem lamina semper in fronte ejus, ut placatus sit eis Dominus.

39. Stringesque tunicam bysso, et tiaram byssinam facies, et balteum opere plumarii.

40. Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis, et balteos ac tiaras, in gloriam et decorem:

Pontificem indutum ephod et rationali, ornamentis ipsi propriis, accipere a Deo *urim et tummim*, id est claram *doctrinam* et perfectam *veritatem* dubiorum de quibus consulebatur. Tropologice vero, in Pontifice reperiri debere *doctrinam* legis, et *veritatem* vitæ, seu morum sanctitatem.

Notat Delrio ex Jos. [2], hoc oraculum, seu responsa per *urim et tummim* cessasse, centum vel paullo pluribus annis ante natum Christum. Serarius vero, diu ante, nempe a Babylonica captivitate: quod ex eo tempore non legatur uspiam Judæis id obtigisse. Et Josephus Gorionides [3] affert in hanc rem testimonium Jaddi summi Pontificis tempore Alexandri Magni. *Cum enim*, inquit Josephus, *optaret Alexander Magnus de Persici belli eventu numen consuli per urim et tummim de quibus inaudierat; a Jaddo Pontifice* responsum accepit, *A die quo domus Israel deportata est in Babylonem, absconditi fuerunt ab ea urim et tummim.* Ratio afferri potest, quod hoc oraculi privilegium non ratione solius *ephod* aut *rationalis judicii* competeret Judæis, sed simul etiam ratione *arcæ* fœderis seu *propitiatorii*, cui specialiter Deus adesse, et exinde responsa reddere volebat: unde etiam *Sanctum sanctorum* passim vocabatur *oraculum*. Et diserte dicit Chrysostomus: *Si quando cognoscendum erat aliquid, e propitiatorio vox quædam e medio Cherubim prodibat prædicens futura.* Non quod semper sacerdos *propitiatorio* præsens adesse deberet, sed saltem quando commode posset, cum illud fons esset et scaturigo oraculi. Jam vero cum constet, subductam fuisse *arcam* [4] cum *propitiatorio* Judæis in Babylonem transmigrantibus, verosimile est, etiam hoc oraculi privilegium eodem tempore iisdem subtractum fuisse.

℣. 38. *Erit autem lamina semper in fronte* Aaron, scilicet quotiescumque sacrificandum illi esset: ut significetur, peccata omnia populi, quæ Pontifex pro illo oraturus et sacrificio expiaturus ferre debebat, illi remittenda virtute Jehova, quod nomen laminæ aureæ in fronte Pontificis insculptum erat. Ita Lyranus et Abulensis. Hæc aurea Pontificis *lamina* Ecclesiastici 45, v. 14 *corona* vocatur, et Sap. 18, v. 24 *diadema*. Nam teste Josepho [5] non erat simplex *lamina*, sed vere *corona* aurea, et quidem *triplici ordine*, quali et nunc fere Romani Pontifices tiara utuntur. Et *conflabatur hic triplex*

(1) Eccli. 45, vers. 11.
(2) Lib. 3 Antiq., cap. 9.
(3) Cap. 5.
(4) 2 Mach. 2, v. 4.
(5) Lib. 3 Antiq., cap. 8.

41. Vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum et filios ejus cum eo. Et cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos, ut sacerdotio fungantur mihi.

42. Facies et feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ, a renibus usque ad femora:

ordo, e calyculis aureis, non absimilibus iis calyculis quos herba hyoscyamus profert: sic tamen ut calyculi isti frontem Pontificis non ambirent, sed tempora tantum et occiput; frontem enim tegebat ejusdem coronæ pars altera iisdem calyculis adhærens, quæ lata ac plana nomen Jehova incisum gestabat. Ita Josephus. Porro eodem versu addit Sapiens, *In veste poderis, quam habebat* Pontifex, *totus erat orbis terrarum,* id est, repræsentabatur totus orbis, puta, per byssum seu *linum*, *terra*, e qua nascitur: per *zonam*, *oceanus* terram cingens: per tunicam *hyacinthinam, aer* cærulei coloris; e qua prodeunt *mala punica,* id est fulgura; et *tintinnabula,* id est to-

(1) 1. 2. q. 102, a. 5 ad 9.
(2) De Hebræorum sacerdotum vestimentis consule etiam Martin p. 1 *Expl. difficil. script. locor.*, p. 68, et Gilletum *adnot.* 10 *in* 3 *Ant. Judaic. lib.*

43. Et utentur eis Aaron et filii ejus quando ingredientur tabernaculum testimonii, vel quando appropinquant ad altare ut ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum sempiternum erit Aaron, et semini ejus post eum.

nitrua. *Purpura* et *coccus ignem* repræsentant: *ephod* et *rationale cælum* siderum: *onychini duo solem* et *lunam,* vel duo hemisphæria: duodecim *gemmæ* duodecim *signa Zodiaci: tiara* cælum *empyreum:* aurea *lamina Deum* omnibus supereminentem et præsidentem. Voluit inquam, Deus hoc habitu hæc omnia repræsentari, quo certius sciret et meminisset Pontifex se locum tenere ejus qui dominus esset totius mundi. Item, se pro universo mundo deprecatorem non minus voce et mente, quam habitu agere debere apud Deum: simulque totum mundum quasi adjutorem sibi in hoc munere advocare. Ita Philo, Josephus, S. Hieron., S. Thomas [1] et alii [2].

CAPUT XXIX.

Consecratio sacerdotum fieri jubetur hoc ritu. Primo, laventur. Secundo, induantur vestibus sacerdotalibus. Tertio, pro iis offeratur vitulus pro peccato, et duo arietes, unus in holocaustum, alter in hostiam pacificam cum panibus azymis. Quarto, per dies septem quotidie ungantur tam ipsi, quam altare. Sub finem capitis præscribitur juge sacrificium agni tam mane quam vespere immolandi.

1. Sed et hoc facies, ut mihi in sacerdotio consecrentur. [1] Tolle vitulum de armento, et arietes duos immaculatos,

2. Panesque azymos, et crustulam absque fermento, quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azyma oleo lita: de simila triticea cuncta facies.

3. Et posita in canistro offeres: vitulum autem et duos arietes.

4. Et Aaron ac filios ejus applicabis ad ostium tabernaculi testimonii. Cumque laveris patrem cum filiis suis aqua,

5. Indues Aaron vestimentis suis, id est, linea et tunica, et superhu-

℣. 2. *Panes, crustulam, lagana quoque azyma* — Quas hic S. Hieronymus *crustulas* vocat, alibi *collyridas* vertit: eratque species panis delicatioris oleo subacti, et aliis materiis permixti quæ gratum saporem reddebant: fere ut apud nos sunt ii panes, quorum farinæ, dum ea subigitur, mel, ova, saccarum vel quid simile additur. Porro collyræ et lagani inter panum delicatorum genera meminit et Athenæus [2]. Distinguuntur vero, ut ex Levitico colligitur [3], quod *lagana* in clibano coquerentur, collyrides in sartagine, panes azymi vulgares etiam in clibano.

(1) Lev. 9, vers. 2.
(2) Lib. 3 Dipnosoph. (3) Cap. 7, vers. 12.

merali et rationali, quod constringes balteo.

6. Et pones tiaram in capite ejus, et laminam sanctam super tiaram,

7. Et oleum unctionis fundes super caput ejus: atque hoc ritu consecrabitur.

8. Filios quoque illius applicabis, et indues tunicis lineis, cingesque balteo,

9. Aaron scilicet et liberos ejus, et impones eis mitras: eruntque sacerdotes mihi religione perpetua. Postquam initiaveris manus eorum,

10. [1] Applicabis et vitulum coram tabernaculo testimonii. Imponentque Aaron et filii ejus manus super caput illius,

11. Et mactabis eum in conspectu Domini, juxta ostium tabernaculi testimonii.

12. Sumptumque de sanguine vituli, pones super cornua altaris digito tuo, reliquum autem sanguinem fundes juxta basim ejus.

13. [2] Sumes et adipem totum qui operit intestina, et reticulum jecoris, ac duos renes, et adipem qui super eos est, et offeres incensum super altare:

14. Carnes vero vituli et corium et fimum combures foris extra castra: eo quod pro peccato sit.

15. Unum quoque arietem sumes, super cujus caput ponent Aaron et filii ejus manus.

16. Quem cum mactaveris, tolles de sanguine ejus, et fundes circa altare.

17. Ipsum autem arietem secabis in frusta: lotaque intestina ejus ac pedes pones super concisas carnes, et super caput illius.

18. Et offeres totum arietem in incensum super altare: oblatio est Domino, odor suavissimus victimæ Domini:

19. Tolles quoque arietem alterum, super cujus caput Aaron et filii ejus ponent manus.

20. Quem cum immolaveris, sumes de sanguine ejus, et pones super extremum auriculæ dextræ Aaron et filiorum ejus, et super pollices manus eorum ac pedis dextri, fundesque sanguinem super altare per circuitum.

21. Cumque tuleris de sanguine qui est super altare, et de oleo unctionis, asperges Aaron et vestes ejus, filios et vestimenta eorum. Consecratisque ipsis et vestibus,

22. Tolles adipem de ariete, et caudam et arvinam, quæ operit vitalia, ac reticulum jecoris, et duos renes, atque adipem qui super eos est, armumque dextrum, eo quod sit aries consecrationis:

23. Tortamque panis unius, crustulam conspersam oleo, laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu Domini:

24. Ponesque omnia super manus Aaron et filiorum ejus, et sanctificabis eos elevans coram Domino.

25. Suscipiensque universa de manibus eorum: et incendes super altare in holocaustum, odorem suavissimum in conspectu Domini, quia oblatio ejus est.

26. Sumes quoque pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisque illud elevatum coram Domino, et cedet in partem tuam.

27. Sanctificabisque et pectuscu-

℣. 10. *Imponentque manus super caput illius* — Hoc ritu impositionis manuum super caput victimæ significabat sacerdos vel quicumque offerens, se victimam tradere quæ ipsius locum subiret, sive ad cultum et honorem Deo deferendum, ut fiebat in holocaustis: sive ad deprecandum Deum, vel ei gratias agendum, ut in pacificis, et eucharisticis, seu sacrificio laudis: sive ad peccatum suum, peccatique pœnam quodammodo in victimam transferendam, ut fiebat in hostia pro peccato vel delicto.

(1) Lev. 1, vers. 3. (2) Lev. 3, vers. 3.

lum consecratum, et armum quem de ariete separasti,

28. Quo initiatus est Aaron et filii ejus, cedentque in partem Aaron et filiorum ejus jure perpetuo a filiis Israel: quia primitiva sunt et initia de victimis eorum pacificis quæ offerunt Domino.

29. Vestem autem sanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum, ut ungantur in ea, et consecrentur manus eorum.

30. Septem diebus utetur illa qui pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis ejus, et qui ingredietur tabernaculum testimonii ut ministret in sanctuario.

31. Arietem autem consecrationis tolles, et coques carnes ejus in loco sancto:

32. Quibus vescetur Aaron et filii ejus. [1] Panes quoque, qui sunt in canistro, in vestibulo tabernaculi testimonii comedent,

33. Ut sit placabile sacrificium, et sanctificentur offerentium manus. Alienigena non vescetur ex eis, quia sancti sunt.

34. Quod si remanserit de carnibus consecratis, sive de panibus usque mane, combures reliquias igni: non comedentur, quia sanctificata sunt.

35. Omnia, quæ præcepi tibi, facies super Aaron et filiis ejus. Septem diebus consecrabis manus eorum:

36. Et vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum. Mundabisque altare cum immolaveris expiationis hostiam, et unges illud in sanctificationem.

37. Septem diebus expiabis altare, et sanctificabis, et erit Sanctum sanctorum; omnis qui tetigerit illud, sanctificabitur.

38. Hoc est quod facies in altari: [2] Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter,

39. Unum agnum mane, et alterum vespere,

40. Decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin, et vinum ad libandum ejusdem mensuræ in agno uno.

41. Alterum vero agnum offeres ad vesperam juxta ritum matutinæ oblationis, et juxta ea quæ diximus, in odorem suavitatis:

42. Sacrificium est Domino, oblatione perpetua in generationes vestras, ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ubi constituam ut loquar ad te.

43. Ibique præcipiam filiis Israel, et sanctificabitur altare in gloria mea.

44. Sanctificabo et tabernaculum testimonii cum altari, et Aaron cum filiis suis, ut sacerdotio fungantur mihi.

45. Et habitabo in medio filiorum Israel, eroque eis Deus,

46. Et scient quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti, ut manerem inter illos, ego Dominus Deus ipsorum.

℣. 38. *Per singulos dies jugiter* — Inde dictum est *juge sacrificium*, quod jugiter quotidie offerretur, neque umquam intermitteretur. Materia erant *duo agni*, unus *mane* sub ortum solis, alter *vespere* sub occasum, terque in holocaustum. Addebatur (ad complendum convivium) *decima pars* ephi [3], seu gomor *similæ oleo conspersæ, et quarta pars hin*, seu tres sextarii, *vini ad libandum*, id est libatione seu effusione offerendum Deo.

Allegorice hoc juge sacrificium significabat sacrificium Christi, maxime Eucharisticum, quo immaculatus Agnus quotidie in speciebus panis et vini immolatur in Missa. Quod juge sacrificium auferet Antichristus, sicut Antiochus Epiphanes figura Antichristi sustulit illud Judaicum, Dan. 12, v. 11.

(1) Lev. 8, vers. 31; 24, vers. 9; Matth. 12, v. 4.
(2) Num. 28, vers. 3.
(3) Proleg. de Mensur.

CAPUT XXX.

Describitur altare thymiamatis. Et quoties continget, populum capitatim censeri, jubetur quisque solvere dimidium siclum in usus templi. Describitur labrum æneum pro lotione sacerdotum. Item compositio unguenti sacri, quo ungendi erant sacerdotes et vasa templi. Denique compositio thymiamatis in eo altari quotidie adolendi.

1. Facies quoque altare ad adolendum thymiama, de lignis setim,
2. Habens cubitum longitudinis, et alterum latitudinis, id est, quadrangulum, et duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipso procedent.
3. Vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam ejus, quam parietes per circuitum, et cornua. Faciesque ei coronam aureolam per gyrum,
4. Et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vectes, et altare portetur.
5. Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, et inaurabis.
6. Ponesque altare contra velum, quod ante arcam pendet testimonii coram propitiatorio quo tegitur testimonium, ubi loquar tibi.
7. Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans, mane. Quando componet lucernas, incendet illud:
8. Et quando collocabit eas ad vesperum, uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras.
9. Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem et victimam, nec libabitis libamina.
10. Et deprecabitur Aaron super cornua ejus semel per annum, in sanguine quod oblatum est pro peccato, et placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum sanctorum erit Domino.
11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
12. [1] Quando tuleris summam filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, et non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti.

℣. 8. *Thymiama sempiternum* vocat, non quod totum diem vel noctem ille odorum suffitus duraret, sed quod singulis diebus adolendus esset, *oriente et occidente sole, ante matutinum et post vespertinum juge sacrificium*, inquit Philo [2], neque ullo die intermitti posset. Unde colligo, tria quotidiana sacerdotum officia. Primum, erat juge sacrificium, de quo cap. præced. Secundum, oblatio hæc thymiamatis super altari aureo ante velum Sancti sanctorum, ut hoc cap. præcipitur. Tertium, accensio lucernarum in aureo candelabro septifido: quam vespere semper faciebant; mane vero quaternas extinguebant, et omnes novo oleo complebant, ut supra diximus c. 25.

(1) Num. I, vers. 2.

℣. 10. *Deprecabitur Aaron super cornua ejus semel per annum* — Hoc erat proprium summi Pontificis munus, *semel in anno*, nec nisi semel, *die* scilicet *expiationis*, intrare *Sanctum sanctorum*: et delato secum *sanguine expiationis*, seu victimarum pro peccatorum expiatione immolatarum, cornibusque seu angulis altaris incensi eodem sanguine tinctis, deprecari pro peccatis suis ac populi, Deumque placare.

℣. 12. *Dabunt pretium pro animabus suis* — Id est, offerent pro animæ seu vitæ suæ redemptione, ne scilicet, ut sequitur, *plaga* aliqua vel peste percutiantur.

Nota, sicut hic census populi, et tribu-

(2) Lib. de Victimis.

13. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli juxta mensuram templi. [1] Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur Domino.

14. Qui habetur in numero, a viginti annis et supra, dabit pretium.

15. Dives non addet ad medium sicli, et pauper nihil minuet.

16. Susceptamque pecuniam, quæ collata est a filiis Israel, trades in usus tabernaculi testimonii, ut sit monumentum eorum coram Domino, et propitietur animabus eorum.

17. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

18. Facies et labrum æneum cum basi sua ad lavandum: ponesque illud inter tabernaculum testimonii et altare. Et missa aqua,

19. Lavabunt in ea Aaron et filii ejus manus suas ac pedes,

20. Quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino,

21. Ne forte moriantur; legitimum sempiternum erit ipsi, et semini ejus per successiones.

22. Locutusque est Dominus ad Moysen,

23. Dicens: Sume tibi aromata, primæ myrrhæ et electæ quingentos siclos, et cinnamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta,

24. Casiæ autem quingentos siclos, in pondere sanctuarii, olei de olivetis mensuram hin:

tum dimidii sicli, seu duorum regalium Hispanicorum in singula capita masculorum a viginti annis et supra, hoc loco institutus est ad expensas fabricæ tabernaculi colligendas; sic noluisse Deum deinceps citra jussum suum vel necessitatem, v. g. belli imminentis, similem indici census, ac ne tum quidem, nisi oblato a singulis capitibus censis simili tributo semisicli in usus ejusdem tabernaculi vel templi: quo constaret, eum censum in honorem Dei, et agnitionem supremi dominii illius fieri. Quare cum utrumque horum neglectum esset in eo populi censu, quem David fecit 2 Regum ultimo, pestilentia a Deo immissa, septuaginta virorum millia extincta sunt.

Nota secundo, solitos Judæos etiam extra census tempora, quotannis persolvere idem tributum, ubicumque gentium vel terrarum morarentur, ut Judæis Babylone habitantibus testatur Josephus [2]. Qui etiam addit, destructo licèt jam templo, deletis Jerosolymis, ac dispersis undique Judæis, Vespasiani jussu idem illud sacrum tributum, quod antea Jerosolymis templo Dei pendebant, Romam ad capitolium mittere quotannis coactos.

℣. 13. *Transit ad nomen* — supple recensitorum, id est, refertur in catalogum jam recensitorum. Unde quidam putant, loco *nominis* legendum *numerum*, ut legitur versu præced. et sequente.

Mensuram templi — Infra v. 24, vocat *pondus sanctuarii*, id est, pondus quod in sanctuario templi adservabatur, q. d. pondus justum et legitimum. Nam eum in finem sacerdotes adservabant in sanctuario pondera [3], ut reliqua quæ in usu vulgi erant, ad illorum normam exigi et examinari possent, quo justa censerentur. Hinc Levitici 27, v. 25, jubet Deus, ut *omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderetur*, id est, ut omnes contractus, venditiones, et emptiones, juxta pondera in sanctuario adservata fiant. Non ergo erant alia pondera publica (ut quidam opinati sunt) alia templi: sed omnia debebant unius esse modi et normæ, cujus erant illa quæ in sanctuario quasi sacrosancta reposita manebant, ad quæ reliqua omnia privatorum pondera, ut justa censerentur, exigi debebant. Uti etiam apud Romanos factitatum testis est Fannius, et probant Villalpandus ac Mariana [4]. Jubebatque etiam in templis Christianorum primariis pondera et mensuras adservari Imperator et Justinianus [5].

(1) Lev. 27, vers. 25; Num. 3, vers. 47; Ezech. 45, vers. 12.
(2) Lib. 18 Antiq., c. 13, et l. 7 Belli, c. 26.
(3) 1 Paral. 23, vers. 29.
(4) Villalp. in fine Apparatus; Mariana de Ponder. et Mensuris, c. 25.
(5) Justin. in Authentica de collocatoribus, § *Eos*

25. Faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii,

26. Et unges ex eo tabernaculum testimonii, et arcam testamenti,

27. Mensamque cum vasis suis, candelabrum et utensilia ejus, altaria thymiamatis,

28. Et holocausti, et universam supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet.

29. Sanctificabisque omnia, et erunt Sancta sanctorum: qui tetigerit ea, sanctificabitur.

30. Aaron et filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi.

31. Filiis quoque Israel dices: Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras.

32. Caro hominis non ungetur ex eo, et juxta compositionem ejus non facietis aliud, quia sanctificatum est, et sanctum erit vobis.

33. Homo quicumque tale composuerit, et dederit ex eo, alieno, exterminabitur de populo suo.

34. Dixitque Dominus ad Moysen: Sume tibi aromata, stacten et onycha, galbanum boni odoris et thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia:

35. Faciesque thymiama compositum opere unguentarii, mixtum diligenter, et purum, et sanctificatione dignissimum.

36. Cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama.

37. Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino.

38. Homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.

CAPUT XXXI.

Beseleel et Ooliab designantur a Deo architecti tabernaculi. Iterato inculcatur cultus Sabbathi. Et Moysi dantur a Deo duæ legis tabulæ.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Ecce, vocavi ex nomine Beseleel filium Uri filii Hur de tribu Juda,

3. Et implevi eum spiritu Dei, sapientia et intelligentia, et scientia in omni opere,

4. Ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, et argento, et ære,

5. Marmore, et gemmis, et diversitate lignorum.

6. Deditque ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam: ut faciant cuncta quæ præcepi tibi,

7. Tabernaculum fœderis, et arcam testimonii, et propitiatorium, quod super eam est et cuncta vasa tabernaculi,

℣. 2. *Vocavi ex nomine Beseleel* — Id est, ad hoc nominatim elegi Beseleel nepotem Hur mariti Mariæ, ut supra c. 15 diximus probabile esse.

℣. 3. *Et implevi eum spiritu Dei* — Idest, infudi illi omnem necessariam scientiam.

℣. 6. *Et in corde omnis eruditi posui sapientiam* — Id est, omnes viros ingeniosos et artium peritos perfectiore implevi scientia, addens quod illis deerat. Itaque Beseleel et Ooliab præerant omnibus operibus, eaque dirigebant tamquam primi et supremi architecti: præter hos tamen, et sub his, alii multi ad res tabernaculi conficiendas evocati fuerunt.

8. Mensamque et vasa ejus, candelabrum purissimum cum vasis suis, et altaria thymiamatis,

9. Et holocausti, et omnia vasa eorum, labrum cum basi sua,

10. Vestes sanctas in ministerio Aaron sacerdoti et filiis ejus, ut fungantur officio suo in sacris;

11. Oleum unctionis, et thymiama aromatum in sanctuario, omnia quæ præcepi tibi, facient.

12. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

13. Loquere filiis Israel, et dices ad eos: [1] Videte ut sabbatum meum custodiatis: quia signum est inter me et vos in generationibus vestris: ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos.

14. Custodite sabbatum meum; sanctum est enim vobis: qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui.

15. Sex diebus facietis opus: in die septimo sabbatum est, requies sancta Domino; omnis qui fecerit opus in hac die, morietur.

16. Custodiant filii Israel sabbatum, et celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum

17. Inter me et filios Israel, signumque perpetuum, [2] sex enim diebus fecit Dominus cælum et terram, et in septimo ab opere cessavit.

18. Deditque Dominus Moysi, completis hujuscemodi sermonibus in monte Sinai, [3] duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei.

℣. 16. *Celebrent sabbatum in generationibus suis,* id est, et nunc et deinceps per omnes posteros. *Pactum* enim *est sempiternum inter me et filios Israel* — quasi dicat, Inter alia pacta, etiam de hoc æternum servando inter nos convenit; et non nisi hac lege promisi me fore illis protectorem ac remuneratorem. Insuper erit et *signum perpetuum inter me et vos,* quo nempe ostendetis vos esse peculiarem populum meum, meque Deum vestrum: nam Sabbati observatione non minus quam circumcisione palam dignoscentur Judæi a ceteris nationibus. Plures quidem aliæ gentes religioso etiam cultu diem Sabbati, uti et circumcisionem servarunt, teste Philone et Euseb. [4]: sed hos ritus a Judæis acceperunt, quorum exempla imitati sunt.

(1) Sup. 20, vers. 8; Ezech. 20, vers. 12.
(2) Gen. 2, vers. 2.
(3) Deut. 9, vers. 10.
(4) Philo lib. 2 de Vita Moysis; Euseb. l. 13 de Præpar., cap. 7.

CAPUT XXXII.

Hebræi, Moyse absente, vitulum aureum conflant et adorant. Hinc Deus vult illos disperdere: sed retinetur precibus Moysis. Qui de monte descendens tabulas legis confringit, vitulum comburit, idololatras occidit. Dein iterum in montem ad Deum pro populo supplicaturus conscendit.

1. Videns autem populus quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron, dixit: [1] Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant: Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.

2. Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de uxorum filiorumque et filiarum vestrarum auribus, et afferte ad me.

3. Fecitque populus quæ jusserat, deferens inaures ad Aaron.

4. [2] Quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio, et fecit ex eis

(1) Act. 7, vers. 40.
(2) Ps. 105, vers. 19.

vitulum conflatilem; dixeruntque: Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.

5. Quod cum vidisset Aaron, ædificavit altare coram eo, et præconis voce clamavit, dicens: Cras solemnitas Domini est.

6. Surgentesque mane, obtulerunt holocausta, et hostias pacificas, et [1] sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere.

7. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: [2] Vade, descende: peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti.

8. Recesserunt cito de via quam ostendisti eis: feceruntque sibi vitulum conflatilem, et adoraverunt, atque immolantes ei hostias dixerunt: [3] Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.

9. Rursumque ait Dominus ad Moysen: [4] Cerno quod populus iste duræ cervicis sit:

10. Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam.

11. Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: [5] Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti, in fortitudine magna, et in manu robusta?

12. Ne, quæso, dicant Ægyptii: Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, et deleret e terra: quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui.

13. Recordare Abraham, Isaac, et Israel, servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens: [6] Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli: et universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper.

14. Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum.

15. Et reversus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonii in manu sua, scriptas ex utraque parte,

16. Et factas opere Dei: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.

17. Audiens autem Josue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen: Ululatus pugnæ auditur in castris.

18. Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio.

19. Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, et choros: iratusque valde, projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis:

20. Arripiensque vitulum quem fecerant, combussit, et contrivit usque ad pulverem, quem sparsit

℣. 15. *Duas tabulas scriptas ex utraque parte, et factas opere Dei* — Tam enim concinnatio tabularum quam ipsa scriptura erat a Deo seu angelo profecta. Et erant *ex utraque parte:* LXX *ex utrisque partibus hinc et hinc* conscriptæ, ut scilicet utrimque ab omnibus sive ante, sive post stantibus omnia præcepta cerni et legi possent. Ita Lyranus, Lipomanus, Dionysius Carthusianus.

℣. 20. *Vitulum combussit* — In hoc vitulo colebant Judæi Apin seu Serapin, exemplo Ægyptiorum, apud quos id didicerant, de qua plura dixi Genesis 41. Ad hujus vero vituli imitationem suos fecit postmodum vitulos Jeroboam, in Dan et Bethel 3 Reg. 13. Quod v. 24 dicit Aaron: *Projeci aurum in ignem, egressusque est hic vitulus:* non significat, arte magica productum hoc idolum, ut quidam opinantur: sed arte et *opere fusorio*, ut v. 4 dicitur, egressum seu conflatum fuisse. Haud dubie moverit omnem lapidem Aaron ad populum a tam fœda

(1) 1. ad Cor. 10, vers. 7.
(2) Deut. 9, vers. 12.
(3) 3 Reg. 12, vers. 28.
(4) Infr. 33, vers. 3; Deut. 9, vers. 13.
(5) Num. 14, vers. 13; Ps. 105, vers. 23.
(6) Gen. 12, vers. 7, et 15, v. 7, et 48, v. 16.

in aquam, et dedit ex eo potum filiis Israel.

21. Dixitque ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum?

22. Cui ille respondit: Ne indignetur dominus meus: tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum:

23. Dixerunt mihi: Fac nobis deos, qui nos præcedant: huic enim Moysi, qui nos eduxit de terra Ægypti, nescimus quid acciderit.

24. Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum? Tulerunt, et dederunt mihi: et projeci illud in ignem, egressusque est hic vitulus.

25. [1] Videns ergo Moyses populum quod esset nudatus (spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, et inter hostes nudum constituerat),

26. Et stans in porta castrorum, ait: Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi:

27. Quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium super femur suum: ite, et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum.

28. [2] Feceruntque filii Levi juxta sermonem Moysi: ceciderunteque in die illa quasi viginti tria millia hominum.

29. Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio et in fratre suo, ut detur vobis benedictio.

30. Facto autem altero die, locutus est Moyses ad populum: Peccastis peccatum maximum: ascen-

idololatria divertendum, prius quam iniquæ illorum postulationi cederet: ideoque et *inaures* illorum in id opus depoposcit, quod speraret numquam eos inductum iri, ut uxores et liberos suis ornamentis, quorum sunt tenacissimi, spoliarent. Diodorus Tarsens. [3] dicit, Hebræos interminatos fuisse mortem Aaroni, ni faceret. Addunt Rabbini, alterum e duumviris, scilicet *Hur*, socium (quin et sororium [4]) Aaronis, cum tam impium scelus disturbare conaretur, a populo interfectum fuisse. Hæc si vera sint, minuerunt quidem peccatum Aaronis, utpote vi ad id inducti et coacti: unde et Ambrosius [5] eum condemnare non audet. Sed certe non excusant etiam a gravi excessu; nam quævis etiam mors subeunda potius, quam in re tam impia impiis obsequamur. Unde et Moyses hic [6] *peccatum* fratris *maximum* vocat: et Deus [7] *iratus vehementer adversum Aaron voluit eum conterere.*

Contrivit autem Moyses vitulum *usque ad pulverem* — Solet aqua forti aurum redigi in lutum. Et alchymistæ jactant etiam virtute ignis se id in pulverem redigere posse. Atque hac arte usum fuisse Moysen videntur velle Emmanuel Sa et Torniellus. Sed conformius Scripturæ est, Moysen in re propera vitulum igni nonnisi in massam conflasse, hanc deinde in partes confregisse, ac denique mola, cui infixa erat lima ferrea, per vehementem affrictum in pulverem redigisse. Id insinuant LXX, Hebræa et Chaldæa. Pulverem mox quasi rem abominandam abjecit in torrentem qui e monte delabebatur, ne et ullæ idoli reliquiæ superessent, inquit Cajetanus: et Oleaster cum S. Hieronymo addit, id etiam factum, ut populus disceret contemnere et execrari, quod tam vili modo tractari cerneret. Quia vero hic torrens e monte delabebatur in subjecta castra Hebræorum, hinc additur, Moysen *ex eo* pulvere torrenti insperso dedisse *potum filiis Israel.* Neque enim alia erat in castris aqua quam quæ ex hoc torrente delabebatur.

(1) " Vers. 25: *Videns ergo Moyses populum, quod esset nudatus*, armis spoliatus: sic hunc locum intelligit Shuckdorfius tom. 3, p. 141, non de vera nuditate, quemadmodum Moncejus aliique plures acceperant. „

(2) " Vers. 28: *Ceciderunteque in die illa quasi viginti tria millia hominum.* Immo *tria millia*, si Bocharto credimus *Hieroz.* part. 1, lib. 2, cap. 34, et Schuckdorfio tom. 2, pag. 147. Calmetus tamen vulgatam lectionem defendit. Confer doctissimi P. de Prato *Observationes* in 2 Sulpicii Severi volumen, pag. 489 seq. „

(3) In Catena.

(4) Vide Exodi 15.

(5) Epist. 56.

(6) Versu 21.

(7) Deuteron. 9, vers. 20.

dam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro.

31. Reversusque ad Dominum, ait: Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam,

32. Aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.

33. Cui respondit Dominus: Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo:

34. Tu autem vade, et duc populum istum quo locutus sum tibi: angelus meus præcedet te. Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum.

35. Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.

℣. 32. *Si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti* — Id est, de serie, seu catalogo justorum, et albo amicorum tuorum. Horum vero duplex est album, seu liber, inquit S. Thomas [1]. Unus omnium eorum qui pro præsenti tempore justi sunt, et quibus ratione præsentis justitiæ debetur vita æterna, licet per peccatum possint ab hac justitia et vita excidere. Alter est eorum qui pro æternitate prænoscuntur a Deo justi futuri, et vita æterna reipsa potituri. Hi sunt soli prædestinati, qui numquam eradi possunt. De utrovis libro potest hic Moyses intelligi, nempe tam de carentia beatitudinis æternæ, quam de jactura justitiæ præsentis. Non quod efficaciter alterutrum vellet (id enim secundum præsentem rerum statum sciebat vel impium esse, vel impossibile): sed solum hypothetice, casu quo citra culpam ullam illud posset utile medium esse ad veniam populo obtinendam. Et si unum sine altero obtineri non posset, malebat ipse sic jacturam beatitudinis et gratiæ amicitiæque divinæ facere, quam totus ille populus in perpetuum a Deo abjiceretur et disperderetur. Et hujusmodi desideria, licet inefficacia ad agendum, maximi sunt meriti et efficaciæ ad impetrandum. Et solent amici similibus precibus vim quodammodo amico facere, et quod volunt extorquere: ut si filius patri carissimus culpam fratris immorigeri a parente deprecetur hoc modo: Vel fratri ignosce vel occide me, vel hereditate priva me. Scit enim parentem quidvis potius quam illud posterius facturum. Simile est illud Pauli ad Romanos 9: *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Ita S. Jo. Chrysostomus, Origenes, Ambros., Theophylactus, Œcumenius in cap. 9 ad Romanos. Et hinc colligi potest, Moysen revelationem habuisse de sui prædestinatione et salute.

(1) 1. p., q. 24, a. 3.

CAPUT XXXIII.

Dum adhuc minatur populo Deus, et ille luget peccatum suum, Moyses impensissime orat plenam perfectamque reconciliationem, et tandem impetrat. Familiaritas Moysis cum Deo: et quomodo viderit gloriam Dei.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Vade, ascende de loco isto tu, et populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens: [1] Semini tuo dabo eam:

2. Et [2] mittam præcursorem tui angelum, ut ejiciam [3] Chananæum, et Amorrhæum, et Hethæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum,

3. Et intres in terram fluentem lacte et melle. Non enim ascendam tecum, [4] quia populus duræ cervicis es: ne forte disperdam te in via.

(1) Gen. 12, vers. 7.
(2) Sup. 32, vers. 34.
(3) Jos. 24, vers. 11; Deut. 7, vers. 22.
(4) Sup. 32, vers. 9; Deut. 9, vers. 13.

4. Audiensque populus sermonem hunc pessimum, luxit: et nullus ex more indutus est cultu suo.

5. Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israel: Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui, et delebo te. Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi.

6. Deposuerunt ergo filii Israel ornatum suum a monte Horeb.

7. Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus, Tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad Tabernaculum fœderis, extra castra.

8. Cumque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, et stabat unusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium.

9. Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, et stabat ad ostium, loquebaturque cum Moyse,

10. Cernentibus universis quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabantque ipsi, et adorabant per fores tabernaculorum suorum.

11. Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Cumque ille reverteretur in castra, minister ejus Josue filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo.

12. Dixit autem Moyses ad Dominum: Præcipis ut educam populum istum: et non indicas mihi quem missurus es mecum, præsertim cum

℣. 11. *Minister ejus Josue non recedebat de tabernaculo* — Hinc patet primo, antequam jussu Dei constructum esset *tabernaculum* majus, quod Moysi in monte Sinai a Deo propositum fuit, fuisse in castris aliud parvum quasi publicum sacrarium, quo et Moyses et ceteri orationis, et Dei consulendi causa convenirent: forsan etiam, ut vult Abulensis, ibidem seniorum conventus et concilia cogebantur. Hæc enim apud antiquos olim fere in templis habebantur, ut apud Romanos in æde Jovis Capitolini, Jovis Statoris, Bellonæ, etc. Videtur autem hoc *tabernaculum* a Moyse tum constructum, cum supra c. 24, fœdus Deum inter et populum publico sacrificio, et pactis utrimque conventis sanciret: atque inde nomen indidisse *tabernaculi fœderis*, quod deinde eamdem ob causam, etiam alteri tabernaculo majori perpetuum remansit. Jam tabernaculum hoc prius, quasi domicilium suum, jubet Deus in pœnam idololatriæ, e medio populi, adeoque et e castris efferri, et *procul* efferri, *ad bis mille cubitos*, ita habet Thalmud. Ut ostenderet, sese inter eos tam infami idololatria contaminatos nolle diutius habitare. Jussit etiam verosimiliter, uti tabulæ lapideæ confractæ fuerant, etiam volumen legis quos Israelitis prælectum fuerat c. 24, publice disrumpi. Nam c. 34 jubet rursus idem illud a Moyse rescribi, v. 27.

Patet secundo. Josue, cum noctes et dies tabernaculo huic adesset, nempe quamdiu Moyses illic hæreret, functum illic officio non tam æditui, ne qua forte bestia locum conspurcaret: quam præfecti vigilum, ne qui seu fures, seu hostes quidquam damni loco sacro, aut corpori Moysis inferrent, quod erat officium magistri militiæ, quo Josue jam tum fungebatur. Vocatur tamen hic *puer*, jam quinquagenario major. Sed *puer*, pro juvene hic ponitur; juventutem autem ad 45 annum producit Varro [1], ad 46 Servius Tullius. Quod magis locum habebat eo Moysis seculo, quo cum hominum vita esset productior, etiam juventus ad plures annos quam ævo posteriore extendebatur. Nisi malis phrasi vulgari *puerum* hic Josue dici, quia cælibem, neque matrimonii vinculis umquam irretitum, ut fuse probat Serarius. Et hoc significat *hullema* Chaldæum, quo nomine hic Josue vocatur: sicut *halma* puellam virginem designat.

(1) Apud Censorinum de Die natali.

dixeris: Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me.

13. Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos: respice populum tuum gentem hanc.

14. Dixitque Dominus: Facies mea præcedet te, et requiem dabo tibi.

15. Et ait Moyses: Si non tuipse præcedas, ne educas nos de loco isto.

16. In quo enim scire poterimus ego et populus tuus invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum, ut glorificemur ab omnibus populis qui habitant super terram?

17. Dixit autem Dominus ad Moysen: Et verbum istud, quod locutus es, faciam: invenisti enim gratiam coram me, et teipsum novi ex nomine.

18. Qui ait: Ostende mihi gloriam tuam.

19. Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi, et vocabo in nomine Domini coram te: [1] et mise-

℣. 13. *Ostende mihi faciem tuam.* Et v. 14. *Facies mea præcedet te* — Per *faciem* hic intelligitur persona propria. Cum enim v. 3 dixisset Deus, *Non ascendam tecum,* sed *mittam præcursorem tui angelum;* noluit acquiescere Moyses, sed tamdiu supplicavit Deo, donec promitteret se per semetipsum eis ducem affuturum. Sed hujus voti jam compos factus, majori audacia Moyses ulterius postulat, vers. 18: *Ostende mihi gloriam tuam;* non essentiam divinam, ut S. Basilio, Augustino, D. Thomæ, Lyrano, Ruperto, Lipomano, et aliis quibusdam placet; sed excellentiorem illam formam corpoream, quam induerat exterius angelus dum ageret cum Moyse, neque umquam illi spectandam exhibuerat. Licet enim *facie ad faciem,* v. 11, Deus vel angelus vice Dei loqueretur cum Moyse, *neque hic per ænigmata aut figuras Dominum videret, sed ore ad os ei loqueretur,* Num. 12, id tamen non aliud arguit, quam familiarem et amicam consuetudinem, ut quoties liberet Moysi, etiam sensibili allocutione cum Deo ageret, sed quasi in tenebris et nube interposita: vel ut summum perfectiorem distinctioremque de Deo et rebus divinis cognitionem, quam aliis Prophetis obtigisset, sed tamen non nisi abstractivam et obscuram in se ipsa habuit. Et certe ex Joannis 1, vv. 17 et 18, ubi comparatio instituitur inter Moysen et Christum, expresse dicitur, neminem præter Christum vidisse Deum, ac ne Moysen quidem. Et hæc est sententia S. Dionysii, Evaristi, et omnium fere aliorum SS. Patrum quos recenset et sequitur Vasquez, Molina, Suarez [2] et plerique alii.

Petes, quid ergo sibi vult istud v. 19: *Ego ostendam omne bonum tibi?* Respondeo, non id intelligi posse de divina essentia; nam mox subdit: *Non poteris videre faciem meam,* seu meipsum in gloria mea, quam videre appetis: *non enim videbit me homo et vivet.* Quasi dicat: Nemo mortalium, saltem de lege ordinaria, capax est visionis mei prout in me sum. Quare etiamsi antea petiisset Moyses videre essentiam divinam, non tamen inde colligi posset, ipsum eam vidisse, quandoquidem quod hic petiit, diserte illi negetur: etiam visio gloriæ illius corporeæ excellentioris, qua fulgebat angelus externa apparentia. Ergo per *omne bonum,* quod hic promittit se ostensurum Moysi, non intelligit nisi gloriam externam tantam, quantam mortalis oculus admitteret, et qua voto ac petitioni Moysis abunde futurum esset satis. Hæc vero erat gloria et fulgor posterioris partis, seu tergi angelici; quam attemperabat imbecillitati corporei oculi Moysis: nam anterior faciei pars radiantior fulgidiorque erat, quam ut infirmitas illius humana ferre posset. Ita S. Dionysius, aliique Patres Græci. Item Hieronymus, Gregorius et alii multi Latini.

Symbolice Moysi et Apostolis non *facies,* id est deitas, sed *dorsum,* id est humanitas Christi, videnda promittitur in monte Thabor, inquit Tertullianus [3], Origenes, Nazianzenus et Augustinus.

(1) Ad Rom. 9, vers. 15.
(2) Dionys. de Cæl. hier., c. 4, de Myst. Theol. cap. 1; Evarist. epist. 1 Decretal.; Vasq. in 1 p. disp 55, cap. 2; Mol.; Suarez in 1 part.
(3) Cap. 4 contra Marcionem, c. 22.

rebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit.

20. Rursumque ait: Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, et vivet.

21. Et iterum: Ecce, inquit, est locus apud me, et stabis supra petram.

22. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam dextera mea, donec transeam.

23. Tollamque manum meam, et videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.

CAPUT XXXIV.

Moyses cum novis tabulis redit in montem, videt tergum Dei. Renovatur fœdus Dei cum populo, et tabulis digito Dei Decalogus de novo inscribitur. Moysis cornuta facies terret et fugat populum: quem propterea velata semper facie deinceps alloquitur.

1. Ac deinceps: [1] Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti.

2. Esto paratus mane, ut ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis.

3. Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem: boves quoque et oves non pascantur econtra.

4. Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant: et de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, sicut præceperat ei Dominus, portans secum tabulas.

5. Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, invocans nomen Domini.

6. Quo transeunte coram eo, ait: Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multæ miserationis, ac verax,

7. Qui [2] custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem, et scelera, atque peccata, [3] nullusque apud te per se innocens est. [4] Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam et quartam progeniem.

8. Festinusque Moyses, curvatus est pronus in terram, et adorans,

9. Ait: Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro ut gradiaris nobiscum (populus enim duræ cervicis est), et auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas.

10. Respondit Dominus: Ego [5] inibo pactum videntibus cunctis, signa faciam quæ numquam visa sunt super terram, nec in ullis gentibus: ut cernat populus iste, in cujus es medio, opus Domini terribile quod facturus sum.

11. Observa cuncta quæ hodie mando tibi: ego ipse ejiciam ante faciem tuam Amorrhæum, et Chananæum, et Hethæum, Pherezæum quoque, et Hevæum, et Jebusæum.

12. Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam:

13. Sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide;

14. Noli adorare deum alienum: Dominus zelotes nomen ejus, Deus est æmulator.

15. [6] Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ne, cum

℣. 15. *Ne ineas pactum* connubii *cum hominibus illarum regionum* — Chanaan. Neque tamen id peculiare erat Chananæis, licet de his solis hic præceptum

(1) Deut. 10, vers. 1.
(2) Jer. 32, vers. 18; Deut. 5, vers. 10.
(3) Psalm. 142, v. 2.
(4) Deut. 5, vers. 9; Jer. 32, vers. 18.
(5) Deut. 5, vers. 2; Jer. 32, vers. 40.
(6) Sup. 23, vers. 32; Deut. 7, vers. 2.

fornicati fuerint cum diis suis, et adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam ut comedas de immolatis.

16. [1] Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne, postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant et filios tuos in deos suos.

17. Deos conflatiles non facies tibi.

18. Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus vesceris azymis, sicut præcepi tibi, in tempore mensis novorum: mense enim verni temporis egressus es de Ægypto.

19. [2] Omne quod aperit vulvam generis masculini, meum erit. De cunctis animantibus, tam de bobus, quam de ovibus, meum erit.

20. Primogenitum asini redimes ove: sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes: nec apparebis in conspectu meo vacuus.

21. Sex diebus operaberis, die septimo cessabis arare et metere.

22. [3] Solemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ, et solemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.

23. [4] Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel.

24. Cum enim tulero gentes a facie tua, et dilatavero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, et apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.

25. [5] Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ: neque residebit mane de victima solemnitatis Phase.

26. Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. [6] Non coques hœdum in lacte matris suæ.

27. Dixitque Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba hæc, quibus et tecum et cum Israel pepigi fœdus.

28. Fuit [7] ergo ibi cum Domino

loquatur, quod ab his propter viciniam plus periculi Judæis immineret: sed universim cum omnibus alienigenis vetita erant connubia Judæis, propter idem prorsus idololatriæ periculum quod inde imminebat. Unde et Salomon a Scriptura reprehenditur quasi legis divinæ transgressor, quod Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas uxores duxerit [8]. Et Esdras ejusmodi connubia vocat *abominationes*, *transgressiones*, *prævaricationes* [9], utique non alterius legis quam quæ hic, et Exodi 23, et Deuter. 7, lata fuit, quæ licet tantum nominet Chananæos, ad omnes tamen alienigenas tam ex intentione Dei, quam ex recepta apud Judæos opinione, ut Philo et Josephus [10] testes sunt, esse extendebat. Hæc tamen intellige, ita fuisse vetita, si uxores in patria superstitione permanere vellent. Nam si ad Judaicam religionem transire cuperent, licitum erat, tum alterius cujuslibet gentis, tum etiam Chananæas ducere, sic enim cessabat ratio legis. Et Deuter. 21, v. 11, permittitur expresse Hebræis, ut e captis in bello mulieribus unam ducant uxorem. Et exempla etiam proborum virorum, id licuisse manifestum faciunt: nam Salmon tribus Judæ princeps meretricem Chananæam Rahab [11] uxorem duxit: Booz Ruth [12] Moabitidem: rex David Maacham [13] filiam Tholmai regis Gessur e genere Chananæorum.

Dices, etiam Samson cum Philisthæa [14], et Esther cum Assuero [15] in infidelitate permanentibus matrimonium contraxerunt. Respondeo, id peculiari Dei instinctu et dispensatione factum, qui et periculum omne avertebat, et ingens inde bonum eliciebat.

(1) 3 Reg. 11, vers. 2; Deut. 7, v. 3.
(2) Sup. 13, vv. 2, 12, et 22, vers. 29.
(3) Sup. 23, vers. 15.
(4) Sup. 23, vers. 17; Deut. 16, vers. 16.
(5) Sup. 23, vv. 18, 19.
(6) Sup 23, vers. 19; Deut. 14, v. 21.
(7) Sup. 24, vers. 18; Deut. 9, vv. 9, 18.

(8) 3 Reg. 11, vers. 1, etc.
(9) 1 Esdr. 9, vers. 1, etc., et c. 10, vv. 2, 10.
(10) Philo libro de Specialibus legibus; Joseph. l. 8 Antiq., c. 2, et l. 11, c. 5, et l. 18, c. 12.
(11) Matth. 1, vers. 5. (12) Ruth 4.
(13) 2 Reg. 3, vers. 3. (14) Judic. 16, vers. 1.
(15) Esther 2, vers. 17.

quadraginta dies et quadraginta noctes : panem non comedit et aquam non bibit, et scripsit in tabulis [1] verba fœderis decem.

29. Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, et ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.

30. Videntes autem Aaron et filii Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere.

31. Vocatique ab eo, reversi sunt tam Aaron quam principes synagogæ. Et postquam locutus est ad eos,

32. Venerunt ad eum etiam omnes filii Israel : quibus præcepit cuncta quæ audierat a Domino in monte Sinai.

33. Impletisque sermonibus, [2] posuit velamen super faciem suam.

34. Quod ingressus ad Dominum, et loquens cum eo, auferebat donec exiret, et tunc loquebatur ad filios Israel omnia quæ sibi fuerant imperata.

35. Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos.

℣. 29. *Ignorabat quod cornuta esset facies* — Non quod vera cornua Moyses haberet in fronte, ut pictores illi affingunt : sed quod facies ejus ita luceret, ut etiam lucis radios, qui metaphorice *cornua* vocantur, e vultu vibraret. Unde Chaldæus vertit, *splendor gloriæ vultus Moysis multiplicatus erat* ; et Septuaginta *glorificatus erat aspectus faciei ejus*. Et ex his hunc eumdem locum sic citat S. Paulus 2 ad Corinth. 3, v. 7. Hos radios Moysi afflavit Deus in *consortio sermonis*, id est cum sermonem cum illo misceret, et ex ingenti illa luce, qua ante *foramen petræ* transiens, plus solito fulgebat, particulam aliquam vibrabat in faciem Moysis. Et hæc etiam est ratio, cur potius Moyses secunda hac vice splendidis cornibus irradians visus fuerit, quam priore vice, quando etiam cum Deo quadraginta diebus in monte fuerat : nam priore illa vice non tanto splendore radiarat angelus, quanto hac posteriore. Abulensis [3] censet, hos radios tota vita Moysi adhæsisse : ac proinde post primum hoc cum populo colloquium (quo, dum legem Dei aperta detectaque facie promulgat, primum animadversum fuit faciem ejus radiis coruscare), semper exinceps quoties populo loqueretur, faciem velasse. Idem docent Ambrosius, Lipomanus et alii. Qui et addunt, Deum hos radios Moysi perpetuos affixisse, primo, amoris affectusque sui in Moysen testandi gratia ; secundo, ut vim et fructum orationis seu colloquii cum Deo manifestum faceret ; tertio, ut Moysi auctoritatem apud populum conciliaret ; quarto, ut hoc quasi charactere testatum palam faceret, Deum esse legislatorem ; et licet a Moyse promulgaretur, tamen a Deo promanasse ; denique, ut his cornibus terrorem Hebræis incuteret, ne legem iterum violare auderent. Allegoriam exponit S. Paulus 2 ad Cor. 3 de lege veteri, quam dicit semper habuisse velamen : neque hoc sublatum nisi tempore Josue, id est *Jesu*, in lege nova.

(1) Deut. 4, vers. 13.
(2) 2 ad Cor. 3, v. 13.
(3) Citatus sæpius Benedictinus Martin, p. 71, cornua illa nihil aliud fuisse contendit, quam capillos in summa fronte Moysis instar duorum cornuum crispatos et erectos, eosque auri ramentis conspersos ; qua in re eruditionem omnem Græcanicam, Romanamque profert, ut demum risui ab omnibus excipiatur. Vide P. Prati in *Observ.* ad 2 Sulpic. Severi volum., pag. 495.

CAPUT XXXV.

Exponit Moyses populo mandata Dei de Sabbato, de primitiis, de oblatione munerum, de fabricatione tabernaculi. Ad omnia prompti Hebræi, liberaliter offerunt omnem materiam tabernaculo necessariam. Cujus architecti designantur Beseleel et Ooliab.

1. Igitur congregata omni turba filiorum Israel, dixit ad eos: Hæc sunt quæ jussit Dominus fieri.

2. Sex diebus facietis opus: septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum, et requies Domini: qui fecerit opus in eo, occidetur.

3. Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati.

¥. 3. *Non succendetis ignem per diem Sabbati* — nempe ad cibos parandos aut coquendos: nam ad calefaciendum, aut lumen præbendum non erat prohibitum ignem succendere. Sic et alia omnia quæ ad quærendum parandumque victum pertinebant, v. g. ligna colligere [1], poma excutere vel decerpere [2], herbas evellere [3], emere, vendere [4], coquere [5], et similia [6] vetita erant Sabbato. Quin et dare et accipere [7], si ad victum vel quæstum faciendum spectaret, et alicujus ponderis aut sarcinæ rationem haberet, publice vetabatur. Item de loco in locum transferre [8], bajulare [9], iter facere [10] negotiorum causa, vel ad longius spatium, scilicet ultra *bis mille cubitos* [11], quod erat iter Sabbati. Vetitum quoque *morti* quemquam publica sententia, quamvis sontem, *addicere*, vel *afficere* [12]: *funera curare* [13]: hostem in militia *aggredi* [14] *ultro*, aut alia *bellica* [15] citra necessitatem agere. Denique quidquid aliquam speciem haberet operum servilium, ut scribere, rationes subducere, et similia, si quo modo differri possent. Nam quæcumque ex omnibus jam dictis necessaria erant, nec poterant differri sine periculo sui vel rerum suarum, nec anticipari potuerant, ut quia prævisa non fuissent, licita erant Sabbato. Unde et opera necessaria chirurgiæ, pharmacorum apparatio, ciborum, et jusculorum coctio necessaria pro ægrotis, vel aliis qui pridie cibos sibi parare non potuerant: item pecorum adaquatio, pabuli subministratio, eorumdem eductio si in aquas, puteum vel foveam delabi contigisset, licita [16] erant: multoque magis, *hosti resistere* [17], vim vi repellere, oppugnantium machinationes præpedire, etc. Quamquam nonnulli in ejusmodi necessariis plus æquo religiosi subinde fuerint, etiam usque ad superstitionem. Ut exemplo Judæi navarchi Sabbato *clavum regere* nolentis, docet Synesius [18]: et alterius e *cloaca educi* recusantis, Volaterranus: aliorum non audentium *calceos clavis compactos* gestare, *alvum levare*, *cereos emungere*, *litteras reserare*, produnt Origenes, Josephus, Serarius [19]. Certe constat licuisse, quod quidam Judæi 1 Machab. 2 ausi non sunt, Sabbato adversus hostes se defendere, vim vi repellere, loca occulta oppilare per quæ hosti ad ipsos aditus dabatur.

Nota, non omnia quæ Sabbato prohibita erant, etiam festis, licet solemniori-

(1) Num. 15.
(2) Matth. 12; Marc. 3; Lucæ 6.
(3) Philo lib. 2 de Vita Moysis.
(4) 2 Esdr. 10 et 13.
(5) Exodi 16, vers. 23, et Philo lib. 3 Vitæ Moysis.
(6) Philo in Legat. ad Cajum et de Mundi opif.
(7) Philo in Legat. ead.
(8) Jer. 17, vv. 21, 22, 24, 27, et 2 Esdræ 13, vv. 15, 19.
(9) Joan. 5, vers. 10.
(10) Exodi 16, vers. 29, et Josephus lib. 14 Antiq., cap. 17.
(11) Rabbini a Bonfr. cit. in c. 20 Exodi, v. 8, § 6.
(12) Philo lib. 3 Vitæ Moysis.
(13) Joan. 19, vers. 31.
(14) Joseph. lib. 14 Antiq., c. 17, et lib. 2 Bell. cap. 16.
(15) Joseph. ibid., et lib. 18 Antiq., c. 12, et in Vita sua.
(16) Matth. 12; Marci 2; Lucæ 6, 13 et 14.
(17) 1 Mach. 2, vers. 41, et Joseph. l. 14 Antiq. cap. 8, et l. 1 Belli, cap. 5.
(18) Synesius ad Evoptium in sua navigatione,
(19) Orig. l. 4 Periarchon.; Josephus l. 2 Belli. cap. 7; Serarius l. 1 Josue, c. 4, q. 12.

4. Et ait Moyses ad omnem catervam filiorum Israel: Iste est sermo quem præcepit Dominus, dicens:

5. Separate apud vos primitias Domino: [1] Omnis voluntarius et prono animo offerat eas Domino: aurum et argentum, et æs,

6. Hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum, pilos caprarum,

7. Pellesque arietum rubricatas, et janthinas, ligna setim,

8. Et oleum ad luminaria concinnanda, et ut conficiatur unguentum, et thymiama suavissimum,

9. Lapides onychinos, et gemmas ad ornatum superhumeralis et rationalis.

10. Quisquis vestrum sapiens est, veniat, et faciat quod Dominus imperavit:

11. Tabernaculum scilicet, et tectum ejus, atque operimentum, annulos, et tabulata cum vectibus, paxillos et bases:

12. Arcam et vectes, propitiatorium, et velum quod ante illud oppanditur:

13. Mensam cum vectibus et vasis, et propositionis panibus:

14. Candelabrum ad luminaria sustentanda, vasa illius et lucernas, et oleum ad nutrimenta ignium:

15. Altare thymiamatis, et vectes, et oleum unctionis et thymiama ex aromatibus: tentorium ad ostium tabernaculi:

16. Altare holocausti, et craticulam ejus æneam cum vectibus et vasis suis: labrum et basim ejus:

17. Cortinas atrii cum columnis et basibus, tentorium in foribus vestibuli,

18. Paxillos tabernaculi et atrii cum funiculis suis:

19. Vestimenta, quorum usus est in ministerio sanctuarii, vestes Aaron pontificis ac filiorum ejus, ut sacerdotio fungantur mihi.

20. Egressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi,

21. Obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonii. Quidquid ad cultum et ad vestes sanctas necessarium erat,

22. Viri cum mulieribus præbuerunt armillas et inaures, annulos et dextralia: omne vas aureum in donaria Domini separatum est.

23. Si quis habebat hyacinthum, et purpuram, coccumque bis tinctum, byssum et pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, et janthinas,

24. Argenti, ærisque metalla, obtulerunt Domino, lignaque setim in varios usus.

25. Sed et mulieres doctæ, quæ neverant, dederunt hyacinthum, purpuram, et vermiculum, ac byssum,

26. Et pilos caprarum, sponte propria cuncta tribuentes.

27. Principes vero obtulerunt la-

bus, prohibita fuisse. Nam quæcumque ad cibos seu coquendos, seu emendos spectabant, licita erant diebus festis, ut habetur Exodi 12, v. 16. Et primo summoque anni festo, scilicet Paschæ, Josephus mercatus est sindonem, mulieres aromata, Christus captus, damnatus, sepultus est: Tobias [2] quoque *die festo Domini* mortuos sepeliebat.

Nota Secundo. Etsi sola cessatio ab operibus servilibus lege præcepta fuerit Judæis Sabbato, nulla vero religiosa actio positiva: tamen, quia divinus cultus erat finis præcepti de cessatione a servilibus, solebant Judæi totum illum diem valde religiose divino cultui tribuere, vacantes vel orationi in templo, aut proseuchis seu synagogis suis, vel lectioni vel auditioni legis: et quidem tanta cura, ut plerique fere totam legem memoriter tenerent, teste Philone, Josepho et Rabbinis [3].

(1) Sup. 25, vers. 2.
(2) Tobiæ 2, vers. 1 et 4.
(3) Philo locis omnibus supra citat. et aliis ab Euseb. citat. l. 8 de Præpar. Evang., c. 2, et c. 4 de Essæis; Joseph. sup., et l. 16 Antiq., c. 4, et l. 1 et 2 contra Apionem ex Agatharchide.

pides onychinos, et gemmas ad superhumerale et rationale.

28. Aromataque et oleum ad luminaria concinnanda, et ad præparandum unguentum, ac thymiama odoris suavissimi componendum.

29. Omnes viri et mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera quæ jusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filii Israel voluntaria Domino dedicaverunt.

30. Dixitque Moyses ad filios Israel: [1] Ecce, vocavit Dominus ex nomine Beseleel filium Uri filii Hur de tribu Juda.

31. Implevitque eum spiritu Dei, sapientia et intelligentia, et scientia et omni doctrina,

32. Ad excogitandum, et faciendum opus in auro et argento, et ære,

33. Sculpendisque lapidibus, et opere carpentario; quidquid fabre adinveniri potest,

34. Dedit in corde ejus: Ooliab quoque filium Achisamech de tribu Dan:

35. Ambos erudivit sapientia, ut faciant opera abietarii, polymitarii, ac plumarii de hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, et bysso, et texant omnia, ac nova quæque reperiant.

(1) Sup. 31, vers. 2.

CAPUT XXXVI.

Plus offerunt Hebræi quam opus esset ad perficiendum tabernaculum; unde vetantur plura offerre. Fabricatur ergo tabernaculum, juxta Dei præscriptum.

1. Fecit ergo Beseleel, [1] et Ooliab, et omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam et intellectum, ut scirent fabre operari quæ in usus sanctuarii necessaria sunt, et quæ præcepit Dominus.

2. Cumque vocasset eos Moyses, et omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam, et qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus,

3. Tradidit eis universa donaria filiorum Israel. Qui cum instarent operi, quotidie mane vota populus offerebat.

4. Unde artifices venire compulsi,

5. Dixerunt Moysi: Plus offert populus quam necessarium est.

6. Jussit ergo Moyses præconis voce cantari: Nec vir nec mulier quidquam offerat ultra in opere sanctuarii. Sicque cessatum est a muneribus offerendis,

7. Eo quod oblata sufficerent et superabundarent.

8. Feceruntque omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem de bysso retorta, et hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, opere vario, et arte polymita:

9. Quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos, et in latitudine quatuor: una mensura erat omnium cortinarum.

10. Conjunxitque cortinas quin-

℣. 3. *Quotidie mane vota populus offerebat* — Id est, *oblationes spontaneas*, ut est in Hebræo. Ita enim præscripserat Deus Exodi 35, v. 5 et alibi: neque volebat quidquam ab invito extorqueri, aut exigi. Hæc ultronea donaria, quia ex præstantiori sorte seu specie cujusque materiæ fieri debebant, *Primitiæ* sæpe [3] vocantur: quia solebant primitiæ esse ejusmodi. Quamquam dici etiam potest, hæc donaria *hic primitias* vocari quod essent prima dona quæ Hebræi ex spoliis tum Ægyptiorum, tum Amalecitarum Deo obtulerunt in deserto.

(1) Sup. 26, vers. 1. (2) 1 Paral. 21, vers. 29. (3) Exodi 35, vers. 5 et alibi.

que, alteram alteri, et alias quinque sibi invicem copulavit.

11. Fecit et ansas hyacinthinas in ora cortinæ unius ex utroque latere, et in ora cortinæ alterius similiter,

12. Ut contra se invicem venirent ansæ, et mutuo jungerentur.

13. Unde et quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas, et fieret unum tabernaculum.

14. Fecit et saga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi:

15. Unum sagum in longitudine habebat cubitos triginta, et in latitudine cubitos quatuor: unius mensuræ erant omnia saga:

16. Quorum quinque junxit seorsum, et sex alia separatim.

17. Fecitque ansas quinquaginta in ora sagi unius, et quinquaginta in ora sagi alterius, ut sibi invicem jungerentur.

18. Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus sagis fieret.

19. Fecit et opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliudque desuper velamentum de pellibus janthinis.

20. Fecit et tabulas tabernaculi de lignis setim stantes.

21. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ unius, et unum ac semis cubitum latitudo retinebat.

22. Binæ incastraturæ erant per singulas tabulas, ut altera alteri jungeretur. Sic fecit in omnibus tabernaculi tabulis.

23. E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra austrum,

24. Cum quadraginta basibus argenteis. Duæ bases sub una tabula ponebantur ex utraque parte angulorum, ubi incastraturæ laterum in angulis terminantur.

25. Ad plagam quoque tabernaculi, quæ respicit ad aquilonem, fecit viginti tabulas,

26. Cum quadraginta basibus argenteis, duas bases per singulas tabulas.

27. Contra occidentem vero, id est, ad eam partem tabernaculi, quæ mare respicit, fecit sex tabulas,

28. Et duas alias per singulos angulos tabernaculi retro:

29. Quæ junctæ erant a deorsum usque sursum, et in unam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex utraque parte per angulos:

30. Ut octo essent simul tabulæ, et haberent bases argenteas sedecim, binas scilicet bases sub singulis tabulis.

31. Fecit et vectes de lignis setim, quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi,

32. Et quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas: et extra hos, quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare.

33. Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo usque ad angulum perveniret.

34. Ipsa autem tabulata deauravit, fusis basibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci possent: quos et ipsos laminis aureis operuit.

35. Fecit et velum de hyacintho, et purpura, vermiculo, ac bysso retorta, opere polymitario, varium atque distinctum:

36. Et quatuor columnas de lignis setim, quas cum capitibus deauravit, fusis basibus earum argenteis.

℣. 18. *Fibulas quibus necteretur tectum* — Per *tectum* tabernaculi intelligit duo illa majora saga cilicina [1], quæ fibulis æneis 50 inter se connexa, et duobus aliis opertoriis pelliceis, uno rubricato, altero janthino cooperta, vice tecti erant tabernaculo.

(1) Exod. 26.

37. Fecit et tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo, byssoque retorta, opere plumarii:

38. Et columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.

℣. 38. *Columnas cum capitibus suis quæ operuit auro* — Ita habetur in Hebræo, Chaldæo et Septuaginta; non vero, *quas operuit*, ut est in nostra Vulgata Latina. Unde colligimus capitella plane cooperta fuisse laminis aureis, ita ut in illis nihil præter aurum exterius appareret; unde etiam *aurea* vocantur c. 26.

At columnæ auro quidem tectæ erant, non tamen per totum, sed sic tantummodo, ut zonis quibusdam, spiris et emblematis aureis circumcingerentur et ornarentur magis quam tegerentur; nam inter has zonulas lignum columnarum passim apparebat.

CAPUT XXXVII.

Fabricatur arca, propitiatorium, Cherubim, mensa, candelabrum, altare thymiamatis: atque adolendum in eo thymiama componitur.

1. Fecit autem Beseleel et arcam de lignis setim, habentem duos semis cubitos in longitudine, et cubitum ac semissem in latitudine, altitudo quoque unius cubiti fuit et dimidii: vestivitque eam auro purissimo intus ac foris.

2. Et fecit illi coronam auream per gyrum,

3. Conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos ejus: duos annulos in latere uno, et duos in altero.

4. Vectes quoque fecit de lignis setim, quos vestivit auro,

5. Et quos misit in annulos, qui erant in lateribus arcæ ad portandum eam.

6. Fecit et propitiatorium, id est, oraculum, de auro mundissimo, duorum cubitorum, et dimidii in longitudine, et cubiti ac semis in latitudine.

7. Duos etiam cherubim ex auro ductili, quos posuit ex utraque parte propitiatorii:

8. Cherub unum in summitate unius partis, et cherub alterum in summitate partis alterius: duos cherubim in singulis summitatibus propitiatorii,

9. Extendentes alas, et tegentes propitiatorium, seque mutuo et illud respicientes.

10. Fecit et mensam de lignis setim in longitudine duorum cubitorum, et in latitudine unius cubiti, quæ habebat in altitudine cubitum ac semissem.

11. Circumdeditque eam auro mundissimo, et fecit illi labium aureum per gyrum,

12. Ipsique labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum, et super eamdem, alteram coronam auream.

13. Fudit et quatuor circulos aureos, quos posuit in quatuor angulis per singulos pedes mensæ

14. Contra coronam: misitque in eos vectes, ut possit mensa portari.

15. Ipsos quoque vectes fecit de

℣. 1. *Arcam habentem duos semis cubitos* — Id est, duos et semis cubitos, ut patet ex vers. 6, hic et cap. 25, supra. Ubi et reliqua hujus capitis explicantur.

℣. 14. *Quatuor circulos posuit in quatuor angulis mensæ contra coronam* — Id est subter coronam, ut habes in simili hic vers. 27, et expresse dicitur c. 25, v. 27.

lignis setim, et circumdedit eos auro.

16. Et vasa ad diversos usus mensæ, acetabula, phialas, et cyathos et thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina.

17. Fecit et candelabrum ductile de auro mundissimo. De cujus vecte calami, scyphi, sphærulæque ac lilia procedebant:

18. Sex in utroque latere, tres calami ex parte una, et tres ex altera:

19. Tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul et lilia: et tres scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulæque, simul et lilia. Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri.

20. In ipso autem vecte erant quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos simul et lilia:

21. Et sphærulæ sub duobus calamis per loca tria, qui simul sex fiunt calami procedentes de vecte uno.

22. Et sphærulæ igitur, et calami ex ipso erant, universa ductilia ex auro purissimo.

23. Fecit et lucernas septem cum emunctoriis suis, et vasa ubi ea quæ emuncta sunt extinguantur, de auro mundissimo.

24. Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis.

25. Fecit et altare thymiamatis de lignis setim, per quadrum singulos habens cubitos, et in altitudine duos: e cujus angulis procedebant cornua.

26. Vestivitque illud auro purissimo, cum craticula ac parietibus et cornibus.

27. Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vectes, et possit altare portari.

28. Ipsos autem vectes fecit de lignis setim, et operuit laminis aureis.

29. Composuit et oleum ad sanctificationis unguentum, et thymiama de aromatibus mundissimis, opere pigmentarii.

CAPUT XXXVIII.

Fabricatur altare holocaustorum: labrum æneum ex speculis mulierum. Atrium cingitur suis columnis et velis. Numerantur talenta auri, argenti et æris, in fabricam tabernaculi oblata et insumpta.

1. Fecit et altare holocausti de lignis setim, [1] quinque cubitorum per quadrum, et trium in altitudine:

2. Cujus cornua de angulis procedebant, operuitque illud laminis æneis.

3. Et in usus ejus paravit ex ære vasa diversa, lebetes, forcipes, fuscinulas, uncinos, et ignium receptacula.

4. Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, et subter eam in altaris medio arulam,

5. Fusis quatuor annulis per totidem retiaculi summitates, ad immittendos vectes ad portandum:

6. Quos et ipsos fecit de lignis setim, et operuit laminis æneis:

7. Induxitque in circulos, qui in lateribus altaris eminebant. Ipsum autem altare [2] non erat solidum, sed cavum ex tabulis, et intus vacuum.

(1) 2 Par. 1, vers. 5.

(2) Sup. 27, vers. 8.

8. Fecit et labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.

9. Fecit et atrium, in cujus australi plaga erant tentoria de bysso retorta, cubitorum centum,

10. Columnæ æneæ viginti cum basibus suis, capita columnarum, et tota operis cælatura, argentea.

11. Æque ad septentrionalem plagam tentoria, columnæ, basesque et capita columnarum, ejusdem

℣. 8. *Fecit labrum æneum* — Græce λεκάνη, id est *lavatorium*. Erat vas ingens æneum aqua plenum; ex quo per fistulas defluente aqua, lavabant sacerdotes victimas, et etiam manus ac pedes suos: nam reverentiæ causa nudis pedibus in tabernaculo ministrabant. Ita Cajetanus, Lipomanus, et Ribera. Conflatum autem erat hoc *labrum* ex *speculis mulierum*. Petit Oleaster, Abulensis, Lyranus, Cajetanus, Lipomanus, quomodo labrum *æneum* ex speculis *vitreis* confici potuerit? Respondeo, specula illa non vitrea, sed ænea fuisse, teste Philone [1], cujus hæc sunt verba: *Extra vestibulum* tabernaculi *in primo aditu labrum erat aheneum, non ex rudi materia, ut fere fit, fabrefactum ab opifice, sed ex vasis jam ante expolitis, in usum tamen alium, quæ mulieres mira animi alacritate certatim contulerant: specula enim ad quæ formam curare solitæ fuerant, sponte, nemine jubente, Deo dicaverant: hæc ad se delata opifex in unam massam confudit.* Et Rabbi Abraham diserte affirmat, morem fuisse Judæarum mulierum, aptare tiaram mane ad specula ænea. Idemque etiam aliis gentibus in more fuisse testes sunt Vitruvius, Plinius [2] et Zonaras, qui addit, Archimedem ex muris Syracusanis, et dein ejus exemplo Proclum ex mœnibus Byzantinis, cum prœlium navale instaret, ejusmodi æneis speculis ustoriis e regione navium hostilium suspensis, cum in ea radii solares incidissent, reflecterenturque in naves, has omnes igne correptas exussisse. Quin et hoc tempore videmus, e polito chalybe, non puro eo quidem, sed certa aliarum rerum mixtione temperato, tersissima confici specula; ut mirum videri non debeat, si et olim apud Ægyptios, unde Hebræis obvenerant, e metallis illa conflarentur.

Hæc ergo sua specula piæ *mulieres*, quæ ante illis utebantur ad crines con-

cinnandos, inquit Aben-Esra, jam spreta hac vanitate, divino cultui consecrarunt. *Mulieres*, inquam, *quæ in ostio*, seu circa ostium, *tabernaculi excubabant*; Chaldaice, orabant; Græce, jejunabant; Hebraice, excubabant et militabant. Erant enim devotæ mulieres divini cultus studiosiores, quæ certatim, ac turmatim, fere ad modum cohortium militarium, ex singulis tribubus per vices ad tabernaculum confluere quotidie solebant, partim orandi, et jejunia celebrandi, aliaque pia opera exercendi causa, partim legis audiendæ et exequendæ gratia: vel etiam ut manuali opere, nendo, texendo, acu pingendo, lavando, verrendo juvarent opifices et ministros tabernaculi. Nam *militare* Hebræis significat omne genus famulatus seu ministerii. Hinc Episcopi 1 ad Timot. 1, vers. 18 et alibi Levitæ, angeli, cæli, sidera, omnisque creatura vocantur *milites* vel *militia* Dei. Non ergo perpetuo manebant hæ mulieres circa tabernaculum, saltem non eædem, sed aliæ atque aliæ per vices. Licet posterioribus temporibus, cum fixo loco hæreret tabernaculum, verb. gr. in Silo non negarim, constructa fuisse vicina quædam tabernaculo ædificia, quibus ejusmodi mulieres necessario loci illius servitio deputatæ excipiebantur, quarum mentio fit 1 Reg. 2, vers. 22. Et 2 Mach. 3, v. 19 mentio fit virginum illic conclusarum. Et talibus verosimiliter præerat Anna Prophetissa, Lucæ 2. Et inter tales enutrita fuisse dicitur B. Virgo usque dum matrimonio jungeretur Josepho. Ita de virginibus istis ac viduis sentiunt S. Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Evodius, Damascenus, Baronius, Espencæus, Canisius, Suarez, Serarius; immo et Calvinus ac Beza, licet hic ad solas viduas malit restringere: iste virginibus etiam ad nuptias transitum licuisse contendat [3].

(1) Lib. 3 de Vita Moysis.
(2) Vitr. l. 7, c. 3; Plin. l. 33, c. 9, et l. 34, 17.
(3) Ambr. lib. 2 de Virgin.; Nyssen. orat. 33, Christi Nativ.; Evod. apud Nicephorum l. 2, c. 42; Damascen. l. 4, c. 13; Baron. in Apparatu Annal.; Espencæus l. 3 de Continentia, c. 7; Canis. lib. 1 de B. Virg., cap. 12; Suar. in 3 p.; Serar. in 2 Mach. 3; Calvin. hic; Beza in Lucæ 2; Sup. 28, a. 6.

mensuræ, et operis ac metalli, erant.

12. In ea vero plaga, quæ ad occidentem respicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta, columnæ decem cum basibus suis æneæ, et capita columnarum, et tota operis cælatura, argentea.

13. Porro contra orientem, quinquaginta cubitorum paravit tentoria:

14. E quibus, quindecim cubitos columnarum trium, cum basibus suis, unum tenebat latus:

15. Et in parte altera (quia inter utraque introitum tabernaculi fecit) quindecim æque cubitorum erant tentoria, columnæque tres et bases totidem.

16. Cuncta atrii tentoria byssus retorta texuerat.

17. Bases columnarum fuere æneæ, capita autem earum cum cunctis cælaturis suis argentea: sed et ipsas columnas atrii vestivit argento.

18. Et in introitu ejus opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo vero quinque cubitorum erat, juxta mensuram, quam cuncta atrii tentoria habebant.

19. Columnæ autem in ingressu fuere quatuor cum basibus æneis, capitaque earum et cælaturæ argenteæ.

20. Paxillos quoque tabernaculi et atrii per gyrum fecit æneos.

21. Hæc sunt instrumenta tabernaculi testimonii, quæ enumerata sunt juxta præceptum Moysi in ceremoniis levitarum per manum Ithamar filii Aaron sacerdotis;

22. Quæ Beseleel filius Uri filii Hur de tribu Juda, Domino per Moysen jubente, compleverat,

23. Juncto sibi socio Ooliab filio Achisamech de tribu Dan: qui et ipse artifex lignorum egregius fuit, et polymitarius atque plumarius ex hyacintho, purpura, vermiculo et bysso.

24. Omne aurum quod expensum est in opere sanctuarii, et quod oblatum est in donariis, viginti novem talentorum fuit, et septingentorum triginta siclorum, ad mensuram sanctuarii.

25. Oblatum est autem ab his qui transierunt ad numerum, a viginti annis et supra, de sexcentis tribus millibus, et quingentis quinquaginta, armatorum.

26. Fuerunt præterea centum talenta argenti, e quibus conflatæ sunt bases sanctuarii, et introitus ubi velum pendet.

27. Centum bases factæ sunt de talentis centum, singulis talentis per bases singulas supputatis.

28. De mille autem septingentis et septuaginta quinque, fecit capita columnarum, quas et ipsas vestivit argento.

29. Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, et quadringenti supra sicli,

30. Ex quibus fusæ sunt bases in introitu tabernaculi testimonii, et altare æneum cum craticula sua, omniaque vasa quæ ad usum ejus pertinent,

31. Et bases atrii tam in circuitu quam in ingressu ejus, et paxilli tabernaculi atque atrii per gyrum.

CAPUT XXXIX.

Vestes sacerdotales conficiuntur, completurque tota fabrica tabernaculi cum omni sua supellectili.

1. De hyacintho vero et purpura, [1] vermiculo ac bysso, fecit vestes, quibus indueretur Aaron quando ministrabat in sanctis, sicut præcepit Dominus Moysi.

2. Fecit igitur superhumerale de auro, hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta,

3. Opere polymitario, inciditque bracteas aureas, et extenuavit in fila, ut possent torqueri cum priorum colorum subtegmine,

4. Duasque oras sibi invicem copulatas in utroque latere summitatum,

5. Et balteum ex eisdem coloribus, sicut præceperat Dominus Moysi.

6. Paravit et duos lapides onychinos, astrictos et inclusos auro, et sculptos arte gemmaria nominibus filiorum Israel:

7. Posuitque eos in lateribus superhumeralis, in monimentum filiorum Israel, sicut præceperat Dominus Moysi.

8. Fecit et rationale opere polymito juxta opus superhumeralis, ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta:

9. Quadrangulum, duplex, mensuræ palmi.

10. Et posuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo versu erat sardius, topazius, smaragdus,

11. In secundo carbunculus, sapphirus, et jaspis.

12. In tertio, ligurius, achates, et amethystus.

13. In quarto, chrysolithus, onychinus, et beryllus, circumdati et inclusi auro per ordines suos.

14. Ipsique lapides duodecim sculpti erant nominibus duodecim tribuum Israel, singuli per nomina singulorum.

15. Fecerunt in rationali et catenulas sibi invicem cohærentes, de auro purissimo:

16. Et duos uncinos, totidemque annulos aureos. Porro annulos posuerunt in utroque latere rationalis,

17. E quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inseruerunt uncinis, qui in superhumeralis angulis eminebant.

18. Hæc et ante et retro ita conveniebant sibi, ut superhumerale et rationale mutuo necterentur,

19. Stricta ad balteum, et annulis fortius copulata, quos jungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent, et a se invicem moverentur, sicut præcepit Dominus Moysi.

20. Fecerunt quoque tunicam superhumeralis totam hyacinthinam,

21. Et capitium in superiori parte contra medium, oramque per gyrum capitii textilem:

22. Deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta:

23. Et tintinnabula de auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata, in extrema parte tunicæ, per gyrum:

24. Tintinnabulum autem aureum, et malum punicum, quibus ornatus incedebat pontifex quando

℣. 24. *Tintinnabulum aureum, et malum punicum* — Subaudi, sibi mutuo per vices, et alterna jungebantur, scilicet, nunc tintinnabulum unum, dein malum punicum unum: mox tintinnabulum alterum, et alterum malum punicum, et sic consequenter, ut expresse jubetur

(1) Sup. 28, 6.

ministerio fungebatur, sicut præceperat Dominus Moysi.

25. Fecerunt et tunicas byssinas opere textili Aaron et filiis ejus:

26. Et mitras cum coronulis suis ex bysso:

27. Feminalia quoque linea, byssina;

28. Cingulum vero de bysso retorta, hyacintho, purpura, ac vermiculo bis tincto, arte plumaria, sicut præceperat Dominus Moysi.

29. Fecerunt et laminam sacræ venerationis de auro purissimo, scripseruntque in ea opere gemmario, Sanctum Domini:

30. Et strinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina, sicut præceperat Dominus Moysi.

31. Perfectum est igitur omne opus tabernaculi et tecti testimonii: feceruntque filii Israel cuncta quæ præceperat Dominus Moysi.

32. Et obtulerunt tabernaculum et tectum et universam supellectilem, annulos, tabulas, vectes, columnas ac bases,

33. Opertorium de pellibus arietum rubricatis, et aliud operimentum de janthinis pellibus,

34. Velum: arcam, vectes, propitiatorium,

35. Mensam cum vasis suis et propositionis panibus:

36. Candelabrum, lucernas, et utensilia earum cum oleo:

37. Altare aureum, et unguentum, et thymiama ex aromatibus:

38. Et tentorium in introitu tabernaculi:

39. Altare æneum, retiaculum, vectes, et vasa ejus omnia: labrum cum basi sua: tentoria atrii, et columnas cum basibus suis:

40. Tentorium in introitu atrii, funiculosque illius et paxillos. Nihil ex vasis defuit, quæ in ministerium tabernaculi, et in tectum fœderis, jussa sunt fieri.

41. Vestes quoque, quibus sacerdotes utuntur in sanctuario, Aaron scilicet et filii ejus,

42. Obtulerunt filii Israel, sicut præceperat Dominus.

43. Quæ postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis.

cap. 28, ubi etiam reliqua hujus capitis omnia explicata habes. Notat Clemens [1] Alexandrinus per 366 *tintinnabula*, quæ pendebant ex veste talari Pontificis, designari *annum bissextilem* (qui 366 *diebus* constat), quo Christus cœpit prædicare in mundo, et resonare verbum Dei. Nam xv *annus imperii Tiberii*, quo cœpit Christus prædicare, *bissextilis* erat, ut patet ex iis quæ dixi in Chronico c. 49.

(1) Lib. 5 Stromat.

CAPUT XL.

Tabernaculum erigitur, et per omnes partes ac membra disponitur. Quod mox nubes gloriæ Domini operit, eidemque deinceps incumbit.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Mense primo, prima die mensis, eriges tabernaculum testimonii,

y. 2. *Mense primo, prima die mensis* — scilicet anni 2 ab egressu ex Ægypto, ut dicitur infra v. 15. Ergo lapsus jam erat pene integer annus, demptis nempe 14 diebus, antequam erectum est tabernaculum. Si rationem temporis postulas, en tibi ante oculos: A 15 die mensis primi qua egressi sunt ex Ægypto, usque ad legis promulgationem per angelum in monte Sinai, fluxerunt dies 50. Inde Moyses sex diebus in monte fuit, non tamen jejunus, neque intra nubem: sed mox 40 die-

3. Et pones in eo arcam, dimittesque ante illam velum:
4. Et illata mensa, pones super eam quæ rite præcepta sunt. Candelabrum stabit cum lucernis suis,
5. Et altare aureum in quo adoletur incensum, coram arca testimonii; tentorium in introitu tabernaculi pones,
6. Et ante illud altare holocausti:
7. Labrum inter altare et tabernaculum, quod implebis aqua.
8. Circumdabisque atrium tentoriis, et ingressum ejus.
9. Et assumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur:
10. Altare holocausti et omnia vasa ejus:
11. Labrum cum basi sua: omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint Sancta sanctorum.
12. Applicabisque Aaron et filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, et lotos aqua
13. [1] Indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, et unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat.
14. Fecitque Moyses omnia quæ præceperat Dominus.
15. Igitur mense primo anni secundi, prima die mensis, collocatum est tabernaculum.
16. [2] Erexitque Moyses illud, et posuit tabulas ac bases et vectes, statuitque columnas,
17. Et expandit tectum super tabernaculum, imposito desuper operimento, sicut Dominus imperaverat.
18. Posuit et testimonium in arca, subditis infra vectibus, et oraculum desuper.
19. Cumque intulisset arcam in tabernaculum, appendit ante eam velum, ut expleret Domini jussionem.
20. Posuit et mensam in tabernaculo testimonii ad plagam septentrionalem extra velum,
21. Ordinatis coram propositionis panibus, sicut præceperat Dominus Moysi.
22. Posuit et candelabrum in tabernaculo testimonii e regione mensæ in parte australi,
23. Locatis per ordinem lucernis, juxta præceptum Domini.
24. Posuit et altare aureum sub tecto testimonii contra velum,
25. Et adolevit super eo incensum aromatum, sicut jusserat Dominus Moysi.
26. Posuit et tentorium in introitu tabernaculi testimonii,
27. Et altare holocausti in vestibulo testimonii, offerens in eo holocaustum, et sacrificia, ut Dominus imperaverat.
28. Labrum quoque statuit inter

bus [3] jejunus, et intra nubem in qua Deus erat. His exactis, ad vitulum conflatilem descendit, et 36 dies impendit partim tabernaculo e castris efferendo, partim populo castigando, sæpiusque instruendo, partim ad montem aliquoties adeundo [4], redeundoque, et tabulas novas lapideas dolando, et aliis ejusmodi. Denique alteram quadragenam dierum cum Deo jejunus in monte transegit, scilicet usque ad decimam diem mensis septimi, quo cum posterioribus tabulis Moyses de monte descendit, populumque certum ac securum reddidit de peccato idololatriæ illorum jam plene expiato: quare in memoriam tanti beneficii diem illum quotannis festum, et quidem titulo Expiationis perpetuo egerunt. Tertiæ Moysis Quadragesimæ, quam Hebræi fingunt, et Cajetanus, Lyranus ac Salianus [5] probare videntur, nullum hoc temporis intervallo reperire spatium possumus. Jam vero a die expiationis jam dicto usque ad primum diem primi mensis anni proxime sequentis, nempe totis quinque mensibus cum dimidio, occupati fuerunt Hebræi constructione tabernaculi, et utensilium illius, quæ hoc et præcedentibus capitibus ordine recensentur. Omnibus vero perfectis, et suo quibusque loco erectis

(1) Sup. 29, v. 35; Lev, 8, v. 2.
(2) Num. 7, vers. 1. (3) Exod. 24. (4) Exod. 33.
(5) Cajet. in Deut. 10; Lyranus in Deut. 9; Salianus in Annalibus.

tabernaculum testimonii et altare, implens illud aqua.

29. Laveruntque Moyses et Aaron ac filii ejus manus suas et pedes,

30. Cum ingrederentur tectum fœderis, et accederent ad altare, sicut præceperat Dominus Moysi.

31. Erexit et atrium per gyrum tabernaculi et altaris, ducto in introitu ejus tentorio. Postquam omnia perfecta sunt,

32. [1] Operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud.

33. Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, et majestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat.

34. Si quando nubes tabernaculum deserebat, proficiscebantur filii Israel per turmas suas:

35. Si pendebat desuper, manebant in eodem loco.

36. Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, et ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones suas.

℣. 32. *Operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud* — Nempe columna nubis, quæ antea super parvo tabernaculo extra castra constiterat, jam novo prodigio ad illud posterius transmigravit: et quæ minus ante lucida erat, saltem per diem, jam tota splendens apparuit: et ob id *gloria Domini* vocatur, quia gloriosa luce sua significabat, divinam majestatem illic præsentem adesse, inquit S. August. [2]; ideoque

℣. 33. *Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis* — Id est, tabernaculum testimonii: idque tum ob reverentiam majestatis divinæ istic præsentis, inquit Cajetanus: tum quia nubes spissitudine sua et fulgore oculos perstringebat, et omnium aliarum rerum conspectum eripiebat.

Allegorice, nubes legalium cæremoniarum, licet illis veletur Christus et veritas Evangelica, impedit tamen Judæos quo minus illa videant, credant et amplectantur. Ita S. Augustinus et alii.

(1) Num. 9, vers. 15; 3 Reg. 8, vers. 10.

(2) Q. 173.

LIBER LEVITICUS

Levitarum sacrificia muniaque describit. Nam usque ad cap. 8 agit de qualitate et varietate sacrificiorum. Inde usque ad caput 23 de sacerdotibus, et inferioris notæ Levitis, eorumdemque consecratione et officiis. Exinde usque ad finem libri, de temporibus sacrificio destinatis, puta de festis diebus. Et hic de votis votorumque redemptione quædam inseruntur. Porro quæcumque toto Levitico præscribuntur a Deo, uno omnia mense puta primo, Nisan, et quidem secundi anni ab egressu Hebræorum ex Ægypto, præscripta (1) sunt: varia quidem variis (2) diebus, tamen unius et ejusdem mensis Nisan. Item omnia præscripta sunt in mansione in Sina, non in monte, sed in tabernaculo (3) recens erecto.

Causa instituendorum tot et tam variorum sacrificiorum videtur fuisse prima, quod vellet Deus ab illo populo coli non solum interno cultu, sed etiam externo. Secunda, ut illis typis ac figuris adumbraret dignitatem et præstantiam, atque efficacitatem sacrificii Christi tum incruenti in Eucharistia, tum cruenti in ara crucis. Ita S. Augustinus, S. Leo, Eusebius, et omnes antiqui Patres ac novissime sacrosanctum Concilium Tridentinum (4). Tertia, ut hac tam seria, tam multiplici cæremonia Hebræos a pernicioso otio, et idololatria (quo valde propendebant) sevocaret et alienaret. Ita S. Clemens, Tertullian., S. Hieronymus, Chrysostomus et alii (5).

CAPUT I.

Præscribit Deus ritum holocausti: idque triplicis generis. Primo, boum; secundo, ovium vel caprarum; tertio, avium, nempe turturum et columbarum.

1. Vocavit autem Moysen, et locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonii, dicens:

2. Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus et ovibus offerens victimas,

℣. 2. *De bobus et ovibus holocaustum* — V. 10, addit, *sive capris.* Hic determinat Deus materiam sacrificiorum ex animalibus quadrupedibus, sicut infra vers. 14, ex *avibus*, quarum duas tantum species deligit, *columbam* et *turturem*. Cur vero has quinque animantium species potius ad usum sacrificiorum adlegerit Deus, quam alias complures, etiam mundas; rationem affert Philo [6], quod hæc animalia in communiore sint hominum usu, sint mansuetiora, minore difficultate haberi possint, denique maxime apta sint, Christo ejusque vero sacrificio tum

(1) Vide initium et finem Lev. et confer cum capite ult. Exodi vers. 15, et c. 1 Num., vers. 1.
(2) Cap. 9, vers. 1; cap. 10, vers. 1, et cap. 16, vers. 1 Levit.
(3) Cap. 1 Levit., vers. 1.
(4) S. Aug. l. 17 de Civit., c. 2; S. Leo serm. 8 de Passione; Euseb. l. 1, Demonstr. 10; Trid. sess. 22, cap. 1.
(5) S. Clem. l. 1 Recognit.; Tertull. l. 2 contra Marcion., cap. 18; Hieron. in 1 Isaiæ; Chrys. hom. 6 in Matth.
(6) Lib. de Victimis.

3. [1] Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum:

4. Ponetque manum super caput hostiæ, et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens;

5. Immolabitque vitulum coram Domino, et offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi;

6. Detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident,

7. Et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita:

8. Et membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, et cuncta quæ adhærent jecori,

9. Intestinis et pedibus lotis aqua: adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum et suavem odorem Domino.

10. Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus sive de capris holocaustum, masculum absque macula offeret:

11. Immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem, coram Domino: sanguinem vero illius fundent super altare filii Aaron per circuitum:

12. Dividentque membra, caput,

eruento, tum incruento ad vivum repræsentando. Significat enim allegorice bos fortitudinem et labores Christi; ovis innocentiam; caper peccata nostra; columba mansuetudinem; turtur contemplationem: ita Theodoret., Cyrillus, Procopius, Beda.

Tropologiam horum sacrificiorum, immo et totius Levitici vide fuse apud Origenem, Hesychium, et Radulphum Radiacensem, qui omnium aptissime exposuit.

Nota primo, sacrificia quamdam analogiam habuisse cum conviviis: nam in iis Deo quasi convivium apparabatur. quod vice Dei ignis quasi a Deo immissus devorabat. Unde Malachiæ 1, vers. 7 et alibi *altare* sacrificiorum *mensa Domini* appellatur: hinc ad sacrificia non adhibebantur nisi quæ in mensas hominum inferri solerent. Quæ ab hominibus edi non consueverunt, debebant etiam a victimis separari, ut pellis, plumæ, ilia, vesica fellis, et urinæ, *vesicula gutturis* hic v. 16, quam Latini *ingluviem* vocant, Græci πρόλοβον, estque saccus seu vesica juxta guttur avium, in quam primum cibus recipitur, antequam in stomachum transmittatur, ubi et grana mollefiunt, macerantur ac corrumpuntur. Hæc enim omnia cum ab hominibus comedi non soleant, etiam a mensa Domini semoveri jubentur. Quia vero nullæ hominum mensæ sine pane, potu, sale, et aliquo condimento, raræ etiam sine re aliqua odorifera; hinc in omni sacrificio jussa adhiberi *panis* vel *simila, vinum, sal, oleum et thus* [2]. Morale vide apud Riberam l. 4, c. 3, etc.

Nota secundo, apud Hebræos plura fuisse sacrificiorum genera. Primum erat *holocaustum*, quod totum in Dei honorem igne cremabatur. Secundum *pacificum*, et hoc vel ad aliquid a Deo impetrandum, vel ad gratias Deo agendas: unde et *eucharisticum* vocabatur. Tertium erat *pro peccato*, seu in expiationem alicujus peccati. In his vero tam *pacificis*, quam *pro peccato*, non nisi pars una victimæ cremabatur: reliquum vel ad sacerdotes, vel ad offerentes redibat.

Nota tertio, maximam differentiam inter sacrificia illa antiqua, et nostrum sacrificium Eucharisticum, quod omnem vim in se uno complectitur, quam illa vetera divisim habebant eamque longe excellentiori modo. Nam ex opere operato, et per se, ratione victimæ oblatæ, vim habet infinitam Deum honorandi: estque proinde holocaustum perfectissimum. Nihil etiam illo efficacius vel ad impetrandum, vel ad gratias agendas, vel ad expianda peccata, vel ad satisfaciendum. Cum hæc omnia in priscis illis Judæorum hostiis omni ex parte essent valde accisa et tenuia: neque ab ipsis hostiis, sed ex opere operantis, seu offerentium devotione vim suam desumerent: Ita S. Thomas et alii Doctores passim.

(1) Exod 29, vers. 10.

(2) Levit. 2, vv. 2, 13 et ult.; Num. 15.

et omnia quæ adhærent jecori: et ponent super ligna, quibus subjiciendus est ignis:

13. Intestina vero et pedes lavabunt aqua. Et oblata omnia adolebit sacerdos super altare, in holocaustum et odorem suavissimum Domino.

14. Si autem de avibus, holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ,

15. Offeret eam sacerdos ad altare: et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris:

16. Vesiculam vero gutturis, et plumas projiciet prope altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent,

17. Confringetque ascellas ejus, et non secabit, neque ferro dividet eam, et adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est et oblatio suavissimi odoris Domino.

CAPUT II.

Describit secundam speciem sacrificii, scilicet mincha, seu sacrificium farreum. Quod item triplex erat. Primum, similæ; secundum, panum coctorum seu in clibano, seu in sartagine, seu in craticulas; tertium, spicarum.

1. Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio; fundetque super eam oleum, et ponet thus,

℣. 1. *Anima,* id est homo quispiam, *cum obtulerit oblationem sacrificii,* id est, cum offerre voluerit oblationem Deo de rebus inanimatis; *Simila erit ejus oblatio* — Id est, poterit offerre similam, seu florem farinæ purissimum, inquit Isidorus [1]. Inferius etiam *panes* coctos [2], et *spicas virentes* [3], offerri permittit; nempe ne deesset etiam pauperrimis quod Deo in sacrificium offerre possent. Et hæc oblatio rei inanimatæ, quia simplicissima, hebraice *mincha* [4], latine hic *sacrificium* generali nomine vocatur.

Petes, cujus sortis erat hoc sacrificium? Respondeo, in Hebræo vocatur hic v. 2, et ult. *issche* [5], id est *holocaustum,* nempe secundum quid, seu pro parte una: non enim totum in altari adurebatur, ut fiebat in holocausto: *pugillus* ex eo, seu quantum manu capi poterat, in honorem Dei cremabatur, *in memoriale* [6] seu *memoriam* [7] totius *muneris,* quia nempe monumentum seu signum erat, reliquam totam vel *similæ,* vel *panum,* vel *frugum* massam Deo consecrari. Unde et *Sanctum sanctorum* [8] hic vocatur, id est sacrosanctum seu tota sacra oblatio, quæ a nullo alio quam a sacerdotibus comedi poterat, nec nisi *in loco sancto atrii tabernaculi* [9]: ita scilicet, ut nihil ex eo domum suam, nihil extra atrium efferre, aut uxoribus aut liberis suis communicare possent. Hoc enim proprium erat iis sacrificiis quæ *sancta sanctorum* seu sacrosancta vocabantur, ut solis sacerdotibus cederent, nec nisi in atrio sancto absumi possent. Ex aliis vero communibus sacrificiis vesci etiam domi suæ poterant uxores, liberi et alii domestici sacerdotum.

Nota. Hæc oblatio similæ duplex esse poterat, una *similæ* incoctæ et crudæ, altera coctæ, cujus tres iterum species hic facit. Primam *panum* coctorum in *clibano* [10]; secundam in *sartagine* [11]; tertiam in *craticula* [12]. Omnibus admiscendum erat *oleum, thus et sal,* quod v. 13, *sal fœderis Dei* vocatur, id est symbolum fœderis æterni cum Deo initi. Sal enim quia præservat a putrefactione, symbolum est perpetuitatis: et ideo ad perpetuum incorruptumque fœdus designan-

(1) Lib. 20 Originum, cap. 2.
(2) Hic, vers. 4.
(3) Vers. 14.
(4) מנחה.
(5) אשה.
(6) Vers. 2 et 9.
(7) Vers. ult.
(8) Vers. 3 et 10.
(9) Levit. 6, vers. 16.
(10) Levit. 2, vers. 4.
(11) Vers. 5.
(12) Vers. 7.

2. Ac deferet ad filios Aaron sacerdotes: quorum unus tollet pugillum plenum similæ et olei, ac totum thus, et ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino.

3. [1] Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron et filiorum ejus, Sanctum sanctorum de obla tionibus Domini.

4. Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano: de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, et lagana azyma oleo lita.

5. Si oblatio tua fuerit de sartagine, similæ conspersæ oleo et absque fermento,

6. Divides eam minutatim, et fundes super eam oleum.

7. Sin autem de craticula fuerit sacrificium, æque simila oleo conspergetur:

8. Quam offerens Domino, trades manibus sacerdotis.

9. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, et adolebit super altare, in odorem suavitatis Domino;

10. Quidquid autem reliquum est, erit Aaron, et filiorum ejus', Sanctum sanctorum de oblationibus Domini.

11. Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino.

12. Primitias tantum eorum offeretis ac munera: super altare vero non imponentur in odorem suavitatis.

13. Quidquid obtuleris sacrificii, [2] sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.

14. Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, et confringes in morem farris, et sic offeres primitias tuas Domino,

15. Fundens supra oleum, et thus imponens, quia oblatio Domini est;

16. De qua adolebit sacerdos in memoriam muneris, partem farris fracti, et olei, ac totum thus.

dum, etiam in ipso fœderis sacrificio jussum fuit adhiberi. Et Num. 18, v. 19, pro designando pacto æterno, ponit *pactum salis;* ita Philo, Oleaster, et Cajetanus. Olim etiam sal amicitiæ, et prudentiæ seu sapientiæ symbolum habebatur: unde et hospitibus primum apponi solitum: et profana ea mensa, etiam apud Ethnicos teste Arnobio censebatur, quæ salinum non haberet. Vide Justum Lipsium [3]. Certe in sacrilegis nocturnarum lamiarum ac veneficarum orgiis sal semper deesse dicitur.

Nota secundo, vetari hic vers. 11, ne umquam fermentum aut mel in sacrificiis admisceatur, nempe ob rationem contrariam: quia fermentum cum ex corruptione fiat, symbolum est corruptionis, et ideo significat tropologice peccatum, 1 ad Cor. 5, v. 8. Deus autem nonnisi sincera, integra atque incorrupta sibi offerri volebat. Mel vero ideo a sacrificiis rejiciebatur, quod apud viros cordatos non esset usus illius in conviviis, solosque pueros aut mulieres deceret: et quia symbolum erat voluptatis ac deliciarum, quas Deus abominatur, maxime in sacrificiis. Deinde quia mel coctum contrahit acorem, panem cui miscetur fermentat, ventrem inflat, combustum fœtet. Quæ ut symbola sunt variorum vitiorum, debent a sacrificio et sacrificante quam longissime abesse. Ita Procopius, Rupertus, Radulphus, Oleaster.

(1) Eccli. 7, vers. 34. (2) Marc. 9, vers. 48. (3) L. 1 Saturn., c. 2.

CAPUT III.

Describitur tertia species sacrificii, nempe hostia pacifica, eaque triplex. Prima, bovis; secunda, ovium; tertia, capræ. Adipem omnem et sanguinem sibi Deus deposcit.

1. Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, et de bobus voluerit offerre, marem sive feminam, immaculata offeret coram Domino.

2. Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonii, fundentque filii Aaron sacerdotes sanguinem per altaris circuitum.

3. Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino [1] adipem qui operit vitalia, et quidquid pinguedinis est intrinsecus:

4. Duos renes cum adipe quo teguntur ilia, et reticulum jecoris cum renunculis.

5. Adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito, in oblationem suavissimi odoris Domino.

6. Si vero de ovibus fuerit ejus oblatio et pacificorum hostia, sive masculum obtulerit, sive feminam, immaculata erunt.

7. Si agnum obtulerit coram Domino,

8. Ponet manum suam super caput victimæ suæ: quæ immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonii: fundentque filii Aaron sanguinem ejus per circuitum altaris.

9. Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino: adipem et caudam totam

10. Cum renibus, et pinguedinem quæ operit ventrem atque universa

℣. 1. *Marem sive feminam* — Hæc est prima differentia inter holocaustum, et hostiam pacificam, quod in holocaustis tantum victimæ masculæ, in pacificis etiam femellæ immolari possent. Et ratio erat, quia holocausta primario Dei honorem spectabant: Deus autem sibi optima ex quoque genere et merito volebat. Pacifica vero primaria intentione spectabant utilitatem offerentium: quare etiam arbitrio offerentium relinquebatur ut vel optimas, vel mediocres victimas, id est vel masculas, vel femineas offerrent.

Secunda inter hæc differentia, etiam quoad materiam erat, quod in holocaustis præter boves, oves et capras, etiam columbæ et turtures sacrificari possent, ut dicitur c. 1, in pacificis vero tantum boves, oves, et capræ. Cum enim hostiæ pacificæ in tres partes dividerentur (et hæc est tertia differentia); nam una Deo, altera sacerdoti, tertia offerentibus in epulum cedebat ut c. 7 dicetur; facta hac triplici divisione in exiguis volucribus, præter molestiam jejuna admodum fuisset ex iis epulatio. In holocaustis vero, cum igni omnia absumerentur, cessabat hæc et omnis alia molestia.

Quarta differentia erat quoad locum immolationis. Nam cum omnia holocausta [2], et etiam victimæ pro peccato [3] ad *latus* atrii *dextrum*, seu respiciens ad Aquilonem immolarentur; soli hostiæ *pacificæ* peculiare erat ut in introitu tabernaculi, id est, ad partem orientalem atrii, offerretur. Cujus ratio (et simul quinta inter hæc differentia) erat, quia pars una hostiæ pacificæ, puta adeps et pectusculum, debebat imponi manibus illius qui venerat oblaturus hostiam pacificam, et ipse illa Deo offerre debebat, dein *ex ipsius manibus ea desumebat sacerdos*, ut dicitur infra c. 7, vers. 30. Atqui non licebat laicis intrare atrium sacerdotum: ergo ad ingressum atrii, quo accedere licitum eis erat, immolatio ista fieri debebat.

(1) Exod. 29, vers. 13. (2) Levit. 1, vers. 11. (3) Levit. 6, v. 25, et c. 7, v. 2, et c. 14, v. 13.

vitalia, et utrumque renunculum cum adipe qui est juxta ilia, reticulumque jecoris cum renunculis.

11. Et adolebit ea sacerdos super altare, in pabulum ignis et oblationis Domini.

12. Si capra fuerit ejus oblatio, et obtulerit eam Domino,

13. Ponet manum suam super caput ejus: immolabitque eam in introitu tabernaculi testimonii. Et fundent filii Aaron sanguinem ejus per altaris circuitum.

14. Tollentque ex ea in pastum ignis Dominici, adipem qui operit ventrem, et qui tegit universa vitalia:

15. Duos renunculos cum reticulo, quod est super eos juxta ilia, et arvinam jecoris cum renunculis:

16. Adolebitque ea super altare sacerdos, in alimoniam ignis, et suavissimi odoris. Omnis adeps Domini erit

17. Jure perpetuo in generationibus, et cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem nec adipem omnino comedetis.

℣. 16. *Omnis adeps Domini erit jure perpetuo: nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis* — An ergo omnis adipis esus Hebræis interdictus? Et an omnis Deo consecrandus? Respondeo, certum est, Deo consecrari non debuisse, sed nec potuisse, adipem animalium immundorum, uti nec mundorum quæ ad sacrificia assumi non poterant, verbi gr. cervorum, bubalorum, etc. Certum item est edi potuisse adipem illum qui carni mundorum animalium passim permiscetur: quia solum vetabatur esus adipis *qui operit vitalia*, id est qui ambit et contegit partes illas vitales interiores, cor, hepar, pulmonem, renes, ilia tractu continuo, qui proinde facile a reliqua carne separari potest. Hic vero adeps ita vetabatur Judæis, ut nullo casu comedi ab eis posset, ne quidem si domi suæ animalia mactassent: quia non minus adeps, quam sanguis hic [1] illis absolute vetatur, jure perpetuo, non solum in templo immolatorum, sed et in habitaculis. Hoc tamen intelligo de solo adipe *caprino, ovino et bovino*, ut inquit Josephus, hoc est, de adipe illorum animalium quæ alias potuissent Deo offerri: nam de adipe cervino, bubalino, aut aliorum animalium mundorum venatione captorum, sed quæ Deo immolari non poterant, puto comedi potuisse: quia nusquam id vetat Scriptura, quæ præceptum hoc ubique restringit ad adipem qui offerri potest Domino, vel qui *offerri debet in incensum* [2] *Domini*. Atqui talium adeps nec debebat, nec poterat Deo offerri: ergo comedi poterat. Eorum vero quæ poterant Deo offerri, comedi non poterat, et quidem sub *pœna mortis* [3]: non tamen debebat Deo consecrari, quia id nusquam præcipitur, sed, sicut sanguis in terram effundi debebat, ita adeps ille profano igne cremandus erat; nisi forte licuerit adhibere ad candelas sebaceas inde formandas, aut ad alios profanos sed honestos usus: ut in re pene simili conceditur c. 7, v. 24.

Allegorice quæ hoc et sequentibus capitibus præscribuntur, aptari omnia possunt sacrificio Christi tum cruento, tum incruento. Moraliter virtuti religionis, quæ hominem immolat Deo. Vidi Gregorium, Radulphum et alios. Rationem cur esus adipis vetaretur, afferam in fine c. 11. Cur vero et sanguinis, c. 17, v. 11 et Genesis 9, v. 4.

(1) Levit. 3, v. 16 et ult.; Joseph. 1. 3 Ant., c. 10.

(2) Levit. 7, vers. 25.

(3) Ibid.

CAPUT IV.

Quarta species sacrificii, nempe hostia pro peccato per ignorantiam commisso: Et erat hæc hostia quadruplex. Prima, pro peccato summi Pontificis, quæ erat vitulus. Secunda, pro peccato populi: item vitulus. Tertia, pro peccato principis; et erat hircus. Quarta, pro peccato alicujus plebeji; et erat capra vel ovis.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israel: Anima, quæ peccaverit per ignorantiam, et de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quidpiam fecerit:

3. Si sacerdos, qui unctus est,

℣. 3. *Sacerdos qui unctus est* — nempe solemni illa unctione, de qua Exodi 29, v. 7. Ergo solus Pontifex seu summus Sacerdos hic intelligitur, uti etiam verterunt LXX et Chaldæus; et explicant Abulensis, Lyranus, Vatablus, Cajetanus, Ribera et Sa.

Nota, in hoc differentiam fuisse inter hostiam pacificam, et hostiam pro peccato: quod ex pacificis tertia pars rediret ad offerentes; ex hostiis vero pro peccato nihil ad offerentes redibat, sed, adipe cum renibus et sanguine litatis Deo, vel exustis, cetera omnia cedebant sacerdoti: erant enim *sancta sanctorum*, id est, Deo tota sacra, unde nec ex sancto loco efferri, nec ab aliis quam a sanctis sacerdotibus, nec alibi quam in atrio sancto comedi poterant, ut dicitur c. 6, v. 26, unde et sacerdotes dicebantur *comedere peccata populi*, Osee 4, vers. 8. Sed hoc solum fiebat victimis quæ pro peccato privatorum hominum, vel principum politicorum offerebantur. Nam quæ pro peccato summi Pontificis, vel totius populi immolabantur, totæ debebant extra castra comburi, præter sanguinem et adipem, quæ prius in sancto atrio libabantur et adolebantur Deo: ad majorem majoris peccati horrorem ac detestationem. Rursus differebant, quod hostia pro peccato deberet absumi eodem die quo oblata fuerat: pacifica vero poterat subinde in crastinum seponi, ut dicitur cap. 7. Item hostiis pro peccato, ut patet ex c. 5, v. 11 non poterat admisceri oleum aut thus, ut ordinarie fiebat in pacificis. Et ratio erat, quia oleum et thus ad delicias et jucunditatem faciunt, quæ procul abesse debent a peccatore pœnitente. Denique sacrificiis pro peccato proprium erat, quod sanguine hostiæ illinerentur cornua altaris: sed hac differentia, quod in victimis pro peccato Pontificis vel totius populi, quarum sanguis inferebatur in Sanctuarium, tingerentur cornua *altaris incensi* [1]: in aliis, cornua altaris holocausti [2].

Nota secundo, passim hic et seqq. cap. distingui hostiam pro peccato ab hostia pro delicto. Ubi per *peccatum*, hebraice *chattath* [3], græce ἁμαρτίαν, videtur designari quod ex genere suo, vel ex circumstantia aliqua minus malum est, v. g. ex ignorantia [4], minore advertentia [5], vel sola omissione [6] contractum, maxime contra proximum. Per *delictum* vero, hebraice *ascham*, græce πλημέλειαν, id quod ex se, vel circumstantiis gravius est, v. g. quod contra Deum vel res divinas, etsi ex ignorantia [7] commissum: vel quod contra proximum, sed ex malitia, ut perjurium, rapina, fraudatio [8] depositi, etc. Unde et *delicta*, utpote graviora, ad sui expiationem requirebant etiam in privatis personis victimam nobiliorem, videlicet arietem masculum: cum ea quæ peccata dicebantur, capella vel agnella expiarentur. Ita fere Philo, Josephus [9] et Bonfrerius. Allegoriam et tropologiam horum capitum explicat Apostolus ad Hebræos 13, vv. 12 et 13.

(1) Levit. 4, vers. 7.
(2) Vers. 25.
(3) חטאת.
(4) Levit. 4 toto.
(5) Cap. 5, vers. 2.
(6) Cap. 5, vers. 1.
(7) Cap. 5, vers. 15 et seq.
(8) Levit. 6, vers. 2 et seq.
(9) Philo l. de Victimis; Josephus l. 3 Antiq., cap. 10.

peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino:

4. Et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ponetque manum super caput ejus, et immolabit eum Domino.

5. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii.

6. Cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra velum sanctuarii.

7. Ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonii; omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti in introitu tabernaculi.

8. Et adipem vituli auferet pro peccato, tam eum qui vitalia operit, quam omnia quæ intrinsecus sunt:

9. Duos renunculos, et reticulum quod est super eos juxta ilia, et adipem jecoris cum renunculis,

10. Sicut aufertur de vitulo hostiæ pacificorum: et adolebit ea super altare holocausti.

11. Pellem vero et omnes carnes, cum capite et pedibus et intestinis et fimo,

12. Et reliquo corpore, efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent: incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur.

13. Quod si omnis turba Israel ignoraverit, et per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est,

14. Et postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducetque eum ad ostium tabernaculi.

15. Et ponent seniores populi manus super caput ejus coram Domino. Immolatoque vitulo in conspectu Domini,

16. Inferet sacerdos, qui unctus est, de sanguine ejus in tabernaculum testimonii,

17. Tincto digito aspergens septies contra velum.

18. Ponetque de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonii: reliquum autem sanguinem fundet juxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonii.

19. Omnemque ejus adipem tollet, et adolebit super altare:

20. Sic faciens et de hoc vitulo quo modo fecit et prius: et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus.

21. Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet sicut et priorem vitulum, quia est pro peccato multitudinis.

22. Si peccaverit princeps, et fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur,

23. Et postea intellexerit peccatum suum; offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum.

24. Ponetque manum suam super caput ejus: cumque immolaverit eum in loco ubi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est,

25. Tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, et reliquum fundens ad basim ejus.

26. Adipem vero adolebit supra, sicut in victimis pacificorum fieri solet: rogabitque pro eo sacerdos, et pro peccato ejus, et dimittetur ei.

27. Quod si peccaverit anima per ignorantiam, de populo terræ, ut faciat quidquam de his quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat,

28. Et cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam.

29. Ponetque manum super caput hostiæ quæ pro peccato est, et immolabit eam in loco holocausti.

30. Tolletque sacerdos de san-

guine in digito suo: et tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus.

31. Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suavitatis Domino: rogabitque pro eo, et dimittetur ei.

32. Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem scilicet immaculatam;

33. Ponet manum super caput ejus, et immolabit eam in loco ubi solent cædi holocaustorum hostiæ.

34. Sumetque sacerdos de sanguine ejus digito suo, et tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus.

35. Omnem quoque adipem auferens, sicut auferri solet adeps arietis qui immolatur pro pacificis; cremabit super altare in incensum Domini: rogabitque pro eo, et pro peccato ejus, et dimittetur ei.

CAPUT V.

Docet qua ratione peccata aliena, et alia ex oblivione, errore vel ignorantia commissa expiari debeant. Ne quis forte putaret propria dumtaxat peccata et studio admissa sacrificiis expianda esse.

1. Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis, testisque fuerit quod aut ipse vidit, aut conscius est: nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.

2. Anima, quæ tetigerit aliquid immundum, sive quod occisum a bestia est, aut per se mortuum, aut quodlibet aliud reptile: et oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, et deliquit:

3. Et si tetigerit quidquam de immunditia hominis, juxta omnem impuritatem qua pollui solet, oblitaque cognoverit postea, subjacebit delicto.

4. Anima, quæ juraverit, et protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret, vel bene, et idipsum juramento et sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum,

5. Agat pœnitentiam pro peccato,

6. Et offerat de gregibus agnam

℣. 1. *Si audierit vocem jurantis* — pro adjurantis, scilicet judicis. Sensus est, si quis flagitium aliquod patraverit, et alius quispiam evocatus a judice sub adjuratione in testem, ut id quod vel visu, vel aliter de flagitio cognovit, testetur; si talis seu metu, seu amore ejus de cujus crimine inquiritur, sive alia ex causa testimonium ferre subterfugerit, non erit immunis a crimine. Ita Lyranus, Abulensis, Oleaster, Vatablus, Arias Montanus, et Sa.

℣. 5. *Agat pœnitentiam pro peccato* — Hebraice et Chaldaice, confiteatur peccatum quod peccavit. Sic Num. 5, v. 7, expresse dicitur, *Confitebuntur peccatum suum*, scilicet sacerdoti, cujus muneris erat, dijudicare non solum inter *lepram et lepram;* sed etiam inter *peccata et delicta*, seu inter leviora et graviora crimina, de quibus c. præc. et *ut juxta mensuram æstimationemque delicti* [1] major vel melior victima præscriberetur. Non enim hoc cujusque privati hominis arbitrio decernendum relinquebatur; sic enim facile accidisset ut una victima pro altera supponeretur. Jam vero non poterat hoc discernere sacerdos, nisi prius alter crimen suum ejusque circumstantias ipsi detegeret. Hanc confessionem tradunt Hebræi sic institui jussam: Tale peccatum sic vel sic feci; pudet me et pœnitet: numquam ad rem istam revertar. Et addit Philo [2], rationem cur sacerdotes quod reliquum erat victimæ pro peccato, soli comedere jussi sint, idque intra atrium,

(1) Levit. 6, vers. 18, et cap. 6, vers. 6.

(2) Supra.

sive capram, orabitque pro ea sacerdos et pro peccato ejus:

7. Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat [1] duos turtures, vel duos pullos columbarum, Domino, unum pro peccato, et alterum in holocaustum,

8. Dabitque eos sacerdoti: qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput ejus ad pennulas, ita ut collo hæreat, et non penitus abrumpatur.

9. Et asperget de sanguine ejus parietem altaris; quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum ejus, quia pro peccato est.

10. Alterum vero adolebit in holocaustum, ut fieri solet: rogabitque pro eo sacerdos et pro peccato ejus, et dimittetur ei.

11. Quod si non quiverit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam; non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est;

12. Tradetque eam sacerdoti: qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit super altare, in monimentum ejus qui obtulerit,

13. Rogans pro illo, et expians, reliquam vero partem ipse habebit in munere.

14. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

15. Anima, si prævaricans cerémonias, per errorem, in his, quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, juxta pondus sanctuarii:

16. Ipsumque quod intulit damni restituet, et quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, et dimittetur ei.

17. Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, et peccati rea intellexerit iniquitatem suam,

18. Offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram æstimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit: et dimittetur ei,

19. Quia per errorem deliquit in Dominum.

ne admissis quidem domesticis, hanc fuisse, ne forsan hac via innotescerent aut evulgarentur offerentium peccata quæ sacerdoti clam aperuerant. Ita ex pluribus Rabbinis Galatinus, et Thomas Waldensis [2] qui addit, Hebræos, etiamnum hujus confessionis morem retinere: et per illam adumbratam fuisse nostram novæ legis confessionem Sacramentalem.

(1) Infr. 12, vers. 8; Luc. 2, vers. 24.
(2) Galat. l. 10, c. 8; Waldensis t. 2 de Sacramentis, c. 187.

CAPUT VI.

Quæ hostia offerri debeat pro eluendo peccato injuriæ in proximum. Quo ritu juge holocaustum quotidie offerendum Deo; ubi et de igne perpetuo. Quo ritu mincha offerenda. Quæ hostia in consecratione sacerdotum, etc.

1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Anima quæ peccaverit, et, contempto Domino, negaverit proximo suo depositum quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit,

3. Sive rem perditam invenerit,

et inficians insuper pejeraverit, et quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines,

4. Convicta delicti, reddet

5. Omnia quæ per fraudem voluit obtinere, integra, et [1] quintam insuper partem domino cui damnum intulerat.

6. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, et dabit eum sacerdoti, juxta æstimationem mensuramque delicti:

7. Qui rogabit pro eo coram Domino, et dimittetur illi pro singulis quæ faciendo peccavit.

8. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

9. Præcipe Aaron et filiis ejus: Hæc est lex holocausti: Cremabitur in altari tota nocte usque mane: ignis ex eodem altari erit.

10. Vestietur tunica sacerdos et feminalibus lineis: tolletque cineres, quos vorans ignis exussit, et ponens juxta altare,

11. Spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis, efferet eos extra castra, et in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet.

12. Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, et, imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum.

13. Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficiet in altari.

14. Hæc est lex sacrificii et libamentorum, quæ offerent filii Aaron coram Domino, et coram altari.

15. Tollet sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, et totum thus, quod super similam positum est: adolebitque illud in altari, in monimentum odoris suavissimi Domino;

16. Reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis, absque fermento: et comedet in loco sancto atrii tabernaculi.

17. Ideo autem non fermentabitur,

℣. 9. *Hæc est lex holocausti* — scilicet jugis et quotidiani, in quo *mane agnus unus, alter* item *vespere* [2] immolabatur. De vespertino dicitur, *In altari tota nocte cremabitur*, nempe lento igne et usque ad cineres. Id de matutino sacrificio alterius agni præscribere necessum non fuit; quod alia multa holocausta, præter adipes pacificorum et pro peccato, in eodem altari continua serie essent cremanda, quæ totum diem occupabant: unde matutinum illud agni sacrificium non lento, sed celeri ac ferventi igne erat absumendum, quo locus fieret aliis sacrificiis eadem in ara ustulandis.

Ceterum *ignis ex eodem altari erit* — Id est, ad victimarum crematiouem non assumetur ignis alienus, extraneus aut profanus: sed eo solo utendum qui in altari holocaustorum continue lignis additis fovendus erit. Nam in Hebræo, Chaldæo et Græco legitur: *ignis in eodem altari ardens erit*, supp. continuo et perpetuo. Erat porro hic ignis *sacer*, tum quia de cælo a Deo missus, Lev. 9, v. ult., tum quia contactu et crematione victimarum sanctarum erat sanctificatus. Nam ut v. 18 hic, et Exodi 29, et alibi sæpe dicitur, *omnis qui tetigerit*, vel, omne quod tetigerit (nam utroque modo verti potest ex Hebræo, et hic v. 27, in neutro genere noster vertit): *sanctificabitur*, q. d. Tantam sanctitatem habent hæ victimæ Deo oblatæ, ut non tantum sint ipsæ sanctæ, sed etiam res alias quantumvis profanas contactu suo, etiam fortuitu et casuali, sanctas vel sanctiores efficiant, ut deinceps non possint in usum profanum assumi, sed vel confringendæ, vel certe expiandæ. Quod tamen limitarim ad eas res quæ sanctitatis capaces essent, et saltem non immundæ. Nam immundæ sanctificari non poterant, quin potius si quis homo immundus, vel bestia immunda, tale quid sacrum attigisset, idque de industria et scienter factum esset, morte luendum erat sacrilegium. Alioquin expianda erant datis hostiis pro delicto, et vasa abluenda in atrio sancto, vel etiam confricanda, ut hoc et præced. cap. præscribitur.

(1) Num. 5, vers. 7.

(2) Exodi 29 et Num. 28.

quia pars ejus in Domini offertur incensum. Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto.

18. Mares tantum stirpis Aaron comedent illud. Legitimum ac sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificiis Domini, omnis qui tetigerit illa, sanctificabitur.

19. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

20. Hæc est oblatio Aaron, et filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ. Decimam partem ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium ejus mane, et medium ejus vespere:

21. Quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam, in odorem suavissimum Domino,

22. Sacerdos qui jure patri successerit, et tota cremabitur in altari.

23. Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo.

24. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens:

25. Loquere Aaron et filiis ejus: Ista est lex hostiæ pro peccato: In loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino: Sanctum sanctorum est.

26. Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi.

27. Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto.

28. Vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur; quod si vas æneum fuerit, defricabitur, et lavabitur aqua.

29. Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus ejus, quia Sanctum sanctorum est.

30. Hostia enim quæ cæditur pro peccato, [1] cujus sanguis infertur in tabernaculum testimonii ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.

(1) Ad Hebr. 13, vers. 11; Supr. 4, vers. 5.

CAPUT VII.

Ritus hostiæ pro delicto, et hostiæ pacificæ: a quibus, et quando utraque absumenda. Velatur esus adipis, omnisque sanguinis. Ex hostia pacifica pectusculum et armus dexter cedebat sacerdoti sacrificanti.

1. Hæc quoque lex hostiæ pro delicto, Sancta sanctorum est:

2. Idcirco ubi immolabitur holocaustum, mactabitur et victima pro delicto: sanguis ejus per gyrum altaris fundetur.

3. Offerent ex ea caudam et adipem qui operit vitalia:

4. Duos renunculos, et pinguedinem quæ juxta ilia est, reticulumque jecoris cum renunculis.

5. Et adolebit ea sacerdos super altare: incensum est Domini pro delicto.

6. Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus, quia Sanctum sanctorum est.

7. Sicut pro peccato offertur hostia, ita et pro delicto: utriusque hostiæ lex una erit: ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit.

8. Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus.

9. Et omne sacrificium similæ, quod coquitur in clibano, et quidquid in craticula, vel in sartagine præparatur, ejus erit sacerdotis a quo offertur.

10. Sive oleo conspersa, sive arida

fuerint, cunctis filiis Aaron mensura æqua per singulos dividetur.

11. Hæc est lex hostiæ pacificorum quæ offertur Domino.

12. Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento conspersos oleo, et lagana azyma uncta oleo, coctamque similam, et collyridas olei admistione conspersas:

13. Panes quoque fermentatos, cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis:

14. Ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino, et erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem;

15. Cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane.

16. Si voto, vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die: sed et si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est:

17. Quidquid autem tertius invenerit dies, ignis absumet.

18. Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potius quæcumque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit.

19. Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni: qui fuerit mundus, vescetur ex ea.

20. Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis.

21. Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel jumenti, sive omnis rei quæ polluere potest, et comederit de hujuscemodi carnibus, interibit de populis suis.

22. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

23. Loquere filiis Israel: Adipem ovis, et bovis, et capræ, non comedetis.

24. Adipem cadaveris morticini,

℣. 13. *Panes quoque fermentatos, cum hostia* actionis *gratiarum, quæ immolatur pro pacificis* — Hoc est, quæ pacificorum nomine offertur, non pro pace seu prosperitate aliqua impetranda, sed pro ea jam impetrata. Nam duplex erat genus hostiæ pacificæ: unum pro re impetranda a Deo: et vocabatur hostia *salutaris:* et hujus carnes aliæque reliquiæ non necessario absumendæ erant eadem illa die qua oblatæ fuerant, sed poterant etiam in crastinum, non tamen diutius seponi, ut hic expresse Deus decernit vv. 16 et seqq., et cap. 19, v. 6, et Philo supra ita factitari solitum testatur. Alterum erat pro re jam impetrata, et dicebatur *ἐυχαριστικὸν*, seu actionis gratiarum, debebatque necessario *eadem* [1] *die* absumi. Si quis post ex ea comedisset, *irrita* [2] seu infructuosa reddebatur *oblatio:* et qui comederat, *prævaricationis reus, et profanus* [3] seu immundus fiebat, et insuper morte plectendus erat.

Petes, quo in loco comedi debebant carnes pacificorum? an in solo atrio templi? ita vult Abulensis [4]. Sed respondeo, potuisse tum a sacerdotibus, tum a laicis quovis loco comedi, dummodo *mundus* esset, seu, ut cap. 10, vers. 14 dicitur, *mundissimus*, id est, omni pollutione et immunditia legali carens; ita Philo, Josephus [5] et alii. Solebant ergo offerentes, commissis igni quæ Deo adolebantur, v. g. adipe, cauda, etc. et traditis sacerdoti quæ ipsi debebantur ex victima, puta armo dextro ac pectusculo, reliquas carnes elixas (nam nihil assabatur in atrio templi) domum suam referre, ubi cum domesticis, et quibuscumque aliis quos invitare voluissent, dummodo ii *mundi* essent, epulabantur. Addit rationem Philo, cur esus harum carnium non posset ultra secundum vel tertium diem differri: Quia, inquit, jam non sunt offerentis, sed Dei cui oblatæ fuerunt: qui cum sit beneficus ac munificus, non vult eas in penum retrudi, sed convivis, et maxime egentibus, communicari [6].

℣. 24. *Adipem cadaveris morticini,* et a bestia jugulati, applicare poteritis *in*

(1) Levit. 7, vers. 15, et c. 22, vers. 30.
(2) Vers. 18. (3) Levit. 19, vers. 7 et 8.
(4) In Levit. post q. 14.
(5) Philo l. 2 de Victimis; Josephus lib. 3 Antiq., cap. 10.
(6) Levit. 7, vers. 19; Philo supr.

et ejus animalis quod a bestia captum est, habebitis in varios usus.

25. Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo.

26. Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus quam de pecoribus.

27. Omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis.

28. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

29. Loquere filiis Israel, dicens: Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul et sacrificium, id est, libamenta ejus.

30. Tenebit manibus adipem hostiæ, et pectusculum: cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet sacerdoti,

31. Qui adolebit adipem super altare, pectusculum autem erit Aaron et filiorum ejus.

32. Armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias sacerdotis.

33. Qui obtulerit sanguinem et adipem, filiorum Aaron, ipse habebit et armum dextrum in portione sua.

34. Pectusculum enim elevationis, et armum separationis, tuli a filiis Israel de hostiis eorum pacificis, et dedi Aaron sacerdoti, et filiis ejus, lege perpetua, ab omni populo Israel.

35. Hæc est unctio Aaron et filiorum ejus in ceremoniis Domini, die qua obtulit eos Moyses, ut sacerdotio fungerentur,

36. Et quæ præcepit eis dari Dominus a filiis Israel religione perpetua in generationibus suis.

37. Ista est lex holocausti, et sacrificii pro peccato atque delicto, et pro consecratione et pacificorum victimis:

38. Quam constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando mandavit filiis Israel ut offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai.

varios usus — sed profanos, v. g. ad usus medicos, vel ad lumen domesticum, etc. Addunt Hebræa, Chaldæa et Græca, *sed non comedetis*, ut alibi [1] dicitur.

℣. 30. *Tenebit manibus adipem et pectusculum* — Loquitur de laico offerente: cujus manibus imponebat sacerdos pectusculum victimæ cum adipe, forsan et cum armo et pane azymo, ut dicitur Exodi 29, v. 22 et seqq. Imponebat, inquam, manibus, mediante verosimilius acetabulo, vel alio aliquo vasculo argenteo, ut vult Cajetan. [2]. Dein sacerdos supponens manus suas manibus offerentis sic onustis, elevabat illas sursum, mox detrahebat deorsum: rursumque ducebat eas ab Oriente ad Occidentem, ac demum a Meridie ad Septemtrionem: formam sic exprimens trinæ crucis: unde et ab Hebræis vocabatur sacrificium *agitationis*. Allegorice figura erat crucis Christi; et signum divini imperii non solum in quatuor orbis plagas, sed et in cælum sursum, et in infernum deorsum, inquit Rabbi Salomon, Pagninus, Vatablus, Abulensis, Lyranus et Lipomanus.

(1) Cap. 3, vers. 16, et cap. 11, vers. 39.

(2) In Levit. 7.

CAPUT VIII.

Aaron consecratur a Moyse pontifex: et filii Aaronis consecrantur sacerdotes.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Tolle Aaron cum filiis suis, vestes eorum, et unctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, canistrum cum azymis,

3. Et congregabis omnem cœtum ad ostium tabernaculi.

4. Fecit Moyses ut Dominus imperaverat. Congregataque omni turba ante fores tabernaculi,

5. Ait: Iste est sermo, quem jussit Dominus fieri.

6. Statimque obtulit Aaron et filios ejus. Cumque lavisset eos,

7. Vestivit pontificem subucula linea, accingens eum balteo, et induens eum tunica hyacinthina, et desuper humerale imposuit,

8. Quod astringens cingulo aptavit rationali, in quo erat Doctrina et Veritas.

9. Cidari quoque texit caput: et super eam, contra frontem, posuit laminam auream consecratam in sanctificatione, sicut præceperat ei Dominus.

10. Tulit et unctionis oleum, quo linivit tabernaculum cum omni supellectili sua.

11. Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, unxit illud, et omnia vasa ejus, labrumque cum basi sua sanctificavit oleo.

12. [1] Quod fundens super caput Aaron, unxit eum, et consecravit:

13. Filios quoque ejus oblatos vestivit tunicis lineis, et cinxit balteis, [2] imposuitque mitras, ut jusserat Dominus.

14. Obtulit et vitulum pro peccato: cumque super caput ejus posuissent Aaron et filii ejus manus suas,

15. Immolavit eum: hauriens sanguinem, et, tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum; quo expiato et sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta ejus.

16. Adipem vero qui erat super vitalia, et reticulum jecoris, duosque renunculos cum arvinulis suis, adolevit super altare:

17. Vitulum cum pelle et carnibus, et fimo, cremans extra castra, sicut præceperat Dominus.

℣. 6. *Obtulit* — scilicet adductos publice ad tabernaculum: nempe Moyses Deo in sacerdotes obtulit Aaronem et filios ejus, id est consecravit et initiavit sacerdotio, his ritibus. Primo, *lavit* [3] *eos;* secundo, *vestibus sacris* [4] *induit*, de quibus Exodi 28; tertio, sacrificavit *pro peccato* [5] *vitulum, et arietem* [6] unum, alterumque *arietem* [7] *in holocaustum;* quarto, unxit *per septem* continuos *dies* [8], *aspergens* tam illos, quam vestes illorum quotidie oleo *mixto sanguine* [9] *arietis* prioris, ungebat vero *aurem* illorum *dexteram, et pollicem manus ac pedis dextri.* Quinto, durante hoc septem dierum consecrationis tempore, debebant *noctes et dies excubare* [10] in atrio tabernaculi, more custodum fixe ibi manentes, non sic tamen ut somnus eis vetaretur. Et hæc communia erant omnibus sacerdotibus dum consecrarentur. Ceterum consecrationi *Aaronis*, et consequenter cujusvis summi sacerdotis successoris Aaronis, peculiare erat quod totum etiam *caput illius* [11] ungeretur. Quo designabatur, a Pontifice tamquam a capite derivari potestatem consecrandi et offerendi ad alios omnes sacerdotes. Aurium unctione tropologice indicabatur, eos legem Domini audire, eidemque obedire debere præ ceteris: manus vero ac pedis dextri; eos audita fortiter constanterque exequi teneri. Ita Radulphus.

Nota, eodem die primo hebdomadæ consecrationis horum sacerdotum, qui erat dies primus mensis primi anni secundi egressionis Hebræorum ex Ægypto, Moysen simili *septena unctione*, sed continuo una eademque hora adhibita consecrasse quoque *altaria* holocausti et thymiamatis, adeoque totum *tabernaculum* [12] *cum omnibus* vasis *et supellectili sua.*

(1) Eccli. 45, vers. 18.

(2) " Vers. 13. *Imposuitque mitras, ut jusserat Dominus.* Mitrarum usus apud omnes nationes obtinuit, ac fortasse primum apud Ægyptios, ut conjicit Gorius *de Mitrato Capite Jesu Christi Crucifixi*, cap. x, § iv. Initio fuere laneæ, aut lineæ aut purpureæ vittæ, aut etiam laminæ ex metallo elaboratæ, quæ caput obnubebant. Vide etiam P. Martin p. 1 *Explan. diffic. Loc. S. Script.*, p. 81 seq.

(3) Levit. 8, vers. 6.
(4) Vers. 7, 8, 9, 13.
(5) Vers. 14 usque 17.
(6) Vers. 22 etc.
(7) vers. 18.
(8) Vers. 30, 33.
(9) Vers. 24.
(10) Vers. 33, 35.
(11) Vers. 12.
(12) Vers. 10 et 11.

18. Obtulit et arietem in holocaustum: super cujus caput cum imposuissent Aaron et filii ejus manus suas,

19. Immolavit eum, et fudit sanguinem ejus per circuitum altaris.

20. Ipsumque arietem in frusta concidens, caput ejus, et artus, et adipem adolevit igni,

21. Lotis prius intestinis et pedibus: totumque simul arietem incendit super altare, eo quod esset holocaustum suavissimi odoris Domino, sicut præceperat ei.

22. Obtulit et arietem secundum, in consecratione sacerdotum: posueruntque super caput ejus Aaron et filii ejus manus suas.

23. Quem cum immolasset Moyses, sumens de sanguine ejus, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, et pollicem manus ejus dextræ, similiter et pedis.

24. Obtulit et filios Aaron; cumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dextræ, et pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit super altare per circuitum:

25. Adipem vero, et caudam, omnemque pinguedinem quæ operit intestina, reticulumque jecoris et duos renes cum adipibus suis et armo dextro separavit.

26. Tollens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino, panem absque fermento et collyridam conspersam oleo, laganumque, posuit super adipes, et armum dextrum,

27. Tradens simul omnia Aaron et filiis ejus. Qui postquam levaverunt ea coram Domino,

28. Rursum suscepta de manibus eorum, adolevit super altare holocausti, eo quod consecrationis esset oblatio, in odorem suavitatis, sacrificii Domino.

29. Tulitque pectusculum, elevans illud coram Domino, de ariete consecrationis in partem suam, sicut præceperat ei Dominus.

30. Assumensque unguentum, et sanguinem qui erat in altari, aspersit super Aaron et vestimenta ejus, et super filios illius ac vestes eorum.

31. Cumque sanctificasset eos in vestitu suo, præcepit eis, dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi, et ibi comedite eas; panes quoque consecrationis edite; qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus, dicens: [1] Aaron et filii ejus comedent eos:

32. Quidquid autem reliquum fuerit de carne et panibus, ignis absumet.

33. De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ; septem enim diebus finitur consecratio:

34. Sicut et impræsentiarum factum est, ut ritus sacrificii compleretur.

35. Die ac nocte manebitis in tabernaculo observantes custodias Domini, ne moriamini: sic enim mihi præceptum est.

36. Feceruntque Aaron et filii ejus cuncta quæ locutus est Dominus per manum Moysi.

(1) Exod. 29, vers. 32; Infr. 24, vers. 9.

CAPUT IX.

Aaron jam consecratus celebrat primitias suas, et præter juge sacrificium matutinum, offert vitulum pro peccato suo, et arietem in holocaustum. Deinde offert etiam populi victimas, hircum pro peccato, vitulum et agnum in holocaustum, bovem et arietem in hostiam pacificam. Quæ omnes hostiæ igne cœlitus emisso absumptæ sunt.

1. Facto autem octavo die, vocavit Moyses Aaron et filios ejus, ac majores natu Israel, dixitque ad Aaron:

2. [1] Tolle de armento vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum, utrumque immaculatum, et offer illos coram Domino.

3. Et ad filios Israel loqueris: Tollite hircum pro peccato, et vitulum atque agnum anniculos et sine macula, in holocaustum,

4. Bovem et arietem pro pacificis: et immolate eos coram Domino, in sacrificio singulorum similam conspersam oleo offerentes; hodie enim Dominus apparebit vobis.

5. Tulerunt ergo cuncta quæ jusserat Moyses ad ostium tabernaculi: ubi cum omnis multitudo astaret,

6. Ait Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: facite, et apparebit vobis gloria ejus.

7. Et dixit ad Aaron: Accede ad altare, et immola pro peccato tuo: offer holocaustum, et deprecare pro te et pro populo; cumque mactaveris hostiam populi, ora pro eo, sicut præcepit Dominus.

8. Statimque Aaron accedens ad altare, immolavit vitulum pro peccato suo;

9. Cujus sanguinem obtulerunt ei filii sui: in quo tingens digitum, tetigit cornua altaris, et fudit residuum ad basim ejus.

10. Adipemque et renunculos, ac reticulum jecoris, quæ sunt pro peccato, adolevit super altare, sicut præceperat Dominus Moysi:

11. Carnes vero et pellem ejus extra castra combussit igni.

12. Immolavit et holocausti victimam: obtuleruntque ei filii sui sanguinem ejus, quem fudit per altaris circuitum.

13. Ipsam etiam hostiam in frusta concisam, cum capite et membris singulis, obtulerunt; quæ omnia super altare cremavit igni,

14. Lotis aqua prius intestinis et pedibus,

15. Et pro peccato populi offerens, mactavit hircum: expiatoque altari,

16. Fecit holocaustum,

17. Addens in sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, et adolens ea super altare, absque ceremoniis holocausti matutini.

℣. 17. *Absque ceremoniis holocausti matutini* — scilicet jugis et quotidiani. Quasi dicat, Omnia hæc sacrificia et holocausta Aaronis et filiorum ejus non fuerunt impedimento, quo minus offerretur eodem quoque tempore matutino juge holocaustum agni: quod nullo casu, sicut nec vespertinum, poterat ob ulla alia sacrificia intermitti. Hinc patet, illo primum die, scilicet octavo mensis primi, et post completos septem dies consecrationis Aaronis filiorumque illius die primo, cœptum ab Aarone offerri in altari jam sanctificato *juge sacrificium*, idque ante sacrificium *pro peccato* [2] *et holocaustum* [3], aliaque quæ hic pro primitiis suis offerre jubetur. Nam juge sacrificium mane omnia alia sacrificia anteibat: sicut et vespere omnia ejus diei sacrificia terminabat. Ita Philo, Josephus et alii.

(1) Exod. 29, vers. 1.

(2) Levit. 9, vers. 7. (3) Vers. 7 et 12.

18. Immolavit et bovem atque arietem, hostias pacificas populi: obtuleruntque ei filii sui sanguinem, quem fudit super altare in circuitum.

19. Adipem autem bovis, et caudam arietis, renunculosque cum adipibus suis, et reticulum jecoris

20. Posuerunt super pectora; cumque cremati essent adipes super altare,

21. Pectora eorum, et armos dextros separavit Aaron, elevans coram Domino, sicut præceperat Moyses.

22. Et extendens manus ad populum, benedixit ei. Sicque completis hostiis pro peccato, et holocaustis, et pacificis, descendit.

23. Ingressi autem Moyses et Aaron in tabernaculum testimonii, et deinceps egressi, benedixerunt populo. [1] Apparuitque gloria Domini omni multitudini:

24. Et ecce egressus ignis a Domino, devoravit holocaustum, et adipes qui erant super altare. Quod cum vidissent turbæ, laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas.

v. 23. *Ingressi Moyses et Aaron in tabernaculum* — Nempe ut Aaron thymiama in altari incensi offerret Deo ante crematiouem holocausti matutini. Id enim thymiama semper matutinum holocaustum anteibat: quocirca etiam nunc præire debuit immissionem illam sacri ignis a Deo cælitus, vel e columna nubis submissi, quo cremanda erant tum juge, tum alia jam parata sacrificia. Aaroni autem junctus ibat socius Moyses, ut eum doceret modum hujus thymiamatis offerendi.

Mox apparuit gloria Domini — scilicet cælestis ignis emissione, qua Deus gloriam seu præsentiam suam, potentiam et favorem singularem, tum erga populum universum, tum maxime erga novos sacerdotes palam comprobavit, sacerdotium illorum tam celebri prodigio honorando.

Nota. Hoc igne cælesti semper deinceps usi sunt Hebræi, eumque lignis injectis continuo nutrire jussi, Levitici 6, v. 12. Quo quia *Nadab et Abiu* filii Aaronis usi non fuerant, sed *alieno*, seu aliunde desumpto profano igne, idcirco igne cælitus immisso absumpti sunt, cap. sequenti. Quare maxima sacerdotum vicissim templo deservientium cura fovebatur sacer hic ignis: et quidem per desertum cum proficiscerentur, in vase ad id deputato: cum vero subsisterent, in altari ipso holocaustorum adservabatur, perpetuoque fomento nutriebatur. Ita Philo et Josephus. Similis ignis de cælo ad victimas absumendas missus est cum Salomon templum suum dedicaret, 2 Paral. 7, v. 1. Item cum Elias convicit sacerdotes Baal 3 Reg. 18, v. 38. Adservatus est autem hic sacer ignis in templo usque ad eversionem ejusdem templi, et captivitatem Babylonicam. Ac ne tum quidem neglecta illius cura: nam a sacerdotibus in puteo ignis ille absconditus est: sed soluta post captivitate, dum ignem requirunt, loco ignis aquam crassam repererunt, quæ mox tempore sacrificii in ignem miraculose conversa fuit, 2 Machabæorum 1. Quo igne usi sunt exinceps in secundo templo: et in tanti miraculi memoriam festum dati ignis perpetuo celebre habuerunt.

Nota. Hanc ignis sacri continuo fovendi religionem dæmon, ut simius, apud Ethnicos variis locis æmulari voluit, ut apud Persas, qui et pro Deo illum colebant: apud Delphos item, et Argivos in templis Apollinis: apud Romanos, qui illum sub nomine Vestæ colebant, et virginibus Vestalibus custodiam illius committebant: quod si quando contingeret extingui, fatale urbi censebatur. Vide Rhodiginum, et Lilium Gyraldum [2].

Allegorice ignis hic cælestis est Spiritus sancti gratia, quæ continuo fomento piarum meditationum, et bonorum operum foveri debet. Ita sanctus Gregorius [3].

(1) 2 Mach. 2, v. 10.
(2) Rhodigin. l. 14 Antiquar. lect., c. 14; Gyrald. in Syntagm. Deorum, in Vesta Dea.

(3) Lib. 25 Moral., cap. 7.

CAPUT X.

Nadab et Abiu filii Aaronis igne profano thurificantes, igne cælesti occiduntur. Plangi eos a parente et fratribus consacerdotibus vetat Deus. Vetat et vini et siceræ usum sacerdotibus quamdiu in tabernaculo deserviunt.

1. Arreptisque Nadab et Abiu filii Aaron thuribulis, [1] posuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat.

2. Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, et mortui sunt coram Domino.

3. Dixitque Moyses ad Aaron: Hoc est quod locutus est Dominus: Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis

℣. 1. *Quod eis præceptum non erat* — Liptote, id est, quod eis prohibitum erat [2]. Verosimile tamen est, quod Radulphus et Abulensis ajunt, illos nonnisi venialiter peccasse, utpote partim lætitia, partim timore ignis cælestis perturbatos, nec sat memores præcepti divini. Et facile erat, neomystas in primitiis errare.

℣. 3. *Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi* — Id est, in sacerdotibus qui altari meo et Sanctuario deserviunt. Quasi dicat, Justum me declarabo, puniendo peccata etiam sacerdotum, scilicet, ne populus speret me sibi, si peccet, parciturum, dum videt, me ne quidem sacerdotibus peccantibus ignoscere.

Petes, quale fuerit horum sacerdotum peccatum? Respondet Rabbi Salomon et alii Hebræi, fuisse ebrietatem. Et colligunt ex eo, quod statim ab hac clade Deus novum illud præceptum sacerdotibus dederit de abstinendo a potu vini, quamdiu in atrio tabernaculi deservirent. Sed quidquid de hoc sit, certum est, eos inobedientia peccasse, quod thuribulis suis non sacrum ignem ex altari, sed profanum e culina imponerent, atque in Sanctuarium inferrent, ut eo thymiama in altari incensi adoleretur.

Tropologice ignis profanus est amor proprius, igni sacro seu amori divino contrarius, olim puniendus igne vel purgatorio vel infernali. Ita Radulphus, et insinuatur 1 Corinth. 3, v. 13.

Notat Philo [3], quatuor ob causas omnem usum vini inhibitum fuisse sacerdotibus quamdiu in tabernaculo deservirent, scilicet ut effugiant primo, pigritiam; secundo, oblivionem; tertio, somnum; quarto, amentiam: quæ solent a vino progigni. Easdem ob causas vetatur hic illis etiam aliud *omne quod inebriare potest*, Hebraice, *schechar* [4], Græce sicera: qua voce significatur omnis potio quæ ebrietatem inducere potest, teste sancto Hieronymo [5]. Unde complectitur omnia illa vini factitii genera, quæ Plinius l. 4, c. 16 recenset, ex loto arbore, e palmis, ficis, pyris, et malis omne genus: item hydromeli ex aqua et melle, vel ex aqua et saccaro: item cerevisia nostra, et omnis ei similis potio, e tritico, hordeo, avena, apud varias nationes etiam olim usurpata, teste Plinio, et aliis ab Hadriano Junio, Dalechampio, et Antonio Balinghem citatis [6]. Ergo sacerdotibus istis quamdiu in templo deservirent (quod posterioribus temporibus, ob ingentem illorum multitudinem, admodum rarum fuit), utendum erat si non pura aqua, certe non alio mista succo, quam qui ebrietati inducendæ par non esset. Simile quid etiam dæmon, simius in sacris, a suis Ethnicorum sacerdotibus aliquando exegit. Nam ex præscripto Am-

(1) Num. 3, vers. 4; 26, vers. 61; 1 Paral. 24, vers. 2.

(2) Quod Scriptura ait, eos *ignem alienum* obtulisse coram Domino, Josephus *thus ordinarium* imposuisse scribit. Gilletus in 3 *Antiq. Judaic. lib., admot. 11*, conatur illum excusare, et pro virili parte cum Moyse conciliare.

(3) Lib. 2 de Monarchia.

(4) שכר.

(5) Epist. ad Nepotianum et in Isaiæ 28.

(6) Plin. l. 14, c. ult.; Junius Anim adv. lib. 2 cap. 12; Dalechamp. annot. in l. 22 Plinii c. ult. Balinghem in Pomeridianis colloquiis.

populi glorificabor. Quod audiens tacuit Aaron.

4. Vocatis autem Moyses Misaele et Elisaphan filiis Oziel, patrui Aaron, ait ad eos: Ite, et tollite fratres vestros de conspectu sanctuarii, et asportate extra castra.

5. Confestimque pergentes, tulerunt eos sicut jacebant, vestitos lineis tunicis, et ejecerunt foras, ut sibi fuerat imperatum.

6. Locutusque est Moyses ad Aaron, et ad Eleazar, et Ithamar, filios ejus: Capita vestra nolite nudare, et vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini, et super omnem cœtum oriatur indignatio. Fratres vestri, et omnis domus Israel, plangant incendium quod Dominus suscitavit:

7. Vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis: oleum quippe sanctæ unctionis est super vos. Qui fecerunt omnia juxta præceptum Moysi.

8. Dixit quoque Dominus ad Aaron:

9. Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras.

10. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum;

11. Doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi.

12. Locutusque est Moyses ad Aaron, et ad Eleazar, et Ithamar, filios ejus, qui erant residui: Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, et comedite illud absque fermento juxta altare, quia Sanctum sanctorum est.

---

phiarai vatis, sacerdotes qui clara responsa accipere et reddere vellent, integrum diem a cibo, a vino autem triduum abstinere jubebantur, teste Volaterrano [1]. Jovis sacerdoti apud Romanos ne sub vitem quidem venire fas erat, inquit Plutarchus. Ægyptiis vero sacerdotibus vino, uti et carnibus, perpetuo abstinendum fuisse testes sunt Cheremon Stoicus, et S. Hieronymus [2]. Quanta ergo sobrietatis cura esse debet Christianis sacerdotibus, qui tam tremenda tractant mysteria?

℣. 6. *Capita vestra nolite nudare* — puta, cidarim seu tiaram detrahendo, ut habent LXX et Philo [3]: vel etiam capillos more Gentilium abradendo, luctus testandi causa. Quod non solis sacerdotibus, sed et laicis promiscue vetitum erat in funere; Deuter. 14, v. 1. Idque ne more Ethnicorum, immoderatum animi affectum hoc signo proderent, parum convenientem iis qui crederent futuram aliquando resurrectionem. Sed eam legem Judæos non semper observasse colligimus ex Jeremiæ 16, v. 6, ubi prædicitur, tantam fore morientium turbam, ut superstitibus etsi moribus Gentilium assuetis, non libeat toties se incidere aut caput decalvare. Extra tempus funerum non fuit capitis abrasio laicis prohibita: sed neque sacerdotibus, cum non ministrarent in templo. Semper tamen excipio Nazaræos: quamquam et hi quoque completo Nazaræatus tempore capillos abradebant.

Et vestimenta nolite scindere — Id summo sacerdoti in funeribus vetitum fuit Levit. 21, v. 10, quia scissio illa impotentiam quamdam animi demonstrat, quæ Pontificem minime decet. Aliis sacerdotibus id nusquam prohibitum legimus. Ergo hoc solo casu prostratorum misere fratrum Moyses id hic peculiariter vetat filiis Aaronis, tum propter recentem illorum consecrationem, ut dicit versu sequenti; tum propter paucitatem illorum, quod si tum simili cæremonia funebri contaminari contigisset, nulli alii fuissent qui sacrificia perageret, aut victimas sacras absumere potuissent. Eadem de causa vetat hic iisdem Moyses, egredi atrio sancto, scilicet ad planctum fratruum suorum et funus peragendum: nam etiam funeris deductio et parentatio afferebat immunditiam legalem. Ita Jos. [4].

(1) Lib. 18, cap. 4.
(2) Cheremon apud S. Hieron. l. 2 advers. Jovinian.
(3) Supra.
(4) Lib. 2 Antiq. apud Euseb. l. 8 de Præpar. Evang., cap. 2.

13. Comedetis autem in loco sancto: quod datum est tibi et filiis tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi.

14. Pectusculum quoque quod oblatum est, et armum qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu et filii tui, et filiæ tuæ tecum; tibi enim ac liberis tuis reposita sunt de hostiis salutaribus filiorum Israel;

15. Eo quod armum et pectus, et adipes qui cremantur in altari, elevaverunt coram Domino, et pertineant ad te, et ad filios tuos, lege perpetua, sicut præcepit Dominus.

16. [1] Inter hæc, hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, exustum reperit: iratusque contra Eleazar et Ithamar filios Aaron, qui remanserant, ait:

17. Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ Sancta sanctorum est, et data vobis ut portetis iniquitatem multitudinis, et rogetis pro ea in conspectu Domini,

18. Præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta, et comedere debueritis eam in sanctuario, sicut præceptum est mihi?

19. Respondit Aaron: Oblata est hodie victima pro peccato, et holocaustum coram Domino: mihi autem accidit quod vides: quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in ceremoniis, mente lugubri?

20. Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem.

(1) 2 Mach. 2, vers. 11.

CAPUT XI.

Lex de animalibus mundis, seu quibus vesci licet: et immundis, quæ comedi vetat. Munda decernit terrestria, quæ ungulam dividunt, simul et ruminant; pisces, qui pinnulas habent et squamas. Avium varia genera; reptilia omnia immunda.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:

2. Dicite filiis Israel: [1] Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ:

3. Omne quod habet divisam ungulam, et ruminat in pecoribus, comedetis.

4. Quidquid autem ruminat quidem, et habet ungulam, sed non dividit eam, sicut camelus et cetera, non comedetis illud, et inter immunda reputabitis.

5. Chœrogryllus qui ruminat, ungulamque non dividit, immundus est.

6. Lepus quoque: nam et ipse ruminat, sed ungulam non dividit.

7. [2] Et sus: qui cum ungulam dividat, non ruminat:

℣. 5. *Chœrogryllus* — Ita etiam Græci. Et satis constat porci genus aliquod significari, cum tam χοῖρος quam χρύλλος ex quibus hæc vox componitur, porcum significet. Sed Hebræum *schaphan* [3] teste S. Hieronymo [4], animal est in Palæstina frequens, hericii, seu herinacei magnitudine, habens similitudinem muris et ursi, semper instar cuniculi in cavernis petrarum et terræ foveis habitans. Ob hanc vero hujus animalculi cum aliis jam dictis similitudinem factum est ut pro eo interpretes verterint nunc *chœrogryllum* [5], nunc *herinaceum* [6], nunc *cuniculum* [7].

(1) Deut. 14, vers. 4. (2) 2 Mach. 6, v. 18.
(3) שָׁפָן.
(4) Epist. ad Suniam et Fretellam.
(5) Noster hic, et LXX itemque iidem Deut. 14.
(6) Psalm. 103, vers. 18, nostra Vulgata, et S. Hieron.
(7) Prov. 30, vers. 26. Noster Ulysses Aldrovandus in Ornithologia.

8. Horum carnibus non vescemini, nec cadavera contingetis, quia immunda sunt vobis.

9. Hæc sunt quæ gignuntur in aquis, et vesci licitum est. Omne quod habet pinnulas et squamas, tam in mari quam in fluminibus et stagnis, comedetis.

10. Quidquid autem pinnulas et squamas non habet, eorum quæ in aquis moventur et vivunt, abominabile vobis

11. Execrandumque erit; carnes eorum non comedetis, et morticina vitabitis.

12. Cuncta quæ non habent pinnulas et squamas in aquis, polluta erunt.

13. Hæc sunt quæ de avibus comedere non debetis, et vitanda sunt vobis: Aquilam, et gryphem, et haliæetum,

14. Et milvum ac vulturem juxta genus suum,

15. Et omne corvini generis in similitudinem suam:

16. Struthionem, et noctuam, et larum: et accipitrem juxta genus suum,

17. Bubonem, et mergulum, et ibin,

18. Et cygnum, et onocrotalum, et porphyrionem,

19. Herodionem et charadrion juxta genus suum, upupam quoque, et vespertilionem.

20. Omne de volucribus quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis.

21. Quidquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quæ salit super terram,

22. Comedere debetis, ut est bruchus in genere suo, et attacus, atque ophiomachus, ac locusta, singula juxta genus suum.

23. Quidquid autem ex volucribus

℣. 13. *Gryphem* — Ita etiam LXX et Pagninus et Vatablus. Est verosimilius ex genere aquilarum, ut magnitudine et viribus, ita rapacitate monstrosum, ab Aristophanis interprete γρυπάστος seu *gryphaquila* dictum. Certe Aldrovandus ex Paulo Veneto et regis Æthiopum litteris docet, ex aquilarum speciebus nonnullas tantæ magnitudinis et roboris reperiri, quæ integrum bovem vel equum pullis suis alendis in nidum deferant: et elephantum in sublime tollant, quem deinde ipso in terram lapsu occisum devorent. Ex eodem aquilarum genere est avis illa quæ hic subjungitur *haliœetus*, quod latine sonat *marinam aquilam*. Estque piscibus imprimis insidiosa, quos ipsa, licet altissimo ex aere, et nubibus proxima, perspicacissime videt, magnoque impetu in eos sese præcipitat. Vide eumdem Aldrovandum. Porro quæ de gryphe paradoxa scribunt Herodotus, Pausanias, Pomponius Mela, Solinus, Ælian., Philostratus [1], et nostri pictores effingere solent, quasi sit animal quadrupes, auritum, pennatum, alis et vultu aquilino, leoninis unguibus ac jubis, totoque reliquo corpore, in Scythicis ac Hyperboreis Asiæ montibus frequens, aurum quod ibi nascitur, a rapina Arimasporum, qui monoculi sint populi, custodiens, ob idque cum illis perpetuum bellum gerens; merito fabulis accensetur a Plinio, Alberto Magno, et aliis recentioribus.

℣. 16 *et seq.* De struthione, laro, mergulo, ibi, onocrotalo, porphyrione et charadrio vide infra Deuteron. 14, vers. 15.

℣. 22. *Attacus* — Species est locustæ, modicis alis, uti et *ophiomacus;* sed hæc alis caret: sic dicta, quod cum serpente bellum gerat, apprehensisque mordicus faucibus, quoties libet, necat, inquit Plinius, Aristoteles [2], Hesychius et Suidas. Addit Plinius, ejusmodi locustas in India etiam ternum pedum longitudinis, reperiri. Porro cum et ista, et alia omnia locustarum genera præscribat hic Deus Hebræis in escam; satis credo hinc constare, non opus esse ad cancros marinos vel ad pyra silvestria, confugere, ut

(1) Herodot. l. 3; Pausanias in Atticis; Pomp. Mela lib. 2; Solinus c. 19; Ælianus l. 4, cap. 26; Philostratus l. 3 de Vita Apollonii.

(2) Plin. l. 11, c. 29; Aristoteles supra lib. 9, c. 6; item l. de Mirabilibus auscultationibus.

quatuor tantum habet pedes, execrabile erit vobis:

24. Et quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, et erit immundus usque ad vesperum:

25. Et si necesse fuerit ut portet quippiam horum mortuum, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad occasum solis.

26. Omne animal quod habet quidem ungulam, sed non dividit eam, nec ruminat, immundum erit: et qui tetigerit illud, contaminabitur.

27. Quod ambulat super manus, ex cunctis animantibus quæ incedunt quadrupedia, immundum erit: qui tetigerit morticina eorum polluetur usque ad vesperum.

28. Et qui portaverit hujuscemodi cadavera, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum: quia omnia hæc immunda sunt vobis.

29. Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his quæ moventur in terra, mustela et mus et crocodilus, singula juxta genus suum,

30. Mygale, et chamæleon, et stellio, et lacerta, et talpa:

31. Omnia hæc immunda sunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad vesperum:

32. Et super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur, tam vas ligneum et vestimentum, quam pelles et cilicia: et in quocumque fit opus, tingentur aqua, et polluta erunt usque ad vesperum, et sic postea mundabuntur.

33. Vas autem fictile, in quod horum quidquam intro ceciderit, polluetur, et idcirco frangendum est.

34. Omnis cibus quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit: et omne liquens quod bibitur de universo vase, immundum erit.

35. Et quidquid de morticinis hujuscemodi ceciderit super illud, immundum erit: sive clibani, sive chytropodes, destruentur, et immundi erunt.

36. Fontes vero et cisternæ, et omnis aquarum congregatio munda erit. Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur.

37. Si ceciderit super sementem, non polluet eam.

38. Si autem quispiam aqua se-

Joanni Baptistæ, Marci 1 et Matthæi 3, cibus ex locustis paretur, ut finxit Beza, et alii quidam delicatuli Novantes. Quin et Æthiopibus, et Parthis, et multis aliis populis sollemne esse vesci locustis, uti et cicadis, testes sunt Aristoteles, Plinius, Diodorus Siculus [1] et alii.

℣. 30. *Mygale* — Sic dicitur, quasi mus et mustela; quod magnitudine murem referat, colore mustelam. Ejus meminit Dioscorides, Plutarchus, Aetius et Nicander [2]. Latini *murem araneum* vocant, ob venenum præsens quod morsu infigit, teste Plinio, et A. Nebrissensi [3].

Chamæleon serpit instar lacertæ, cui admodum similis est. Hujus meminit Aristoteles, Plinius [4], et omnes alii: notantque chamæleontem solo aere pasci, et colorem rei cui adhærescit induere, maxime si metu corripiatur. Est et *Stellio* animalculum simile lacertæ: cujus iidem Aristoteles et Plinius [5] et alii meminerunt.

℣. 34. *Omnis cibus, si fusa fuerit super eum aqua,* scilicet ex vase aliquo polluto, *immundus erit: et omne liquens, quod bibitur de universo vase,* similiter polluto, *immundum erit* — Talia autem vasa morticino seu cadavere aliquo polluta, *sive clibani* fuerint, quibus panes coquuntur, *sive chytræ*, id est ollæ, *sive chytropodes,* id est ollarum sustentacula, quibus tamquam pedibus ollæ sustentantur; cum hæc omnia fictilia sint, teste Athenæo, Polluce et Suida, *destruentur* et confringentur.

(1) Arist. l. 6 Hist. animal., c. 30; Plin. l. 6, c. 30, l. 7, c. 2, et l. 11, c. 26 et 29; Diod. Sic. l. 4, c. 3.
(2) Diosc. l. 2, 7 et 8; Plut. sup. l. 4, c. 5; Aetius apud Matthiolum l. 2; Nicander in Theriacis.
(3) Plin. l. 8, c. 58; Nebriss. Quinquag, c. 31.
(4) Aristoteles l. 2, c. 11; Plin. l. 8, c. 33.
(5) Arist. l. 9, c. 1; Plin. l. 29, c. 4.

mentem perfuderit, et postea morticinis tacta fuerit, illico polluetur.

39. Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit usque ad vesperum:

40. Et qui comederit ex eo quippiam, sive portaverit, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum:

41. Omne quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum.

42. Quidquid super pectus quadrupes graditur, et multos habet pedes, sive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est.

43. Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis.

44. Ego enim sum Dominus Deus vester: [1] sancti estote, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili quod movetur super terram.

45. Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego sanctus sum.

46. Ista est lex animantium ac volucrum, et omnis animæ viventis, quæ movetur in aqua, et reptat in terra.

47. Ut differentias noveritis mundi et immundi, et sciatis quid comedere et quid respuere debeatis.

℣. 39. *Si mortuum fuerit animal quod licet vobis comedere* — Mortuum scilicet naturali morte, vel suffocatum, remanente ac concreto in venis sanguine: itemque a bestia captum. Nam hæc omnia immunda erant, et ad esum illicita Judæis.

Pro quo Nota, licet hæc omnia et quæcumque creavit Deus, suapte natura munda essent, teste Apost. [2]; provide tamen statutum fuisse a Deo, ut a quibusdam, quasi ab immundis, abstinerent Judæi. Primo, ut hac via populus iste rudis, sicut in sacrificiis, sic et in cibariis haberent continuum exercitium obedientiæ, religionis, latriæ, et temperantiæ. Secundo, ut ab immundis idololatrarum epulis ac superstitionibus arcerentur, ad quæ alioquin imitanda propensiores erant. Tertio, ut ex munditie et sanctitate hac legali discerent assurgere ad internam munditiem et veram animi sanctitatem, quæ mystice hic præfigurabatur.

Nota secundo, licet in his mundis et immundis cibis ita decernendis satis esse posset una Dei sic jubentis voluntas; Deum tamen nonnisi justas et manifestas ob causas voluisse quosdam præ aliis immundos declarare: et has vel naturales causas, v. g. quod ejusmodi cibi venenosi essent, ut sunt reptilia: vel saltem distemperatæ complexionis et mali succi, ut noctuæ, ciconiæ, upupæ, porci, etc. vel saltem difficillimæ digestionis, ut adeps, sanguis, etc. Vel denique ob mysticas et morales causas, v. g. quod in quibusdam animalibus pravæ quædam inessent conditiones ac proprietates vitiorum, crudelitatis in corvo, ingluviei in onocrotalo, rapinæ in vulture, impietatis in crocodilo, superbiæ in aquila, luxuriæ in sue, et aliorum in aliis istiusmodi symbola: per quæ Deus innuebat, ad obtinendam veram animi munditiem, ab illis vitiis abstinendum esse: alioqui coram Deo nos immundos esse judicandos, et a divino sanctuario, id est cælo, arcendos. Ita Tertullianus, Origenes, Aristæas apud Eusebium, Cyrillus Alexandrinus, Augustinus et S. Thomas [3].

(1) 1 Petr. 1, cap. 16.
(2) Ad Rom. 14, et 1 ad Tim. 4, et ad Titum 1.
(3) Tertull. l. de cibis Judaicis; Orig. hom. 7; Euseb. de Præpar. l. 8, c. 3; Cyrill. l. contra Julianum; Aug. lib. 31 contra Faustum, cap. ult. S. Thom. 1. 2. q. 102, a. 6.

CAPUT XII.

Purificatio, et oblatio facienda puerperæ. Nempe agnus in holocaustum, et columbæ pullus vel turtur, pro peccato: sin pauper sit, duo pulli columbarum, vel duo turtures.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israel, et dices ad eos: [1] Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ.

3. [2] Et die octavo circumcidetur infantulus:

4. Ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ.

5. Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menstrui, et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.

℣. 2. *Mulier, si suscepto semine pepererit.* — Ita etiam verterunt LXX et Vablus: et SS. Patres [3] etiam communiter ita exponunt, docentque B. Virginem, quia sine suscepto semine peperit hac lege comprehensam non fuisse, neque immunditiem legalem incurrisse. Idem fatentur Philippus Melanchton, Artopœus, et alii quidam hæretici a P. Canisio [4] citati. Unde consequenter dicunt iidem Patres, in partu B. Virginis nulla fuisse menstrua, nullas secundinas, aliasve sordes quæ partum vulgarem consequi solent.

℣. 5. *Juxta ritum fluxus menstrui* — Id est, eo ritu et ratione erit immunda, quibus quæ menstrua patitur. Neque enim omnes legis immunditiæ pares erant, sed quædam *graviores*, quædam *minus graves*. Graviores erant, quibus qui tenebatur, non solum longiori tempore excludebatur a templo et rerum sacrarum participatione, sed insuper etiam ab hominum consortio: neque licebat vel atrium templi profanum Gentilium et vulgarium immundorum ingredi, teste Josepho [5], eo quod homines quoslibet, et quælibet instrumenta quæ contingebat, suo contactu quoque polluebat et immunda reddebat. Ejusmodi erant tria illa immundorum genera, Numer. 5, qui jubebantur excludi castris et urbibus, videlicet leprosi, seminiflui, et polluti super mortuo. Ejusdem generis erant etiam menstruatæ, quæ etsi non excluderentur civitate, tamen domi ita recludebantur, ut cum nemine commercium haberent, nisi cum eo qui cibum et necessaria afferret, qui tamen vel ob hoc ipsum legaliter immundus existebat. Hujus ergo ejusdem generis decernitur hic fore immunditia mulieris parientis, si masculum, septem diebus: si femellam, quatuordecim. Ceteræ immunditiæ *leviores* etsi arcerent a templo et rebus sacris, non tamen nisi ad breve tempus, neque excludebant ab hominum consortio, aut ab atrio templi profano, eo quod per contagionem et contactum non communicarentur aliis, et faciliore ritu citiusque tollebantur: cum *graviores*, uti diuturniores erant, ita etiam difficilius tollerentur, nec nisi peculiaribus ritibus, de quibus c. 15 et alibi. Et hujusmodi levior erat hæc ceterorum dierum immunditia in iis quæ pepererant, post septimum vel decimumquartum diem. Quæ immunditia etsi eo casu diuturniore tempore duraret, non tamen per se, aut ex ratione talis immunditiæ id habebat; sed solum per accidens, eo quod causa illius diutius duraret, nempe naturalis purgatio parientis, et evacuatio tum sanguinis, tum aliarum sordium, quæ fere 40 diebus in

(1) Lucæ 2, vers. 22.
(2) Joan. 7, vers. 22; Lucæ 2, vers. 21.
(3) Patres citati a Suarez t. 2, p. 3, disp. 13, s. 2.
(4) Lib. 4 Marial., c. 12.
(5) Lib. 2 contra Apionem.

6. Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti.

7. Qui offeret illa coram Domino, et orabit pro ea, et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui: ista est lex parientis masculum aut feminam.

8. Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet [1] duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato: orabitque pro ea sacerdos, et sic mundabitur.

partu masculi, et 80 in femellæ durare solent. Qua de re vide, si lubet, Hippocratem et Franciscum Valesium [2].

Nota. Licet hæc lex, cum aliis cæremonialibus antiqui testamenti jam sit abolita, possintque puerperæ christianæ sine peccato statim a partu gratias acturæ templum ingredi, uti respondit Innocentius III [3], tamen ob munditiam, venerationemque sacrorum, et ad imitationem purissimæ Virginis, solent ab ingressu ecclesiæ quadraginta diebus abstinere, inquit Radulphus et alii.

(1) Sup. 5, vers. 7, 11; Lucæ 2, vers. 24.

(2) Hippocr. l. de Natura pueri; Vales. de Sacra Philosophia, c. 18.

(3) Cap. unico. de Purificatione post partum.

CAPUT XIII.

Septem species lepræ; ejusdemque signa. Quinque vero præcipiuntur leproso. Primo, ut habeat vestes dissutas; secundo, caput nudum; tertio os tectum; quarto, clamet se sordidum esse; quinto, habitet extra castra.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:

2. Homo, in cujus cute et carne ortus fuerit diversus color sive pustula, aut quasi lucens quippiam, id est, plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus.

3. Qui cum viderit lepram in cute, et pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute et carne reliqua: plaga lepræ est, et ad arbitrium ejus separabitur.

4. Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, et pili coloris pristini, recludet eum sacerdos septem diebus,

5. Et considerabit die septimo: et siquidem lepra ultra non creverit, nec transierit in cute priores terminos, rursum recludet eum septem diebus aliis.

6. Et die septimo contemplabitur: si obscurior fuerit lepra, et non creverit in cute, mundabit eum, quia scabies est: lavabitque homo vestimenta sua, et mundus erit.

℣. 6. *Mundabit eum* — Hoc est, mundum a lepra pronuntiabit. Sic v. 11 et aliis, *contaminabit eum sacerdos*, id est, contaminatum lepra declarabit [1]. Ubi typum videre est insignem ejus jurisdictionis Ecclesiasticæ, quam nostri sacerdotes in tribunali pœnitentiæ circa peccata seu lepram animi quotidie exercent.

Notat Franciscus Valesius [2], hanc Judæorum lepram non fuisse *elephantiam*, qualis fere jam nostra est, quæ et carnem et ossa depascitur, et est incurabilis, sed fuisse lepram Galeni et Græcorum, quæ cutis vitium est, et scabiei simillima. Unde et a Christo mundati dicuntur leprosi, non vero sanati, inquit S. Augu-

(1) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 58.

(2) De Sacra Philos., c. 19.

7. Quod si postquam a sacerdote visus est, et redditus munditiæ, iterum lepra creverit; adducetur ad eum,

8. Et immunditiæ condemnabitur.

9. Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem,

10. Et videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, et capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit:

11. Lepra vetustissima judicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos, et non recludet, quia perspicuæ immunditiæ est.

12. Sin autem efflorueriit discurrens lepra in cute, et operuerit omnem cutem a capite usque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit,

13. Considerabit eum sacerdos, et teneri lepra mundissima judicabit: eo quod omnis in candorem versa sit, et idcirco homo mundus erit.

14. Quando vero caro vivens in eo apparuerit,

15. Tunc sacerdotis judicio polluetur, et inter immundos reputabitur; caro enim viva si lepra aspergitur, immunda est.

16. Quod si rursum versa fuerit in alborem, et totum hominem operuerit,

17. Considerabit eum sacerdos, et mundum esse decernet.

18. Caro autem et cutis in qua ulcus natum est et sanatum,

19. Et in loco ulceris cicatrix alba apparuerit, sive subrufa, adducetur homo ad sacerdotem:

20. Qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, et pilos versos in candorem, contaminabit eum: plaga enim lepræ orta est in ulcere.

21. Quod si pilus coloris est pristini, et cicatrix subobscura, et vicina carne non est humilior, recludet eum septem diebus.

22. Et siquidem creverit, adjudicabit eum lepræ.

23. Sin autem steterit in loco suo, ulceris est cicatrix, et homo mundus erit.

24. Caro autem et cutis quam ignis exusserit, et sanata albam sive rufam habuerit cicatricem,

stinus. Nascitur autem ex redundantia pituitæ, vel bilis atræ, seu melancholiæ. E quibus variæ admodum species enasci solent, quæ partim hic a Scriptura, partim a medicis recensentur. Sed præter illam vulgarem cutis lepram, erat et alia quæ in ipsam carnem sæviebat, eratque sicut nostra *elephantiasis*. Alia quoque quæ intra pilos barbæ aut capitis innascitur, de qua v. 29. Alia quæ in vestibus reperitur, v. 47. Alia denique quæ in domibus, de qua cap. sequenti, v. 34. Possunt enim hæc vel halitu, vel sudore, vel sanie alicujus leprosi infici, ut ex scabiosis et peste infectis quotidiana docet experientia. Ex morbis quoque animalium, quorum lanæ et pelles ad vestes assumuntur, posset in iis gigni putredo, et maculæ, quæ etiam contagio suo proserpant ad alias partes. Quin et a sola aeris intemperie, vel putrefactione, uti corpora hominum et animalium, ita et vestes et domus possunt similes putrescentias lepræ affines et quasi pestes haurire. Hebræi, teste Oleastro, tradunt, hanc vestium et domorum lepram, peculiarem Judææ fuisse: nec alibi usquam apparuisse: neque inter Judæos, nisi quum a divinis legibus recederent. Theodoretus omnem lepræ morbum vult peculiari Dei providentia Judæis peccantibus immissum fuisse, maximeque iis qui sacerdotibus rebelles essent, ut futurum prædicitur Deuter. 24, v. 8, et patuit in Maria sorore Moysis Num. 12, in Ozia rege 2 Paralip. 26. Judæam vero, reliquamque Syriam multis quoque post seculis ejusmodi morborum ac fœditatum feracem fuisse, et ab ipsa quasi terra vel aura afflari solere, vel inde colligas, quod tam multos ex Europæis, qui eo ad bellum sacrum profecti fuerant, ibidem infici contigerit, in quorum gratiam tot ubique tota Europa leprosotrophia construi debuerunt.

25. Considerabit eam sacerdos, et ecce versa est in alborem, et locus ejus reliqua cute est humilior; contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est.

26. Quod si pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, et ipsa lepræ species fuerit subobscura, recludet eum septem diebus,

27. Et die septimo contemplabitur: si creverit in cute lepra, contaminabit eum.

28. Sin autem in loco suo candor steterit non satis clarus, plaga combustionis est, et idcirco mundabitur, quia cicatrix est combusturæ.

29. Vir, sive mulier, in cujus capite vel barba germinaverit lepra, videbit eos sacerdos;

30. Et siquidem humilior fuerit locus carne reliqua, et capillus flavus, solitoque subtilior: contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ est.

31. Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, et capillum nigrum: recludet eum septem diebus.

32. Et die septimo intuebitur. Si non creverit macula, et capillus sui coloris est, et locus plagæ carni reliquæ æqualis:

33. Radetur homo absque loco maculæ, et includetur septem diebus aliis.

34. Si die septimo visa fuerit stetisse plaga in loco suo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum, lotisque vestibus suis mundus erit.

35. Sin autem post emundationem rursus creverit macula in cute,

36. Non quæret amplius utrum capillus in flavum colorem sit immutatus, quia aperte immundus est.

37. Porro si steterit macula, et capilli nigri fuerint, noverit hominem sanatum esse, et confidenter eum pronuntiet mundum.

38. Vir, sive mulier, in cujus cute candor apparuerit,

39. Intuebitur eos sacerdos; si deprehenderit subobscurum alborem lucere in cute, sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi, et hominem mundum.

40. Vir, de cujus capite capilli fluunt, calvus et mundus est:

41. Et si a fronte ceciderint pili, recalvaster et mundus est.

42. Sin autem in calvitio sive in recalvatione albus vel rufus color fuerit exortus,

43. Et hoc sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubie lepræ, quæ orta est in calvitio.

44. Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, et separatus est ad arbitrium sacerdotis,

45. Habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.

46. Omni tempore, quo leprosus est et immundus, solus habitabit extra castra.

47. Vestis lanea sive linea, quæ lepram habuerit

48. In stamine atque subtegmine, aut certe pellis, vel quidquid ex pelle confectum est,

49. Si alba vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, ostendeturque sacerdoti;

50. Qui consideratam recludet septem diebus:

51. Et die septimo rursus aspiciens si deprehenderit crevisse, lepra perseverans est: pollutum judicabit vestimentum, et omne in quo fuerit inventa:

52. Et idcirco comburetur flammis.

53. Quod si eam viderit non crevisse,

54. Præcipiet, et lavabunt id in quo lepra est, recludetque illud septem diebus aliis.

55. Et cum viderit faciem quidem pristinam non reversam, nec tamen crevisse lepram, immundum judicabit, et igne comburet, eo

quod infusa sit in superficie vestimenti vel per totum, lepra.

56. Sin autem obscurior fuerit locus lepræ, postquam vestis est lota, abrumpet eum, et a solido dividet.

57. Quod si ultra apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis et vaga: debet igne comburi.

58. Si cessaverit, lavabit aqua ea, quæ pura sunt, secundo, et munda erunt.

59. Ista est lex lepræ vestimenti lanei et linei, staminis atque subtegminis, omnisque supellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

CAPUT XIV.

Ritus lustrationis, quo legaliter expiandus erat leprosus, lepra jam curata: sive illa in cute fuisset hominis, sive in vestibus, sive in domibus.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Hic est ritus leprosi, quando mundandus est: [1] Adducetur ad sacerdotem:

3. Qui egressus de castris, cum invenerit lepram esse mundatam,

4. [2] Præcipiet ei qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se, quibus vesci licitum est, et lignum cedrinum, vermiculumque et hyssopum.

5. Et unum ex passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes:

6. Alium autem vivum cum ligno cedrino, et cocco et hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati,

7. Quo asperget illum, qui mundandus est, septies, ut jure purgetur: et dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet.

8. Cumque laverit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, et lavabitur aqua: purificatusque ingredietur castra, ita dumtaxat ut maneat extra tabernaculum suum septem diebus;

9. Et die septimo radet capillos capitis, barbamque et supercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rursum vestibus et corpore,

10. Die octavo assumet duos agnos immaculatos, et ovem anniculam absque macula, et tres decimas similæ in sacrificium, quæ

℣. 4. Ex frusto *ligni cedrini, vermiculo* [3], hoc est filo coccineo, et *hyssopo* aspergillum conficiebatur, cujus manubrio cedrino hyssopum adnectebat filum coccineum. Videtur etiam ex v. 6, passerculus vivus eodem filo eidem manubrio in medio hyssopi alligatus fuisse, et leprosi adspersio non minus a plumis passerculi, quam ab hyssopo, postquam ambæ aquas sanguinolentas combibissent, fieri debuisse. Cum enim lepra quatuor ingentia mala secum traheret: primum, cutis ac carnis putrefactionem; secundum, colorem luridum ac horridum; tertium, gravem fœtorem; quartum, tabem aut etiam mortem; voluit Deus, quatuor illa quasi horum remedia, vel saltem remediorum indicia, mundandis adhiberi. Primo, lignum cedrinum, quod putrefactionem non admittit, immo et ab aliis rebus arcet. Secundo, filum coccineum, coloris vivacissimi ac gratissimi. Tertio, hyssopum; herbam apprime odoriferam. Quarto, passerem vivum, vigoris et vitæ symbolum, quare et liber in agrum devolare sinebatur. Ergo ad litteram designabatur, hæc omnia jam mundato a lepra postliminio reddita esse. Et tropologice, peccatori pœnitenti, virtute crucis et passionis Christi, omnia ante deperdita etiam cum fœnore redhibenda.

(1) Matth. 8, vers. 4.

(2) Marc. 1, vers. 44; Luc. 5, vers. 14.

(3) Exodi 25, vers. 4.

conspersa sit oleo, et seorsum olei sextarium.

11. Cumque sacerdos purificans hominem, statuerit eum, et hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonii,

12. Tollet agnum, et offeret eum pro delicto, oleique sextarium; et oblatis ante Dominum omnibus,

13. Immolabit agnum, ubi solet immolari hostia pro peccato, et holocaustum, id est, in loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita et pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia: Sancta sanctorum est.

14. Assumensque sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur, et super pollices manus dextræ et pedis:

15. Et de olei sextario mittet in manum suam sinistram,

16. Tingetque digitum dextrum in eo, et asperget coram Domino septies.

17. Quod autem reliquum est olei in læva manu, fundet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur, et super pollices manus ac pedis dextri, et super sanguinem qui effusus est pro delicto,

18. Et super caput ejus.

19. Rogabitque pro eo coram Domino, et faciet sacrificium pro peccato; tunc immolabit holocaustum,

20. Et ponet illud in altari cum libamentis suis, et homo rite mundabitur.

21. Quod si pauper est, et non potest manus ejus invenire quæ dicta sunt, pro delicto assumet agnum ad oblationem, ut roget pro eo sacerdos, decimamque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium, et olei sextarium,

22. [1] Duosque turtures sive duos pullos columbæ, quorum unus sit pro peccato, et alter in holocaustum:

23. Offeretque ea die octavo purificationis suæ sacerdoti, ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino:

24. Qui suscipiens agnum pro delicto et sextarium olei, levabit simul:

25. Immolatoque agno, de sanguine ejus ponet super extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur, et super pollices manus ejus ac pedis dextri:

26. Olei vero partem mittet in manum suam sinistram,

27. In quo tingens digitum dextræ manus asperget septies coram Domino:

28. Tangetque extremum dextræ auriculæ illius qui mundatur, et pollices manus ac pedis dextri, in loco sanguinis qui effusus est pro delicto:

29. Reliquam autem partem olei, quæ est in sinistra manu, mittet super caput purificati, ut placet pro eo Dominum:

30. Et turturem sive pullum columbæ offeret,

31. Unum pro delicto, et alterum in holocaustum cum libamentis suis.

32. Hoc est sacrificium leprosi, qui habere non potest omnia in emundationem sui.

33. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:

34. Cum ingressi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus,

35. Ibit cujus est domus, nuntians sacerdoti, et dicet: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea.

36. At ille præcipiet ut efferant universa de domo, priusquam ingrediatur eam, et videat utrum leprosa sit, ne immunda fiant omnia quæ in domo sunt. Intrabitque postea ut consideret lepram domus:

37. Et cum viderit in parietibus

(1) Sup. 5, vers. 7, 11, et 12, vers. 8; Luc. 2, v. 24.

illius quasi valliculas pallore sive rubore deformes, et humiliores superficie reliqua,

38. Egredietur ostium domus, et statim claudet illam septem diebus.

39. Reversusque die septimo, considerabit eam: si invenerit crevisse lepram,

40. Jubebit erui lapides in quibus lepra est, et projici eos extra civitatem in locum immundum:

41. Domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, et spargi pulverem rasuræ extra urbem in locum immundum,

42. Lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerint, et luto alio liniri domum.

43. Sin autem postquam eruti sunt lapides, et pulvis erasus, et alia terra lita,

44. Ingressus sacerdos viderit reversam lepram, et parietes respersos maculis, lepra est perseverans, et immunda domus:

45. Quam statim destruent, et lapides ejus ac ligna, atque universum pulverem projicient extra oppidum in locum immundum.

46. Qui intraverit domum quando clausa est, immundus erit usque ad vesperum:

47. Et qui dormierit in ea, et comederit quippiam, lavabit vestimenta sua.

48. Quod si introiens sacerdos viderit lepram non crevisse in domo, postquam denuo lita fuerit, purificabit eam reddita sanitate:

49. Et in purificationem ejus sumet duos passeres, lignumque cedrinum, et vermiculum atque hyssopum:

50. Et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas,

51. Tollet lignum cedrinum, et hyssopum, et coccum, et passerem vivum, et tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viventibus, et asperget domum septies,

52. Purificabitque eam tam in sanguine passeris quam in aquis viventibus, et in passere vivo, lignoque cedrino et hyssopo atque vermiculo.

53. Cumque dimiserit passerem avolare in agrum libere, orabit pro domo, et jure mundabitur.

54. Ista est lex omnis lepræ et percussuræ,

55. Lepræ vestium et domorum,

56. Cicatricis et erumpentium papularum, lucentis maculæ, et in varias species, coloribus immutatis,

57. Ut possit sciri quo tempore mundum quid, vel immundum sit.

¶. 54. *Percussuræ* nomine hic intelligit scabiem seu lepram capitis vel barbæ, uti Chaldæus interpres, et Arias Montanus hic vertunt, quam cap. præcedenti *convulsionem* vocabant, sic dictam quod capillos convellat, immo evellat, maxime si perduret. Per *cicatricem* v. 56, designat hic maculosam diversi coloris lepram seu vitiliginem. Per *erumpentes papulas* seu pustulas, scabiem asperam. Per *lucentes maculas* candorem cutis, lucem aliquam emittentem, quæ certum lepræ indicium est. Vide de his fuse Franciscum Valesium [1].

(1) Supra.

CAPUT XV.

Immunditia et purificatio: primo, seminiflui; secundo, concumbentis; tertio, menstruatæ; quarto, hæmorrhoissæ.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:

2. Loquimini filiis Israel, et dicite eis: Vir, qui patitur fluxum seminis, immundus erit.

3. Et tunc judicabitur huic vitio

subjacere, cum per singula momenta adhæserit carni ejus, atque concreverit fœdus humor.

4. Omne stratum, in quo dormierit, immundum erit, et ubicumque sederit.

5. Si quis hominum tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

6. Si sederit ubi ille sederat, et ipse lavabit vestimenta sua: et lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

7. Qui tetigerit carnem ejus, lavabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

8. Si salivam hujuscemodi homo jecerit super eum, qui mundus est, lavabit vestimenta sua: et lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

9. Sagma, super quo sederit, immundum erit:

10. Et quidquid sub eo fuerit qui fluxum seminis patitur, pollutum erit usque ad vesperum. Qui portaverit horum aliquid, lavabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

11. Omnis, quem tetigerit qui talis est, non lotis ante manibus, lavabit vestimenta sua: et lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

12. Vas fictile, quod tetigerit, confringetur: vas autem ligneum lavabitur aqua.

13. Si sanatus fuerit qui hujuscemodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui, et lotis vestibus et toto corpore in aquis viventibus, erit mundus.

14. Die autem octavo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, et veniet in conspectum Domini ad ostium tabernaculi testimonii, dabitque eos sacerdoti:

15. Qui faciet unum pro peccato, et alterum in holocaustum: rogabitque pro eo coram Domino, ut emundetur a fluxu seminis sui.

16. Vir de quo egreditur semen coitus, lavabit aqua, omne corpus suum: et immundus erit usque ad vesperum.

17. Vestem et pellem, quam habuerit, lavabit aqua, et immunda erit usque ad vesperum.

18. Mulier, cum qua coierit, lavabitur aqua, et immunda erit usque ad vesperum.

19. Mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur.

20. Omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad vesperum;

21. Et in quo dormierit vel sederit diebus separationis suæ, polluetur.

22. Qui tetigerit lectum ejus, la-

v. 9. *Sagma, super quo sederit* — Id est ephippium, seu quidquid equo vel jumento insternitur ad equitandum. Hinc *sagmarius equus* apud Lampridium [1], et *mulæ sagmariæ* apud Rhodiginum.

Nota, non esse hic sermonem nisi de fluxu seminis, qui *gonorrhœa* vocatur, estque morbus, cum invito semen quasi continue defluit ex naturæ debilitate, et facultatis retentivæ imbecillitate. Nam de *voluntaria* emissione in actu conjugali, infra agitur v. 16. De *casuali* in somno, Deut. 23, v. 10. Nam utraque etiam immundum hominem faciebat. Voluntaria autem extra actum conjugalem, non immundum modo, sed et detestabilem Deo reddebat.

Tropologice seminiflui sunt doctores impuri. Ita sanctus Gregorius et Radulphus. Addit Theodoretus, idcirco voluisse Deum, etiam actum matrimonii quantumvis licitum, instar peccati seu immunditiæ legalis haberi, et *aqua vivente*, id est fluviali vel fontana (quia hæc quasi more viventium se movet) ad vesperam expiari; ut assiduitatem frequentiamque actus matrimonii cohiberet, purificandi sui pigritia: atque ita ad honestam decentemque continentiam petulantiores induceret.

(1) In Heliogabalo.

vabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

23. Omne vas, super quo illa sederit, quisquis attigerit, lavabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua, pollutus erit usque ad vesperum.

24. Si coierit cum ea vir tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus: et omne stratum, in quo dormierit, polluetur.

25. Mulier, quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis non in tempore menstruali, vel quæ post menstrum sanguinem fluere non cessat, quamdiu subjacet huic passioni, immunda erit quasi sit in tempore menstruo.

26. Omne stratum in quo dormierit, et vas in quo sederit, pollutum erit.

27. Quicumque tetigerit ea, lavabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

28. Si steterit sanguis, et fluere cessaverit, numerabit septem dies purificationis suæ;

29. Et die octavo offeret pro se sacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum, ad ostium tabernaculi testimonii:

30. Qui unum faciet pro peccato, et alterum in holocaustum, rogabitque pro ea coram Domino, et pro fluxu immunditiæ ejus.

31. Docebitis ergo filios Israel ut caveant immunditiam, et non moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum quod est inter eos.

32. Ista est lex ejus, qui patitur fluxum seminis, et qui polluitur coitu,

33. Et quæ menstruis temporibus separatur, vel quæ jugi fluit sanguine, et hominis qui dormierit cum ea.

CAPUT XVI.

Ritus servandus in festo Kippurim, id est Expiationis, decima die mensis septimi.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Aaron, quando [1] offerentes ignem alienum interfecti sunt:

2. Et præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, [2] ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca, ut non moriatur (quia in nube apparebo super oraculum):

3. Nisi hæc ante fecerit: Vitulum

℣℣. 2 et 3. *Ne omni tempore ingrediatur Aaron sanctuarium, nisi ante hæc fecerit* — Id est, ne umquam ingrediatur Pontifex Sanctum sanctorum, etiam cum licebit illi ingredi, nisi cæremonias istas præmiserit. Porro nonnisi semel in anno, idque solo *expiationis* die, scilicet decimo die septimi mensis, nec nisi semel illo die, licuisse pontifici eo ingredi sub pœna capitis, certissimo patet ex libro Exodi [3], Epistola ad Hebræos [4], Philone, Jos. [5] et aliis. Erat autem festum istud unum e tribus celeberrimis totius anni, quo (si verum est quod Hebræi tradunt) Moyses de monte Sinai, cum tabulis secundis descendens, lætum Hebræis nuntium attulit peccati idololatriæ illorum jam expiati et condonati a Deo. Quo item fiebat quotannis *expiatio* solemnis omnium peccatorum, quæ toto anno fue-

(1) Sup. 10, vers. 1 et 2.
(2) Exod. 30, vers. 10; Ad Hebr. 9, vers. 7.
(3) Exod. 30, vers. 10.
(4) Ad Hebr. 9, vers. 7.
(5) Philo l. 2 de Monarchia, et l. de Legat. ad Cajum; Joseph. l. 6 Belli, c. 6.

pro peccato offeret, et arietem in holocaustum.

4. Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti: hæc enim vestimenta sunt sancta: quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur.

5. Suscipietque ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum.

6. Cumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se et pro domo sua,

7. Duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii:

8. Mittensque super utrumque sortem, unam Domino, et alteram capro emissario:

9. Cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato:

10. Cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, et emittat eum in solitudinem.

11. His rite celebratis, offeret vitulum, et rogans pro se et pro domo sua, immolabit eum:

12. Assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, et hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in sancta:

13. Ut, positis super ignem aromatibus, nebula eorum et vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium, et non moriatur.

14. Tollet quoque de sanguine vituli, et asperget digito septies contra propitiatorium ad orientem.

15. Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut aspergat e regione oraculi,

16. Et expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, et a prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis. Juxta hunc ritum faciet tabernaculo testimonii, quod fixum est inter eos in medio sordium habitationis eorum.

17. [1] Nullus hominum sit in tabernaculo, quando pontifex sanctuarium ingreditur, ut roget pro se et pro domo sua, et pro universo cætu Israel, donec egrediatur.

18. Cum autem exierit ad altare quod coram Domino est, oret pro se, et sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua ejus per gyrum:

19. Aspergensque digito septies,

rant a populo admissa, et forsan nullo alio particulari ritu expiata. Denique expiabatur et sanctuarium, adeoque et ipsum Sanctum sanctorum, quasi polluta peccatis populi et sacerdotum. Sed ante omnia se expiare debebat ipse summus Pontifex, oblatis suo sumptu *vitulo pro peccato* suo, et ariete *in holocaustum*. Quia vero tum personam rei sustinebat, eratque actus pœnitentiæ et humiliationis coram Deo, in reverentiam quoque divinæ majestatis, in Sancto sanctorum quasi in solio suo residentis; non induebatur tum temporis aurea stola, rationali, lamina aurea, aliisve ornamentis Pontifici propriis, sed solis vestibus lineis [2] seu byssinis vulgarium sacerdotum, ut notant Abulensis, Cajetanus, Lyranus, Sa et Ribera [3]. Fiebat autem ea expiatio partim immolatione victimarum hic præscriptarum, puta vituli, arietis et hirci: partim oratione Pontificis et precibus ad Deum: partim aspersione septena sanguinis victimarum jam dictarum: partim denique [4] *afflictione animarum*, seu publico totius populi jejunio usque *ad vesperam*, teste etiam Josepho, et sancto Hieronymo [5], et Rabbinis: qui addunt, abstinendum eo die omnibus fuisse non tantum a cibo, sed et a potu, ab uxoribus, a balneis, ab unguentis.

(1) Luc. 1, vers. 10.
(2) Levit. 16, vers. 4.
(3) Lib. 3 de Templo, cap. 14.
(4) Levit. 23, vers. 32.
(5) Joseph. sup.; Hieron. l. 2 contra Jovinian

expiet et sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel.

20. Postquam emundaverit sanctuarium, et tabernaculum, et altare, tunc offerat hircum viventem:

21. Et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum, in desertum.

22. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, et dimissus fuerit in deserto,

23. Revertetur Aaron in tabernaculum testimonii, et depositis vestibus, quibus prius indutus erat cum intraret sanctuarium, relictisque ibi,

24. Lavabit carnem suam in loco sancto, induetur que vestibus suis. Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum, ac plebis, rogabit tam pro se quam pro populo:

25. Et adipem, qui oblatus est pro peccatis, adolebit super altare.

26. Ille vero, qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua et corpus aqua, et sic ingredietur in castra.

27. Vitulum autem et hircum, qui pro peccato fuerant immolati, et quorum sanguis illatus est in sanctuarium ut expiatio compleretur, asportabunt foras castra, [1] et comburent igni tam pelles quam carnes eorum ac fimum:

28. Et quicumque combusserit ea, lavabit vestimenta sua et carnem aqua, et sic ingredietur in castra.

29. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum: [2] Mense septimo, decima die mensis, affligetis animas vestras, nullumque opus facietis, sive indigena, sive advena qui peregrinatur inter vos.

℣. 20. *Tunc offerat hircum viventem* — Alterum scilicet pro emissario reservatum: *offerat* non immolando, sed coram Deo et tabernaculo vivum sistendo.

Nota, populum pro expiatione peccatorum a se commissorum toto anno, in communi debuisse ære publico duos deferre Pontifici hircos vel capros. Huic utrique Pontifex sortes jaciebat. Ille *cujus sors Domino exierat*, immolabatur Deo pro peccato. Super alterum, in quem sors *capri emissarii* ceciderat, *confitebatur omnes iniquitates filiorum Israel*, nomine totius populi agnoscens publice coram Deo, sæpius et in multis et graviter peccatum fuisse, seque egere divina misericordia, veniam rogare, etc. Tum *peccata* omnium, id est peccatorum pœnas, *imprecabatur capiti* hirci, devovendo illum debito omnibus supplicio, Deumque orando ut exitium illius pro populi exitio admittere vellet. Mox *per certum hominem* ad id *paratum* hircus, quasi publicum catharma, piaculum et anathema, luiturus omnium pœnas, *extra castra in desertum* abducebatur a fera primum obvia dilaniandus.

Allegorice, duo isti hirci sunt Christus et Barabbas, inquit Origenes et S. Hieronymus. Vel Christi humanitas et divinitas, ut Hesychius et Theodoretus. Vel secundum S. Paulum [3], Christus, ut cruenta, et ut incruenta hostia, peccatis nostris onusta a Patre. Tropologice boni omnes, et mali, anagogice, electi et reprobi in die judicii declarandi sorte prædestinationis vel reprobationis æternæ. Ita Beda et Radulphus. Reliquæ etiam cæremoniæ expiationis jam dictæ figura erant spiritalis animarum emundationis non solum annue, sed sæpius, imo quotidie, nobis procurandæ.

Nota secundo, dæmonem ut simium Dei, similem subinde expiationem suis injunxisse sacrificulis: nam teste Herodoto [4] solebant Ægyptii imprecationes et maledicta congerere in caput victimæ ad id delectæ, ut si quid sibi, vel Ægypto adversi impenderet, id omne in caput victimæ converteretur. Tum illud vel in Nilum demergendum præcipitabant: vel Græco seu profano alicui homini in foro venale proponebant, credo ut in illius ventrem omnia illa maledicta derivarent.

(1) Ad Hebr. 13, vers. 11.
(2) Infr. 23, vers. 27 et 28.
(3) Ad Hebr. 9, v. 12, et c. ult., v. 13 et 14.
(4) In Euterpe.

30. In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris: coram Domino mundabimini.

31. Sabbatum enim requietionis est, et affligetis animas vestras religione perpetua.

32. Expiabit autem sacerdos, qui unctus fuerit, et cujus manus initiatæ sunt ut sacerdotio fungatur pro patre suo: indueturque stola linea et vestibus sanctis,

33. Et expiabit sanctuarium et tabernaculum testimonii atque altare, sacerdotes quoque et universum populum.

34. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israel, et pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Fecit igitur sicut præceperat Dominus Moysi.

CAPUT XVII.

Soli Deo sacrificare jubentur Hebræi, idque non in quovis loco, sed in solo tabernaculo. Vetaturque omnis esus sanguinis et morticini.

1. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere Aaron et filiis ejus, et cunctis filiis Israel, dicens ad eos: Iste est sermo quem mandavit Dominus, dicens:

3. Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bovem aut ovem, sive capram, in castris vel extra castra,

4. Et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit: quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui.

5. Ideo sacerdoti offerre debent filii Israel hostias suas, quas occident in agro, ut sanctificentur Domino ante ostium tabernaculi testimonii, et immolent eas hostias pacificas Domino;

6. Fundetque sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium tabernaculi testimonii, et adolebit adipem in odorem suavitatis Domino;

7. Et nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt. Legitimum sempiternum erit illis et posteris eorum.

8. Et ad ipsos dices: Homo de domo Israel, et de advenis qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum sive victimam,

9. Et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo.

10. Homo quilibet de domo Israel, et de advenis qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem,

℣. 3. *Homo si occiderit bovem aut ovem extra castra* — Loquitur de occisione non profana ad esum, quia hæc poterat quovis loco fieri: sed de sacra, nempe ad sacrificium, quæ non poterat fieri nisi in atrio tabernaculi vel templi: nec nisi a sacerdotibus. Ratio inhibitionis hujus erat: Prima, ne quis laicus sacrificandi munus sibi arrogaret. Secunda, ne idololatriæ pateret via, et ne more Gentilium sacrificaretur in excelsis montibus, lucis aut cavernis. Unde cessantibus his causis, censet S. Augustinus [1], aliquos Prophetas licite, quin et inspirante Deo, alibi sacrificasse, v. g. Samuelem [2] in Masphat: Eliam [3] in monte Carmeli.

Tropologice, extra atrium templi, id est, extra veram Ecclesiam, nullum sacrificium aut martyrium Deo placere potest, inquit Radulphus.

(1) Q. 56 in Levit. (2) 1 Reg. 7, vers. 9. (3) 3 Reg. 18, vers. 23.

obfirmabo faciem meam contra animam illius, et disperdam eam de populo suo,

11. Quia anima carnis in sanguine est: et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animæ piaculo sit.

12. Idcirco dixi filiis Israel: Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem, nec ex advenis qui peregrinantur apud vos.

13. Homo quicumque de filiis Israel, et de advenis qui peregrinantur apud vos, si venatione atque aucupio ceperit feram vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, et operiat illum terra.

14. [1] Anima enim omnis carnis in sanguine est: unde dixi filiis Israel: Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est: et quicumque comederit illum, interibit.

15. Anima quæ comederit morticinum, vel captum a bestia, tam de indigenis quam de advenis, lavabit vestimenta sua et semetipsum aqua, et contaminatus erit usque ad vesperum: et hoc ordine mundus fiet.

16. Quod si non laverit vestimenta sua et corpus, portabit iniquitatem suam.

℣. 11. *Anima carnis in sanguine est* — puta tamquam in sede sua. Nam sanguis est proximum alimentum quo *anima*, seu vita animalis, fovetur et conservatur: estque instrumentum necessarium animæ ad functiones illius vitales. Defert enim sanguis per totum corpus spiritus vitales, sine quibus actio vitalis exerceri nulla potest, sed illis interceptis anima prorsus iners et inepta est ad omnes functiones. Et hæc est prima ratio cur sanguis hic prohibeatur comedi: nempe species crudelitatis est, vitam cum animali comedere, et quasi vivum animal devorare. Id enim facere videtur, qui sanguinem comitem animæ necessarium, et in quo tamquam in sede anima conquiescere solet, quique illi ad functiones vitales unicum et necessarium est instrumentum, edit et absumit. Altera quoque hic ratio additur, quod sanguis Deo speciatim dicatus sit, et divina lege sancitum, ut is in expiationem peccatorum humanorum fundatur, ut sic sanguis et mors animalis suppleat vicem hominis, qui per peccatum mortem promeritus erat. Plures causas vetiti esus sanguinis protuli Genesis 9, v. 4.

(1) Gen. 9, vers. 4; Sup. 7, vers. 26.

CAPUT XVIII.

Determinantur gradus consanguinitatis et affinitatis, in quibus matrimonium contrahere non licet. Vetatur omne adulterium et coitus nefandus: et infantium immolatio idolis.

1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Ego Dominus Deus vester:

3. Juxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis: et juxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis.

4. Facietis judicia mea, et præcepta mea servabitis, et ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus vester.

5. [1] Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. Ego Dominus.

6. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus.

7. Turpitudinem patris tui et tur-

(1) Ezech. 20, vers. 11; Ad Rom. 10, vers. 5; Ad Gal. 3, vers. 12.

pitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est; non revelabis turpitudinem ejus.

8. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies: turpitudo enim patris tui est.

9. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis.

10. Turpitudinem filiæ filii tui vel neptis ex filia non revelabis: quia turpitudo tua est.

11. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, et est soror tua, non revelabis.

12. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies: quia caro est patris tui.

13. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eo quod caro sit matris tuæ.

14. Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur.

15. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est, nec discooperies ignominiam ejus.

16. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis: quia turpitudo fratris tui est.

℣. 16. *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis* — Id est, rem cum illa non habebis, supple, si frater defunctus liberos ex uxore reliquerit. Nam si absque liberis decederet, non tantum poterat frater, sed etiam lege cogebatur, sub pœna infamiæ, uxorem fratris defuncti ducere, et semen illi suscitare, Deut. 25, vers. 5. Hinc patet, non omnes gradus hoc capite vetitos, jure naturæ illicitos esse, et irritare matrimonium. Nam Doctores communiter id restringunt ad omnes et solos gradus in linea recta, etiam probabiliter in infinitum: idque propter subjectionem, tamquam effectus ad suam causam et principium, quam descendens et inferior debet ascendenti et superiori suo; in transversa vero linea non extendunt illud ultra primum consanguinitatis gradum, ceteros solo jure positivo seu divino olim, seu Ecclesiastico nunc, matrimonium dirimere volunt: ac proinde posse per Ecclesiam in iis dispensari. Ita Tridentinum [1], et Doctores Scholastici. Et vero quæ jure naturæ hic vetita dixi, turpia admodum esse, et rectæ rationi adversari, non solum exemplo Gentilium, etiam barbarorum, sed [2] et brutorum et ferarum probant Aristoteles, Albertus Magnus, Pierius, Plinius, Ælianus, Catullus, et alii apud Alexandrum ab Alexandro, Tiraquellum, Joannem Lopez et Sanchez de matrimonio [2].

Porro majoris lucis causa, adnotavi in subjecta tabella gradus omnes hoc c. prohibitos. Adnotavi secundo, qui et quales contra hæc aliquando peccarint. Tertio denique, quinam ex his gradibus in nova Christi lege prohibiti, quinam permissi sint.

Levitici 18, vetatur conjugium

℣. 7. Filii cum matre. Filiæ cum patre. *(a)*

8. Privigni cum noverca *(b)*, vel secundaria *(c)* conjuge parentis, si is plures simul uxores habeat.

17. Vitrici cum privigna, seu cum filia uxoris ex priore illius marito concepta.

9 et 11. Fratris cum sorore, sive ex utroque *(d)* parente, sive ex altero *(e)* tantum progenita.

10. Avi cum nepte, sive ex filia, sive ex filio procreata. Aviæ cum nepote simili. Idem conjugium Romanis quoque [3] legibus vetatur inter descendentes, non solum usque ad neptes, sed in infinitum in linea recta.

Et hæc omnia vetita sunt etiam jure naturæ.

12. Nepotis ex fratre cum amita.

13. Nepotis ex sorore cum matertera.

Hæc solum lege positiva vetabantur.

Contra hoc peccarunt

(a) Filiæ Lot, *Genes. 19, v. 33 et 35.* Ptolemæus Phiscon et Philometor cum Cleopatra, *Chron. c. 39.* Semiramis

(1) Sess. 24, cap. 3.

(2) Arist. l. de Admirandis, c. 2, et l. 9 Hist. anim., c. 47; Alb. Magn. de Animalibus l. 8, tr. 5, cap. 2; Pierius in Hieroglyph. Cameli; Plin. l. 8, c. 42; Ælian. l. 3. c. ult.; Catullus in Gellium; Alex. Genial. l. 1, c. 24; Tiraquellus de legibus connubial. l. 7, n. 32; Lopez de matrim. et legitim.; Sanchez de Matrim. l. 7, disp. 51, n. 6 et 7.

(3) Institut. de Nuptiis, § *Ergo non omnes*, et l. *Nuptiæ consistere*, et l. ult. ff. de ritu nuptiar.

17. Turpitudinem uxoris tuæ et filiæ ejus non revelabis. Filiam filii ejus, et filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus: quia caro illius sunt, et talis coitus incestus est.

18. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reve-

, cum filio, *Justin. lib.* I. Et id consuetum fuisse apud Persas docet Theod. et Plutarch. [1].

(b) Ille ab Apostolo excommunicatus *1 Corinth. 5, v. 1 et 5.*

(c) Ruben cum Bala concumbens, *Genes. 35, v. 22.*

(d) Assyrii, teste Luciano; Persæ, teste Herodoto, Curtio et Plinio; Ægyptii, testibus Diodoro et Theocrito: Indi, Æthiopes, Medi, teste S. Hieron., et alii Barbari, de quibus Alexander ab Alexandro, et subinde etiam Romani, inquit S. Gregorius [2].

(e) Amnon cum Thamar, *2 Reg. 13, v. 14.* Nero Imper. cum Octavia. *Tacit. l. 15, et in nostro Chronico c. ult. ad annum 8 Neronis.*

In nova Christi lege, seu in Ecclesia Christiana

Vetantur primo, quæcumque olim primis quinque versiculis vetabantur, utpote juris natura.

Vetantur item quæ reliquis 7 versiculis vetabantur. Non quod legibus illis cæremonialibus obstringamur, quas constat abolitas esse: sed quod Ecclesia novis legibus eadem omnia inhibuerit: neque solum in secundo gradu, ut olim; sed usque ad quartum gradum inclusive. Ita definitum sub Innocentio III in Concilio Lateranensi. Et habetur cap. *Non debet.* de consang. et affinib.

Neque permittit conjugium neptis, abneptis vel proneptis cum patruo vel avunculo.

Neque fratris cum fratria, etsi frater sine liberis defunctus fuerit.

Denique neque cum sorore uxoris defunctæ. Nam, ut dixi, affinitas omnis, ut et consanguinitas dirimit usque ad quartum gradum. In his tamen quæ solius juris positivi sunt, dispensare potest Ecclesia, ut definit Tridentinum sess. 24, can. 3.

An etiam neptis cum patruo vel avunculo?

Affirmare videntur S. Ambros., Lyranus, Abulensis et Bonfrerius. Sed Respondeo negative cum Cajetano, a Lapide, Sanchez, et aliis ab eo citatis [3]. Et patet ex praxi Hebræorum tum ante, tum post hanc legem latam: Nachor enim duxit Melcham, Abram Sarai, Amram matrem Moysis, singuli neptem ex fratre. Et usque hodie usitatissimum istud apud Judæos.

14. Nepotis cum uxore patrui.
15. Soceri cum nuru *(f)*. Et pari modo generi cum socru. Quod etiam Romanis turpe visum, teste Tiraquello [4].
16. Fratris cum fratria, seu cum uxore fratris *(g)* supple si frater superstes sit: vel defunctus liberos ex uxore reliquerit. Nam si nullos reliquit, tenebatur frater *(h)*, sub pœna infamiæ, ducere uxorem defuncti, *Deut. 25, v. 5.*
17. Vitrici cum filia privigni vel privignæ.
18. Cum sorore uxoris adhuc viventis. Id ante hanc legem licuisse patet ex Jacobi exemplo, *Gen. 29,* qui duas sorores Liam et Rachelem simul habuit. Mortua uxore, licebat sororem illius ducere.

Hæc sola lege positiva vetabantur.

Contra hoc peccarunt

(f) Thamar cum Juda, *Gen. 38.*
Antiochus Sedetes Asiæ rex cum Cleopatra fratris sui captivi uxore, *Chronici cap. 40.*
(g) Herodes Antipas cum Herodiade, *Marci 6, v. 18.*
(h) Propinquus Booz, *Ruth 4, v. 6.*

(1) Theod. in Levit. 18, q. 24; Plutarchus in Artaxerxe.
(2) Lucian. l. de sacrificiis; Herodot. in Cambyse; Curtius l. 8; Plinius l. 36, c. 8; Diod. l. 1, c. 2; Theocrit. in Ptol. Philadelpho; Hieron. l. 2 contra Jovinianum; Alex. Genial. dierum l. 1, c. 24 et ibid.; Tiraq.; Greg. ad interrogata Augustinus, cap. 6.
(3) Ambros. epist. 66; Lyr., Abul., Bonfr, in Levit. 18; Cajet., a Lapide ibid.; Sanchez de Matr. l. 7, disp. 52, n. 1 et 6.
(4) Tiraq. de legibus connubialib., l. 9, n. 104.

labis turpitudinem ejus adhuc illa vivente.

19. Ad mulierem quæ patitur menstrua non accedes, nec revelabis fœditatem ejus.

20. Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commistione maculaberis.

21. [1] De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus.

22. Cum masculo non commisceaberis coitu femineo, quia abominatio est.

23. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. [2] Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei: quia scelus est.

24. Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum,

25. Et quibus polluta est terra: cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos.

26. Custodite legitima mea atque judicia, et non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena quam colonus qui peregrinantur apud vos.

27. Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, et polluerunt eam.

28. Cavete ergo ne et vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos.

29. Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui.

30. Custodite mandata mea. Nolite facere quæ fecerunt hi qui fuerunt ante vos, et ne polluamini in eis. Ego Dominus Deus vester.

℣. 21. *De semine tuo*, id est, de filiis tuis, *non dabis ut consecretur idolo Moloch* — Erat hæc immanis et barbara idololatria, quæ ab Ammonitis et vicinis Phœnicibus primum inventa, et ad Chananæos propagata, etiam apud Judæos, non obstante tam severa prohibitione hoc et 20 cap. pene semper locum invenit, ut passim ex libris Regum [3], ex Psalmis [4], et Prophetis [5] constat. Porro idolum *Moloch* non alium fuisse quam Saturnum, filiorum etiam propriorum voracem, ex Platone, Macrobio, Tertulliano, Lactantio, Eusebio, Cyrillo, Augustino, Orosio, Plutarcho, Minutio Felice et aliis bene probat Bonfrerius. Et ex Hebræorum traditione narrant Lyranus, Abulensis, Oleaster et Adrichomius, et Torniellus [6], idolum Moloch fuisse æneum et concavum, capite vitulino, reliquo corpore hominis forma, regiis insignibus ac regio in throno considens, brachia ac manus protendens quibus pueros oblatos exciperet, quos pyra intus accensa miserum horrendumque in morem concremabat, et, ne puerorum ululatus in diris illis cruciatibus audirentur, atque his parentum animi tangerentur, sacerdotes idoli tympana quatiebant, tubisque clangebant. Similem per omnia statuam, et similem puerorum carnificinam nostro quoque seculo in insula *Carolena*, a barbaris factitatam scribit Ludovicus Vives [7]; ut satis appareat, dæmonem semper sui manere similem, et æque semper sitientem sanguinis humani.

(1) Infr. 20, vers. 2.
(2) Infr. 20, vers. 16.
(3) 4 Reg. 16, 17, 21, 23.
(4) Psalm. 105, vers. 37, etc.
(5) Isaiæ 30; Jerem. 19, 32.
(6) Adrich. in sua Jerusalem; Torniel. ad annum 346.
(7) In 7 de Civit. Dei, cap. 19.

CAPUT XIX.

Præcepta quædam moralia et cæremonialia ante recensita rursus inculcantur, additis de novo aliis, de non serendo agro diverso semine: de veste ex lana et lino non induenda: de præputiis arborum circumcidendis: de coma in rotundum non attondenda: de barba non radenda, etc.

1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel, et dices ad eos: [1] Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester.

3. Unusquisque patrem suum, et matrem suam timeat. Sabbata mea custodite. Ego Dominus Deus vester.

4. Nolite converti ad idola, nec deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester.

5. Si immolaveritis hostiam pacificorum Domino, ut sit placabilis, 6. Eo die quo fuerit immolata, comedetis eam, et die altero: quidquid autem residuum fuerit in diem tertium, igne comburetis.

7. Si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit, et impietatis reus:

8. Portabitque iniquitatem suam, quia sanctum Domini polluit, et peribit anima illa de populo suo.

9. [2] Cum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ: nec remanentes spicas colliges.

10. Neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis, sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus vester.

11. Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum.

12. [3] Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus.

13. [4] Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. [5] Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.

14. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus.

15. Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. [6] Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo.

16. Non eris criminator, nec susurro in populo. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus.

17. [7] Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed [8] publice argue eum, ne habeas super illo peccatum.

18. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. [9] Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego Dominus.

19. Leges meas custodite. Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Agrum tuum non seres diverso semine. Ve-

℣. 19. *Agrum tuum non seres diverso semine* — In agro conserendo, in veste consuenda, et in jumentis committendis non vult Deus commisceri quæ diversæ sint speciei.

Litteraliter ad detestandam omnem a-

(1) 1 Petr. 1, vers. 16; Sup. 11, vers. 44.
(2) Infr. 23, vers. 22. (3) Exod. 20, vers. 7.
(4) Eccli. 10, v. 6. (5) Deut. 24, v. 14; Tob. 4, v. 15.
(6) Deut. 1, vers 17, et 16, vers. 19; Prov. 24, v. 23; Eccli. 42, v. 1; Jac. 2, v. 2.
(7) 1 Joan. 2, vers. 11, et 3, vers. 11.
(8) Eccli. 19, vers. 13; Matth. 18, v. 15; Luc. 17, vers. 3.
(9) Matth. 5, vers. 43; 22, vers. 39; Luc. 6, v. 27; Ad Rom. 13, vers. 9.

ste, quæ ex duobus texta est, non indueris.

20. Homo si dormierit cum muliere coitu seminis, quæ sit ancilla etiam nubilis, et tamen pretio non redempta, nec libertate donata: vapulabunt ambo, et non morientur, quia non fuit libera:

21. Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonii arietem:

22. Orabitque pro eo sacerdos, et pro peccato ejus coram Domino, et repropitiabitur ei, dimitteturque peccatum.

23. Quando ingressi fueritis terram, et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.

24. Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino.

25. Quinto autem anno comedetis

varitiam, ex nimis crudeli plurium simul fructuum exactione: petulantiam, ex insolito vestium apparatu: spurcitiem, ex adspectu violenti coitus animantium. Ita Philo, Josephus, S. Thomas [1].

Moraliter, ut doceat, cum una et sincera fidei doctrina aliam hæreticam aut erroneam non esse admittendam, crudelitatem et omne genus tyrannidis erga subditos et servos fugiendum, non serendas discordias, tollendam omnem duplicitatem, nullam ineundam familiaritatem cum dissimilibus hominum ingeniis, maxime qui nobis nocere possint. Ita Cyrillus, Oleaster, Cajetanus.

Petes, unde ergo Judæis muli et mulæ, quarum tanta apud ipsos copia? Respondeo primò, poterant ex aliis regionibus importari: nam ut equi, sic etiam muli ad nundinas devehebantur, ut constat ex 3 Reg. 10, v. 28, et Ezechielis 27, v. 14. Respondeo secundo, poterant non ex vario asinorum et equarum concubitu, sed ex suimet generis animantibus nasci. Nam mulas parere, maxime in Syria Judææ vicina, itemque in Cappadocia., vulgo notissimum est, et docet Aristoteles, Plinius, Forsterus, Conradus Kircherus, Pineda, Sanctius [2], et alii.

℣. 23. *Auferetis præputia* arborum. Hebraice, depræputiabitis præputium ejus, fructum ejus. Ergo metaphoricum præputium arboris nihil est aliud, quam trium primorum annorum fructus præcoces, si quos forte arbor proferebat, qui revellendi erant ab arbore, et velut profanum atque immundum corporis præputium, abjiciendi. Ita LXX, Chaldæus, et Josephus [3]: et patet ex hic sequentibus eodem versu. Proderat, inquit Philo [4], ea res ipsis arbusculis: proderat et hominibus, quibus ii fructus, utpote nimis a-quosi et indigesti, salubres esse non solent. Et Deo, cui primitiæ fructuum debentur, non decebat offerri quod intempestivum atque imperfectum adhuc esset.

℣. 24. *Quarti anni fructus omnis sanctificandus* erat *Domino*, id est, ut idem Josephus explicat, debebat *in sanctam civitatem deferri*; et postquam oblatus esset Deo *cum decimis aliorum fructuum*, debebat *in epulum* dari *cum orphanis et viduis*, sed cui etiam *amici* poterant adhiberi. Pro quo Nota, præter *primitias*, quæ *sacerdotibus* dabantur; et vulgatas *decimas*, quæ *Levitis*; et *decimas decimarum*, quas *Levitæ* dabant *sacerdotibus*; fuisse ulterius alias duplicis generis *decimas* Judæis præscriptas. Unum genus fuit etiam annuarum decimarum, cujus mentio fit Deuter. 12, vv. 12 et 17, et c. 14, v. 22. Et ex his *epulum sacrum Jerosolymis* [5] fiebat, cui adhibendi erant Levitæ, et orphani et viduæ, sed poterant insuper adhiberi etiam domestici et amici. Et his decimis accensebantur hæ fructuum primitiæ, de quibus jam dixi. Alterum erat genus decimarum, quod tertio quoque anno juxta decreta Deuter. cap. 14, v. 28, et cap. 26, v. 12, et Tobiæ 1, vers. 7 separabatur, sed in usum et epulas solorum pauperum, viduarum, orphanorum, et advenarum indigentium, itemque Levitarum: unde et *pauperum decimas* vocat S. Hieronymus. Et hæ non Jerosolymis, ut illæ priores, sed in propria cujusque urbe [6] seponebantur et absumebantur.

(1) Philo l. de Creatione principis; Joseph. l. 4 Antiq., c. 8; S. Thom. l. 2. q. 102, a. 6 ad 8.
(2) Aristot. l. 1 Hist. animal., c. 6, et l. 6, c. 24, et c. 36; Plin. l. 8, c. 44 ex Theophr.; Forster. in Dictionario; Kircher. in Concordantia; Pineda in Salom. prævio l. 2, c. 5; Sanctius in 2 Reg. 18, v. 9.
(3) Joseph. l. 4 Antiq., c. 8. (4) Philo supra.
(5) Deut. 12, vers. 14. (6) Deut. 14, vers. 28.

fructus, congregantes poma quæ proferunt. Ego Dominus Deus vester.

26. Non comedetis cum sanguine. Non augurabimini, nec observabitis somnia.

27. Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.

28. Et super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis. Ego Dominus.

29. Ne prostituas filiam tuam; ne contaminetur terra, et impleatur piaculo.

30. Sabbata mea custodite, et sanctuarium meum metuite. Ego Dominus.

31. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester.

32. Coram cano capite consurge, et honora personam senis: et time Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus.

33. [1] Si habitaverit advena in terra vestra, et moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei:

34. Sed sit inter vos quasi indigena: et diligetis eum quasi vosmetipsos: fuistis enim et vos advenæ in terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester.

35. Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura.

36. Statera justa, et æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti.

37. Custodite omnia præcepta mea, et universa judicia, et facite ea. Ego Dominus.

℣. 27. *Neque in rotundum attondebitis comam* — more Gentilium (Jeremiæ 9, v. ult.) vos ipsos hoc ritu idolis devoventes; vel saltem vana superstitione formantes et alentes cincinnos, suo tempore detondendos et idolis offerendos: ut adolescentuli excedentes ex ephebis solebant detonsæ comæ primitias Apollini consecrandas Delphos mittere, teste Plutarcho[2]: vel diis *fluminibus*, vel deabus *Horis*, vel Æsculapio, vel Syriæ Deæ, vel aliis, teste Homero, Luciano, Martiali, Papinio[3]. Et Festus Pompejus scribit, etiam Romæ capillarem arborem fuisse, sic appellatam, quod ex ea juvenes detonsum sibi capillum Deo consecratum suspenderent. Neque vero capitis comam tantum, sed et barbam, ac maxime primam barbæ lanuginem, diis consecrabant, testibus jam dictis, atque insuper Suetonio, Petronio [4] et aliis. Quo sensu etiam hic vetat Deus Judæis, *ne barbam radant*, utique ex simili superstitione, et more Ethnicorum: ut sic nulla pateret illis ad idolomaniam fenestra. Nam uti in præcedenti versu et sequenti, ita etiam hoc intermedio totus est in prohibendis superstitiosis Gentilium ritibus. Ita Theodoretus, Scholiastes, Eugubinus, Glossa ordinaria, et fere Lyranus, Abulensis, Vatablus, Cajetanus et Emmanuel Sa.

Nota, peculiari insuper præcepto, vetuisse Deum sacerdotibus Aaronicis in luctu funebri radere caput aut barbam, Lev. 10, v. 6, et cap. 21, v. 5. Idque quia id sapiebat immodicum animi affectum, qui a sacerdote præcone et exemplo patientiæ, debet esse remotissimus, et quia volebat Deus sacerdotes suos a profanis illis Gentilium sacerdotum ritibus prorsus abstinere. Alioqui licuisse ceteris Judæis, laicis etiam, in luctu funebri abradere pilos omnes et capitis, et barbæ, et reliqui corporis totius, ex Scriptura.[5] passim constat: neque nisi ex superstitione[6] vetabatur, ut jam dixi. Quare nihil hinc eruere hæretici possunt contra Clericorum aut monachorum tonsuram, quam pie suscipiunt in unius veri Dei honorem, exemplo Christi spinis coronati, et principis Apostolorum sic in vertice abradi soliti, in speciem regalis sacerdotii novi testamenti. Vide Radulphum et alios.

(1) Exod. 22, vers. 21. (2) In Theseo.

(3) Hom. Iliade ψ in Achille; Lucian. in Dea Syria; Mart. l. 1 epigrammaton., et l. 9 epigr. 18 et 17; Papin. in Silvis.

(4) Suetonius in Nerone, c. 12; Petronius de Trimalcione.

(5) Levit. 14, vv. 8, 9; Num. 8, vers. 7; Jer. 41, vers. 5; 1 Esdræ 9, vers. 3.

(6) Deut. 14, v. 1; Baruch. 6, v. 30; Ezech. 44, etc.

CAPUT XX.

Pœna mortis, eaque lapidationis decernitur idololatris, consulentibus magos, maledicis in parentes, incestæ et præposteræ libidini.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Hæc loqueris filiis Israel: Homo de filiis Israel, et de advenis qui habitant in Israel [1], si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur: populus terræ lapidabit eum.

3. Et ego ponam faciem meam contra illum: succidamque eum de medio populi sui, eo quod dederit de semine suo Moloch, et contaminaverit sanctuarium meum, ac polluerit nomen sanctum meum.

4. Quod si negligens populus terræ, et quasi parvipendens imperium meum, dimiserit hominem qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere:

5. Ponam faciem meam super hominem illum, et super cognationem ejus, succidamque et ipsum, et omnes qui consenserunt ei ut fornicaretur cum Moloch, de medio populi sui.

6. Anima, quæ declinaverit ad magos et ariolos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui.

7. [2] Sanctificamini et estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester.

8. Custodite præcepta mea, et facite ea. Ego Dominus qui sanctifico vos.

9. [3] Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur: patri matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum.

10. [4] Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur et mœchus et adultera.

11. Qui dormierit cum noverca sua, et revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo: sanguis eorum sit super eos.

12. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur, quia scelus operati sunt: sanguis eorum sit super eos.

13. Qui dormierit cum masculo

℣. 9. *Patri*, vel *matri maledixerit*, *sanguis ejus sit super eum* — Id est pœna sanguinis, seu morte mulctetur. Quasi dicat, aliud facinus, aliam mortis causam ne require: satis est hæc una, quod patri vel matri maledixerit. Et verosimile [5] est, *lapidatione* necari debuisse, quod supplicii genus apud Judæos usitatissimum erat. Uti et *vivi combustio*, in incestis, et peccatis contra naturam, v. 14 et sequentibus. *Suspensionis* in patibulo meminit Scriptura Deut. 21, v. 22. Pro homicidiis, inquit Philo [6]. His tribus capitalium suppliciorum generibus, quæ sola fere apud Judæos in usu esse solebant, accessit posterioribus temporibus, exemplo Romanorum, etiam *decollatio*, qua Jacobus Major, Actorum 12, ab Herode Agrippa de medio sublatus est. Post capitalia supplicia fuit unica mitior pœna, *flagellatio*, de qua c. 19, 20.

Notat Petrus Damianus et Abulensis, Judæos ad majus probrum nudos consuevisse tum *lapidari*, tum *suspendi* [7].

(1) Supra 18, vers. 21.
(2) 1 Petr. 1, vers. 16.
(3) Exod. 21, v. 17; Matth. 15, v. 4; Marc. 7, v. 10.
(4) Joan. 8, vers. 5; Deut. 22, vers. 22.
(5) Ex simili casu Deut. 21, vers. 20, filii contumacis.
(6) Lib. de Specialib. legib.
(7) Petr. Dam. serm. de S. Steph.; Abul. hic.

coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur: sit sanguis eorum super eos.

14. Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est: vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.

15. Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite.

16. [1] Mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo: sanguis eorum sit super eos.

17. Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, et viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam: nefariam rem operati sunt: occidentur in conspectu populi sui, eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverint, et portabunt iniquitatem suam.

18. Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, et revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui.

19. Turpitudinem materteræ et amitæ tuæ non discooperies: qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudavit, portabunt ambo iniquitatem suam.

20. Qui coierit cum uxore patrui, vel avunculi sui, et revelaverit ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatum suum: absque liberis morientur.

21. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit: absque liberis erunt.

22. Custodite leges meas, atque judicia, et facite ea: ne et vos evomat terra quam intraturi estis et habitaturi.

23. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, et abominatus sum eas.

24. Vobis autem loquor: Possidete terram eorum, quam dabo vobis in hereditatem, terram fluentem lacte et melle. Ego Dominus Deus vester, qui separavi vos a ceteris populis.

25. Separate ergo et vos jumentum mundum ab immundo, et avem mundam ab immunda: ne polluatis animas vestras in pecore, et avibus et cunctis quæ moventur in terra, et quæ vobis ostendi esse polluta.

26. [2] Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a ceteris populis, ut essetis mei.

27. [3] Vir, sive mulier in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur: lapidibus obruent eos: sanguis eorum sit super illos.

℣. 18. *Ipsaque aperuit fontem sanguinis sui* — Hoc est, membra genitalia (ex quibus tamquam ex fonte profluvium sanguinis manat) *aperuit*, scilicet ad concubitum voluntarium.

Nota, accedere ad menstruatam hic prohiberi sub pœna mortis, quia valde inhonestum id est, et noxium tum accedenti, propter tabem et infectionem ex menstruis: tum proli, quæ fere leprosa, vel monstruosa, vel saltem debilis, ex tali coitu enasci solet. Non tamen sola lege naturæ, sed et positiva et ceremoniali tam grave tum erat: sicut et esus adipis et sanguinis simili præcepto mortalis erat. Unde sublatis illis in lege gratiæ, jam non nisi veniale peccatum censent Theologi accedere sine urgente causa ad menstruatam. Vide Navarrum, et Sanchez [4].

(1) Supra 18, vers. 23. (2) 1 Petr. 1, vers. 16. (3) Deut. 18, vers. 11; 1 Reg. 28, vers. 7.

(4) Navar. c. 16 Manual. n. 32; Sanchez de Matrim. l. 9, disp. 21.

CAPUT XXI.

Vetantur sacerdotes lugere mortuum, vel funeri interesse, nisi primorum consanguineorum. Pontifex vero ne patrem quidem vel matrem lugere poterat: neque in uxorem ducere nisi virginem et nobilem. Sacerdotes omnes maculis seu vitio corporis careant oportet.

1. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Loquere ad sacerdotes filios Aaron, et dices ad eos: Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum,

2. Nisi tantum in consanguineis,

℣. 1. *Ne contaminetur sacerdos in mortibus*, id est per cadavera *civium* seu popularium *suorum* — tangendo scilicet cadaver, vel ingrediendo domum in qua jacuerit mortuus, feretrum vel sepulcrum tangendo, funeri assistendo, vel illud sequendo, vel aliud faciendo quod ad planctum luctumve funebrem pertineret: nam his omnibus modis contrahebatur *immunditia super* [1] *mortuo*. Uti etiam contrahebatur cæde hominis, etiam licita in bello [2], etiam casuali.

Nota, discrimen hic duplex constitui inter summum Pontificem, et alios vulgares sacerdotes. Primo, quod vulgaribus sacerdotibus liceret interesse funeri proximorum saltem *consanguineorum*, puta *patris, matris, filii, filiæ, fratris, et sororis innuptæ:* verum summo Pontifici nullo casu liceret ulli funeri interesse, aut quidquam circa ullum mortuum, ne proprium quidem patrem suum, facere ex omnibus iis, quæ jam dixi contaminare ratione funeris: nam id hic v. 10 et sequentibus expresse illi vetatur, adeo ut *nec caput* quidem *discooperire*, aut cidari spoliare possit ratione funeris aut luctus; nec *vestimenta* sua *scindere*, in funere, vel ex luctu; nec *de atrio sancto* pedem efferre, causa mortui liceret. Aliis vero de causis hæc ipsi vetita non erant. Ratio quoque additur tam rigidæ inhibitionis: quia specialis unctio qua unctus est, specialem quoque munditiam in eo, reverentiamque sacrorum quæ continuo tractat, exigit: cumque populo debeat ipse esse exemplar perfectionis, et omnibus prælucere maxime constantia et animi fortitudine, ad fidem aliis faciendam resurrectionis et vitæ æternæ, debet a luctu et curatione funebrium quam longissime abesse, et a cadaveribus, quæ symbola sunt peccati et mortis, prorsus abhorrere. Hunc ritum etiam dæmon, ut simius, æmulari voluit in suis Romæ et alibi Pontificibus, et Flaminibus Dialibus, ut testes sunt Servius, Gellius, Festus et Tacitus [3]. Secundum discrimen erat quoad matrimonium, quod vulgares sacerdotes, licet non possent in uxorem ducere ante ab alio *corruptam* aut *repudiatam* [4], sed neque servam vel captivam, vel cauponariam, inquit Josephus, et Philo, licet conversam et mundatam, quod illæ omnes de pudicitia sint fere suspectæ: poterant tamen ducere viduam, vel ignobilem, dummodo Hebræam et de stirpe Israelitica. Verum summus Pontifex vetatur hic [5] aliam quam *virginem* ducere, et *nobilem* seu ex illustri familia: quin nec *stirpi suæ*, id est filiis suis poterat e *vulgo* aut fæce populi uxores accipere, quod hoc in contemptum et ignominiam pontificiæ dignitatis cedere videretur. Poterat tamen ex alia quam Levitica tribu, dummodo ex illustri familia, quamcumque vellet uxorem accipere. Patet exemplo Jojadæ sancti Pontificis, qui uxorem duxit Josabeth de tribu Juda, filiam regis Joram, 2 Paralip. 22, v. 11.

Moralia hujus capitis vide apud sanctum Gregorium [6].

(1) Levit. 10; Num. 19; Philo et Josephus supra pass.

(2) Num. 31, vers. 19, et Philo de Vita Moysis, lib. 1, etc.

(3) Servius ad 6 Æneidos; Gell. l. 10, c. 15; Festus l. 6; Tacitus l. 1.

(4) Levit. 21, vers. 7; Joseph. l. 3 Antiq., c. 10; Philo l. 2 de Monarchia.

(5) Vv. 13, 14, 15. (6) I. p. Pastor., cap. ult.

ac propinquis, id est, super patre, et matre, et filio, et filia, fratre quoque,

3. Et sorore virgine, quæ non est nupta viro:

4. Sed nec in principe populi sui contaminabitur.

5. [1] Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras.

6. Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus: incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt.

7. [2] Scortum et vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam quæ repudiata est a marito: quia consecrati sunt Deo suo,

8. Et panes propositionis offerunt. Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum: Dominus, qui sanctifico eos.

9. Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, et violaverit nomen patris sui, flammis exuretur.

10. Pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, et cujus manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet:

11. Et ad omnem mortuum non ingredietur omnino: super patre quoque suo et matre non contaminabitur.

12. Nec egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est. Ego Dominus.

13. [3] Virginem ducet uxorem:

14. Viduam autem et repudiatam, et sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo:

15. Ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ: quia ego Dominus qui sanctifico eum.

16. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

17. Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo,

18. Nec accedet ad ministerium ejus: si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto naso,

19. Si fracto pede, si manu,

20. Si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus.

21. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo:

22. Vescetur tamen panibus qui offeruntur in sanctuario,

23. Ita dumtaxat, ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, et contaminare non debet sanctuarium meum. Ego Dominus qui sanctifico eos.

24. Locutus est ergo Moyses ad Aaron, et ad filios ejus, et ad omnem Israel, cuncta quæ fuerant sibi imperata.

(1) Supra 19, v. 27; Ezech. 44, vers. 20.
(2) Supra 19, vers. 29. (3) Ezech. 44, vers. 22.

CAPUT XXII.

Immundi et alienigenæ arcentur ab esu victimarum pacificarum, quæ sacerdoti cedunt. Describuntur maculæ seu vitia, quibus victimæ carere debebant.

1. Locutus quoque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere ad Aaron et ad filios ejus, ut caveant ab his, quæ consecrata sunt filiorum Israel, et non contaminent nomen sanctificatorum mihi quæ ipsi offerunt. Ego Dominus.

3. Dic ad eos, et ad posteros eorum: Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum Dominus.

4. Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. Qui tetigerit immundum super mortuo, et ex quo egreditur semen quasi coitus,

5. Et qui tangit reptile, et quodlibet immundum, cujus tactus est sordidus,

6. Immundus erit usque ad vesperum, et non vescetur his quæ sanctificata sunt: sed cum laverit carnem suam aqua,

7. Et occubuerit sol, tunc mundatus vescetur de sanctificatis, quia cibus illius est.

8. [1] Morticinum et captum a bestia non comedent, nec polluentur in eis. Ego sum Dominus.

9. Custodiant præcepta mea, ut non subjaceant peccato, et moriantur in sanctuario, cum polluerint illud. Ego Dominus qui sanctifico eos.

10. Omnis alienigena non comedet de sanctificatis, inquilinus sacerdotis et mercenarius non vescentur ex eis.

11. Quem autem sacerdos emerit, et qui vernaculus domus ejus fuerit, hi comedent ex eis.

12. Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit: de his quæ sanctificata sunt, et de primitiis non vescetur;

13. Sin autem vidua, vel repudiata, et absque liberis reversa fuerit ad domum patris sui: sicut puella consueverat, aletur cibis patris sui. Omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem.

14. Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo quod comedit, et dabit sacerdoti in sanctuarium.

15. Nec contaminabunt sanctificata filiorum Israel, quæ offerunt Domino:

16. Ne forte sustineant iniquitatem delicti sui, cum sanctificata comederint. Ego Dominus qui sanctifico eos.

17. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

18. Loquere ad Aaron et filios ejus et ad omnes filios Israel, dices-

℣. 10. *Omnis alienigena non comedet de sanctificatis* — id est de carnibus Deo sacris quæ ex *hostia pacifica* cedebant in partem sacerdotis. Et in hoc differebant hæ partes ab aliis etiam ejusdem victimæ partibus quas laici offerentes secum domum referebant. Nam ad has laicorum partes absumendas adhiberi poterant quilibet Hebræi, si modo mundi essent. Ad partes vero quæ sacerdoti cedebant, puta ad armum dextrum et pectusculum, solus sacerdos, et omnes ejus domestici, uxor, filii, filiæ, servi seu vernaculi, seu emptitii, poterant adhiberi, nullus vero *alienigena*, seu de alia quam sacerdotali gente, et qui non sit de familia domestica sacerdotis; nullus item *inquilinus*, id est, qui in eadem quidem sacerdotis domo, seu ejusdem domus parte aliqua, tamquam in conducto habitet, sed aliam familiam conflet; ut sæpe fit, in eadem domo plures esse familias, nullus denique *mercenarius*, seu qui ad tempus operas suas locat sacerdoti. Ratio horum est, quia hi omnes, licet aliquo modo videantur ad sacerdotem pertinere, tamen non sunt de familia sacerdotis, cui familiæ soli esus illarum carnium permissus fuit, nec potuit commode ulli de familia, etiam servo aut ancillæ, esus illarum vetari, propter periculum nimis alioqui magnum furti et sacrilegii: quod a mercenariis, inquilinis, et aliis ad familiam non spectantibus nullum imminebat. Ita Philo, Josephus [2] et alii.

(1) Sup. 17, v. 15; Ezech. 44, v. 31; Deut. 14, 21.

(2) Philo et Joseph. sup.

que ad eos: Homo de domo Israel, et de advenis qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota solvens, vel sponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini,

19. Ut offeratur per vos, masculus immaculatus erit ex bobus, et ovibus, et ex capris:

20. Si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile.

21. [1] Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel sponte offerens, tam de bobus quam de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit: omnis macula non erit in eo.

22. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem: non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini.

23. Bovem et ovem, aure et cauda amputatis, voluntarie offerre potes, votum autem ex eis solvi non potest.

24. Omne animal, quod vel contritis, vel tusis, vel sectis ablatisque testiculis est, non offeretis Domino, et in terra vestra hoc omnino ne faciatis.

25. De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, et quidquid aliud dare voluerit: quia corrupta et maculata sunt omnia: non suscipietis ea.

26. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

27. Bos, ovis, et capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ: die autem octavo, et deinceps, offerri poterunt Domino.

28. Sive illa bos, sive ovis, non immolabuntur una die cum fœtibus suis.

29. Si immolaveritis hostiam pro gratiarum actione Domino, ut possit esse placabilis,

30. Eodem die comedetis eam, non remanebit quidquam in mane alterius diei. Ego Dominus.

℣. 21. *Omnis macula non erit in victima* — Per *maculam* intelligit hic et alibi passim non colorem infectum, sed omne vitium seu defectum in substantia, v. g. *si* (ut subdit) animal *cæcum fuerit, si fractum*, mutilum vel mancum, *si cicatricem* deformem *habens, si papulas* seu verrucas, *aut scabiem aut impetiginem*, offerri Deo non poterat. *Aure et cauda* mutilatum, quod hi defectus censerentur exigui esse momenti, poterat offerri in ultronea seu spontanea oblatione: sed in votiva, seu quæ ex voto debebatur, ac proinde debebat merito perfectior esse, non poterat offerri.

Tropologice, per *aurem* obedientia, per *caudam* significatur perseverantia: quæ licet in opere libero secularium, ut Deo placeat, abesse possint; certe in iis qui vovent perfectionis statum, abesse non possunt, inquit Radulphus.

Allegorice mundities illa omnis tum victimarum, tum comedentium victimas antiquæ legis, significabat insignem puritatem ab iis exactum iri in nova lege, qui participes futuri essent sacrificii pretiosissimi corporis et sanguinis Christi, inquit S. Basilius [2].

℣. 25. *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo, et quidquid dare voluerit* — Latius hic sumitur *alienigena* pro omni eo qui non esset de genere aut religione Judaica: a quali manu, quia immunda, vetantur hic sacerdotes ullam oblationem ad altare Dei offerendam accipere. Subintellige, *immediate*. Nam mediate id licuisse fuse docet Josephus [3], et exemplis S. Scripturæ passim comprobatur. Nempe pecunias a Gentilibus accipiebant, quibus per Judæos victimæ coemebantur, etiam pro ipsis Gentilibus offerendæ in templo. Ita 2 Machabæorum 3, Seleucus Asiæ rex præstabat de suis redditibus omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum necessarios. Et de Augusto Cæsare idem testatur Philo, et de aliis Romanis Josephus [4].

(1) Deut. 15, vers. 21; Eccli. 35, vers. 14.
(2) Serm. 2 de Baptismo, c. 2 et 3.
(3) Lib. 2 Belli, c. 17.
(4) Philo l. de Legat. ad Cajum; Joseph. sup.

31. Custodite mandata mea, et facite ea. Ego Dominus.

32. Ne polluatis nomen meum sanctum, ut sanctificer in medio filiorum Israel. Ego Dominus qui sanctifico vos,

33. Et eduxi de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. Ego Dominus.

CAPUT XXIII.

Sex genera festorum, quæ Deus præscripsit Hebræis.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctas.

3. Sex diebus facietis opus: dies

℣. 2. *Hæ sunt feriæ Domini* — hoc est, festa divino cultui dedicanda. Erant hæc numero sex, instituta a Deo, et recensita hoc cap.; primum erat *sabbatum*, seu septimus cujusque hebdomadæ dies, de quo diximus c. 35 Exodi. Secundum festum *Paschæ* et *azymorum*, de quo Exodi 12. Porro secundo die hebdomadæ azymorum, jubetur hic, v. 10, *Cum messueritis segetem*, seu metere incipietis, et, ut Deut. 16, v. 9 dicitur, *die qua falx in segetem mittetur*; offeretis *manipulos spicarum*, non singuli singulos, sed nomine totius populi unum aliquem, quasi *primitias* totius *messis*. Et hic manipulus, teste Josepho [1], e vicina Jerichuntina regione fere peti solebat, ubi facile diebus quindecim ante maturescebant segetes, quam vel in agro Jerosolymitano, vel alio terræ Judææ tractu. Addit idem Josephus, ex hordeacea messe, quæ citius maturescit, desumi solere. Et hac oblatione Domino facta, neque ante, omnibus licuisse publicas vel privatas messes demetere. Certe non ante licuisse panem vel pultem ex nova segete coquere, patet ex v. 14 hujus capitis. Porro manipulus ille non offerebatur ad altare una cum spicis et paleis, sed, ut ait Josephus, siccabatur primum, dein pilo tundebatur, mox furfurum excretione repurgatus, sola simila seu flore reliquo, mensura assaronis seu gomor unius, ut est in Hebræo, Deo offerebatur.

A die oblati hujus manipuli numerabant 50 dies, et quinquagesima erat tertium illorum festum, quod inde vocatur *Pentecoste:* incidebatque in septimum diem tertii mensis. Ita Serarius, Lorinus, Bonfrerius. Quo festo fermentatos duos panes a singulis familiis Jerosolymam deferri, et sacerdotibus quasi primitias offerri debuisse colligitur ex v. 17 hujus capitis: qui panes primitiarum vocabantur, quia ex primis seu novis frugibus confecti, et in eum finem delecti ut Deo offerrentur.

Sequitur quartum festum v. 24 nempe *tubarum*, die prima mensis septimi, et ideo maxime sacri: sicut et septimus hebdomadæ dies, et septimus quisque annus, et septies septimus seu Jubilæus, propter septenarii sanctitatem peculiariter sancti erant. Unde et hic solus mensis quatuor celeberrima complectebatur festa, plura nempe quam totus reliquus annus simul. Addunt Hebræi, diem primum hujus mensis festum maxime fuisse in memoriam liberati tum Isaac a morte, et in ejus locum suffecti arietis: quam etiam ob rem solere tum inflari cornua arietina. Sed cur non potius in memoriam et gratiarum actionem tam nobilis ad Jericho victoriæ in primo promissæ terræ ingressu, cum tubarum seu cornuum clangore mœnia sponte corruerunt? Nam licet id tum, cum festum hoc indiceretur, necdum completum esset, at certe sat prævisum fuit a legislatore. Quamquam, ut dixi, sanctitas sola mensis hujus sufficere potuerit, ut, sicut sabbatum quodque, et annus septimus, et Jubilæus, teste Josepho [2], a sacerdotibus tuba indicabatur, ita et hic primus dies mensis septimi, peculiari tubarum clangore promulgaretur.

Quintum festum erat ejusdem mensis septimi *die decimo*, nempe *expiationis*, de quo fuse c. 16 egimus.

Sextum erat decimo quinto die ejus-

(1) Lib. 3 Antiq., cap. 10.

(2) Lib. 5 Belli, cap. 9.

septimus, quia sabbati requies est, vocabitur sanctus, omne opus non facietis in eo; sabbatum Domini est in cunctis habitationibus vestris.

4. Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis.

5. [1] Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum, Phase Domini est:

6. Et quintadecima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis.

7. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque: omne opus servile non facietis in eo.

8. Sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus; dies autem septimus erit celebrior et sanctior: nullumque servile opus facietis in eo.

9. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

10. Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem:

11. Qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis, altero die sabbati, et sanctificabit illum.

12. Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædetur agnus

dem mensis, *Scenopegia*, id est festum *tabernaculorum*, quod durabat septem integros dies, non quod tanto spatio vacarent ab operibus servilibus, sed quod lætis conviviis et sacrificiis [2] eos transigerent, extra proprias ædes in tabernaculis ex pellibus, linteis, vel arborum ramis subito opere constructis toto illo tempore degentes, in memoriam quadraginta annorum quibus per desertum in ejusmodi tabernaculis egerunt [3]. Porro hæc tabernacula non necessario extra urbes, sed solum extra domos, quo quisque vellet loco, dummodo sub dio, figi poterant: unde quidam in hortis suis, vel domorum atriis, quidam in tecto domorum, quidam in plateis illa figebant, ut habetur 2 Esdr. 8, v. 16.

Porro primo die Scenopegiæ jubet hic Deus v. 40 ut singuli *sumant* seu manu gestent, *fructus arboris pulcherrimæ*, puta citri, id est ramusculos cum annexis malis citreis, ita Chaldæus, et Rabbini cum Josepho. Et quis nescit, ramos citri ut admodum amœnos, ita et pulcherrimos esse, quibus non folia modo perpetuo virentia, et flores semper purpurascentes, sed et fructus aureo colore flavescentes toto anni decursu adhærent? Quin et lignum ipsum citri arte dedolatum eximie pulcrum esse, et mensam citrinam aureæ mensæ prælatam scribunt Cicero, Martialis, Plinius et Dalechampius [4]. *Spatulæ palmarum*, quas iidem jubentur tum quoque in manus sumere, sunt proprie ramusculi illi teneriores unde dactyli seu fructus palmarum dependent. *Rami ligni densarum frondium*, erant rami ex myrto, ut vertit Chaldæus, et Josephus testatur. Qui et addit his ramis quos *hosannas* vocabant, instructos Judæos festive circa tabernaculum vel templum solitos saltitare: et octava seu ultima die frequentes, immo omnes quotquot possent, ad templum convenire debuisse, unde et *cœtus* et *collecta* vocatur hic v. 36 et alibi sæpius, non a pecunia colligi tum consueta (nam id ex nullo Scripturæ loco constat), sed ex populi totius conventu: neque hoc ob alium finem, quam ut gratias unanimiter agerent Deo, primo, pro obtenta terra sancta; secundo, pro frugibus eo anno collectis; tertio, pro festo feliciter exacto. Quibus gratiis peractis, omnes e tabernaculis ad propria domicilia remeabant. Ita sanctus Thomas, Burgensis, Ribera et Sanctius [5].

Tropologiam vide apud Rupertum, Hesychium et Radulphum.

(1) Exod. 12, vers. 18; Num. 28, vers. 16.

(2) Num. 29, et Joseph. l. 3 Antiq., c. 10.

(3) " Causam cur Deus festum Tabernaculorum jusserit celebrari, habes infr. vers. 43, ut mirum sit, Gilleto in 3 *Ant. Judaic. libr. adnot.* 14, p. 335, illud excidisse, causam hujus Festi nullam in sacris libris adferri. Ridiculus est autem I. Meyer, qui in lib. *de causis festorum* ait, non æstivo, sed brumali tempore Festum hoc a Deo fuisse præscriptum, ne re reandi se potius a tempestatis calore, quam Festi celebrandi in tentoriis ejusmodi habitare Judæi viderentur. „

(4) Cic. act. 6 in Verrem; Martial. l. 14; Plin. l. 13, c. 15, et ibid. Dalechamp.; Joseph. sup.

(5) S. Th. 1. 2. q. 102, a. 4; Burg. hic; Ribera l. 5 de Templo, c. 18; Sanct. in 3 Reg. 8, v. ult.

immaculatus anniculus in holocaustum Domini.

13. Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odoremque suavissimum: liba quoque vini, quarta pars hin.

14. Panem, et polentam, et pultes non comedetis ex segete, usque ad diem qua offeretis ex ea Deo vestro. Præceptum est sempiternum in generationibus, cunctisque habitaculis vestris.

15. [1] Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas,

16. Usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies: et sic offeretis sacrificium novum Domino

17. Ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini,

18. Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, et vitulum de armento unum, et arietes duos, et erunt in holocaustum cum libamentis suis, in odorem suavissimum Domino.

19. Facietis et hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum.

20. Cumque elevaverit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum ejus.

21. Et vocabitis hunc diem celeberrimum[1], atque sanctissimum: omne opus servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, et generationibus vestris.

22. [2] Postquam autem messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam usque ad solum: nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus et peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dominus Deus vester.

(1) Deut. 16, vers. 9. (2) Sup. 19, vers. 9. (3) Num. 29, vers. 1.

23. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

24. [3] Loquere filiis Israel: Mense septimo, prima die mensis, erit vobis sabbatum, memoriale, clangentibus tubis et vocabitur sanctum:

25. Omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum Domino.

26. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

27. [4] Decimo die mensis hujus septimi, dies expiationum erit celeberrimus, et vocabitur sanctus: affligetisque animas vestras in eo, et offeretis holocaustum Domino.

28. Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus: quia dies propitiationis est, ut propitietur vobis Dominus Deus vester.

29. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis:

30. Et quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo.

31. Nihil ergo operis facietis in eo: legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus, et habitationibus vestris.

32. Sabbatum requietionis est, et affligetis animas vestras die nono mensis: A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.

33. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

34. Loquere filiis Israel: A quintodecimo die mensis hujus septimi, erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus Domino.

35. Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus: omne opus servile non facietis in eo.

36. [5] Et septem diebus offeretis holocausta Domino: dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus, et offeretis holocaustum Domino: est enim cœtus atque collectæ: omne opus servile non facietis in eo.

(4) Sup. 16, vers. 29; Num. 29, vers. 7. (5) Joan. 7, vers. 37.

37. Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas, offeretisque in eis oblationes Domino, holocausta et libamenta juxta ritum uniuscujusque diei:

38. Exceptis sabbatis Domini, donisque vestris, et quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino.

39. A quintodecimo ergo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus; die primo et die octavo erit sabbatum, id est, requies.

40. Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætabimini coram Domino Deo vestro;

41. Celebrabitisque solemnitatem ejus septem diebus per annum; legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis,

42. Et habitabitis in umbraculis septem diebus: omnis, qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis:

43. Ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester.

44. Locutusque est Moyses super solemnitatibus Domini ad filios Israel.

CAPUT XXIV.

Quale debeat esse oleum in lucernis templi: quales panes in mensa propositionis. Blasphemus jussu Dei lapidatur.

1. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas jugiter,

3. Extra velum testimonii in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron a vespere usque ad mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus vestris.

4. Super candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini.

5. Accipies quoque similam, et coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas:

6. Quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues:

7. Et pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monimentum oblationis Domini.

8. Per singula sabbata mutabuntur coram Domino suscepti a filiis Israel fœdere sempiterno:

9. Eruntque Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto: quia sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo.

10. Ecce autem egressus filius mulieris Israelitidis, quem peperat de viro Ægyptio inter filios Israel, jurgatus est in castris cum viro Israelita.

11. Cumque blasphemasset no-

℣. 10. *Egressus filius mulieris Israelitidis, de viro Ægyptio* — Nam multi Ægyptii cum Hebræis egressi fuerant ex Ægypto, nempe qui veri Dei cultum et circumcisionem susceperant, et affinitate conjuncti illis fuerant, ut insinuatur Exodi 12, v. 38, ubi *vulgus promiscuum innumerabile cum eis ascendisse* dicitur.

men, et maledixisset ei, adductus est ad Moysen. (Vocabatur autem mater ejus Salumith, filia Dabri de tribu Dan.)

12. Miseruntque eum in carcerem, donec nossent quid juberet Dominus.

13. Qui locutus est ad Moysen,

14. Dicens: Educ blasphemum extra castra, et ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus, et lapidet eum populus universus.

15. Et ad filios Israel loqueris: Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum:

16. Et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.

17. [1] Qui percusserit, et occiderit hominem, morte moriatur.

18. Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est, animam pro anima.

19. Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum: sicut fecit, sic fiet ei.

20. [2] Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet; qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.

21. Qui percusserit jumentum, reddet aliud. Qui percusserit hominem, punietur.

22. Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit: quia ego sum Dominus Deus vester.

23. Locutusque est Moyses ad filios Israel: et eduxerunt eum, qui blasphemaverat, extra castra, ac lapidibus oppresserunt. Feceruntque filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi.

℣. 14. *Ponant omnes qui audierunt* blasphemantem, *manus suas super caput ejus.* — Hac cæremonia testabantur verum esse quod retulerant: et quasi protestabantur, velle se, si falsa testarentur, ut sanguis innocentis in ipsorum caput redundaret. Hac eadem cæremonia indicabatur, publico nomine ob peccatum in populo admissum, eam hanc quasi hostiam Deo immolandam consecrari: et, si quid vindictæ ob idem peccatum in populum esset venturum, id totum in caput hominis nocentis converti. Habuitque hæc cæremonia locum non modo in blasphemia, sed etiam verisimiliter in quovis alio crimine, ut patet ex historia Susannæ, cujus capiti duo senes manus imposuerunt, Danielis 13, v. 34.

(1) Exod. 21, vers. 12.

(2) Ex. 21, v. 24; Deut. 19, v. 21; Matth. 5, v. 38.

CAPUT XXV.

Annus septimus quisque, Sabbaticus; quinquagesimus, Jubilæus esse jubetur. Ritus utriusque et privilegia.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen in monte Sinai, dicens:

2. Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, [1] sabbatizes sabbatum Domino.

3. Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus:

4. Septimo autem anno sabbatum erit terræ, requietionis Domini: agrum non seres, et vineam non putabis.

(1) Exod. 23, vers. 10.

5. Quæ sponte gignet humus, non metes: et uvas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam: annus enim requietionis terræ est:

¥. 5. — *Uvas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam* — Id est, fructus quos soles tibi primo loco, et quasi primitias tibi debitas colligere per modum vindemiæ vel messis, puta per consuetos messores et vindemiatores, anno Sabbatico non colliges ex iis quæ sponte illo anno, vel forte ex granis anno præcedente deciduis terra proferet: sed relinques omnia primo colligenti, in cibum seu usus domesticos, sic tamen ut et tibi cedere possint in eumdem usum. Unde patet, etsi non potuerint a domino fundi anno Sabbatico colligi uvæ vel alii fructus, quasi e fundo proprio, et seorsum jure herili, eo modo quo fiebat quando vindemia vel messis peragebatur: potuisse tamen ad cibum et usus domesticos colligi, quasi e fundo communi et junctim cum aliis seu peregrinis, seu jumentis eumdem agrum depascentibus. Porro alia Sabbatici anni privilegia proposuimus supra Exodi 23.

Præter annum septimum Sabbaticum, præscribebatur insuper Judæis post septies septem annos, alius annus quietis ac remissionis, nempe Jubilæus, cujus omnia eadem erant privilegia quæ anno 7 Sabbatico, et insuper alia quædam majora, teste Philone, Josepho, S. Hieronymo [1] et aliis. Nam præter sabbatismum terræ, et remissionem omnis debiti, quæ erant communia cum anno septimo, insuper agri omnes frugiferi, cum domibus in agro sitis, etsi centies divenditi, anno Jubilæo redibant ad dominum suum primum sine ullo pretio reddito. Neque enim poterant ejusmodi agri a Judæis *in perpetuum vendi* [2]: sed tantum quasi elocari, seu in emphiteusin dari usque ad annum 50 qui erat Jubilæus. Sed neque poterant quidem ad illum usque annum nisi *sub redemptionis conditione* [3] vendi, hoc est, nonnisi ea lege, ut possint quovis tempore redimi vel ab eo, qui vendiderat, vel a propinquo illius. Secus erat de domibus urbanis, vel agris suburbanis non frugiferis, sed ad hortos potius deliciarum vel sepulcrorum facientibus, aut aliis similibus usibus subservientibus: qualis erat hortus Josephi ab Arimathia, ager figuli 30 argenteis Judæ coemptus in sepulturam peregrinorum. Hi enim et similes agri non frugiferi, uti et domus omnes urbanæ vel suburbanæ, poterant in æternum alienari, neque facultas erat *ea redimendi* [4], nisi *primo anno* a venditione: et ne quidem anno Jubilæo ad antiquum dominum revertebantur, uti rusticani agri et domus villicæ. Ratio discriminis erat, quod agri frugiferi et domus rusticæ censebantur propria cujusque tribus hereditas, ac stabilis a Deo donata possessio, quam non expediebat confundi ac permisceri, ne tandem multi cum suis integris familiis ad inopiam delaberentur. At vero domus et suburbana censebantur adjectitia tantum bona, et pro libito cujusque constructa, et allectiva potius incolarum. Quare cum expediret urbes a quibusvis, etiam diversæ tribus hominibus, adde et a proselytis, frequentes incoli, expediens quoque erat, ut domus possent in emptoris perpetuam ac firmam possessionem transire. Quia tamen Levitæ nullam aliam ab initio possessionem inter Hebræos acceperunt quam propriarum domorum quas possidebant in urbibus Levitarum; hinc domus illæ ipsorum fruebantur eadem de causa jure possessionum stabilium quas alii Judæi habebant, poterantque *quovis tempore redimi, et anno Jubilæi* primo domino *reddi debebant* [5]. *Suburbana* vero *Levitarum nullo casu vendi poterant* [6]; quia hæc non erant singulorum Levitarum, uti erant domus urbanæ, sed *integræ* alicujus *familiæ* [7]: unde nimis grave incommodum fuisset, tam multos usu rei necessariæ privari vel ad tempus. Et hæ sunt rationes a congruo, quæ Deum movisse videntur ad sic statuendum: sed scopum quem primario intendit, ipsemet explicat v. 23; *Quia mea est terra, et vos advenæ et coloni mei estis.* Quasi dicat, Volo vos esse non tamquam terræ dominos et proprietarios (nam hoc jus mihi omnium supremo domino reservo) sed tamquam colonos, quibus gratis usumfructum præsto. Usufructuarius vero

(1) Philo l. de Decalogo, et l. de Charitate; Joseph. l. 3 Antiquit., c. 10; Hieron. in cap. 1 epistolæ ad Galat.
(2) Lev. 25, vers. 23. (3) Vers. 24.
(4) Vers. 29.
(5) Vers. 32. (6) V. 34 et Num. 35.
(7) Colligitur ex 3 Reg. 2, vers. 26, et Jer. 32, vers. 7 et seq.

6. Sed erunt vobis in cibum, tibi et servo tuo, ancillæ et mercenario tuo, et advenæ, qui peregrinantur apud te.

7. Jumentis tuis et pecoribus, omnia quæ nascuntur, præbebunt cibum.

8. Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem:

9. Et clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra.

10. Sanctificabisque annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque rediet ad familiam pristinam:

11. Quia jubilæus est et quinquagesimus annus. Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, et primitias vindemiæ non colligetis,

12. Ob sanctificationem jubilæi, sed statim oblata comedetis.

13. Anno jubilæi redient omnes ad possessiones suas.

14. Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed juxta numerum annorum jubilæi emes ab eo,

15. Et juxta supputationem frugum vendet tibi.

16. Quanto plures anni remanserint post jubilæum, tanto crescet et pretium: et quanto minus temporis numeraveris, tanto minoris et emptio constabit; tempus enim frugum vendet tibi.

17. Nolite affligere contribules vestros, sed timeat unusquisque Deum suum, quia ego Dominus Deus vester.

18. Facite præcepta mea, et judicia custodite, et implete ea, ut habitare possitis in terra absque ullo pavore,

19. Et gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini usque ad saturitatem, nullius impetum formidantes.

20. Quod si dixeritis: Quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras?

21. Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum:

22. Seretisque anno octavo, et

fundi dominium, quod suum non est, non potest in alium transfundere: sed neque diutius aut aliis pactis elocare potest, quam quibus a domino permittatur. Ita Philo et alii. Similem ob causam vers. 41, vult peculiari privilegio servis Hebræis anno Jubilæo concedi non solum ut ipsi liberi fieri possint, ut poterant septimo quoque anno Sabbatico: sed insuper, ut et debeant liberi fieri, etiam qui septimo anno liberari noluerant, et subula stigmatici facti fuerant quasi perpetui servi. Poterant tamen post recuperatam Jubilæo libertatem, iterato se subdere novo servitio. Quin nec soli servi tunc manumitti debebant, ut septimo quoque anno, sed præterea etiam *proles illorum* [1], et, si Josepho credimus, etiam uxor: *Mei enim servi sunt* [2], inquit Deus, id est, meo servitio peculiariter addicti sunt, quos proinde non decet, aliorum mancipari servitio aliter vel diutius, quam mihi visum fuerit omnium supremo domino.

Anagogice annus Jubilæus symbolum erat futuræ resurrectionis, qua plena fiet omnium remissio, manumissio, paradisi restitutio, quies et sabbatum æternum. Ita ex Radulpho et Hesychio Ribera [3], [4].

(1) Levit. 25, 3, 41; Joseph. l. 4 Antiq., c. 8.
(2) Lev. 25, vers. 42.
(3) Lib. 5, cap. 25.
(4) Quæri posset, utrum Jubilæi anni quinquagesimi essent post antecedentes Jubilæos? an potius nonus et quadragesimus quisque Jubilæus esset? Hanc secundam partem amplectitur Petavius *Ration. Temp.*, part. II, lib. 2, cap. VII; ex quo fit, ut Jubilæus omnis etiam Sabbaticus fuerit, sed majori quadam religione consecratus. Confer etiam Shuckdorfium tom. III, *Hist. Orbis sacræ et prof.*, pag. 402 seq.

comedetis veteres fruges usque ad nonum annum: donec nova nascantur, edetis vetera.

23. Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea est, et vos advenæ et coloni mei estis;

24. Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur.

25. Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, et voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat.

26. Sin autem non habuerit proximum, et ipse pretium ad redimendum potuerit invenire:

27. Computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit: et quod reliquum est, reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam.

28. Quod si non invenerit manus ejus ut reddat pretium, habebit emptor quod emerat, usque ad annum jubilæum. In ipso enim omnis venditio redibit ad dominum, et ad possessorem pristinum.

29. Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus.

30. Si non redemerit, et anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, et posteri ejus in perpetuum, et redimi non poterit, etiam in jubilæo.

31. Sin autem in villa fuerit domus, quæ muros non habet, agrorum jure vendetur: si ante redempta non fuerit, in jubilæo revertetur ad dominum.

32. Ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi:

33. Si redemptæ non fuerint, in jubilæo revertentur ad dominos, quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel.

34. Suburbana autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est.

35. Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum, et vixerit tecum,

36. Ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te.

37. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges.

38. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut darem vobis terram Chanaan, et essem vester Deus.

39. Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum,

40. Sed quasi mercenarius et colonus erit: usque ad annum jubilæum operabitur apud te,

41. Et postea egredietur cum liberis suis, et revertetur ad cognationem et ad possessionem patrum suorum;

42. Mei enim servi sunt, et ego eduxi eos de terra Ægypti; non veneant conditione servorum:

43. Ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum.

44. Servus et ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt.

45. Et de advenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos;

46. Et hereditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum; fratres autem vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam.

47. Si invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini, et attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe ejus:

48. Post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum,

49. Et patruus, et patruelis, et consanguineus, et affinis. Sin autem et ipse potuerit, redimet se,

50. Supputatis dumtaxat annis a

tempore venditionis suæ usque ad annum jubilæum: et pecunia, qua venditus fuerat, juxta annorum numerum et rationem mercenarii supputata.

51. Si plures fuerint anni qui remanent usque ad jubilæum, secundum hos reddet et pretium;

52. Si pauci, ponet rationem cum eo juxta annorum numerum, et reddet emptori quod reliquum est annorum,

53. Quibus ante servivit mercedibus imputatis: non affliget eum violenter in conspectu tuo.

54. Quod si per hæc redimi non potuerit, anno jubilæo egredietur cum liberis suis.

55. Mei enim sunt servi filii Israel, quos eduxi de terra Ægypti.

CAPUT XXVI.

Promittit Deus viginti octo benedictiones Hebræis, si leges suas servent; totidem, et pluræ maledictiones, si leges non servent.

1. Ego Dominus Deus vester: [1] Non facietis vobis idolum et sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum. Ego enim sum Dominus Deus vester.

2. Custodite sabbata mea, et pavete ad sanctuarium meum. Ego Dominus.

3. [2] Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis,

4. Et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur.

5. Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem: et comedetis panem vestrum in saturitate, et absque pavore habitabitis in terra vestra.

6. Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias: et gladius non transibit terminos vestros.

7. Persequemini inimicos vestros, et corruent coram vobis;

8. Persequentur quinque de vestris centum alienos, et centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro.

9. Respiciam vos, et crescere faciam: multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum.

10. Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus projicietis.

11. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea.

12. [3] Ambulabo inter vos, et ero

℣. 1. *Nec titulos erigetis, nec insignem lapidem, ut adoretis eum* — Unde clarissime patet, hæc per se non fuisse illicita, neque prohibita, sed solum adorationis et idololatriæ causa. Unde nec Jacob [4], nec Moyses [5], nec Josue [6], nec Machabæi [7] peccarunt, qui titulos publicos erexerunt, sed in veri Dei honorem, et in memoriam acceptorum ab illo beneficiorum. De sepulcris quoque constat, licite erecta et exornata fuisse, neque id vel hic vel alibi prohibitum fuisse. Cetera dixi Exodi 20. Quidam non improbabiliter hic quatuor diversi generis simulacra a Deo distingui censent, per *idolum*, statuam e metallo: per *sculptile*, e ligno: per *titulum*, e marmore vel alio lapide cælatam statuam: per *lapidem insignem*, e marmore quoque, sed pictam, vel picturis ornatam.

(1) Exod. 20, v. 4; Deut. 5, v. 8; Psalm. 96, v. 7.
(2) Deut. 28, vers. 1.
(3) 2 ad Cor. 6, vers. 16.
(4) Gen. 28, v.18, et c. 31, v. 45, et c. 35, v.14 et 20
(5) Exod. 24, vers. 4. (6) Jos. cap. 4.
(7) 1 Mach. 13, vers. 27.

Deus vester, vosque eritis populus meus.

13. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne serviretis eis, et qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti.

14. [1] Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea,

15. Si spreveritis leges meas, et judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea quæ a me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum:

16. Ego quoque hæc faciam vobis: Visitabo vos velociter in egestate, et ardore, qui conficiat oculos vestros, et consumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur.

17. Ponam faciem meam contra vos, et corruetis coram hostibus vestris, et subjiciemini his qui oderunt vos: fugietis, nemine persequente.

18. Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra,

19. Et conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboque vobis cælum desuper sicut ferrum, et terram æneam.

20. Consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.

21. Si ambulavéritis ex adverso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras in septuplum propter peccata vestra:

22. Immittamque in vos bestias agri, quæ consumant vos, et pecora vestra, et ad paucitatem cuncta redigant, desertæque fiant viæ vestræ.

23. Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi:

24. Ego quoque contra vos adversus incedam, et percutiam vos septies propter peccata vestra,

25. Inducamque super vos gladium ultorem fœderis mei. Cumque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medio vestri, et trademini in manibus hostium,

26. Postquam confregero baculum panis vestri: ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, et reddant eos ad pondus: et comedetis, et non saturabimini.

27. Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaveritis contra me:

28. Et ego incedam adversus vos in furore contrario, et corripiam vos septem plagis propter peccata vestra,

29. Ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum et filiarum vestrarum.

30. Destruam excelsa vestra, et simulacra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, et abominabitur vos anima mea,

31. In tantum ut urbes vestras

℣. 26. *Baculum panis confregero,* id est, omne subsidium cibi et nutrimenti abstulero; *ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes* — quarum singulis ante vix sufficiebat clibanus unus, jam decem familiis ad coquendos quos modicos habent panes abunde sufficiat. Extremæ id inopiæ signum: uti et istud, *Et reddant eos ad pondus,* id est, certo pondere cibum domesticis distribuant. Sed exitiale prorsus id quod sequitur v. 29: *Ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum.* Quod tamen ad litteram impletum fuit in obsidione Jerosolymæ [2], quæ Babylonicam captivitatem antecessit, item in obsidione Samariæ [3], et altera Jerosolymitana [4] facta per Titum, ut diserte narrat Josephus et alii. Et dum hæc scribo, etiam factum narratur ab Hugonottis in urbe Rupellana anno Christi 1628 a Ludovico XIII, Rege Christianissimo undique obsessa, nam et ancilla ab hera, filia a matre, fraterculus a sorore devorati nunciantur, et plusquam octo millia hominum fame extincta.

(1) Deut. 28, v. 15; Thren. 2, v. 17. Mal. 2, 2.

(2) Thren. 4, vers. 10. (3) 4 Reg. 6.
(4) Joseph. l. 7 Belli, cap. 8.

redigam in solitudinem, et deserta faciam sanctuaria vestra, nec recipiam ultra odorem suavissimum.

32. Disperdamque terram vestram, et stupebunt super ea inimici vestri, cum habitatores illius fuerint;

33. Vos autem dispergam in gentes, et evaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, et civitates vestræ dirutæ.

34. Tunc placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ: quando fueritis

35. In terra hostili, sabbatizabit, et requiescet in sabbatis solitudinis suæ, eo quod non requieverit in sabbatis vestris quando habitabatis in ea.

36. Et qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium, cadent, nullo persequente,

37. Et corruent singuli super fratres suos quasi bella fugientes: nemo vestrum inimicis audebit resistere;

38. Peribitis inter gentes, et hostilis vos terra consumet.

39. Quod si et de iis aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis, in terra inimicorum suorum, et propter peccata patrum suorum et sua affligentur:

40. Donec confiteantur iniquitates suas, et majorum suorum, quibus prævaricati sunt in me, et ambulaverunt ex adverso mihi.

41. Ambulabo igitur et ego contra eos, et inducam illos in terram hostilem, donec erubescat incircumcisa mens eorum: tunc orabunt pro impietatibus suis.

42. Et recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Jacob, et Isaac, et Abraham. Terræ quoque memor ero:

43. Quæ cum relicta fuerit ab eis, complacebit sibi in sabbatis suis, patiens solitudinem propter illos. Ipsi vero rogabunt pro peccatis suis, eo quod abjecerint judicia mea, et leges meas despexerint.

44. Et tamen etiam cum essent in terra hostili, non penitus abjeci eos, neque sic despexi ut consumerentur, et irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum,

45. Et recordabor fœderis mei pristini, quando eduxi eos de terra Ægypti in conspectu gentium, ut essem Deus eorum. Ego Dominus. Hæc sunt judicia atque præcepta et leges, quas dedit Dominus inter se et filios Israel in monte Sinai per manum Moysi.

℣. 34. *Tunc placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ* — Pulcra metaphora tribuit rei inanimatæ sensum et gaudium sum: q. d. Si vos terræ negetis quietem suam septimo quoque anno Sabbatico, et quinquagesimo Jubilæo, prout lege jam lata decrevi; fiet ut, vobis terræ incolis in exilium pulsis, vel morte mulctatis, terra in solitudinem redacta, fruitura sit ultronea quiete et sabbatis suis; ut contigit tempore captivitatis Babylonicæ, cui neglectus harum divinarum legum in particulari causam dedisse, sat manifeste indicatur 2 Paral. ult., v. 21.

CAPUT XXVII.

Variæ sanciuntur leges de votis, sive voveantur homines, sive bestiæ, sive domus, sive agri, sive alia anathemata: item de decimis templo donandis.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Homo qui votum fecerit, et spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium:

3. Si fuerit masculus a vigesimo anno usque ad sexagesimum annum, dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram sanctuarii:

4. Si mulier, triginta.

5. A quinto autem anno usque ad vigesimum, masculus dabit viginti siclos: femina, decem.

6. Ab uno mense usque ad annum quintum, pro masculo dabuntur quinque sicli: pro femina, tres.

7. Sexagenarius et ultra masculus dabit quindecim siclos: femina, decem.

℣. 2. *Homo qui spoponderit Deo animam suam* — Id est, qui voverit seipsum mancipare cultui et servitio Dei.

Nota, duplicis generis voto potuisse aliquem *devovere* se vel sua cultui et servitio divino, seu *consecrari* Deo, aut *sanctificari*. Primo, generaliter [1] et indefinite: quo modo qui voverat, poterat pretio hic a Deo præscripto se suaque redimere. Secundo, specialiter, et absolute, et determinate, ut ipsa *per se* in perpetuum applicarentur cultui et servitio Dei, nulla potestate facta ea redimendi, aut in profanum usum denuo reducendi. Et hoc votum Hebræi *cherem* [2], Græci *anathema* vocabant. Quæ sic Deo consecrabantur, mori debebant, puta vel naturali morte, vel civili. Naturali per sacrificium, si erant animalia ad id idonea: vel per similem sacram immolationem, si erant homines Dei hostes aut eximii peccatores. Sic urbs Jericho jubebatur esse anathema Josue 6, et aliæ idololatricæ Deuter. 13, et Amalecitæ 1 Reg. 15. Et tali etiam voto sese obstrinxerunt Israelitæ ad excisionem urbium Chananæarum Numeror. 21, v. 2. Morte civili id fiebat per applicationem ad perpetuum servitium tabernaculi vel templi, et separationem perfectam ab usu et dominio profano. Sic Nazaræus perpetuus [3], cujusmodi Samuel fuit, cherem et anathema dicebatur. Et quotquot simili voto sese obstrinxerant, obligati æternum erant ad quælibet etiam infima templi ministeria, juxta placitum et imperium sacerdotum vel Levitarum. Itaque viri cineres efferre, ligna convehere, sordes everrere, aquas comportare, aliaque his similia præstare debebant: sicut Gabaonitæ seu Nathinæi in perpetuum servitiis illis addicti fuerunt Josue 9, v. 21. Feminæ vero ea quæ isti sexui convenientia erant, ut nere, telas texere, sacerdotales et Leviticas vestes conficere, lavare, reparare. Simili modo ager hereditarius Deo, si devotus, si heres absolutus redimere noluerit, ita manebat Deo consecratus, ut ne quidem *in Jubilæo* [4] ad priorem heredem reverti posset. Et hæc figura erat Religiosorum novi testamenti, quorum et personæ per professionem, et fundi per amortizationem, quasi charem et anathemata, ab omni jurisdictione seculari æternum succiduntur, et divino servitio mancipantur. Hæc tamen nomina solent non raro etiam in malam partem accipi, tum olim, ut supra dixi de urbibus idololatricis, et eximiis peccatoribus; tum etiam hodie, ut patet in excommunicatis, qui *cherem* et *anathemata* dicuntur, eo quod ab Ecclesiæ consortio per censuram illam Ecclesiasticam et quasi mortem spiritualem separantur. Et tunc solet græce ἀνάθεμα per ε scribi: nam alias cum in bonam partem sumitur, solet fere per η scribi, ἀνάθημα.

(1) Ut hic sumitur usque ad vers. 28.
(2) חרם — Ut a vers. 28 et deinceps.
(3) Vide Num. 6.
(4) Hic, vers. 20, 21.

8. Si pauper fuerit, et æstimationem reddere non valebit, stabit coram sacerdote: et quantum ille æstimaverit, et viderit eum posse reddere, tantum dabit.

9. Animal autem, quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit,

10. Et mutari non poterit, id est, nec melius malo, nec pejus bono: quod si mutaverit, et ipsum quod mutatum est, et illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino.

11. Animal immundum, quod immolari Domino non potest, si quis voverit, adducetur ante sacerdotem;

12. Qui judicans utrum bonum an malum sit, statuet pretium.

13. Quod si dare voluerit is qui offert, addet supra æstimationem quintam partem.

14. Homo si voverit domum suam, et sanctificaverit Domino, considerabit eam sacerdos utrum bona an mala sit, et juxta pretium, quod ab eo fuerit constitutum, venundabitur:

15. Sin autem ille qui voverat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis supra, et habebit domum.

16. Quod si agrum possessionis suæ voverit, et consecraverit Domino: juxta mensuram sementis æstimabitur pretium; si triginta modiis hordei seritur terra, quinquaginta siclis venundetur argenti.

17. Si statim ab anno incipientis jubilæi voverit agrum, quanto valere potest, tanto æstimabitur.

18. Sin autem post aliquantum temporis: supputabit sacerdos pecuniam juxta annorum, qui reliqui sunt, numerum usque ad jubilæum, et detrahetur ex pretio.

19. Quod si voluerit redimere agrum ille qui voverat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ, et possidebit eum.

20. Sin autem noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venundatus, ultra eum qui voverat redimere non poterit:

21. Quia cum jubilæi venerit dies, sanctificatus erit Domino, et possessio consecrata ad jus pertinet sacerdotum.

22. Si ager emptus est, et non de possessione majorum sanctificatus fuerit Domino,

23. Supputabit sacerdos juxta annorum numerum usque ad jubilæum, pretium: et dabit ille qui voverat eum, Domino:

℣. 23. *Supputabit juxta annorum numerum usque ad Jubilæum, pretium*— Ut pretium agri semel voto generali Deo consecrati, sed post a possessore redimendi, justum constitui posset, tria voluit Deus attendi. Primo, an is qui voverat, jure hereditario a majoribus ad se devoluto agrum possederit. Secundo, quantum sementis capiat dum conseritur. Tertio, quot anni supersint usque ad proximum Jubilæum. Nam talis pro singulis annis adhuc reliquis, si ager 30 modiis hordei consereretur, jubebatur sacerdoti appendere 50 siclos argenti: et insuper, si forte redimere vellet agrum suum, cogebatur addere quintam partem pretii æstimati agri: sin nollet redimere, numquam deinceps, etsi a sacerdotibus alteri vendi contingeret, ad priorem dominum redire aut revolvi poterat, ne quidem in Jubilæo. Sin vero is qui agrum voverat, non possederit illum jure hereditario, sed solum jure emptionis, et jam Deo devotum pretio redimere vellet; non debebat nisi nudum pretium sementis juxta numerum annorum usque ad Jubilæum præstare, non addita parte quinta supra æstimationem, deinde sive is rediméret a sacerdotibus, sive non, Jubilæo adveniente redibat jus possessionis ad priorem dominum cui jure hereditario debebatur, non secus ac si nullo facto voto remansisset apud emptorem. Ratio erat, quia emptor ille, ut non erat absolutus dominus agri, sed solum ad tempus, ita non poterat suo voto agrum nisi ad idem tempus obstringere Deo, neque aliud quidpiam facere in præjudicium hereditarii domini.

24. In jubilæo autem revertetur ad priorem dominum, qui vendiderat eum, et habuerat in sorte possessionis suæ.

25. Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur. [1] Siclus viginti obolos habet.

26. Primogenita, quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit et vovere: sive bos, sive ovis fuerit, Domini sunt.

27. Quod si immundum est animal, redimet qui obtulit, juxta æstimationem tuam, et addet quintam partem pretii; si redimere noluerit, vendetur alteri quantocumque a te fuerit æstimatum.

28. [2] Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.

29. Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.

30. Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, et illi sanctificantur.

31. Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum.

32. Omnium decimarum bovis et ovis et capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.

33. Non eligetur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur; si quis mutaverit: et quod mutatum est, et pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, et non redimetur.

34. Hæc sunt præcepta, quæ mandavit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai.

(1) Exod. 30, vers. 13; Num. 3, vers. 47; Ezech. 45, vers. 12.
(2) Jos. 6, vv. 17, 25.

LIBER NUMERI

Sic a Græcis et Latinis vocatur, quod varias populi Hebræi numerationes percenseat a primo statim sui exordio, ut cap. 1 et sequentibus patebit. Continet alioquin historiam et gesta Moysis atque Hebræorum a secundo mense anni secundi egressus eorum ex Ægypto, usque ad finem pene vitæ Moysis, sive peregrinationis 40 annorum in deserto: nempe usque ad initium mensis undecimi anni (1) quadragesimi. Ergo continet liber Numerorum, gesta annorum fere 39.

CAPUT I.

Initur numerus filiorum Israel, a vigesimo anno et supra, per singulas tribus. Inventi sunt universim 603,550 exceptis Levitis.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, in tabernaculo fœderis, prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto, dicens:

2. [2] Tollite summam universæ congregationis filiorum Israel per cognationes et domos suas, et nomina singulorum, quidquid sexus est masculini

3. A vigesimo anno et supra, omnium virorum fortium ex Israel, et numerabitis eos per turmas suas, tu et Aaron.

4. Eruntque vobiscum principes tribuum ac domorum in cognationibus suis,

5. Quorum ista sunt nomina: De Ruben, Elisur filius Sedeur:

6. De Simeon, Salamiel filius Surisaddai;

7. De Juda, Nahasson filius Aminadab;

8. De Issachar, Nathanael filius Suar;

9. De Zabulon, Eliab filius Helon.

10. Filiorum autem Joseph, de Ephraim, Elisama filius Ammiud;

℣. 3. *Numerabitis eos per turmas suas* — Et in hoc distinguitur istud lustrum ab altero priore quod factum est Exod. 38 paullo ante erectum tabernaculum, ultimo mense anni prioris ab egressu ex Ægypto; quod illud prius lustrum institueretur ad censum per capita pendendum pro sumptibus fabricæ tabernaculi; istud vero secundo mense post erectum jam tabernaculum, proprie ad militarem delectum spectabat, et causa belli, atque exercitus ordinandi. Hinc numerando, in turmas, chiliarchias et centurias distribuebantur, et singulis harum sua capita, duces seu principes præficiebantur, non tam jure primogenituræ (quamquam ceteris paribus ratio illius haberetur), quam tribuum electione secundum merita et res fortiter gestas singulorum.

Nota. Ab hac enumeratione bellatorum, a qua hic liber initium sumit, et ab aliis pluribus enumerationibus, partim Levitarum, partim primogenitorum, partim itinerum et mansionum in deserto, quæ sequentibus capitibus recensentur, idem liber accepit nomen græce ἀριθμοὶ, latine *Numeri:* licet plura alia tum historica, tum cæremonialia, tum judicialia illo contineantur.

(1) Num. 1, vers. 1, et Deut. 1, vv. 3, 5.
(2) Exod. 30, vers. 12.

de Manasse, Gamaliel filius Phadassur:

11. De Benjamin, Abidan filius Gedeonis;

12. De Dan, Ahiezer filius Amisaddai;

13. De Aser, Phegiel filius Ochran;

14. De Gad, Eliasaph filius Duel;

15. De Nephthali, Ahira filius Enan.

16. Hi nobilissimi principes multitudinis per tribus et cognationes suas, et capita exercitus Israel:

17. Quos tulerunt Moyses et Aaron cum omni vulgi multitudine:

18. Et congregaverunt primo die mensis secundi, recensentes eos per cognationes, et domos, ac familias, et capita, et nomina singulorum, a vigesimo anno et supra,

19. Sicut præceperat Dominus Moysi. Numeratique sunt in deserto Sinai.

20. De Ruben primogenito Israelis, per generationes et familias ac domos suas, et nomina capitum singulorum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno et supra, procedentium ad bellum,

21. Quadraginta sex millia quingenti.

22. De filiis Simeon, per generationes, et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina et capita singulorum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno et supra, procedentium ad bellum,

23. Quinquaginta novem millia trecenti.

24. De filiis Gad per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis et supra, omnes qui ad bella procederent,

25. Quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta.

26. De filiis Juda per generationes et familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

27. Recensiti sunt septuaginta quatuor millia sexcenti.

28. De filiis Issachar, per generationes et familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui ad bella procederent,

29. Recensiti sunt quinquaginta quatuor millia quadringenti.

30. De filiis Zabulon per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

31. Quinquaginta septem millia quadringenti.

32. De filiis Joseph, filiorum Ephraim per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

33. Quadraginta millia quingenti.

34. Porro filiorum Manasse per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

35. Triginta duo millia ducenti.

36. De filiis Benjamin per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

37. Triginta quinque millia quadringenti.

38. De filiis Dan per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

39. Sexaginta duo millia septingenti.

40. De filiis Aser per generationes

et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

41. Quadraginta millia et mille quingenti.

42. De filiis Nephthali per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

43. Quinquaginta tria millia quadringenti.

44. Hi sunt, quos numeraverunt Moyses et Aaron, et duodecim principes Israel, singulos per domos cognationum suarum.

45. Fueruntque omnis numerus filiorum Israel per domos et familias suas a vigesimo anno et supra, qui poterant ad bella procedere,

46. Sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta.

47. Levitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis.

48. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

49. Tribum Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israel:

50. Sed constitue eos super tabernaculum testimonii et cuncta vasa ejus, et quidquid ad cerimonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum et omnia utensilia ejus: et erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur.

51. Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum: cum castrametandum, erigent; quisquis externorum accesserit, occidetur.

52. Metabuntur autem castra filii Israel unusquisque per turmas, et cuneos atque exercitum suum.

53. Porro Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, et excubabunt in custodiis tabernaculi testimonii.

54. Fecerunt ergo filii Israel juxta omnia quæ præceperat Dominus Moysi.

℣. 49. *Tribum Levi noli numerare* — Quia Levitæ a militia erant exempti, teste Josepho [1], non quod arcerentur, si vel necessitas id postularet, vel sponte militare vellent, sed quod cogi non possent. Patet; nam et Machabæi sacerdotes, et qui deinceps fuerunt pontifices simul ac populi duces, plurima bella gesserunt: et ipse Flavius Josephus [2], quem jam testem citavi, sacerdos idem et militum præfectus fuit, ut ipsemet passim scribit.

(1) Lib. 3 Antiq., c. 11, et lib. 4, c. 4.

(2) Libris de Bello.

CAPUT II.

Disponit Deus ordinem castrorum duodecim tribuum Israel circum tabernaculum, in quatuor acies, per quatuor plagas mundi.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:

2. Singuli per turmas, signa, atque vexilla, et domos cognationum suarum, castrametabuntur filii Israel, per gyrum tabernaculi fœderis.

3. Ad orientem Judas figet ten-

℣. 3. *Ad orientem Judas figet tentoria* — Hebraice, *ad orientem, ad anteriorem* tabernaculi *partem vexillum* sit castrorum Juda.

Ubi nota primo. Sub uno eodemque vexillo seu labaro latebant tres tribus diversæ, ita ut duæ quæ ad singulas plagas latera tenebant, ei quæ media erat

toria per turmas exercitus sui: eritque princeps filiorum ejus Nahasson filius Aminadab;

4. Et omnis de stirpe ejus summa pugnantium, septuaginta quatuor millia sexcenti.

5. Juxta eum castrametati sunt de tribu Issachar, quorum princeps fuit Nathanael filius Suar;

6. Et omnis numerus pugnatorum ejus, quinquaginta quatuor millia quadringenti.

7. In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon;

8. Omnis de stirpe ejus exercitus pugnatorum, quinquaginta septem millia quadringenti.

9. Universi qui in castris Judæ annumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti: et per turmas suas primi egredientur.

10. In castris filiorum Ruben ad meridianam plagam erit princeps Elisur filius Sedeur.

11. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta sex millia quingenti;

12. Juxta eum castrametati sunt de tribu Simeon: quorum princeps fuit Salamiel filius Surisaddai;

13. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quinquaginta novem millia trecenti.

14. In tribu Gad princeps fuit Eliasaph filius Duel;

15. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta.

16. Omnes qui recensiti sunt in castris Ruben, centum quinquaginta millia et mille quadringenti quinquaginta per turmas suas: in secundo loco proficiscentur.

17. Levabitur autem tabernaculum testimonii per officia Levitarum et turmas eorum: quomodo erigetur, ita et deponetur. Singuli per loca et ordines suos proficiscentur.

18. Ad occidentalem plagam e-

aliquo modo subjectæ essent, vel saltem ad eam tamquam ad præcellentiorem reduci solerent [1]. Sic in parte orientali, quæ erat anterior tabernaculi pars, eaque dignissima, in medio expansum erat vexillum Judæ: cui tribui tum hic, tum alibi semper primus locus defertur tamquam nobilissimæ, utpote cui jus primogenituræ quoad regnum et imperium a patriarcha Jacob collatum erat, et Messias ex ea nasci debebat [2]. Ad latus dextrum Judæ sub eodem ipsius vexillo castrametabatur Issachar: ad sinistrum Zabulon. Ad meridianum tabernaculi latus in medio erat Ruben cum suo vexillo, sub quo ad utrumque illius latus erant Simeon et Gad. Ad plagam occidentalem vexillum Ephraim cum sua tribu: et utrimque Manasse et Benjamin. Ad septentrionem in medio erat vexillum Dan cum eadem tribu, et ad ejus utrimque latera Aser et Nephthali.

Nota secundo, has duodecim tribus paullo remotius a tabernaculo castrametari solitas: nam intra illas omnes tribus in totius tabernaculi circuitu stationem suam habebant Levitæ, vicini plane atrio sancto. Et quidem ad orientem, qua ingressus erat in atrium, Moyses et Aaron cum filiis suis: ad occidentem Gersonitæ: ad meridiem Caathitæ: ad aquilonem Meraritæ, ut dicitur cap. seq.

Nota tertio, ex traditione Hebræorum, teste Andrea Masio et Villalpando [3], quatuor illa primaria vexilla et coloribus distincta fuisse, nempe iisdem quos habebant lapides illarum quatuor tribuum in *rationali:* et insuper etiam certis notis ac signis: videlicet vexillum Judæ signo *leonis:* Rubeni *hominis* cum mandragoris, quas ad matrem attulerat Ruben, Gen. 30, v. 14; vexillum Ephraim signo *bovis:* Dan, *aquilæ.* Quibus allegorice significabatur, tabernaculum, id est, Ecclesiam Christi, inter hæc quatuor vexilla sitam, per quatuor Evangelistas, ad omnes mundi plagas devehendam ac diffundendam.

(1) Patet hic vv. 9, 16, 24 et 31.
(2) Gen. 49; 1 Paral. 5.

(3) Masius in Josue 6, vers. 9; Villalpand. in Ezechiel. t. 2, p. 2, l. 5, disp. 2, c. 29.

runt castra filiorum Ephraim, quorum princeps fuit Elisama filius Ammiud;

19. Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta millia quingenti.

20. Et cum eis tribus filiorum Manasse, quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadassur;

21. Cunctusque exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, triginta duo millia ducenti.

22. In tribu filiorum Benjamin princeps fuit Abidan filius Gedeonis;

23. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui recensiti sunt, triginta quinque millia quadringenti.

24. Omnes qui numerati sunt in castris Ephraim, centum octo millia centum per turmas suas: tertii proficiscentur.

25. Ad aquilonis partem castrametati sunt filii Dan: quorum princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai;

26. Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, sexaginta duo millia septingenti.

27. Juxta eum fixere tentoria de tribu Aser: quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran:

28. Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta millia et mille quingenti.

29. De tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan;

30. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, quinquaginta tria millia quadringenti.

31. Omnes qui numerati sunt in castris Dan, fuerunt centum quinquaginta septem millia sexcenti: et novissimi proficiscentur.

32. Hic numerus filiorum Israel, per domos cognationum suarum et turmas divisi exercitus, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta.

33. Levitæ autem non sunt numerati inter filios Israel: sic enim præceperat Dominus Moysi.

34. Feceruntque filii Israel juxta omnia quæ mandaverat Dominus. Castrametati sunt per turmas suas, et profecti per familias ac domos patrum suorum.

CAPUT III.

Levitas omnes loco primogenitorum totius Israelis sibi deposcit, suoque cultui mancipat Deus. Numerantur Levitæ, et viginti duo millia deprehenduntur; quibus in varias classes divisis distribuitur custodia sacrarum supellectilium tabernaculi.

1. Hæ sunt generationes Aaron et Moysi, in die qua locutus est Dominus ad Moysen in monte Sinai.

2. [1] Et hæc nomina filiorum Aaron: primogenitus ejus Nadab, deinde Abiu, et Eleazar, et Ithamar.

3. Hæc nomina filiorum Aaron sacerdotum qui uncti sunt, et quorum repletæ et consecratæ manus ut sacerdotio fungerentur.

4. [2] Mortui sunt enim Nadab et Abiu, cum offerrent ignem alienum in conspectu Domini in deserto Sinai, absque liberis: functique sunt sacerdotio Eleazar et Ithamar coram Aaron patre suo.

5. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

6. Applica tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis ut ministrent ei, et excubent,

7. Et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii,

(1) Exod. 6, vers. 23.

(2) Lev. 10, vers. 1, 2; 1 Par. 24, vers. 2.

8. Et custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio ejus.

9. Dabisque dono Levitas

10. Aaron et filiis ejus, quibus traditi sunt a filiis Israel. Aaron autem et filios ejus constitues super cultum sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.

11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

12. Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israel, eruntque Levitæ mei.

13. [1] Meum est enim omne primogenitum: ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti: sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israel ab homine usque ad pecus, mei sunt: ego Dominus.

14. Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, dicens:

15. Numera filios Levi per domos patrum suorum et familias, omnem masculum, ab uno mense et supra.

16. Numeravit Moyses, ut præceperat Dominus,

17. [2] Et inventi sunt filii Levi per nomina sua, Gerson et Caath et Merari.

18. Filii Gerson: Lebni et Semei.

19. Filii Caath: Amram et Jesaar, Hebron et Oziel.

20. Filii Merari: Moholi et Musi.

21. De Gerson fuere familiæ duæ, Lebnitica et Semeitica:

22. Quarum numeratus est populus sexus masculini ab uno mense et supra, septem millia quingenti.

23. Hi post tabernaculum metabuntur ad occidentem,

24. Sub principe Eliasaph filio Lael.

25. Et habebunt excubias in tabernaculo fœderis,

26. Ipsum tabernaculum et operimentum ejus, tentorium quod trahitur ante fores tecti fœderis, et cortinas atrii: tentorium quoque quod appenditur in introitu atrii tabernaculi, et quidquid ad ritum altaris pertinet, funes tabernaculi et omnia utensilia ejus.

27. Cognatio Caath habebit populos Amramitas et Jesaaritas et Hebronitas et Ozielitas. Hæ sunt familiæ Caathitarum recensitæ per nomina sua.

28. Omnes generis masculini ab uno mense et supra, octo millia sexcenti habebunt excubias sanctuarii,

29. Et castrametabuntur ad meridianam plagam;

30. Princepsque eorum erit Elisaphan filius Oziel:

31. Et custodient arcam, men-

℣. 25. *Habebunt excubias in tabernaculo fœderis* — Non quod vel illi, vel ulli alii Levitæ excubarint actu in ipso tabernaculo: nam ne ingredi quidem illud licebat Levitis, sed solis sacerdotibus qui per vices ministrabant. Ergo *in tabernaculo* hic idem est quod super tabernaculum et res tabernaculi, quæ singulis Levitarum familiis diversæ diversis commissæ erant. Neque enim hic per *excubias* et *custodias* intelligitur actus solus excubandi et custodiendi, sed insuper officium et onus curandi ut omnia bene custodirentur: neque id solum cum erectum staret tabernaculum, sed etiam cum in itinere deportandum esset, itemque cum dissolvendum, rursusque cum figendum esset. Ita ut singulis Levitarum familiis incumberet rationem reddere earum rerum, instrumentorum, ac pretium tabernaculi, quæ jussu Dei cuique hoc capite custodiendæ committuntur.

℣. 28. *Caathitæ habebunt excubias sanctuarii* — Id est, curam eorum, quorum usus est in sanctuario. Ergo Caathitis, ut dignitate inter Levitas primis, committebantur quæ maxime divina erant et sacrosancta. Ratio autem cur illi cæteris præferrentur, erat, quod Moyses et Aaron, et consequenter sacerdotes omnes ex una illa Caathitarum familia prognati essent.

(1) Exod. 13, vers. 2; Infr. 8, vers. 16.

(2) Exod. 6, vers. 16.

samque et candelabrum, altaria et vasa sanctuarii, in quibus ministratur, et velum, cunctamque hujuscemodi supellectilem.

32. Princeps autem principum Levitarum Eleazar filius Aaron sacerdotis, erit super excubitores custodiæ sanctuarii.

33. At vero de Merari erunt populi Moholitæ et Musitæ recensiti per nomina sua:

34. Omnes generis masculini ab uno mense et supra, sex millia ducenti.

35. Princeps eorum Suriel filius Abihajel: in plaga septentrionali castrametabuntur.

36. Erunt sub custodia eorum tabulæ tabernaculi et vectes, et columnæ ac bases earum, et omnia quæ ad cultum hujuscemodi pertinent;

37. Columnæque atrii per circuitum cum basibus suis, et paxilli cum funibus.

38. Castrametabuntur ante tabernaculum fœderis, id est, ad orientalem plagam, Moyses et Aaron cum filiis suis, habentes custodiam sanctuarii in medio filiorum Israel; quisquis alienus accesserit, morietur.

39. Omnes Levitæ, quos numeraverunt Moyses et Aaron, juxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino a mense uno et supra, fuerunt viginti duo millia.

40. Et ait Dominus ad Moysen: Numera primogenitos sexus masculini de filiis Israel ab uno mense et supra, et habebis summam eorum.

41. Tollesque Levitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel, ego sum Dominus: et pecora eorum pro universis primogenitis pecorum filiorum Israel.

42. Recensuit Moyses, sicut præceperat Dominus primogenitos filiorum Israel;

43. Et fuerunt masculi per nomina sua, a mense uno et supra, viginti duo millia ducenti septuaginta tres.

44. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

45. Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Israel, et pecora Levitarum pro pecoribus eorum, eruntque Levitæ mei. Ego sum Dominus.

46. In pretio autem ducentorum septuaginta trium, qui excedunt numerum Levitarum de primogenitis filiorum Israel,

47. Accipies quinque siclos per singula capita ad mensuram sanctuarii. [1] Siclus habet viginti obolos.

48. Dabisque pecuniam Aaron et filiis ejus, pretium eorum qui supra sunt.

49. Tulit igitur Moyses pecuniam eorum qui fuerant amplius, et quos redemerant a Levitis.

50. Pro primogenitis filiorum Israel, mille trecentorum sexaginta quinque siclorum juxta pondus sanctuarii:

51. Et dedit eam Aaron et filiis ejus juxta verbum quod præceperat sibi Dominus.

℣. 39. *Omnes Levitæ fuerunt viginti duo millia* — præciso et rotundo numero, ut patet ex sequentibus.

Petes, quomodo id constet, cum ex tribus ante subductis trium familiarum particularibus calculis colligatur summa major alio trecentenario? Respondeo, trecentos illos non debuisse, sed nec potuisse, reliquo Levitarum numero accenseri, quod totidem essent inter ipsos Levitas primogeniti (puta post egressum ex Ægypto procreati) qui ratione suimet jam erant proprii Dei: quocirca non poterant venire in numerum aliorum Levitarum, qui pro primogenitis aliarum tribuum commutandi essent, et illorum loco substituendi ac Deo appropriandi. Ita Petrus Comestor[2], Abulensis, Lyranus, Dionysius Carthusianus et Cajetanus.

(1) Exod. 30, vers. 13; Lev. 27, vers. 25; Ezech 45, vers. 12.
(2) In historia Scholastica.

CAPUT IV.

Numerantur Levitæ ab anno ætatis trigesimo 8580, quibus portanda committitur supellex tabernaculi cum movenda sunt castra. Et Caathitis quidem assignatur arca, mensa, candelabrum et altare utrumque; Gersonitis vela et cortinæ omnes: Meraritis autem tabulæ, columnæ et bases.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:
2. Tolle summam filiorum Caath de medio Levitarum per domos et familias suas,
3. A trigesimo anno et supra, usque ad quinquagesimum annum, omnium qui ingrediuntur ut stent et ministrent in tabernaculo fœderis.
4. Hic est cultus filiorum Caath: Tabernaculum fœderis, et Sanctum sanctorum.
5. Ingredientur Aaron et filii ejus, quando movenda sunt castra, et deponent velum quod pendet ante fores, involventque eo arcam testimonii,
6. Et operient rursum velamine janthinarum pellium, extendentque desuper pallium totum hyacinthinum, et inducent vectes.
7. Mensam quoque propositionis involvent hyacinthino pallio, et ponent cum ea thuribula et mortariola, cyathos et crateras ad liba fundenda; panes semper in ea erunt.
8. Extendentque desuper pallium coccineum, quod rursum operient velamento janthinarum pellium, et inducent vectes.
9. Sument et pallium hyacinthinum quo operient candelabrum cum lucernis et forcipibus suis et emunctoriis et cunctis vasis olei, quæ ad concinnandas lucernas necessaria sunt:
10. Et super omnia ponent operimentum janthinarum pellium, et inducent vectes.
11. Nec non et altare aureum involvent hyacinthino vestimento, et extendent desuper operimentum janthinarum pellium, inducentque vectes.
12. Omnia vasa, quibus ministratur in sanctuario, involvent hyacinthino pallio, et extendent desu-

℣. 3. *A trigesimo anno usque ad quinquagesimum* — Hæc ætas hic præscribitur filiis Caath non qua possent ministrare in tabernaculo, nam hoc citius licuit illis, puta ab anno 25, ut dicitur infra cap. 8, vers. 24; et tempore Davidis, saltem in levioribus servitiis, et quasi in novitiatu, servire poterant ab anno 20, ut constat ex 1 Paralip. 23 [1], sed de ætate qua, dum iter agendum esset, res tabernaculi deferre, ac manibus tractare possent. Hæc enim sacrarum sarcinarum bajulatio ut majorem reverentiam, ita et ætatem firmiorem ac robustiorem deposcebat.

℣℣. 4 et 5. *Sanctum sanctorum ingredientur Aaron et filii ejus* — Etsi enim soli Aaroni, et summo Pontifici licitum esset semel per annum in Sancta sanctorum ingredi, fixo et stabilito tabernaculo: licuit tamen etiam inferioribus sacerdotibus, quamdiu per desertum vagabantur, urgente necessitate, cum refigendum alioque transferendum esset tabernaculum, illuc ingredi, ad involvendam efferendamque arcam.

Allegorice Innocentius III [2] ex officiis sacerdotum et Levitarum veteris legis, docet distincta quoque fuisse ministeria Acolythorum, Diaconorum, Presbyterorum, et Episcoporum novæ legis. Tropologiam vide apud Rabanum.

(1) Vv. 24, 27 et 28.

(2) L. 1 de S. Altaris mysterio, a c. 2 usque ad 7.

per operimentum janthinarum pellium, inducentque vectes.

13. Sed et altare mundabunt cinere, et involvent illud purpureo vestimento,

14. Ponentque cum eo omnia vasa, quibus in ministerio ejus utuntur, id est, ignium receptacula, fuscinulas ac tridentes, uncinos et batilla. Cuncta vasa altaris operient simul velamine janthinarum pellium, et inducent vectes.

15. Cumque involverint Aaron et filii ejus sanctuarium et omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt [1] filii Caath ut portent involuta: et non tangent vasa sanctuarii, ne moriantur. Ista sunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis:

16. Super quos erit Eleazar filius Aaron sacerdotis, ad cujus curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas, et compositionis incensum, et sacrificium, quod semper offertur, et oleum unctionis, et quidquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniumque vasorum quæ in sanctuario sunt.

17. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:

18. Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum:

19. Sed hoc facite eis ut vivant, et non moriantur, si tetigerint Sancta sanctorum. Aaron et filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, et dividet quid portare quis debeat.

20. Alii nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario priusquam involvantur, alioquin morientur.

21. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

22. Tolle summam etiam filiorum Gerson per domos ac familias et cognationes suas,

23. A triginta annis et supra, usque ad annos quinquaginta. Numera omnes qui ingrediuntur et ministrant in tabernaculo fœderis.

24. Hoc est officium familiæ Gersonitarum,

25. Ut portent cortinas tabernaculi et tectum fœderis, operimentum aliud, et super omnia velamen janthinum, tentoriumque quod pendet in introitu tabernaculi fœderis,

26. Cortinas atrii, et velum in introitu quod est ante tabernaculum. Omnia quæ ad altare pertinent, funiculos et vasa ministerii,

27. Jubente Aaron et filiis ejus, portabunt filii Gerson: et scient singuli cui debeant oneri mancipari.

28. Hic est cultus familiæ Gersonitarum in tabernaculo fœderis, eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis.

29. Filios quoque Merari per familias et domos patrum suorum recensebis,

30. A triginta annis et supra, usque ad annos quinquaginta, omnes qui ingrediuntur ad officium ministerii sui et cultum fœderis testimonii.

31. Hæc sunt onera eorum: Portabunt tabulas tabernaculi et vectes ejus, columnas ac bases earum,

32. Columnas quoque atrii per circuitum cum basibus et paxillis et funibus suis. Omnia vasa et supellectilem ad numerum accipient, sicque portabunt.

33. Hoc est officium familiæ Meraritarum et ministerium in tabernaculo fœderis: eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis.

34. Recensuerunt igitur Moyses et Aaron et principes synagogæ filios Caath per cognationes et domos patrum suorum,

35. A triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad ministerium tabernaculi fœderis:

36. Et inventi sunt duo millia septingenti quinquaginta.

37. Hic est numerus populi Caath qui intrant tabernaculum fœderis:

(1) 1 Par. 15, vers. 15.

hos numeravit Moyses et Aaron juxta sermonem Domini per manum Moysi.

38. Numerati sunt et filii Gerson per cognationes et domos patrum suorum,

39. A triginta annis et supra, usque ad quinquagesimum annum, omnes qui ingrediuntur ut ministrent in tabernaculo fœderis:

40. Et inventi sunt duo millia sexcenti triginta.

41. Hic est populus Gersonitarum, quos numeraverunt Moyses et Aaron juxta verbum Domini.

42. Numerati sunt et filii Merari per cognationes et domos patrum suorum,

43. A triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi fœderis:

44. Et inventi sunt tria millia ducenti.

45. Hic est numerus filiorum Merari, quos recensuerunt Moyses et Aaron juxta imperium Domini per manum Moysi.

46. Omnes qui recensiti sunt de Levitis, et quos recenseri fecit ad nomen Moyses, et Aaron, et principes Israel, per cognationes et domos patrum suorum,

47. A triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, ingredientes ad ministerium tabernaculi, et onera portanda,

48. Fuerunt simul octo millia quingenti octoginta.

49. Juxta verbum Domini recensuit eos Moyses, unumquemque juxta officium et onera sua, sicut præceperat ei Dominus.

CAPUT V.

Immundi castris ejici jubentur. Sancitur lex zelotypiæ, qua mariti uxores suas de adulterio suspectas explorent per aquas maledictas.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Præcipe filiis Israel, ut ejiciant de castris omnem leprosum, et qui semine fluit, pollutusque est super mortuo:

3. Tam masculum quam feminam ejicite de castris, ne contaminent ea cum habitaverim vobiscum.

4. Feceruntque ita filii Israel, et ejecerunt eos extra castra, sicut locutus erat Dominus Moysi.

5. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

6. Loquere ad filios Israel: Vir, sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint,

7. Confitebuntur peccatum suum, et reddent ipsum caput, quintamque partem desuper, ei in quem peccaverint.

℣. 7. *Reddent ipsum caput* — Id est capitale seu principale, nempe quod primo et ante omnia debet reddi ratione damni proximo illati, et injuriæ factæ: quodque etiam seposito jure positivo, ex sola juris naturalis obligatione restitui debet. Agitur enim hic manifeste de delictis quæ in proximum, rem ejus scienter et fraudulenter usurpando, committuntur. Itaque per *negligentiam* hic intellige neglectum præcepti divini, non quod contemnat formaliter, sed sciat tamen et non curet implere. Rursus intellige hæc de peccatis occultis: quæ qua ratione sacerdoti aperienda et confitenda essent, dixi Levitici 5, v. 5.

8. Sin autem non fuerit qui recipiat, dabunt Domino, et erit sacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro expiatione, ut sit placabilis hostia.

9. Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israel, ad sacerdotem pertinent:

10. Et quidquid in sanctuarium offertur a singulis, et traditur manibus sacerdotis, ipsius erit.

11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

12. Loquere ad filios Israel, et dices ad eos: Vir, cujus uxor erraverit, maritumque contemnens,

13. Dormierit cum altero viro, et hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, et testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro:

14. Si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur,

15. Adducet eam ad sacerdotem, et offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, nec imponet thus: quia sacrificium zelotypiæ est, et oblatio investigans adulterium.

℣. 15. *Non fundet super oblationem oleum, nec imponet thus* — His enim carere debebant oblationes omnes ubi de peccatis agebatur, Levit. 5, vers. 11; nempe quia symbola sunt lætitiæ et virtutis, quæ in peccatis locum non habent: hic præsertim ubi de crudeli zelotypiæ pœna et infami ultione agebatur.

Totius rei ordinem explicant Josephus, Philo, et alii Rabbini [1]. Primo, maritus zelotypus uxorem Jerosolymæ, vel ubicumque tabernaculum erat, sisti curabat ad ostium atrii sacri. Secundo, dicebat sacerdoti, judici ad id deputato, se suspectam habere uxorem de adulterio. Tertio, negante uxore, sacerdos e labro seu mari æneo hauriebat pauxillum aquæ, quæ ideo sancta hic vocatur, quia divino cultui ac templi usibus deserviebat. Ita Chaldæus, Rabbi Salomon, Oleaster, Vatablus, Sa, Abulensis, Lyranus. His aquis inspergebat aliquid pulvisculi de pavimento atrii sancti: et maledictiones in easdem aquas congerebat: unde et *amarissimæ* hic vocantur, non a sapore, sed ab effectu quem virtute morali, sed infallibili, ex Dei promissione et potentia assistente producturæ erant. Quarto, proferebat maledictiones in ipsam quoque mulierem, quæ hic recensentur v. 19 et sequentibus: ut et ipsa mulier totidem verbis, si rea esset, eadem maledicta sibi imprecaretur: cogebatur enim singula comprobare, dicendo *Amen, Amen,* id est *fiat,* ita mihi *fiat.* Stabatque mulier nudo capite, more omnium reorum, et quasi spoliata insignibus pudoris ac pudicitiæ: et, ut ait Theodoretus, ad designandum, omnia nuda et aperta esse in oculis Dei, cui sistebatur. Quinto, has posteriores maledictiones scribebat sacerdos *in libello* seu charta, seu membrana: mox inscriptas eluebat aquis illis maledictis. Excipiebat sexto, de manu mulieris *oblationem zelotypiæ*, puta farinam hordeaceam, quam paullo ante [2] in vasculo collectam manibus illius imposuerat, et pugillum ex ea cremabat super altari holocaustorum: reliqua portione sibi in cibum retenta. Vocabaturque hoc *sacrificium recordationis* nempe respectu Dei, quem hoc sacrificio rogabant, ut vellet exhibito certo signo ostendere se recordari vel adulterii, vel innocentiæ mulieris. Denique septimo, ex aqua maledicta potum dabat mulieri, quæ, si rea erat, intumescente mox ventre, et computrescentibus verendis, post paullo extinguebatur, ait Josephus: qui addit, inflari solitam aqua intercute, qua tam horrifice venter intumesceret, ut tandem disrumperetur. Sin innocens esset mulier, nihil illi aqua nocebat, sed erat innocentiæ illius testis et custos. Addit Josephus, et colligitur ex vers. 28 hujus capitis, illam tum certo atque infallibiliter e primo cum marito congressu procreaturam decimo mense proximo prolem, et quidem masculam, quantumcumque antea fuisset sterilis et infœcun-

(1) Joseph. lib. 3 Antiq., c. 10; Philo l. de Sponsalibus legibus; Rabbini apud Oleastrum hoc loco et Sixtum Senens. l. 2 Bibliothecæ, § *Zelotypiæ liber.* (2) Hic, vers. 18.

16. Offeret igitur eam sacerdos, et statuet coram Domino,

17. Assumetque aquam sanctam in vase fictili, et pauxillum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam.

18. Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput ejus, et ponet super manus illius sacrificium recordationis, et oblationem zelotypiæ: ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit:

19. Adjurabitque eam, et dicet: Si non dormivit vir alienus tecum, et si non polluta es deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi.

20. Sin autem declinasti a viro tuo, atque polluta es, et concubuisti cum altero viro:

21. His maledictionibus subjacebis: Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus disrumpatur.

22. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, et utero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier, Amen, amen.

23. Scribetque sacerdos in libello ista maledicta, et delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congessit,

24. Et dabit ei bibere. Quas cum exhauserit,

25. Tollet sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ, et elevabit illud coram Domino, imponetque illud super altare: ita dumtaxat ut prius,

26. Pugillum sacrificii tollat de eo quod offertur, et incendat super altare: et sic potum det mulieri aquas amarissimas.

27. Quas cum biberit, si polluta est, et contempto viro adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, et inflato ventre computrescet femur: eritque mulier in maledictionem, et in exemplum omni populo.

28. Quod si polluta non fuerit, erit innoxia, et faciet liberos.

29. Ista est lex zelotypiæ. Si declinaverit mulier a viro suo, et si polluta fuerit,

30. Maritusque zelotypiæ spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu Domini, et fecerit ei sacerdos juxta omnia quæ scripta sunt.

31. Maritus absque culpa erit, et illa recipiet iniquitatem suam.

da, Deo singulari cura sic comprobante mulieris innocentiam. Et hac quidem occulti adulterii certa exploratione, cum cuique ad manum esset, sapientissimo consilio consultum volebat Deus incolumitati mulierum Judaicarum, quas alioqui mariti zelotypi facile de medio violenta manu tollebant: simul etiam infami hac pœna deterrebat uxores ab omni adulterio quantumvis occulto. Ita Philo et Josephus.

CAPUT VI.

De voto, consecratione et cæremoniis Nazaræorum. Forma benedictionis, qua sacerdotes benedicant populo.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere ad filios Israel, et dices ad eos: Vir, sive mulier, cum fecerint votum ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare:

℣. 2. *Vir, sive mulier, cum fecerint votum ut sanctificentur* — Hebraice est, *vir vel mulier, cum admirabilem se præstiterit vovendo votum Nazaræi ad*

3. A vino, et omni quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, et ex qualibet alia potione, et quidquid de uva exprimitur, non bibent: uvas recentes siccasque non comedent

4. Cunctis diebus quibus ex voto Domino consecrantur: quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum non comedent.

5. Omni tempore separationis suæ [1] novacula non transibit per caput ejus, usque ad completum diem quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus.

6. Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur,

7. Nec super patris quidem et matris et fratris sororisque funere contaminabitur, quia consecratio Dei sui super caput ejus est.

8. Omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Domino.

9. Sin autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus: quod radet illico in eadem die purgationis suæ, et rursum septima.

10. In octava autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ sacerdoti in introitu fœderis testimonii.

separandum se Domino. Hinc patet, primo, etiam e sexu femineo nazaræas fuisse. Secundo, votum nazaræatus *admirabile* et valde excellens apud Judæos fuisse, unde a LXX *egregium*, a Philone [2] et aliis passim *magnum votum* vocatur. Tertio, *Nazaræum* nomen seu *nazir*, ut est in Hebræo [3], significare *separatum* ab aliis, non qualicumque modo, sed peculiari professione sanctimoniæ et religionis, ac dignitate status. Qua ratione Nazaræi erant a communi aliorum hominum statu ac genere vitæ separati.

Sed nota primo, duplicis generis fuisse Nazaræos. Quidam perpetui erant, qui per totam vitam hoc institutum vel Dei jussu, vel voto seu proprio seu parentum suorum tenebant, v. g. Samson, Samuel, Joannes Baptista, Jacobus Minor. Alii solum erant temporales, et de his agitur hoc capite.

Nota secundo, cæremonias nazaræatus fuisse; primam, *nec vinum*, nec siceram, *nec* quidquam *quod inebriare posset, bibere*, quin *nec de uva*, seu *recente*, seu *sicca*, seu *passa* comedere: ut sic palam faceret se sobrietati studere, omnemque crapulam aversari, ex qua tot pullulant vitia, et religionis pietatisque omnis neglectus. Secundam, non poterant illi crines præscindi, *usque ad completum diem quo Domino consecratur*, id est, toto tempore quo ipse ex voto debet manere consecratus. Tertiam, *super mortuum non ingredietur*, morticinum humanum contingendo, vel morienti astando, ne patri quidem vel matri. Et in hoc Nazaræus æquabatur [4] summo Pontifici. Et par ratio quoad utrumque redditur, cur id illis specialiter inhibitum sit. *Quia consecratio Dei sui super caput ejus est*, hoc est, quia speciali valde consecratione est Deo consecratus, ut supra diximus, et Nazaræus nominatim etiam caput, adeoque et capillos capitis habet consecratos Deo, utpote in Dei honorem nutritos, et completo nazaræatu, in ejusdem honorem detondendos et cremandos. Nam quarto, finito jam voti tempore, post oblatum Deo agnum, ovem et arietem, sacra Nazaræo cæsaries ante ostium atrii detondebatur, et a sacerdote mittebatur in ignem non altaris, ut vult Abulensis; sed culinæ, in qua carnes pacificorum coquebantur, ut habet Chaldæus, et docet Lyranus. Atque ita expleto voto *poterat bibere vinum*, hoc est, desinebat esse Nazaræus.

Allegorice Rupertus hæc omnia aptat Christo Nazareno. Tropologice Religiosis novi testamenti Cyrillus, Gregorius, Innocentius III, S. Thomas, et eleganter Hieronymus Platus [5]. Plura vide de his Lev. ult., v. 2.

(1) Judic. 13, vers. 5.
(2) Lib. de Temulentia et l. de Victimis.
(3) נזיר a radice Hebræa נזר.
(4) Levit. 21, vers. 11.
(5) Cyr. l. 16 de Adorat. in spiritu; Greg. l. 32 Mor. c. 17; Innoc. III supra c. 4 citatus; S. Th. 2. 2. q. 186, a. 6; Platus l. 2 de Bono status Religiosi, cap. 19.

11. Facietque sacerdos unum pro peccato, et alterum in holocaustum, et deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo: sanctificabitque caput ejus in die illo:

12. Et consecrabit Domino dies separationis illius, offerens agnum anniculum pro peccato: ita tamen ut dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus.

13. Ista est lex consecrationis. Cum dies, quos ex voto decreverat, complebuntur: adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis,

14. Et offeret oblationem ejus Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum, et ovem anniculam immaculatam pro peccato, et arietem immaculatum, hostiam pacificam,

15. Canistrum quoque panum azymorum qui conspersi sint oleo, et lagana absque fermento uncta oleo, ac libamina singulorum:

16. Quæ offeret sacerdos coram Domino, et faciet tam pro peccato quam in holocaustum.

17. Arietem vero immolabit hostiam pacificam Domino, offerens simul canistrum azymorum, et libamenta quæ ex more debentur.

18. [1] Tunc radetur nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ: tolletque capillos ejus, et ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum.

19. Et armum coctum arietis, tortamque absque fermento unam de canistro, et laganum azymum unum, et tradet in manus nazaræi, postquam rasum fuerit caput ejus.

20. Susceptaque rursum ab eo, elevabit in conspectu Domini: et sanctificata sacerdotis erunt, sicut pectusculum, quod separari jussum est, et femur; post hæc potest bibere nazaræus vinum.

21. Ista est lex nazaræi, cum voverit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ, exceptis his quæ invenerit manus ejus. Juxta quod mente devoverat, ita faciet ad perfectionem sanctificationis suæ.

22. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

23. Loquere Aaron et filiis ejus: Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis:

24. [2] Benedicat tibi Dominus, et custodiat te.

25. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui.

26. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem.

27. [3] Invocabuntque nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.

(1) Act. 21, vers. 24.
(2) Eccli. 36, vers. 19.
(3) " Vers. 27. *Invocabuntque nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis:* Benedictinus Martin. p. 1 *Explic. loc. Script. difficil.*, p. 86, ita hunc locum interpretatur: *Aaron, et filii ejus præscriptas super filios Israel benedictiones complebunt, eos Dei populum appellando, et tunc ego benedicam eis.* Sed pace viri docti hæc interpretatio violenta est, neque ad rem. Menochius aptius: *cum benedicent sacerdotes filiis Israel, adjungent benedictioni suæ nomen meum tetragrammatum.* Planissime explicarem ego: *sic illi invocabunt potentiam, virtutem meam, ut filiis Israel opituletur, et ego benedicam eis.* „

CAPUT VII.

Principes duodecim tribuum offerunt tabernaculo recens erecto sua singuli dona et victimas.

1. Factum [1] est autem in die qua complevit Moyses tabernaculum, et erexit illud: unxitque et sanctificavit cum omnibus vasis suis, altare similiter et omnia vasa ejus.

2. Obtulerunt principes Israel et

℣. 1. *In die qua complevit Moyses tabernaculum* — *Dies* Hebræis idem sæpe est quod tempus. Et certum est ex

(1) Exod. 40, vers. 16.

capita familiarum, qui erant per singulas tribus, præfectique eorum qui numerati fuerant,

3. Munera coram Domino, sex plaustra tecta cum duodecim bobus. Unum plaustrum obtulere duo duces, et unum bovem singuli, obtuleruntque ea in conspectu tabernaculi.

4. Ait autem Dominus ad Moysen:

5. Suscipe ab eis ut serviant in ministerio tabernaculi, et trades ea Levitis juxta ordinem ministerii sui.

6. Itaque cum suscepisset Moyses plaustra et boves, tradidit eos Levitis.

7. Duo plaustra et quatuor boves dedit filiis Gerson, juxta id quod habebant necessarium.

8. Quatuor alia plaustra et octo boves dedit filiis Merari, secundum officia et cultum suum, sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis.

9. Filiis autem Caath non dedit plaustra et boves: quia in sanctuario serviunt, et onera propriis portant humeris.

10. Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris, die qua unctum est, oblationem suam ante altare.

11. Dixitque Dominus ad Moysen: Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris.

12. Primo die obtulit oblationem suam Nahasson filius Aminadab de tribu Juda:

13. Fueruntque in ea, acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum, phiala argentea habens septuaginta siclos, juxta pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

14. Mortariolum ex decem siclis aureis plenum incenso:

15. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

16. Hircumque pro peccato:

17. Et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque; hæc est oblatio Nahasson filii Aminadab.

18. Secundo die obtulit Nathanael filius Suar, dux de tribu Issachar,

19. Acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, juxta pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

20. Mortariolum aureum habens decem siclos, plenum incenso:

21. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

22. Hircumque pro peccato:

23. Et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque; hæc fuit oblatio Nathanael filii Suar.

24. Tertio die princeps filiorum Zabulon, Eliab filius Helon,

25. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

26. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

v. 84 tempus ut minimum duodecim dierum comprehendi nomine *diei*. Ceterum videntur hæc principum donaria facta prius tempore quam reliqua, quæ primis hujus libri capitibus totoque Levitico recensentur.

¥. 13. De *acetabulo* aliisque vasis hoc capite recensitis vide notas nostras de mensuris in Prolegomenis Commentarii.

Petes, ad quos usus servierint hæc vasa argentea, cum omnia Sanctuarii vasa debuerint esse aurea? Respondeo, non servierunt usibus Sanctuarii, sed altaris holocaustorum in atrio ante Sanctuarium: v. g. *Acetabula*, ut in iis armus coctus, et libamina e farina et oleo offerrentur; *phialæ*, ut ex iis vinum in altari libaretur, etc.

27. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

28. Hircumque pro peccato:

29. Et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque; hæc est oblatio Eliab filii Helon.

30. Die quarto princeps filiorum Ruben, Elisur filius Sedeur,

31. Obtulit acetabulum argenteum, appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

32. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

33. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

34. Hircumque pro peccato:

35. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque; hæc fuit oblatio Elisur filii Sedeur.

36. Die quinto princeps filiorum Simeon, Salamiel filius Surisaddai,

37. Obtulit acetabulum argenteum, appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

38. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

39. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

40. Hircumque pro peccato:

41. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque; hæc fuit oblatio Salamiel filii Surisaddai.

42. Die sexto princeps filiorum Gad, Eliasaph filius Duel,

43. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

44. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

45. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

46. Hircumque pro peccato:

47. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque; hæc fuit oblatio Eliasaph filii Duel.

48. Die septimo princeps filiorum Ephraim, Elisama filius Ammiud,

49. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

50. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

51. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

52. Hircumque pro peccato:

53. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque; hæc fuit oblatio Elisama filii Ammiud.

54. Die octavo princeps filiorum Manasse, Gamaliel filius Phadassur,

55. Obtulit acetabulum argenteum, appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

56. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

57. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

58. Hircumque pro peccato:

59. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque; hæc fuit oblatio Gamaliel filii Phadassur.

60. Die nono princeps filiorum Benjamin, Abidan filius Gedeonis,
61. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:
62. Et mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
63. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:
64. Hircumque pro peccato:
65. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque; hæc fuit oblatio Abidan filii Gedeonis.
66. Die decimo princeps filiorum Dan Ahiezer filius Ammisaddai,
67. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:
68. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
69. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:
70. Hircumque pro peccato:
71. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque; hæc fuit oblatio Ahiezer filii Ammisaddai.
72. Die undecimo princeps filiorum Aser, Phegiel filius Ochran,
73. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:
74. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
75. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:
76. Hircumque pro peccato:
77. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque; hæc fuit oblatio Phegiel filii Ochran.
78. Die duodecimo princeps filiorum Nephthali, Ahira filius Enan,
79. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila oleo conspersa in sacrificium:
80. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:
81. Bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:
82. Hircumque pro peccato:
83. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque; hæc fuit oblatio Ahira filii Enan.
84. Hæc in dedicatione altaris oblata sunt a principibus Israel, in die qua consecratum est; acetabula argentea duodecim: phialæ argenteæ duodecim: mortariola aurea duodecim:
85. Ita ut centum triginta siclos argenti haberet unum acetabulum, et septuaginta siclos haberet una phiala: id est, in commune vasorum omnium ex argento sicli duo millia quadringenti, pondere sanctuarii:
86. Mortariola aurea duodecim plena incenso, denos siclos appendentia pondere sanctuarii: id est, simul auri sicli centum viginti:
87. Boves de armento in holocaustum duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, et libamenta eorum: hirci duodecim pro peccato.
88. In hostias pacificorum boves viginti quatuor, arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Hæc oblata sunt in dedi-

catione altaris, quando unctum est.

89. Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio quod erat super arcam testimonii inter duos cherubim, unde et loquebatur ei.

CAPUT VIII.

Præscribit Deus candelabri et lucernarum situm in tabernaculo: et ritum consecrationis Levitarum.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere Aaron, et dices ad eum: Cum posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe ut lucernæ contra boream e regione respiciant ad mensam panum propositionis, contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt.

3. Fecitque Aaron, et imposuit lucernas super candelabrum, ut præceperat Dominus Moysi.

4. Hæc autem erat factura candelabri, ex auro ductili, tam medius stipes, quam cuncta quæ ex utroque calamorum latere nascebantur: juxta exemplum quod ostendit Dominus Moysi, ita operatus est candelabrum.

5. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

6. Tolle Levitas de medio filiorum Israel, et purificabis eos

7. Juxta hunc ritum: Aspergantur aqua lustrationis, et radant omnes pilos carnis suæ. Cumque laverint vestimenta sua, et mundati fuerint,

8. Tollent bovem de armentis, et libamentum ejus similam oleo conspersam: bovem autem alterum de armento tu accipies pro peccato:

9. Et applicabis Levitas coram tabernaculo fœderis, convocata omni multitudine filiorum Israel.

10. Cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus suas super eos:

11. Et offeret Aaron Levitas, munus in conspectu Domini a filiis

v. 7. *Aspergantur aqua lustrationis* — cujus descriptio habetur c. 19, commixtis scilicet illi cineribus vaccæ rufæ combustæ pro peccato. Unde in Hebræo et Chaldæo vocantur *aquæ peccati*. His iisdem aquis purificabantur ii qui contactu cadaveris, vel simili *super mortuo* pollutione contaminati erant. Et allegorice adaptat illas S. Paulus sanguini Christi, ad Hebræos 9, v. 13. Et hæc inspersio aquæ lustralis, erat prima cæremonia qua consecrabantur Levitæ. Secunda, erat abrasio pilorum omnium totius corporis: ut designaretur, resecandas iis esse omnes rerum secularium superfluitates, omniaque mortua et male olentia opera, inquit Theodoretus. Tertia, lotio vestimentorum, quæ puritatis affectuum morumque index erat. Quarta, oblatio bovis pro ipsis, unius in holocaustum, et alterius pro peccato. Quibus designabatur ipsos Deo totos immolari tum in laudem et honorem Dei, tum in expiationem peccatorum totius populi. Unde quinto, ponebant principes, totius populi nomine, *manus suas super Levitas*, hoc ritu donantes illos et consecrantes Deo, et vice sui transferentes illos in perpetuum obsequium illius. Denique sexto, *elevabat*, hoc est offerebat, *illos Aaron* Deo, tamquam hostiam sacram et perpetuos ministros. Tum demum licebat illis *ingredi tabernaculum fœderis*, non illud presse sumptum, quod *Sanctum* vel *Sanctuarium* vocabatur (nam in illud non nisi sacerdotibus ingredi fas erat), sed *atrium*, quod sub dio erat ante Sanctuarium: nam in hoc solo atrio Levitæ sua ministeria sacerdotibus præstabant.

Israel, ut serviant in ministerio ejus.

12. Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum, e quibus unum facies pro peccato, et alterum in holocaustum Domini, ut depreceris pro eis.

13. Statuesque Levitas in conspectu Aaron et filiorum ejus, et consecrabis oblatos Domino,

14. Ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei.

15. Et postea ingredientur tabernaculum fœderis, ut serviant mihi. Sicque purificabis et consecrabis eos in oblationem Domini: quoniam dono donati sunt mihi a filiis Israel.

16. [1] Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vulvam in Israel, accepi eos.

17. Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus quam ex jumentis. Ex die quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificavi eos mihi:

18. Et tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel:

19. Tradidique eos dono Aaron et filiis ejus de medio populi, ut serviant mihi pro Israel in tabernaculo fœderis, et orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad sanctuarium.

20. Feceruntque Moyses et Aaron et omnis multitudo filiorum Israel super Levitis quæ præceperat Dominus Moysi:

21. Purificatique sunt, et laverunt vestimenta sua. Elevavitque eos Aaron in conspectu Domini, et oravit pro eis,

22. Ut purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis coram Aaron et filiis ejus. Sicut præceperat Dominus Moysi de Levitis, ita factum est.

23. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

24. Hæc est lex Levitarum: A viginti quinque annis et supra, ingredientur ut ministrent in tabernaculo fœderis.

25. Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt:

26. Eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non faciant. Sic dispones Levitis in custodiis suis.

(1) Exod. 13, v. 2; Sup. 3, v. 13; Luc. 2, v. 23.

CAPUT IX.

Jubet Deus in Sinai celebrari secundum Pascha. Dein nubis columna describitur, quæ fuit dux itineris et quietis populo Israel totis 40 annis.

1. Locutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, anno secundo postquam egressi sunt de terra Ægypti, mense primo, dicens:

2. [1] Faciant filii Israel Phase in tempore suo,

3. Quartadecima die mensis hujus ad vesperam, juxta omnes

℣. 2. *Faciant Phase*, seu celebrent pascha: primum scilicet post egressum ex Ægypto. *Juxta omnes justificationes ejus* — id est, juxta omnes ritus a Deo præscriptos Exod. 12, qui dicuntur hic *justificationes*, quia sine his nihil juste seu recte ac legitime fiebat. Igitur pueri ab egressu Ægyptiaco nati, quia necdum circumcisi erant, festi hujus epuli participes esse non poterant. Et quia deinceps annis sequentibus quotquot nascebantur in deserto, non circumcidebantur, et seniores paullatim moriebantur, hinc

(1) Exod. 12, vers. 3.

ceremonias et justificationes ejus.

4. Præcepitque Moyses filiis Israel ut facerent Phase.

5. Qui fecerunt tempore suo, quartadecima die mensis ad vesperam, in monte Sinai. Juxta omnia quæ mandaverat Dominus Moysi, fecerunt filii Israel.

6. Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere Phase in die illo, accedentes ad Moysen et Aaron,

7. Dixerunt eis: Immundi sumus super anima hominis; quare fraudamur ut non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israel?

8. Quibus respondit Moyses: State ut consulam quid præcipiat Dominus de vobis.

9. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

10. Loquere filiis Israel: Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino

11. In mense secundo, quartadecima die mensis ad vesperam: cum azymis et lactucis agrestibus comedent illud:

12. Non relinquent ex eo quippiam usque mane, [1] et os ejus non confringent, omnem ritum Phase observabunt.

13. Si quis autem et mundus est, et in itinere non fuit, et tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo: peccatum suum ipse portabit.

14. Peregrinus quoque et advena si fuerint apud vos, facient Phase Domino juxta ceremonias et justificationes ejus. Præceptum idem erit apud vos tam advenæ quam indigenæ.

15. [2] Igitur die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes.

toto illo tempore omissum fuit pascha usque ad ingressum in terram promissam.

Petes, unde habuerint Israelitæ farinam hoc paschate, ex qua panes azymos coquerent, cum victitarent manna cælesti? Respondeo, sicut ad panes propositionis, et ad varia sacrificia farinam tum hordeaceam, tum triticeam (ut patet ex præcedentibus capitibus) habuerunt ex vicina Madianitide: ita ex eadem facile tantum farinæ comparari potuit, quantum sufficeret exiguo pani azymo singulis familiis conficiendo: nam satis erat, si singuli exiguum panis istius frustulum esui agni adhiberent, ceteraque ex manna supplerent.

℣. 10. *In gente vestra*, conjunge cum *homo*, q. d. Homo de gente vestra, si primo mense *fuerit immundus super anima*, id est pollutus ex contactu cadaveris, vel curatione funeris: vel si *fuerit in via procul* — seu in remota peregrinatione, celebret is pascha suum mense secundo.

Petes primo, an idem faciendum fuerit etiam omnibus aliis alia immunditia, aut alio legitimo impedimento, primo mense detentis, v. g. morbo, peste, bello:

vel puerperis, menstruatis, seminifluis, vel contactu morticini bestiæ immundæ pollutis? Negat Serarius [3]. Sed respondeo, verisimilius esse, omnibus illis, et quotquot alio rationabili impedimento involuntario prohibiti fuissent primo mense, id secundo mense præstandum fuisse. Ita Philo, et eadem erat omnium ratio. Et exemplum Ezechiæ regis ita docet 2 Paralip. 30, celebrantis cum toto populo pascha mense secundo, sed longe aliis impedimentis quam quæ hic recensentur præpedito quo minus celebraret primo mense.

Petes secundo, quod si quis etiam secundo mensé legitime præpediretur, an poterat tertio vel quarto mense pascha celebrare? Respondeo, non potuisse, neque ejus rei vel exemplum extat, vel mentio fit uspiam in Scripturis, vel historiis.

Petes tertio, quid si quis nullo legitimo præpeditus impedimento neglexisset mense primo pascha celebrare? Respondeo, publica judicis sententia occidendus erat, ut hic dicitur vers. 13.

℣. 15. De *columna nubis* vide Ex. 13.

(1) Exod. 12, vers. 46; Joan. 19, vers. 36.

(2) Exod. 40, vv. 16, 32; Sup. 7, vers. 1.

(3) In 3 Josue q. 28.

A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis usque mane.

16. Sic fiebat jugiter : per diem operiebat illud nubes, et per noctem quasi species ignis.

17. Cumque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israel : et in loco ubi stetisset nubes, ibi castrametabantur.

18. Ad imperium Domini proficiscebantur, et ad imperium illius figebant tabernaculum. [1] Cunctis diebus quibus stabat nubes super tabernaculum, manebant in eodem loco :

19. Et si evenisset ut multo tempore maneret super illud, erant filii Israel in excubiis Domini, et non proficiscebantur

20. Quot diebus fuisset nubes super tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, et ad imperium illius deponebant.

21. Si fuisset nubes a vespere usque mane, et statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur: et, si post diem et noctem recessisset, dissipabant tentoria.

22. Si vero biduo aut uno mense vel longiori tempore fuisset super tabernaculum, manebant filii Israel in eodem loco, et non proficiscebantur : statim autem ut recessisset, movebant castra.

23. Per verbum Domini figebant tentoria, et per verbum illius proficiscebantur: erantque in excubiis Domini juxta imperium ejus per manum Moysi.

(1) 1 ad Cor. 10, vers. 1.

CAPUT X.

Jubet Deus fieri duas tubas argenteas, docetque earum usum. Mox enim inflatis tubis, movente se columna nubis, jubentur Hebræi movere castra ex Sinai in Pharan, arca præeunte.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens :

2. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem quando movenda sunt castra.

3. Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis.

4. Si semel clangueris, venient ad te principes, et capita multitudinis Israel.

5. Si autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, movebunt castra primi qui sunt ad orientalem plagam.

6. In secundo autem sonitu et pari ululatu tubæ, levabunt tento-

y. 2. *Duas tubas argenteas* — scilicet ut sint magis sonoræ. Hæ 1 Machab. 16 et a Josepho passim vocantur *sacræ tubæ*, quod usibus sacris essent deputatæ, nec nisi *a sacerdotibus* [1] inflarentur, primo, ad convocandum *populum* [2] ad concionem *circa tabernaculum*; secundo, ad *castra movenda* [3]; tertio, ad *pugnandum* [4] *cum hoste* tempore belli; quarto, in *epulo* [5] sacro, et publica populi lætitia, v. g. ob victoriam obtentam, aliave insignia beneficia. Item in festis majoribus [6], quibus totus populus Jerosolymam, vel ubi tabernaculum erat, confluebat. Denique et in Calendis [7] seu noviluniis, quæ et festa erant Judæis cessatione ab operibus servilibus, et peculiarem in templo habebant solemnitatem et victimas speciales. Harum sacrarum tubarum numerum auxit postea Salomon, teste Josepho [8], ad viginti myriades, seu ad ducenta millia.

(1) Vers. 8. (2) Vv. 2, 3 et 7.
(3) Vv. 2, 5 et 6. (4) Vers. 9.
(5) Vers. 10. (6) Ibid
(7) Ibid. (8) Lib. 8 Antiq., c. 2.

ria qui habitant ad meridiem; et juxta hunc modum reliqui facient, ululantibus tubis in profectionem.

7. Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, et non concise ululabunt.

8. Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris.

9. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum.

10. Si quando habebitis epulum, et dies festos, et calendas, canetis tubis super holocaustis et pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri. Ego Dominus Deus vester.

11. Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis, elevata est nubes de tabernaculo fœderis:

12. Profectique sunt filii Israel per turmas suas de deserto Sinai, et recubuit nubes in solitudine Pharan.

13. Moveruntque castra primi, juxta imperium Domini in manu Moysi.

14. [1] Filii Juda per turmas suas: quorum princeps erat Nahasson filius Aminadab.

15. In tribu filiorum Issachar fuit princeps Nathanael filius Suar.

16. In tribu Zabulon erat princeps Eliab filius Helon.

17. Depositumque est tabernaculum, quod portantes egressi sunt filii Gerson et Merari.

18. Profectique sunt et filii Ruben, per turmas et ordinem suum: quorum princeps erat Helisur filius Sedeur.

19. In tribu autem filiorum Simeon, princeps fuit Salamiel filius Surisaddai.

20. Porro in tribu Gad erat princeps Eliasaph filius Duel.

21. Profectique sunt et Caathitæ portantes sanctuarium. Tamdiu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum.

22. Moverunt castra et filii Ephraim per turmas suas, in quorum exercitu princeps erat Elisama filius Ammiud.

23. In tribu autem filiorum Manasse princeps fuit Gamaliel filius Phadassur:

24. Et in tribu Benjamin erat dux Abidan filius Gedeonis.

25. Novissimi castrorum omnium profecti sunt filii Dan per turmas suas, in quorum exercitu princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai.

26. In tribu autem filiorum Aser erat princeps Phegiel filius Ochran.

℣. 21. *Caathitæ portantes sanctuarium* — Hoc est, res sanctuarii, mensam, candelabrum, altare incensi, etc. Hæc humeris suis deferebant semper Caathitæ in medio duodecim tribuum, quarum sex præcedebant illos, sex aliæ sequebantur. Porro reliqua tabernaculi supellex, et ejusdem structura, a Gersonitis et Meraritis devehebatur plaustris post tres primas tribus, novem reliquis subsequentibus. Devehebatur, inquam, *donec veniretur ad erectionis locum*, nubis columna jam quiescente. In Hebræo, Chaldæo et LXX est, *erigebant tabernaculum*, scilicet Gersonitæ, *quoadusque venirent ipsi* Caathitæ, qui res sanctuarii in illud jam erectum inferrent. Et hæc videtur ratio fuisse, cur Gersonitæ et Meraritæ non cum Caathitis in medio castrorum incederent, sed præirent, ut interea dum hi adventarent cum sacratiore supellectili, tempus illis suppeteret erigendi tabernaculum in quod illa inferretur. Ceterum ipsa arca sub columna nubis semper tota castra præcedebat, quæ dum quiescerent, referri debebat a primis initiis castrorum, post priores tribus ad locum tabernaculi a Levitis interea erecti.

(1) Supr. 1, vers. 7.

27. Et in tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan.

28. Hæc sunt castra, et profectiones filiorum Israel per turmas suas quando egrediebantur.

29. Dixitque Moyses Hobab filio Raguel Madianitæ, cognato suo: Proficiscimur ad locum quem Dominus daturus est nobis: veni nobiscum, ut benefaciamus tibi: quia Dominus bona promisit Israeli.

30. Cui ille respondit: Non vadam tecum, sed revertar in terram meam, in qua natus sum.

31. Et ille: Noli, inquit, nos relinquere: tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster.

32. Cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi.

33. Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres providens castrorum locum.

34. Nubes quoque Domini super eos erat per diem cum incederent.

35. Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses: [1] Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te, a facie tua.

36. Cum autem deponeretur, ajebat: Revertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel.

℣. 29. *Dixit Moyses Hobab filio Raguel* — seu filio Jethro soceri sui sacerdotis Madian, qui et Raguel vocabatur, Exodi 2 et 3. Non ergo erat ipsemet Jethro, ut vult Abulensis, Lyranus et Scaliger ex traditione Rabbinorum; sed filius Jethro cognatus Moysis, cujus sororem Moyses in conjugem acceperat. Ita Theodoretus, Paulus Burgensis, Cajetanus, Oleaster et alii.

Petes primo, quomodo Moyses audet hunc petere ductorem in desertis locis, cum nubes a Deo dux ipsis viarum assignata esset? Respondeo, non petit illum habere ducem viæ, sed ducem consilio in variis et anxiis dubiis, quæ per viam occurrere solent, v. g. ubinam essent fontes, qua parte firmanda adversus vicinos hostes castra, etc.

Petes secundo, an manserit Hobab cum Moyse? Respondeo, ita prorsus videri. Quin et triginta octo post annis, cum exscindendi essent Madianitæ, evocavit inde Moyses etiam reliquos filios Jethro affines suos, qui cum Hebræis deinde ingressi sunt terram promissam, ut patet Judicum 4, v. 11, vocabanturque Cinæi Judicum 1, vers. 16, a cognomine Jethro qui Cinæus vocabatur. Et hi inter Judæos sedem stabilem fixerunt, non tam in domibus, quam in tabernaculis, ac fere in solitariis locis piam religiosamque vitam ducentes, a vino et aliis deliciis abstemii, continua legis divinæ meditatione ac contemplatione occupati. Ut colligitur ex Judicum 1 et 4, clarius ex 1 Paralip. 2, vers. ult., clarissime ex Jeremiæ 35, ubi Rechabitæ vocantur a *Rechab*, qui erat vel hic Hobab, vel parens ejus Jethro, ut fuse docet Serarius: vel, ut melius a Lapide [2] et quidam alii, erat parens Jonadabi socii regis Jehu, 4 Reg. 10, v. 23; hujus enim Jonadabi parens diserte vocatur Rechab, Jeremiæ 35, v. 6. Recte vero probat idem Serarius [3] ex S. Nilo et Suida, Rechabitas eosdem fuisse cum Essenis: et ab his vitam anachoreticam ac monasticam ad Christianos derivatam esse, ut non jam ab Elia, sed ab hoc Hobab viro pio ac sancto, initium vitæ religiosæ peti possit. Idem hi Cinæi cum Judæis, inter quos morabantur, et reliqui quoque Cinæi Jethronis posteri, qui in Madianitide remanserunt, post multa secula vastandi, et ab Assyriis in captivitatem abducendi prædicuntur Numeror. 24, vers. 22. Ex iisdem ortus erat Haber Cinæus, Judicum 4, cujus uxor Jabel Sisaram occidit.

(1) Psalm. 67, vers. 2.
(2) In Jer. 35, v. 2.
(3) In Trihæresio l. 3, c. 9, 10, etc.

CAPUT XI.

Murmurat populus primum ex fatigatione; dein ob carentiam carnium et cæparum Ægypti. Immittuntur coturnices pro integro mense. Levando quoque oneri Moysis, prophetico spiritu donantur septuaginta viri; qui initium fecerunt Synedrio Judæorum. Qui ob murmurationem plectuntur igne cælesti et aliis plagis.

1. Interea ortum est [1] murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cum audisset Dominus, iratus est. Et [2] accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem.

2. Cumque clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses ad Dominum, et absorptus est ignis.

3. Vocavitque nomen loci illius, Incensio: eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini.

4. Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio, sedens et flens, junctis sibi pariter filiis Israel, et ait: [3] Quis dabit nobis ad vescendum carnes?

5. Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique, et cæpe, et allia.

6. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.

7. [4] Erat autem Man quasi semen coriandri, coloris bdellii.

8. Circuibatque populus, et colligens illud, frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, et faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati.

9. Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter et Man.

10. Audivit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorii sui. Iratusque est furor Domini valde: sed et Moysi intoleranda res visa est;

11. Et ait ad Dominum: Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? et cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?

12. Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram, pro qua jurasti patribus eorum?

13. Unde mihi carnes ut dem tantæ multitudini? flent contra me, dicentes: Da nobis carnes ut comedamus.

14. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi.

℣. 4. *Vulgus promiscuum* scilicet Ægyptii: et si qui forte aliarum nationum alii, qui Israelitis, ex Ægypto recedentibus se conjunxerant, Exodi 12, v. 38. Hi inquam hujus murmurationis auctores et incentores fuere. Et erant hi in extrema castrorum parte, ut fere vulgus solet: unde mirum non est, *ignem Domini*, id est ignem maximum a Deo derepente excitatum, extremam potius castrorum partem, utpote in qua murmuratores isti restiterant, quam aliam quamvis partem corripuisse.

℣. 14. *Non possum solus sustinere* — Quomodo queri poterat Moyses se solum sustinere totum pondus, cum jam antea consilio Jethro, Exodi 18, junctos sibi haberet tot millenarios, centenarios, quinquagenarios, decanos, judices, qui eum sublevabant, et minores causas ju-

(1) Psalm. 77, vers. 19; 1 ad Cor. 10, vers. 10.
(2) Ps. 77, vers. 21. (3) 1 ad Cor. 10, v. 3.
(4) Exod. 16, vers. 14; Ps. 77, vers. 24; Sap. 16, vers. 20; Joan. 6, vers. 31.

15. Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.

16. Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri: et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum,

17. Ut descendam et loquar tibi: et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris.

18. Populo quoque dices: Sanctificamini: cras comedetis carnes.

dicabant? Respondeo, omnes isti solum in civili administratione ac forensibus negotiis Moysen juvabant, sed curam spiritualium solus ipse sustinebat, ut erat Deum consulere, legis difficultates explanare, populum docere et instruere, etc. Et defectui instructionis populi videtur hic Moyses adscribere hanc populi murmurationem et carnium expostulationem. Cui proinde, uti justæ, Moysis querelæ obsecutus Deus, dispertivit onus illius in 70 seniores, quos eodem spiritu prophetico instruxit, quo Moyses instructus erat, ut exemplo Moysis populum ipsi quoque instruerent, et occurrentes difficultates partim sua prudentia, partim recursu ad Deum componere studerent. Unde non alia ratione dicit hic Deus, *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis*, quam sicut ab una candela lumen aufertur quo plures aliæ candelæ accenduntur, nihil tamen luminis priori candelæ detrahendo. Ita Origenes, Augustinus, Theodoret. [1]. Addit Lyranus, Moysen etiam morali influxu, licet imperfecto, nempe per desiderium ac preces suas, ad hujus spiritus in alios effusionem concurrisse.

Petes primo, qualis fuerit hæc prophetia horum septuaginta? Respondeo, mixtam fuisse ex propria et stricte sumpta prophetia, qua futura et occulta panduntur: et latius atque improprie sumpta, qua qui divinas laudes canunt, vel Scripturas interpretantur, vel divina mysteria exponunt, prophetare dicuntur. Et quidem de Eldad et Medad, qui ex humilitate se subduxerant [2], neque ad tabernaculum cum reliquis a Moyse designatis accurrerant, nonnulli Hebræi tradunt, prophetasse de Moysis morte, et Josue in principatum successione. Similia habes in Thargo [3] Jerosolymitano. Et hanc dicunt rationem fuisse cur Josue a Moyse petierit duos istos præ ceteris prohiberi. Quamvis alii velint, id Josue ex metu petiisse, ne Moysis auctoritati ex horum duorum prophetatione aliquid decederet, eo quod isti non ad Moysis præsentiam et præsentationem, ac forte etiam deprecationem, ut ceteri, apud tabernaculum accepissent spiritum propheticum, sed quasi independenter a Moyse, cui illum acceptum ferre non deberent.

Petes secundo, an hic spiritus in omnibus illis continuo permanserit? Respondeo, ita noster Interpres affirmat v. 25, et Oleaster, et Fursterus, et Tigurini, et Chaldæus, sed LXX interpretes cum Cajetano et Vatablo ibidem versione plane contraria dicunt, illos quidem eo die prophetasse, at postea desiisse prophetare. Sed utramque versionem (quam utramque fert verbum Hebræum *jasaph* [4]) commode conciliabis, si dicas, non cessasse umquam in eis spiritum prophetiæ in actu primo, et etiam quoad ordinarios actus secundos, quibus ad judicandum et instruendum populum divinis illustrationibus sæpe indigebant: cessasse tamen quoad actus illos extraordinarios, et insolentem prophetandi modum, quo prima illa die correpti fuerunt, ut quasi entheati, et alieno potius quam proprio spiritu acti, mira stupendaque proderent: ut Sauli post, et aliis pluribus accidit [5].

Nota, hos 70 seniores non solum separatim, necessitate sic exigente, ut jam dixi, populum docuisse, ac judicasse, sed etiam communi subinde consilio res majoris momenti definiisse, et vice Moysis difficultates dissolvisse, tamquam supremum quoddam Judaicæ monarchiæ concilium ac senatum, a quo nulla deinceps esset appellatio. Unde *Sanedrim* Judæorum exordium sumpsit.

(1) Orig. hom 6 in Num.; Aug. q. 18 in Num.; Theod. etiam q. 18.

(2) Ita Hieronym. ep. 127; Strabus, Cajetanus, Abulensis, Lyranus, Sa, Bonfrer.

(3) Apud Serarium in l. 1 Josue, c. 7, v. 4.

(4) סָפַח.

(5) 1. Reg. 10 et 19.

Ego enim audivi vos dicere: Quis dabit nobis escas carnium? bene nobis erat in Ægypto. Ut det vobis Dominus carnes, et comedatis:

19. Non uno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem,

20. Sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, et vertatur in nauseam, eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, et fleveritis coram eo, dicentes: Quare egressi sumus ex Ægypto?

21. Et ait Moyses: Sexcenta millia peditum hujus populi sunt; et tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro?

22. [1] Numquid ovium et boum multitudo cædetur, ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient?

23. Cui respondit Dominus: [2] Numquid manus Domini invalida est? Jam nunc videbis utrum meus sermo opere compleatur.

24. Venit igitur Moyses, et narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum.

25. Descenditque Dominus per nubem, et locutus est ad eum, auferens de spiritu qui erat in Moyse, et dans septuaginta viris. Cumque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt.

26. Remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, et alter Medad, super quos requievit Spiritus; nam et ipsi descripti fuerant, et non exierant ad tabernaculum.

27. Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, et nuntiavit Moysi, dicens: Eldad et Medad prophetant in castris.

28. Statim Josue filius Nun, minister Moysi, et electus e pluribus, ait: Domine mi Moyses, prohibe eos.

29. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus Spiritum suum?

30. Reversusque est Moyses, et majores natu Israel in castra.

31. [3] Ventus autem egrediens a Domino, arreptas trans mare coturnices detulit, et demisit in castra itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram.

32. Surgens ergo populus toto die illo, et nocte, ac die altero, congregavit coturnicum, qui parum,

℣. 31. *Coturnices* — Septuaginta et liber Sapientiæ habent *ortygometram* [4], quam Hesychius vocat *coturnicem maximam*; Galli et Itali, *regem* vel *matrem coturnicum*; hæc enim reliquis coturnicibus dux esse solet cum ad calidiores regiones agminatim devolant, teste Aristotele, Solino, Plinio [5] et aliis. Verum, quia dux et imperator numquam est sine exercitu, hinc Septuaginta et alii, cum dicunt delatam in castra ortygometram, innuunt etiam aliarum coturnicum ingentes copias eodem delatas fuisse. Certe ducentis hominum myriadibus, quot erant tunc temporis in castris, toto mense alendis, opus fuit innumeris coturnicum myriadibus. Unde merito David, ad hanc ipsam copiam indicandam ait: *Pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata* [6]. Sed immensæ copiæ miraculum augebat etiam ipsa qualitas et præstantia horum volatilium: nam coturnices Judæis in deliciis fuisse, testis est Philo: et Athenæus inter lautiora mensæ fercula recenset: Aristoteles perdicibus eas comparat: et nostri seculi mores idem probant [7].

(1) Joan. 6, vers. 10. (2) Isa. 59, vers. 1.
(3) Ps. 77, vv. 26, 27.
(4) ὀρτυγομήτραν. — Sap. 16 et 19.
(5) Arist. l. 8 Hist. anim., c. 12; Solin. c. 17; Plin. l. 10, c. 23. (6) Psalm. 77.
(7) Philo l. 1 de Vita Moys.; Athen. l. 9 Dipnosoph.; Arist. supr.

decem coros: et siccaverunt eas per gyrum castrorum.

33. [1] Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus: et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.

34. Vocatusque est ille locus, Sepulcra concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt populum qui desideraverat. Egressi autem de sepulcris concupiscentiæ, venerunt in Haseroth, et manserunt ibi.

(1) Ps. 77, 30.

CAPUT XII.

Maria ob murmur contra fratrem suum Moysen lepra corripitur, et castris ejicitur. Sed orante pro ea Moyse, post septem dies sanatur et in castra reducitur.

1. Locutaque est Maria et Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam,

2. Et dixerunt: Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne et nobis similiter est locutus? Quod cum audisset Dominus,

3. (erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra)

℣. 1. *Propter uxorem ejus Æthiopissam* — quæ erat Sephora Madianitis filia Jethro. Pro quo Nota, duplicem esse Æthiopiam: Occidentalem unam in Africa remotius ultra Ægyptum porrectam, zonæque Torridæ subjectam: cui nunc imperat Præsto-Joannes. Alteram Orientalem, quæ alias Arabia dicitur, certe Arabiæ pars est, complecturque Madianitas aliosque populos qui ad Arabicum sinum vergunt versus Austrum. Ita Herodotus, Plinius [1], S. Augustinus, Theodoretus et alii. Et ex hoc capite vocatur Sephora *Æthiopissa*, quia Madianitis. Æmula hæc erat et exosa Mariæ sorori Moysis, quam vero ob rem, incertum. An forte, quia uxor erat Moysis principis omnium supremi, voluit præferri Mariæ, quæ non nisi soror erat? ita censet Abulensis. An, ut Theodoretus, quod deformis esset? An denique, ut alii, quod alienigena esset? ac proinde convenire judicarent tam Aaron quam Maria, ut a thoro principis abesset quæ vel forma vel natalibus suis tam sublimi officio ac dignitati mariti non parum detraheret. Moyse vero hæc et similia illis urgentibus, forsan et exprobrantibus, mansuete respondente, se salva conscientia non posse sine justiore causa illam dimittere, certoque sibi ex Dei revelatione constare, id nequaquam licere; verosimile est, illos regessisse, se æque prophetas esse, et cum Deo collocutos, ut scire possent quid liceret. Quin et inter notos ac familiares hac de re sæpius questos esse colligitur ex versu 2, Moyse incredibili mansuetudine omnia dissimulante; donec Deus injuriæ amico suo illatæ judex ac vindex palam docuit, donum prophetiæ concessum Moysi multum præcellere dono quod Aaroni, Mariæ, aliisve Prophetis communicatum esset: scilicet quod his tantum revelatio fieret per imagines seu formas rerum sensibilium in phantasia repræsentatas, sive ea dormientibus fieret, sive vigilantibus et sensu utentibus, sic currum Cherubinorum vidit Ezechiel, ollam succensam et virgam vigilantem Jeremias, Daniel tot bestias, etc. [2] at Moysi revelatio fieret per intellectualem visionem absque interventu phantasmatum et formarum sensibilium, et quidem de rebus maxime arcanis prorsusque divinis, quod est nobilissimum prophetiæ donum quod in hac vita Deus communicat, nec nisi intimis amicis suis. Et Aaron quidem his auditis videtur resipuisse, ac proinde pœnam evasisse. Maria vero pertinacior in scelere, lepra subito perfusa fuit, et castris expulsa.

(1) Herod. l. 7; Plin. l. 5, c. 8.

(2) Ezech. 1; Jerem. 1; Dan. 7.

4. Statim locutus est ad eum, et ad Aaron et Mariam: Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis. Cumque fuissent egressi,

5. Descendit Dominus in columna nubis, et stetit in introitu tabernaculi, vocans Aaron et Mariam. Qui cum issent,

6. Dixit ad eos: Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.

7. At non talis servus meus Moyses, [1] qui in omni domo mea fidelissimus est:

8. [2] Ore enim ad os loquor ei: et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi?

9. Iratusque contra eos, abiit:

10. Nubes quoque recessit quæ erat super tabernaculum: [3] et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. Cumque respexisset eam Aaron, et vidisset perfusam lepra,

11. Ait ad Moysen: Obsecro, Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte commisimus,

12. Ne fiat hæc quasi mortua, et ut abortivum quod projicitur de vulva matris suæ; ecce jam medium carnis ejus devoratum est a lepra.

13. Clamavitque Moyses ad Dominum, dicens: Deus obsecro, sana eam.

14. Cui respondit Dominus: Si pater ejus spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, et postea revocabitur.

15. Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus: et populus non est motus de loco illo, donec revocata est Maria.

℣. 14. *Si pater ejus* graviter iratus filiæ, *spuisset in faciem illius — nonne deberet* illa præ *rubore* aliquot *diebus* vitare conspectum patris quem tam graviter offendisset? Subaudi, multo magis debet pudefieri et confundi Maria ob indignationem meam, et a conspectu meo refugere, qui non sputo, sed lepra faciem ejus perfudi. Unde et mox subdit: *Separetur septem diebus extra castra*, et a conspectu meo arceatur, ac pudore tantisper suffundatur.

(1) Ad Hebr. 3, vers. 2. (2) Exod. 33, 11. (3) Deut. 24, vers. 9.

CAPUT XIII.

Moyses mittit duodecim exploratores in Chananæam. Referunt illi post 40 dies ingentis ponderis botrum in vecte: sed falso exaggerantes urbium et incolarum robur, Hebræos ab ea occupanda deterrent, et ad seditionem excitant, frustra renitente Caleb et Josue.

1. Profectusque est populus de Haseroth, fixis tentoriis in deserto Pharan;

2. Ibique locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

3. Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus, ex principibus.

4. Fecit Moyses quod Dominus imperaverat, [1] de deserto Pharan mittens principes viros, quorum ista sunt nomina.

5. De tribu Ruben, Sammua filium Zechur.

6. De tribu Simeon, Saphat filium Huri.

7. De tribu Juda, Caleb filium Jephone.

(1) Deut. 1, vers. 22.

8. De tribu Issachar, Igal filium Joseph.

9. De tribu Ephraim, Osee filium Nun.

10. De tribu Benjamin, Phalti filium Raphu.

11. De tribu Zabulon, Geddiel filium Sodi.

12. De tribu Joseph, sceptri Manasse, Gaddi filium Susi.

13. De tribu Dan, Ammiel filium Gemalli.

14. De tribu Aser, Sthur filium Michael.

15. De tribu Nephthali, Nahabi filium Vapsi.

16. De tribu Gad, Guel filium Machi.

17. Hæc sunt nomina virorum, quos misit Moyses ad considerandam terram: vocavitque Osee filium Nun, Josue.

18. Misit ergo eos Moyses ad considerandam terram Chanaan, et dixit ad eos: Ascendite per meridianam plagam. Cumque veneritis ad montes,

19. Considerate terram, qualis sit: et populum qui habitator est ejus, utrum fortis sit an infirmus: si pauci numero an plures:

20. Ipsa terra, bona an mala: urbes quales, muratæ an absque muris:

21. Humus, pinguis an sterilis, nemorosa an absque arboribus. Confortamini, et afferte nobis de fructibus terræ. Erat autem tempus quando jam præcoquæ uvæ vesci possunt.

22. Cumque ascendissent, exploraverunt terram a deserto Sin, usque Rohob intrantibus Emath.

23. Ascenderuntque ad meridiem, et venerunt in Hebron, ubi erant Achiman et Sisai et Tholmai filii Enac; nam Ebron septem annis ante Tanim urbem Ægypti condita est.

24 [1] Pergentesque usque ad Torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis et de ficis loci illius tulerunt:

℣. 17. *Vocavitque* Moyses *Osee Josue* — nimirum additione Jod, quæ prima est littera in nomine Dei tetragrammato, quæ subinde pro toto nomine proprio poni solet, ut fit in aliis etiam nominibus, v. g. apud Romanos, C. pro Cajo: P. pro Publio: M. T. C. pro Marco Tullio Cicerone. Addidit vero Moyses hanc nomini illius litterulam, ut quod antea significabat *salvatorem*, jam significaret *Domini salvatorem*, nempe destinatum a Deo salvatorem, et per quem Deus populum salvare decrevisset. Ut sic typus per omnia congrueret veritati, et Josue non tantum rebus gestis, sed et ipso suo nomine referret verum *Jesum* nostrum Salvatorem. Unde et LXX pro *Josue* ubique vertunt, Ἰησοῦν, *Jesum*. Videtur vero hoc nomen illi a Moyse mutatum fuisse non modo (cum nulla jam adesset occasio id honoris illi præ ceteris principibus exhibendi), sed paucis ante mensibus, cum debellando Amalecitas, Exodi 17, salvatoris officio jussu Dei primum fungi cœpit: nam ex tunc, et semper deinceps vocatur non Osee, sed Josue. Ita Origenes, Augustinus, Theodoretus, Cajetanus, Oleaster, Serarius, contra Justinum, Lyranum et Abulensem [2].

℣. 23. *Filii Enac* — Id est posteri illius famosi gigantis *Enac*, qui urbem *Hebron* incolebant. Quod nomen licet uni proprium fuerit, subinde tamen appellative in Scripturis ponitur pro quovis gigante: et sic fere usurpant LXX et Chaldæus. Hujus *Enac* parens *Arbe* dictus fuit Josue 15, v. 13 et ipse gigas, unusque e maximis, a quo *Hebron* prius dicta fuit *Cariatharbe*, id est *civitas Arbe*, Josue 14, v. ult.

℣. 24. *Palmitem cum uva sua* — Hebraice, cum botro uvarum, *portaverunt in vecte duo viri*, forte Josue et Caleb. Nam reliqui jam tunc videntur parum

(1) Deut. 1, vers. 24.

(2) Orig. hom. 11 in Exod.; Aug. serm. 93 de Temp.; Theod. q. 34 in Exod.; Cajet. hic et Oleaster; Serar. l. 1 Josue c. 2, q. 6; Justin. contra Tryphon.

25. Qui appellatus est Nehelescol, id est, Torrens botri, eo quod botrum portassent inde filii Israel.

26. Reversique exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circuita,

27. Venerunt ad Moysen et Aaron et ad omnem cœtum filiorum Israel in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutique eis et omni multitudini ostenderunt fructus terræ:

28. Et narraverunt, dicentes: Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte et melle, ut ex his fructibus cognosci potest:

29. Sed cultores fortissimos habet, et urbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi.

30. Amalec habitat in meridie, Hethæus et Jebusæus et Amorrhæus in montanis: Chananæus vero moratur juxta mare et circa fluenta Jordanis.

31. Inter hæc Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait: Ascendamus, et possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.

32. Alii vero, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est.

33. Detraxeruntque terræ, quam inspexerant, apud filios Israel, dicentes: Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est.

34. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati, quasi locustæ videbamur.

propensi fuisse ad regionis fertilitatem vel verbis deprædicandam, quanto minus ad tanto labore comprobandam. Vide Serarium [1]. Porro ingentis magnitudinis botrum hunc fuisse Scriptura indicat, cui deportando et vectis, et duo robustissimi viri necessarii fuerint. De similibus quibusdam ingentis ponderis botris, etiam qui currui justum essent pondus, vide Plinium et Serarium [2].

℣. 33. *Terra devorat habitatores suos* — Quo rictu? quo dente? an terræmotu? an latrociniis, aut civilibus atque intestinis bellis? Non ita intellexerunt exploratores: sed aere noxio ac pestilente plurimos confici fingebant, ut hoc terrore populum magis ab ea regione averterent. Quid enim magis horrent mortales quam aerem infestum et insalubrem?

Et hoc erat splendidum istorum exploratorum mendacium. In ceteris, licet vera dicerent majori ex parte, peccabant tamen etiam gravissime, quod quæ laudanda essent, oculis, gestu, modo referendi minuerent ac deprimerent: contra vero, pericula omnia, oculorum, vultus, gestus acrimonia in majus extollerent. Addit Josephus, acerbe inculcasse, magnos et profundos amnes esse superandos, arduos montes transcendendos, etc. Et licet falsæ horum depositioni fortissime sese opponeret *Caleb* non solus, licet hic solius ipsius fiat mentio, sed una cum *Josue*, ut ex sequentibus patet, et Ecclesiasticus [3] expresse affirmat, non tamen creditum fuit paucis contra multos testantibus.

(1) Sup. c. 8, q. 7.
(2) Plin. l. 14, c. 1; Serar. sup.

(3) Num. 14, vv. 6 et 30, et c. 32, vers. 12, et Deut. 1, vers. 36; Eccli. 46, vers. 9.

CAPUT XIV.

Murmurantes Hebræos et in Ægyptum regredi volentes, perdere vult Deus: sed orante Moyse, parcit quidem, sed cum hac pœna, ut nemo murmurantium ingrediatur terram promissam. Cumque facti pœniteret Hebræos, et contra Dei jussum in hostes pugnatum irent, cæduntur a Chananæis.

1. Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illa,

2. Et murmurati sunt contra Moysen et Aaron cuncti filii Israel, dicentes:

3. Utinam mortui essemus in Ægypto: et in hac vasta solitudine utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, et uxores ac liberi nostri ducantur captivi. Nonne melius est reverti in Ægyptum?

4. Dixeruntque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum.

5. Quo audito, Moyses et Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israel.

6. [1] At vero Josue filius Nun, et Caleb filius Jephone, qui et ipsi lustraverant terram, sciderunt vestimenta sua,

7. Et ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt: Terra, quam circuivimus, valde bona est.

8. Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, et tradet humum lacte et melle manantem.

9. Nolite rebelles esse contra Dominum: neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem ita eos possumus devorare; recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere.

10. Cumque clamaret omnis multitudo, et lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israel.

11. Et dixit Dominus ad Moysen: Usquequo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi, in omnibus signis quæ feci coram eis?

12. Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam: te autem faciam principem super gentem magnam, et fortiorem quam hæc est.

13. Et ait Moyses ad Dominum: Ut audiant Ægyptii, de quorum medio eduxisti populum istum,

14. Et habitatores terræ hujus, qui audierunt quod tu, Domine, in populo isto sis, et facie videaris ad faciem, [2] et nubes tua protegat illos, et in columna nubis præcedas eos per diem, et in columna ignis per noctem:

15. Quod occideris tantam multitudinem, quasi unum hominem, et dicant:

16. Non poterat introducere populum in terram, pro qua juraverat: [3] idcirco occidit eos in solitudine.

17. Magnificetur ergo fortitudo Domini sicut jurasti, dicens:

18. [4] Dominus patiens et multæ misericordiæ, [5] auferens iniquitatem et scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui [6] visitas peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem.

19. Dimitte, obsecro, peccatum

℣. 18. *Nullumque innoxium derelinquens: qui visitas peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem* — Vide hæc explicata Exodi 20. Sed

(1) Eccli. 46, vers. 9; 1 Mach. 2, vv. 55, 56.
(2) Exod. 18, vers. 21.
(3) Exod. 32, vers. 28. (4) Ps. 102, vers. 8.
(5) Exod. 34, vers. 7. (6) Exod. 20, vers. 5.

populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum.

20. Dixitque Dominus: Dimisi juxta verbum tuum.

21. Vivo ego: et implebitur gloria Domini universa terra.

22. Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ,

23. [1] Non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam.

24. [2] Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuivit: et semen ejus possidebit eam.

25. Quoniam Amalecites et Chananæus habitant in vallibus. Cras movete castra, et revertimini in solitudinem per viam maris Rubri.

26. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:

27. Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? querelas filiorum Israel audivi.

28. Dic ergo eis: Vivo ego, ait Dominus: sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis.

29. [3] In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Omnes qui numerati estis a viginti annis et supra, et murmurastis contra me,

30. [4] Non intrabitis terram, super quam levavi manum meam ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, et Josue filium Nun.

31. Parvulos autem vestros, de quibus dixistis quod prædæ hostibus forent, introducam: ut videant terram, quæ vobis displicuit.

32. Vestra cadavera jacebunt in solitudine.

33. Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, et portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto,

hinc patet, non intendisse Moysen, neque petiisse a Deo, ut hoc tam enorme scelus maneret impunitum: sed solum, ne Deus totum populum simul et semel deleret, uti visus fuerat comminari. Itaque hoc erat Moysis argumentum: Tu Deus, qui nosti neminem per se innocentem esse, sed omnes in peccata pronos: qui etiam dum punis soles misericordiam tuam admiscere, tarde et quasi invite puniendo, nec nisi post tertiam fere vel quartam generationem pœnam infligendo, neque etiam ulterius protrahendo: non enim soles ob quantumcumque enorme scelus integrum populum ad internecionem perdere. Id experti sumus toto tempore quo ex Ægypto egressi sumus, et in deserto sæpius ad iracundiam te provocavimus, nunc vitulum adorando, nunc cæpas et allia expetendo. Quare precor ut eadem misericordia utaris etiam nunc in hoc rebellionis novo scelere puniendo.

℣. 22. *Tentaverunt me jam per decem vices* — id est, sæpius: licet et hic denarius numerus tentationum facile ab illis completus fuerit, ut enumerat Bonfrerius et alii. Et ostendi in Chronico [5].

℣. 25. *Quoniam Amalecites et Chananæus habitant in vallibus* — Id est, castrametantur in vallibus his vobis vicinis, vobisque inde insidiantur; ne quid forte periculi ex ea parte obveniat, festinate hinc recedere, cras movete castra, et in desertum redite; q. d. Si enim ulterius progrediamini, vel hic hæreatis: eorum gladio corruetis, propterea quod ego vobis non adero, nec defendam. Ut res ipsa post docuit, versu ultimo. Hinc patet, non agi hoc vers. 25 de habitatione firma ac stabili Amalecitarum (nam talem habebant in montibus, ut dicitur in fine capitis), sed solum de habitatione castrensi, pro tanto tempore quanto opus esset ad præpediendum Israelitis ingressum in terram sanctam.

(1) Deut. 1, vers. 35. (2) Jos. 14, 6.
(3) Infra 32, vers. 10; Ps. 105, vers. 26.
(4) Deut. 1, vers. 35.
(5) Cap. 19 in fine anni secundi.

34. Juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram: [1] annus pro die imputabitur. [2] Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, et scietis ultionem meam:

35. Quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit adversum me: in solitudine hac deficiet, et morietur.

36. [3] Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam terram, et qui reversi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ quod esset mala,

37. Mortui sunt atque percussi in conspectu Domini.

38. Josue autem filius Nun, et Caleb filius Jephone, vixerunt ex omnibus qui perrexerant ad considerandam terram.

39. Locutusque est Moyses universa verba hæc ad omnes filios Israel, et luxit populus nimis.

40. Et ecce mane primo surgentes ascenderunt verticem montis, atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum de quo Dominus locutus est; quia peccavimus.

41. Quibus Moyses: Cur, inquit, transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum?

42. [4] Nolite ascendere: non enim est Dominus vobiscum: ne corruatis coram inimicis vestris.

43. Amalecites et Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino, nec erit Dominus vobiscum.

44. At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca autem testamenti Domini et Moyses non recesserunt de castris.

45. Descenditque Amalecites et Chananæus, qui habitabat in monte: et percutiens eos atque concidens, persecutus est eos usque Horma.

℣. 37. *Mortui sunt atque percussi in conspectu Domini* — Hoc est, subita morte prostrati sunt, gloria Domini sese adhuc visendam exhibente insolito horrificoque splendore supra tabernaculum. Quidam volunt, peste illos extinctos: alii igne cælitus misso: Rabbini quidam, linguæ tumore quo respiratio præpediretur. Sed nil opus erat Deo ejusmodi telis, ut repentina morte illos extingueret, cum vel sola concursus sui ad vitam unionemque animæ necessarii subtractione id efficere potuerit. Et hoc fuit publicum ac subitaneum mendacium exploratorum supplicium. Ceterorum vero murmuratorum ac rebellium Israelitarum ut lentum, ita magis occultum fuit: omnes tamen illud subierunt, puta sexcenta tria armatorum millia, quingenti et quinquaginta, quot nempe a vigesimo vitæ anno usque ad quinquagesimum numerati fuerant ab egressu ex Ægypto. Nam omnes paullatim in deserto, spatio 40 annorum extincti sunt, solis Josue et Caleb exceptis. Neque hoc numero comprehensi fuerunt senes ultra quinquagesimum tunc annum: neque Levitæ ulli, neque mulieres, neque pueri vel adolescentes infra vigesimum annum: licet multi etiam horum, ut rebellionis socii, ita rebellantium pœnæ participes fuerint, verisimile tamen est, multos quoque horum fuisse innoxios, et terram sanctam ingressos.

(1) Ezech. 4, 6. (2) Ps. 94, vers. 10. (3) Judith 8, vers. 24; 1 ad Cor. 10, 10; Ad Hebr. 3, v. 17; Judæ 5. (4) Deut. 1, vers. 42.

CAPUT XV.

Mensura libaminum singulis hostiis præscribitur. Item lex de primitiis panum, messis, et uvarum. De fimbris in extremitate vestium. Denique colligens ligna in sabbato, jubetur lapidari.

1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:
2. Loquere ad filios Israel, et dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram habitationis vestræ, quam ego dabo vobis,
3. Et feceritis oblationem Domino in holocaustum, aut victimam, vota solventes, vel sponte offerentes munera, aut in solemnitatibus vestris adolentes odorem suavitatis Domino, de bobus sive de ovibus:
4. Offeret quicumque immolaverit victimam, sacrificium similæ, decimam partem ephi, conspersæ oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin:
5. Et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ dabit in holocaustum sive in victimam. Per agnos singulos
6. Et arietes erit sacrificium similæ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ partis hin:
7. Et vinum ad libamentum tertiæ partis ejusdem mensuræ offeret in odorem suavitatis Domino.
8. Quando vero de bobus feceris holocaustum aut hostiam, ut impleas votum vel pacificas victimas,
9. Dabis per singulos boves similæ tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin:
10. Et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ in oblationem suavissimi odoris Domino.
11. Sic facies
12. Per singulos boves et arietes et agnos et hœdos.
13. Tam indigenæ quam peregrini
14. Eodem ritu offerent sacrificia.
15. Unum præceptum erit atque judicium tam vobis quam advenis terræ.
16. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:
17. Loquere filiis Israel, et dices ad eos:
18. Cum veneritis in terram, quam dabo vobis,
19. Et comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino

℣. 3. *Offerentes odorem suavitatis Domino* — Hoc est, offerentes *holocaustum* vel *victimam pacificam*. Nam neutrum horum offerri Deo poterat absque *libamine*, quod erat quasi condimentum sacrificii et convivii Dei. At in sacrificiis *pro peccato* vel *delicto* nulla adhibebantur libamina, propter rationem supra allatam cap. 4 Levitici. Nisi forte in casu particulari ex causa peculiari Deus aliqua subinde adhiberi jussisset.

Nota, quinque fuisse genera libaminum, puta *similam, oleum, vinum, sal* et *thus*. Et solent hæc omnia in Dei honorem integra vel cremari vel libari, etiam Josepho teste [1]. Secus erat cum aliquid horum non per modum libaminis aut accessorii, sed per se solitarium, et in modum principalis hostiæ seu oblationis Deo offerretur, ut sæpe simila offerrebatur: tunc enim parte dumtaxat modica in altari cremata, reliquum sacerdoti cedebat.

℣. 19. *Primitias de cibis vestris* — Hebræus, Chaldæus et LXX primitias conspersionis, seu massæ farinæ conspersæ et subactæ, quam vers. 21 *pulmentum* vocat. Jubet enim hic Deus, quod quemadmodum *de area* seu messe minimum sexagesimam partem teste S. Hieron. [2] seponebant primitiarum nomine sacerdotibus offerendam, quibus jussu Dei ce-

(1) Lib. 3 Antiq., c. 10.

(2) In Ezech. 45.

20. De cibis vestris. Sicut de areis primitias separatis,

21. Ita et de pulmentis dabitis primitiva Domino.

22. Quod si per ignorantiam præterieritis quidquam horum quæ locutus est Dominus ad Moysen,

23. Et mandavit per eum ad vos, a die qua cœpit jubere et ultra,

24. Oblitaque fuerit facere multitudo: offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, et sacrificium ejus ac liba, ut ceremoniæ postulant, hircumque pro peccato:

25. Et rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel: et dimittetur eis, quoniam non sponte peccaverunt, nihilominus offerentes incensum Domino pro se et pro peccato atque errore suo:

26. Et dimittetur universæ plebi filiorum Israel, et advenis qui peregrinantur inter eos: quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam.

27. Quod si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo:

28. Et deprecabitur pro ea sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino: impetrabitque ei veniam, et dimittetur illi.

29. Tam indigenis quam advenis una lex erit omnium, qui peccaverint ignorantes.

30. Anima vero, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus, (quoniam adversus Dominum rebellis fuit) peribit de populo suo:

31. Verbum enim Domini contempsit, et præceptum illius fecit irritum: idcirco delebitur, et portabit iniquitatem suam.

32. Factum est autem, cum essent filii Israel in solitudine, et invenissent hominem colligentem ligna in die sabbati,

33. Obtulerunt eum Moysi et Aaron et universæ multitudini.

34. Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent.

35. Dixitque Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.

36. Cumque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus, et mortuus est, sicut præceperat Dominus.

37. Dixit quoque Dominus ad Moysen:

38. Loquere filiis Israel, et dices ad eos [1] ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas:

debat in cibum; sic etiam quoties panem in clibano coquerent, de massa farinacea subacta panem unum vel tortulam ante omnia pro iisdem separarent. Non ergo debebant hi panes mitti Jerosolymam, uti nec primitiæ messis: sed tantum dari sacerdotibus, qui per singulas urbes mixtim dispersi erant.

V. 38. *Fimbrias per angulos palliorum* — Deuteron. 22 dicit, *per quatuor angulos pallii tui.* Unde colligitur, *pallium* Judæorum non absimilis formæ fuisse a pallio Græcorum et philosophorum, de quo Tertullianus [2], nempe forma quadrata, quatuor oris seu extremitatibus constans: quali fere Apostoli depingi solent. Et in hoc differebat a *toga Romana,* quæ, teste Isidoro [3], Quinctiliano et Dionysio Halicarnasseo, forma erat rotunda seu semicirculari, ut sunt chlamydes nostrorum Europæorum. His quatuor pallii extremitatibus jubet Deus affui *fimbrias,* quales solent textores in extremitatibus telæ suæ relinquere, et constabant filis seu funiculis *hyacinthini* coloris, non simplicibus, sed crassioribus et intortis: quas proinde noster Interpres hic *vittas* per catachresin vocat, non quod fasciarum haberent speciem, vel planæ essent, sed quod funiculis istis non secus quam vittis res aliqua colligari posset. Hoc fimbriarum signo omnibus conspicuo voluit Deus Judæos a Gentibus palam distingui. Tropologice, ut meminissent se

(1) Deut. 22, vers. 12; Matth. 23, vers. 5.

(2) De Pallio.

(3) Lib. 19 Orig., c. 24.

39. Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas et oculos per res varias fornicantes,

40. Sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo.

41. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem Deus vester.

in peculiarem Dei populum delectos fuisse; et vitam cælestem (quam hyacinthus repræsentat) integra mandatorum Dei observatione agere debere. Ita S. Hieronymus [1], Theodoretus, Lyranus et Burgensis. Christum quoque more totius gentis suæ fimbrias tales gestasse constat Matthæi 9 et 14. Sed Pharisæos, ad ostentationem accuratioris studii legis solitos *fimbrias* suas *magnificare*, hoc est majores facere quam vulgo moris esset, patet ex Matthæi 23. Et insuper, addit Hieronymus, inserebant Pharisæi fimbriis acutas spinas, a quibus inter ambulandum pungerentur, atque ita ad memoriam officii sui ac divinorum mandatorum crebrius acriusque excitarentur.

(1) In Matth. 23.

CAPUT XVI.

Core, Dathan, Abiron et socii 250 rebellant Moysi et Aaroni, ambiuntque ipsi principatum et sacerdotium: sed vivi a terra absorbentur, sociis igne cælesti sublatis. Ea occasione rursus murmurat populus, et 14,700 igne absumuntur; quem, ne ulterius grassetur, oratione sua Aaron compescit.

1. Ecce autem Core filius Isaar, filii Caath, filii Levi, et Dathan atque Abiron filii Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben,

2. Surrexerunt contra Moysen, aliique filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, et qui tempore concilii per nomina vocabantur.

3. [1] Cumque stetissent adversum Moysen et Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus: Cur elevamini super populum Domini?

4. Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem:

5. Locutusque ad Core et ad omnem multitudinem: Mane, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi: et quos elegerit, appropinquabunt ei.

6. Hoc igitur facite: Tollat unus-

¶. 2. *Surrexerunt contra Moysen.* Causa totius seditionis fuit *Core* Levita patruelis Moysis et Aaronis: nam ægre ferens sese Aaronis ejusque filiorum ministrum esse, contendebat sibi non minus quam ipsis sacerdotium deberi, sive ortum et stirpem, sive opulentiam spectes. Exasperabat eumdem quod in designandis Levitarum principibus, ipse ne quidem constitutus esset. Caathitarum princeps, sed ei in hac dignitate prælatus esset *Elisaphan* [2] filius Oziel, nonnisi e quarto filio Caath oriundus, cum Core esset e secundo. Et simili prætextu videtur *Core* etiam Rubenitarum principes *Dathan, Abiron* et *Hon* adversum Moysen concitasse, quod ipsis potiori jure, utpote oriundis ex *Ruben* primogenito Jacobi, deberetur supremus principatus, quam Moysi. Unde mox Moysi et Aaroni exprobrant, quod qui vix aliis æquari merebantur, jam principatum et sacerdotium supra ceteros affectarent. *Sufficiat*, inquiunt, *vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis* est *Dominus* — Sensus est, sufficiat vobis, quod pares sitis aliis, et pars illius multitudinis quam sibi Deus sanctificavit, et in populum suum secrevit, inter ipsos habitans: neque est quod majora affectetis, et omnibus dominari velitis.

(1) Eccli. 45, 22; 1 ad Cor. 10, 10; Judæ 11.

(2) Num. 3.

quisque thuribula sua, tu Core, et omne concilium tuum:

7. Et hausto cras igne, ponite desuper thymiama coram Domino: et quemcumque elegerit, ipse erit sanctus: multum erigimini filii Levi.

8. Dixitque rursum ad Core: Audite, filii Levi:

9. Num parum vobis est, quod separavit vos Deus Israel ab omni populo, et junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, et staretis coram frequentia populi, et ministraretis ei?

10. Idcirco ad se fecit accedere te et omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vendicetis,

11. Et omnis globus tuus stet contra Dominum? quid est enim Aaron ut murmuretis contra eum?

12. Misit ergo Moyses ut vocaret Dathan et Abiron filios Eliab. Qui responderunt: Non venimus:

13. Numquid parum est tibi quod eduxisti nos de terra, quæ lacte et melle manabat, ut occideres in deserto, nisi et dominatus fueris nostri?

14. Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis et mellis, et dedisti nobis possessiones agrorum et vinearum; an et oculos nostros vis eruere? non venimus.

15. Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum: tu scis quod ne asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.

16. Dixitque ad Core: Tu, et omnis congregatio tua, state seorsum coram Domino, et Aaron die crastino separatim.

17. Tollite singuli thuribula vestra, et ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula: Aaron quoque teneat thuribulum suum.

18. Quod cum fecissent, stantibus Moyse et Aaron,

19. Et coacervassent adversum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini.

20. Locutusque Dominus ad Moysen et Aaron, ait:

21. Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam.

22. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet?

23. Et ait Dominus ad Moysen:

24. Præcipe universo populo ut separetur a tabernaculis Core, et Dathan et Abiron.

25. Surrexitque Moyses, et abiit ad Dathan et Abiron: et sequentibus eum senioribus Israel,

26. Dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.

27. Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan et Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum uxoribus et liberis, omnique frequentia.

28. Et ait Moyses: In hoc scietis, quod Dominus miserit me ut facerem universa quæ cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim:

29. Si consueta hominum morte

℣. 14. *Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis et mellis* — Per ironiam et sarcasmum exprobrant Moysi quod imposuerit populo: quasi dicant: Revera egregie præstitisti quod promiseras, et jactare solebas.

An et oculos nostros vis eruere? — Idque vel morali effossione, ut sit sensus: An existimas te tuis artificiis posse etiam nobis imponere, sicut ceteris imposuisti, ut cæcutiamus etiam in meridie? Vel physica evulsione, hoc sensu: An usque eo ascendet tua tyrannis, ut etiam oculos nobis effodias, si minus prompte tibi in omnibus obsequamur?

interierint, et visitaverit eos plaga, qua et ceteri visitari solent, non misit me Dominus:

30. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos et omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quod blasphemaverint Dominum.

31. [1] Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum:

32. Et aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis et universa substantia eorum:

33. Descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis.

34. At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne forte et nos terra deglutiat.

35. Sed et ignis egressus a Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.

36. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

37. Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, et ignem huc illucque dispergat: quoniam sanctificata sunt

38. In mortibus peccatorum: producatque ea in laminas, et affigat altari, eo quod oblatum sit in eis incensum Domino, et sanctificata sint, ut cernant ea pro signo et monimento filii Israel.

39. Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ænea; in quibus obtulerant hi quos incendium devoravit, et produxit ea in laminas, affigens altari:

40. Ut haberent postea filii Israel, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, et qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core, et omnis congregatio ejus, loquente Domino ad Moysen.

41. Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen et Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini.

42. Cumque oriretur seditio, et tumultus incresceret,

43. Moyses et Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, et apparuit gloria Domini.

℣. 33. *Descenderuntque vivi in infernum* — id est in locum subterraneum, quo scelerati illi hiatu facto, et occlusa rursum terra, vivi excepti et absorpti sunt, exindeque mortui, tum demum secundum animam ad inferos damnatorum delapsi. Ita Abulensis, Lyranus, Hugo, Dionysius Carthusianus. Simili modo plectendus creditur Antichristus, cujus hi rebelles typus fuerunt, Apocalypsis 19, v. 20.

Nota ex Numeror. 26, v. 10, *factum* esse *grande miraculum*, nempe, quod Core cum tabernaculo totaque familia hiatu absorptis, *filii illius non perierint*, sed in aere penduli tam diu divinitus sustentati fuerint, donec hiatus iterum sese occluderet. Hi postea tabernaculo et templo [2] constanter cum reliquis Levitis servierunt; et multos ex nostris psalmis [3] composuerunt, decantaruntque: et ex illis oriundus Samuel [4], rexit universum Israelem. Cur vero *filii Core* ab hoc exitio immunes manserint præ *filiis Dathan et Abironis*, inter quos etiam fuerunt aliqui infantes innoxii, et alii non conscii, aut saltem non consentientes sceleri parentum; verisimile est causam fuisse, quod *filii Core* non solum innoxii essent, sed quod parenti res novas molienti etiam positive se opposuerint, et, quantum in se fuit, dissuadere atque impedire conati fuerint [5].

(1) Deut. 11, 6; Ps. 105, vv. 17, 18.
(2) 1 Par. 6, vers. 33, etc., et c. 9, vers. 19, et c. 26, vers. 1, et 2 Par. 20, vers. 19, etc.
(3) Ps. 41, 43, 84, 86, etc.
(4) 1 Par. 6, vers. 33.

(5) Gilletus *in* 4 *Judaic. Antiq., libr. admot.* 1, ut Josephum cum scriptura conciliet, ait Dathan quidem et Abiron fuisse a terra absorptos, non tamen Core, qui solum a flammis, e Tabernaculo erumpentibus consumptus fuerit.

44. Dixitque Dominus ad Moysen:
45. Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque jacerent in terra,
46. Dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, et hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum ut roges pro eis: [1] jam enim egressa est ira a Domino, et plaga desævit.
47. Quod cum fecisset Aaron, et cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama:
48. Et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit.
49. Fuerunt autem qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum, et septingenti, absque his qui perierant in seditione Core.
50. Reversusque est Aaron ad Moysen ad ostium tabernaculi fœderis, postquam quievit interitus.

(1) Sap. 18, 21.

CAPUT XVII.

Duodecim virgæ seu scipiones a duodecim principibus tribuum coram Domino in tabernaculo ponuntur. Ex eis floret et germinat sola virga Aaronis: eoque miraculo et indicio Aaroni sacerdotium a Deo consignatur et confirmatur.

1. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:
2. Loquere ad filios Israel, et accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, a cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, et uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ;
3. Nomen autem Aaron erit in tribu Levi, et una virga cunctas seorsum familias continebit:
4. Ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te;
5. Quem ex his elegero, germinabit virga ejus: et cohibebo a me

℣. 4. *Pones* virgas *coram testimonio*, id est, coram arca testimonii, *ubi loquar ad te* — non tam ore, quam signo, certoque testimonio quo palam faciam voluntatem meam. Nempe, curabo ut ex tredecim virgis plane nudis et effrondibus, subito frondeat, floreat, fructificetque illa una cujus cortici inscriptum est nomen ejus cui sacerdotium designavi. Tradunt Hebræi, et Cyrillus, omnes has tredecim virgas ex una eademque arbore *amygdalo* fuisse: LXX et Hieronymus alibi, et Philo κάρυα [1], id est *nucem*, fuisse dicunt, quæ genus est respectu amygdali.

Allegorice, amygdalus, quia prima inter arbores floret ac fructum profert, significabat jus primogenituræ, puta sacerdotium, dono et electione Dei deferri illi cujus virgæ id primum obtigisset. Rupertus virgam florentem facit B. Virginem Mariam, florem et fructum ejus Christum nascentem; Rabanus et Bernardus Christum resurgentem: S. Augustinus per virgam florentem anagogice intelligit resurrectionem corporum nostrorum [2].

Nota, virgam hanc Aaronis aliam prorsus fuisse a prodigiosa virga Moysis, jussamque asservari juxta arcam fœderis [3] perpetuoque virentem mansisse, ut inquit Tostatus, appendentibus etiam floribus et fructibus. Neque enim ob alium finem adservari jubebatur, quam ut perpetuo isto miraculo fides posteris fieret sacerdotii Aaroni divinitus collati ac confirmati [4].

(1) LXX hic et Gen. 43, v. 11; Hieron. Exodi 25, vers. 43; Philo l. 3 Vitæ Moysis.
(2) Bern. serm. 2 super Missus; Aug. t. 10, serm. 99 de Temp.
(3) Ad Hebr. 9, vers. 4, et 3 Reg. 8, vers. 9.
(4) Quæ virgis hisce nomina inscripta fuerint, num omnium plane, qui in sacerdotium cooptari studebant, num unius pro singulis tribubus, quærit Gilletus *in* 4 *Judaic. Ant. lib. admot.* 2; censet autem, Principes populi postquam omnium omnino nomina ad se adlata legissent, communi suffragio unum pro singulis tribubus selegisse, qui sacerdotio dignior videretur, ejusque nomen Virgæ tribus, ad quam spectabat inscripsisse.

querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant.

6. Locutusque est Moyses ad filios Israel: et dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus: fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron.

7. Quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonii:

8. Sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi: et turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.

9. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel: videruntque et receperunt singuli virgas suas.

10. Dixitque Dominus ad Moysen: Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, [1] ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel, et quiescant querelæ eorum a me, ne moriantur.

11. Fecitque Moyses sicut præceperat Dominus.

12. Dixerunt autem filii Israel ad Moysen: Ecce consumpti sumus, omnes perivimus;

13. Quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur; num usque ad internecionem cuncti delendi sumus?

(1) Ad Hebr. 9, vers. 4.

CAPUT XVIII.

Loco sortis hereditariæ, sacerdotibus in alimoniam et stipendia consignat Deus victimas, primitias, cetera que oblationes; Levitis vero decimas; sed ea lege, ut ex suis decimis decimas dent sacerdotibus, et quidem meliores ac selectiores.

1. Dixitque Dominus ad Aaron: Tu, et filii tui, et domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem sanctuarii: et tu et filii tui simul sustinebitis peccata sacerdotii vestri;

2. Sed et fratres tuos de tribu Levi[1], et sceptrum patris tui sume tecum, præstoque sint, et ministrent tibi: tu autem et filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii.

3. Excubabuntque Levitæ ad præcepta tua, et ad cuncta opera tabernaculi: ita dumtaxat, ut ad vasa sanctuarii et ad altare non accedant, ne et illi moriantur, et vos pereatis simul;

4. Sint autem tecum, et excubent in custodiis tabernaculi, et in omnibus ceremoniis ejus. Alienigena non miscebitur vobis.

5. Excubate in custodia sanctuarii, et in ministerio altaris: ne oriatur indignatio super filios Israel.

6. Ego dedi vobis fratres vestros Levitas de medio filiorum Israel, et tradidi donum Domino, ut serviant in ministeriis tabernaculi ejus.

7. Tu autem et filii tui custodite

¶. 1. *Tu et filii tui portabitis iniquitatem sanctuarii.* Hoc est, si quid contra reverentiam sanctuarii a laicis, accedendo, vel tangendo illud, commissum fuerit, vobis sacerdotibus, ac *sceptro* seu ramo, id est tribui vel *domui patris tui*, id est, ceteris quoque Levitis, imputabitur, utpote quibus ex officio incumbit arcere laicos. Sic etiam *sustinebitis peccata sacerdotii vestri* — Hoc est, si quid delictum fuerit in functionibus sacerdotalibus, quæ vobis propriæ sunt, pœna commissi per incuriam vestram delicti repetetur non a populo, neque etiam a Levitis, quorum non est id officii, sed a te pontifice, et a filiis tuis sacerdotibus, quibus ex officio incumbit ejusmodi invigilare.

sacerdotium vestrum: et omnia quæ ad cultum altaris pertinent, et intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur; si quis externus accesserit, occidetur.

8. Locutusque est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quæ sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi et filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna.

9. Hæc ergo accipies de his, quæ

℣. 8. *Dedi tibi custodiam primitiarum mearum* — Id est, omnium quæ mihi instar primitiarum debentur et offeruntur, sive sint proprie dictæ primitiæ, sive sacrificia, sive alia, quæ lege ac decreto meo mihi seponenda sunt; horum, inquam, *custodiam* non nudam, sed cum jure utendi et consumendi dono tibi, tuisque filiis sacerdotibus: et dono *pacto salis* [1], id est firmo, inviolabili ac *sempiterno*: est enim sal symbolum incorruptionis, ac consequenter perpetuitatis. *Ego* ergo ero *pars* [2] *et hereditas tua*, quia quæcumque mihi offerrentur, vobis sacerdotibus in jus et alimentum cedent: neque volo vos habere aliam *partem inter filios Israel*, seu agros frugiferos aut vineta in urbibus Israelitarum, nam proprias etiam habebant urbes et suburbana sacerdotes, et in his agros suos et pascua et vineta: sed in urbibus aliorum Israelitarum propriis, in quibus etiam sacerdotes permixti aliis habitabant, vetantur hic, uti et Levitæ ceteri, ullam habere agrorum aut vinearum possessionem, tum quod ipsis necessaria non esset, dono Dei jam sat opulentis: tum quod consecratos Deo, et totos legi ejus ac Scripturæ, servitioque tabernaculi deditos dedeceret cultura agrorum vinearumque implicari. Ex dictis collige quam ampli, quam divites fuerint Levitarum, et cum primis sacerdotum, proventus annui. Erat Levitica tribus inter tredecim omnium minima: neque enim erat ulla tribus quæ non in triplum vel quadruplum [3] eam superaret. Et tamen hic [4] jubetur accipere decimas ab omnibus filiis Israel, id est, ex decem partibus proventuum annuorum totius terræ sanctæ una pars illi debebatur: reliquæ novem partes in duodecim tribus dispertiendæ erant. Itaque plus ipsa sola, etsi longe minore numero, recipiebat, quam ulla alia tribus licet numerosior. Jam vero sacerdotum quantæ fuerint opes, vel hinc conjicere licet, quod, cum hoc tempore non essent nisi tres numero, saltem adultæ ætatis, puta Aaron et duo ejus filii, Levitæ vero a triginta annis et supra essent 8580 [5], tamen decimam partem omnium decimarum quas accipiebant Levitæ ab omnibus filiis Israel, debebant dare his sacerdotibus [6]. Ergo tribus personis dabatur centesima pars omnium fructuum quos colligebant sexcenta et plura millia armatorum: et successive crescente numero sacerdotum, crescebat etiam numerus reliquorum Israelitarum, ac proinde etiam copia proventuum annuorum, qui Levitis ac sacerdotibus pendebantur. Sed neque in solis decimis consistebant opes sacerdotum: nam illorum insuper erant omnes primitiæ proventuum annuorum, quæ, si S. Hieronymo [7] credimus, minimum conficiebant sexagesimam partem omnium quæ annue proveniebant per totam Palæstinam. Qui proventus major erat proventu decimæ decimarum jam prædicto. Insuper sacerdotibus cedebant omnes oblationes votivæ et spontaneæ: item pecuniæ quæ ex personarum ac rerum Deo per votum consecratarum redemptione [8] conflabantur. Omnia item ovium, boum, caprarum primogenita, quæ in specie reddebantur: itemque jumentorum ac hominum primogenita [9], quæ vel permutabantur, vel pretio redimebantur. Omnes item victimæ pro peccato et delicto; pectus et armus omnium pacificorum: holocaustorum saltem pelles: primitiæ omnis coctura panum, etiam domesticorum, quæ omnia ex tam numeroso populo, innumeros conflabant sacerdotibus thesauros. Habebant hi præterea proprias sibi civitates aliquot ac suburbana, atque in his armenta et greges suos. Adde, quæcumque vel primitiarum, vel decimarum, oblationum nomine sacerdotibus offerebantur, ex optimis pinguissimisque esse

(1) Vers. 19.
(2) Vers. 20.
(3) Num. 3 et 4.
(4) Num. 18.
(5) Num. 4.
(6) Num. 18, vers. 26.
(7) In Ezech. 10 et 45.
(8) Levit. ult.
(9) Num. 18, vv. 15, 16, etc.

sanctificantur et oblata sunt Domino. Omnis oblatio, et sacrificium, et quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, et cedit in Sancta sanctorum, tuum erit, et filiorum tuorum.

10. In sanctuario comedes illud: mares tantum edent ex eo, quia consecratum est tibi.

11. Primitias autem, quas voverint et obtulerint filii Israel, tibi dedi, et filiis tuis, ac filiabus tuis, jure perpetuo. Qui mundus est in domo tua, vescetur eis.

12. Omnem medullam olei, et vini, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi.

13. Universa frugum initia, quas gignit humus, et Domino deportantur, cedent in usus tuos: qui mundus est in domo tua, vescetur eis.

14. Omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit.

15. Quidquid primum erumpit e vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit: ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias, et omne animal quod immundum est, redimi facias,

16. Cujus redemptio erit post unum mensem, siclis argenti quinque, pondere sanctuarii. [1] Siclus viginti obolos habet.

17. Primogenitum autem bovis et ovis et capræ non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino; sanguinem tantum eorum fundes super altare, et adipes adolebis in suavissimum odorem Domino.

18. Carnes vero in usum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, et armus dexter, tua erunt.

19. Omnes primitias sanctuarii, quas offerunt filii Israel Domino, tibi dedi, et filiis ac filiabus tuis, jure perpetuo. Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis.

20. Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars et hereditas tua in medio filiorum Israel.

21. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis:

22. Ut non accedant ultra filii Israel ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum,

23. Solis filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus, et portantibus peccata populi. Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. [2] Nihil aliud possidebunt,

24. Decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi.

25. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

26. Præcipe Levitis, atque denuntia: Cum acceperitis a filiis Israel decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ.

27. Ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis, quam de torcularibus:

28. Et universis quorum accipitis primitias, offerte Domino, et date Aaron sacerdoti.

29. Omnia quæ offeretis ex decimis, et in donaria Domini separabitis, optima et electa erunt.

30. Dicesque ad eos: Si præclara et meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area et torculari dederitis primitias:

debuisse, ita Deo jubente [3]: atque ideo per Jeremiam gloriante, *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine:* ut tanto servirent alacrius Deo, et ab omni cura rerum terrenarum remotiores essent.

(1) Exod. 30, vers. 13; Levit. 27, v. 23, Sup. 3, vers. 47. Ezech. 43, vers. 12.
(2) Deut. 18, vers. 1.
(3) Vers. 12; Jerem. 31, vers. 14.

31. Et comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quam familiæ vestræ: quia pretium est pro ministerio, quo servitis in tabernaculo testimonii.

32. Et non peccabitis super hoc, egregia vobis et pinguia reservantes, ne polluatis oblationes filiorum Israel, et moriamini.

CAPUT XIX.

Ritus parandæ aquæ lustrationis, ex cineribus vitulæ rufæ combustæ.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:

2. Ista est religio victimæ quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israel, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum:

3. Tradetisque eam Eleazaro sacerdoti; [1] qui eductam extra castra, immolabit in conspectu omnium:

4. Et tingens digitum in sanguine ejus, asperget contra fores tabernaculi septem vicibus,

5. Comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle et carnibus ejus, quam sanguine et fimo flammæ traditis.

6. Lignum quoque cedrinum, et hyssopum coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat.

7. Et tunc demum, lotis vestibus et corpore suo, ingredietur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperum.

8. Sed et ille qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua et corpus, et immundus erit usque ad vesperum.

9. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, et effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam, et in aquam aspersionis: quia pro peccato vacca combusta est.

10. Cumque laverit, qui vaccæ portaverat cineres, vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum. Habebunt hoc filii Israel, et advenæ qui habitant inter eos, sanctum jure perpetuo.

11. Qui tetigerit cadaver hominis, et propter hoc septem diebus fuerit immundus:

12. Aspergetur ex hac aqua die tertio et septimo, et sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari.

13. Omnis qui tetigerit humanæ

℣. 12. *Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari* — Poterit tamen vel quarto, vel quinto, vel alio die aspergi pro prima vice, et sic dies ille numerabitur ipsi pro tertio die: atque ab hoc deinde ad septimum usque expectandum erat prius quam emundari posset.

Nota. Vaccæ hujus seu vitulæ rufæ extra castra seu urbem exustæ cineres, per singulas Palæstinæ urbes quotannis distribuebantur, et in loco ad id designato adservabantur: cumque contigeret aliquem ex contactu cadaveris, vel mor-

(1) Ad Hebr. 13, 11.

ticini, vel alterius rei immundæ contaminari, pauxillo hujus cineris in aquam vivam immisso, statis diebus aspergebatur et sic mundabatur. Nec persona sola, sed et omnia vasa, saltem aperta, quæ in tabernaculo vel domo alicujus defuncti reperiebantur, eadem aqua lustrari et expiari debebant. Secus erat de vasis opertis et clausis: cum enim in ejusmodi vasis sæpe pretiosi liquores contineantur, neque physica aliqua corruptio possit illis a mortuo afflari, nullam ex præsentia illius immunditiam contraxisse censebantur. Eugubinus vult hanc aquam typum fuisse aquæ nostræ lustralis: sed

animæ morticinum, et aspersus hac commistione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, et peribit ex Israel: quia aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, et manebit spurcitia ejus super eum.

14. Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo: Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, et universa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus.

15. Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.

16. Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulcrum, immundus erit septem diebus.

17. Tollentque de cineribus combustionis atque peccati, et mittent aquas vivas super eos in vas;

18. In quibus cum homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium; et cunctam supellectilem, et homines hujuscemodi contagione pollutos:

19. Atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio et septimo die; expiatusque die septimo, lavabit et se et vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum.

20. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio ecclesiæ: quia sanctuarium Domini polluit, et non est aqua lustrationis aspersus.

21. Erit hoc præceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperum.

22. Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet: et anima, quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum.

melius S. Augustinus, Theodoretus et alii SS. Patres dicunt præfigurasse Baptismum, vel lavacrum Pœnitentiæ.

Vacca rufa allegorice est caro Christi, secundum Apostolum ad Hebræos 9, v. 13. Tropologice est lascivia carnis. Ita sanctus Gregorius [1].

(1) Lib. 6 Moral., cap. 25.

CAPUT XX.

Moritur Maria soror Moysis et Aaronis. Murmurat ob sitim populus, unde irritati Moyses et Aaron, dum ad aquas contradictionis offendunt Deum, in pœnam offensæ arcentur ingressu terræ promissæ. Et Aaron post paullo moritur in monte Hor. Rex Edom Hebræis transitum per medias terras suas pertinaciter negat.

1. Veneruntque filii Israel, et omnis multitudo in desertum Sin, mense primo: et mansit populus in Cades. Mortuaque est ibi Maria, et sepulta in eodem loco.

2. Cumque indigeret aqua populus, convenerunt adversum Moysen et Aaron:

3. Et versi in seditionem, dixerunt: Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino.

4. [1] Cur eduxistis ecclesiam Domini in solitudinem, ut et nos et nostra jumenta moriamur?

5. Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, et adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vi-

℣. 1. *Mense primo* — scilicet anni peregrinationis per desertum quadragesimi, seu ultimi. Ita Josephus, Abulensis, et alii passim.

(1) Exod. 17, 3.

neas, nec malogranata, insuper et aquam non habet ad bibendum?

6. Ingressusque Moyses et Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus, audi clamorem hujus populi, et aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos.

7. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

8. Tolle virgam, et congrega populum, tu et Aaron frater tuus, et loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo et jumenta ejus.

9. [1] Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei,

10. Congregata multitudine ante petram, dixitque eis: Audite, rebelles et increduli: [2] Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?

11. Cumque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet et jumenta.

12. Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron: [3] Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.

13. Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israel contra Dominum, et sanctificatus est in eis.

14. Misit interea nuntios Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent: Hæc mandat frater tuus Israel: Nosti omnem laborem qui apprehendit nos,

15. Quo modo descenderint patres nostri in Ægyptum, et habitaverimus ibi multo tempore, afflixerintque nos Ægyptii, et patres nostros:

16. Et quo modo clamaverimus ad Dominum, et exaudierit nos, miseritque angelum, qui eduxerit nos de Ægypto. Ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi,

℣. 12. *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me,* id est, gloriam meam celebrem et palam faceretis, *coram filiis Israel* — Hinc et ex aliis locis [4] patet, Moysen et Aaronem non solum incredulitate vel hæsitatione interna peccasse, dubitando de effectu promisso: sed insuper etiam exterius aliquo signo prodidisse hanc suam dubitationem, atque ita gloriam Dei coram populo minuisse; v. g. Ob continuum populi murmur et strepitum turbati percusserunt petram, sed eo gestu ac modo quo proderent se dubitare de successu, maxime si prima percussione dicamus, Deum, ut fidem illorum constantiamque magis probaret, non dedisse aquas. Tunc enim probabile est aliquid humani passos, gestu vel etiam verbis indicasse nonnullam animi titubationem, atque ita populo adstanti occasionem dedisse etiam ridendi vel explodendi promissa Dei: cum tamen ipsi, utpote principes et capita populi, debuissent etiam mortem potius subire, quam tale offendiculum dare, et gloriæ Dei detrahere. Vide S. Cyrillum, Augustinum [5], Theodoretum, Rupertum, Rabanum, Cajetanum et alios.

Nota tamen, verisimilius esse, illos ex nimia perturbatione nonnisi venialiter peccasse: ut diserte S. Augustinus et plerique DD. morte nihilominus luisse hanc culpam; quod diffidentia de Deo, et scandalum proximorum, in Prælatis, quantumcumque per accidens sint exilia et levia ob varias circumstantias, per se tamen ex se sint valde noxia et injuriosa Deo.

Allegorice secundum Apostolum [6] *petra erat Christus,* crux virga: dat aquam gratiæ et sanctitatis fidelibus: incredulis contradictionis. Ita S. Augustinus.

(1) Exod. 17, vv. 5, 6; Sap. 11, 4.
(2) Psalm. 77, vv. 15, 20; 1. ad Cor. 10, v. 4.
(3) Deut. 1, 37.
(4) Num. 27, vers. 14, et Deut. 1, vers. 37, et c. 3, vers. 26, et c. 4, vers. 21, et c. 32, vers. 51.

(5) Cyr. in Cat. Græc. PP.; Aug. q. 19 in Num. et l. 16 contra Faustum, c. 16.
(6) 1 ad Cor. 10.

17. Obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dexteram nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos.

18. Cui respondit Edom: Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi.

19. Dixeruntque filii Israel: Per tritam gradiemur viam: et si biberimus aquas tuas nos et pecora nostra, dabimus quod justum est: nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus.

20. At ille respondit: Non transibis. Statimque egressus est obvius, cum infinita multitudine, et manu forti;

21. Nec voluit acquiescere deprecanti, ut concederet transitum per fines suos. Quamobrem divertit ab eo Israel.

22. Cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom:

23. Ubi locutus est Dominus ad Moysen:

24. Pergat, inquit, Aaron ad populos suos: non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo, ad Aquas contradictionis.

25. [1] Tolle Aaron et filium ejus cum eo, et duces eos in montem Hor.

26. Cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus: Aaron colligetur, et morietur ibi.

27. Fecit Moyses ut præceperat Dominus: et ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine.

28. Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium ejus.

29. Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro.

30. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.

℣. 25. *In montem Hor* — Dices, Deut. 10, v. 6 dicitur *Aaron mortuus ac sepultus in Mosera.* Respondeo, Mons *Hor*, et *Mosera* idem locus fuit, sed mons ipse vocabatur *Hor*, locus vero adjacens, in quo castra Judæi metabantur, dicebatur *Mosera.* Et bis ad hunc eumdem locum venerunt Israelitæ, ut patet Numeror. 33, vers. 30 et 37. Cum enim totis 40 annis eamdem solitudinem pervagati sint, et quadragesies stationem mutarint, quid mirum si ad eadem loca subinde reversi sint.

Nota, nec Mariam, id est prophetas; nec Aaronem, id est sacerdotes; nec Moysen, id est legem scriptam; sed solum Josue, id est Jesum Christum, nos in terram promissam, id est cælum, inducere potuisse. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus.

℣. 28. *Eleazarum filium ejus* — Non mansit tamen pontificatus semper in *Eleazari* familia: nam constat, tempore Judicum translatum fuisse (qua de causa, incertum) ad *Ithamari* [2], alterius Aaronis filii, posteros. Rursum tamen sub Davide et Salomone rediit ad Eleazari familiam. Posterioribus temporibus, cum pretio vel favore regum aut præsidum Judææ venalis esset pontificatus, verisimile est, mixtim ex utravis familia fuisse assumptos: sed numquam, ne quidem iniquissimo tempore, pontificatum fuisse extra *Aaronis* familiam, affirmat Josephus [3], cui potius in hac re crediderim, quam Sigonio [4] contrarium sustinenti. Sed in pontificum numerum non veniunt Menelaus [5], Lysimachus [6] et Alcimus [7] pseudopontifices tempore Machabæorum. de quibus ibidem [8], et in Chronico c. 42,

(1) Infr. 33, vers. 38; Deut. 32, vers. 50.
(2) Joseph. lib. 5 Antiq. c. ult., et l. 1, cap. 8 colligitur ex 1 Par. 24, vers. 3.
(3) Lib. 1. 20 Antiq., c. 8.
(4) Lib. 5, de Rep. Hebræor., c. 2.
(5) 2 Mach. 4, vers. 23.
(6) Ibid. vers. 29. (7) Ibid. c. 14, v. 3.
(8) 1 Mach. 2, vers. 1.

CAPUT XXI.

Israelitæ cædunt Arad regem Chananæum: mox etiam Sehon regem Amorrhæorum et Og regem Basan. Sed in murmurantem populum ob aquæ penuriam et nauseam mannæ Deus ignitos serpentes immittit, a quibus morsi sanantur per aspectum serpentis ænei.

1. Quod [1] cum audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel, per exploratorum viam, pugnavit contra illum, et victor existens, duxit ex eo prædam.

2. At Israel voto se Domino obligans, ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus.

3. Exaudivitque Dominus preces Israel, et tradidit Chananæum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus: et vocavit nomen loci illius Horma, id est, anathema.

4. Profecti sunt autem et de monte Hor, per viam quæ ducit ad mare Rubrum, ut circumirent terram Edom. Et tædere cœpit populum itineris ac laboris:

5. Locutusque contra Deum et Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.

6. [2] Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum,

7. Venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti

℣. 6. *Ignitos serpentes* — Deut. 8, v. 15, dicitur fuisse *serpens flatu adurens, et scorpio ac dipsas* sic dictus a siti, quam morsu suo intolerabilem creat, hunc *causton et presterem* vocat Dioscorides et Ælianus [3], LXX hic vertunt, *serpentes mortiferos;* liber Sapientiæ c. 16, vocat *venenatos dracones.* Non erant ergo proprie *igniti*, quasi igneæ naturæ vel ignem spirantes, ut quidam opinati sunt: sed solum metonymice, ab effectu, quod morsu vel afflatu suo tantum æstum inducerent, ut adurere viderentur. Porro venenatis horum morsibus remedium non naturale, sed supernaturale præscribit Deus aspectum serpentis ænei pro signo in pertica vel alta furca expositi: quo viso læsi miraculose curabantur a Deo. Rabbi [4] David Kimhi refert, medicos asserere, eum qui serpentis morsu ictus æs aspicit, illico mori. Hoc si verum est, jam majus et evidentius illud miraculum fuit, contrario remedio læsos Israelitas sanare.

Allegorice per serpentem hunc designari Christum, Christus ipsemet affirmat Joannis 3, vers. 14, et fuse exponunt S. Augustinus et Theodoretus.

Nota, hunc æneum Moysis serpentem Hebræos secum in Chanaanitidem devexisse, et fuisse apud eos usque ad tempora Ezechiæ, qui eum, quod pro Deo a plebe coli inciperet, confringi jussit, 4 Regum 18, v. 4 [5].

(1) Infr. 33, vers. 40.

(2) Judith 8, vers. 25; Sap. 16, vers. 5; 1 ad Cor. 10, 9.

(3) Dioscor., in fine lib. ult.; Ælianus lib. 6 Animal., cap. 50.

(4) Marshamus tamen in *Can. Chron.*, p. 142, nullum hic miraculum agnoscit, sed æneum hunc serpentem *venenum extinxisse, et morsus* ARTE *levasse* audacissime adfirmavit. Shuckfordius ipse Marshamum fuse refellit t. 3 *Hist. Orbis sacr. et prof.*, p. 302 seq.

(5) Mediolanenses ex vulgari traditione in Ambrosiana Basilica servare se ajunt, non tamen, ut de illis Pridæus effutiit, illum venerantur. Pridæi calumniam refutavit de patria optime meritus Josephus Allegranza Dominicanæ familiæ, *diss.* v et VI operis ann. 1757 editi hoc titulo: *Spiegazione e riflessioni sopra alcuni sacri monumenti antichi di Milano.* Confer etiam Gratiolium *De præclaris Mediolani ædificiis*, pag. 74 seq.

sumus contra Dominum et te: ora ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo,

8. Et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet.

9. [1] Fecit ergo Moyses SERPENTEM ÆNEUM, et posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.

10. Profectique filii Israel castrametati sunt in Oboth.

11. Unde egressi fixere tentoria in Jeabarim, in solitudine, quæ respicit Moab contra orientalem plagam.

12. Et inde moventes, venerunt ad torrentem Zared.

13. Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, et prominet in finibus Amorrhæi. [2] Siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhæos.

14. Unde dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon.

15. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar, et recumberent in finibus Moabitarum.

16. Ex eo loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, et dabo ei aquam.

17. Tunc cecinit Israel carmen istud: Ascendat puteus. Concinebant:

18. Puteus, quem foderunt principes, et paraverunt duces multitudinis in datore legis, et in baculis suis. De solitudine, Matthana.

19. De Matthana in Nahaliel: de Nahaliel in Bamoth.

20. De Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum.

21. [3] Misit autem Israel nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum dicens:

22. Obsecro ut transire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros et vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos.

23. Qui concedere noluit ut transiret Israel per fines suos: quin potius, exercitu congregato, egressus est obviam in desertum, et venit in Jasa, pugnavitque contra eum.

24. [4] A quo percussus est in ore

℣. 14. *In libro bellorum Domini* — Hic liber, ut plures alii, cum tempore intercidit. Videtur autem metrico versu conscriptus fuisse, ut patet ex pauculis versibus qui hic ex eo citantur: et continuisse prophetias de prœliis admirandis, aliisque divinæ virtutis operibus, quæ in posterum apud Hebræos patranda essent. Versuum vero ex illo hic citatorum iste est sensus: Qualia prodigia Deus fecit in mari Rubro Ægyptios subvertendo, talia faciet etiam in torrentibus Arnon. Nam sicut mare Rubrum Hebræis se transmeabile exhibuit, Ægyptios vero suis undis oppressit; ita rupes Arnon, in quibus et sub quibus Amorrhæi latitabant, inclinatæ sunt, et in planitiem devolutæ oppresserunt Amorrhæos, et viam apertam ac facilem Hebræis exhibuerunt. Ita Rabbini, et ex his Lyranus, Hugo, Tostatus, Adrichomius.

℣. 17. *Ascendat puteus* — Videtur fuisse intercalaris versiculus cantici Israelitarum, quo designare volebant, quam facile et quam prodigiose summam aquæ copiam in deserto reperissent, scilicet principibus tantummodo terram leviter excavantibus suis scipionibus seu baculis viatoriis, *datore legis*, id est Deo, cætera perficiente: vel Moyse precibus suis id beneficium cælitus impetrante. Procul ergo fabellam, quam hinc falso procudit Chaldæus paraphrastes. *Puteus*, inquit, *iste ex eo tempore, descendit cum Israelitis ad torrentes, et de torrentibus ascendit cum eis ad collem, et de colle ad vallem*, etc. Quæ sunt mera commenta Rabbinorum.

(1) Joan. 3, vers. 14.
(2) Judic. 11, vers. 18.
(3) Deut. 2, vers. 26; Judic. 11, vers. 19.
(4) Psalm. 134, vers. 11; Amos 2, vers. 9.

gladii, et possessa est terra ejus ab Arnon usque Jeboc, et filios Ammon: quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum.

25. Tulit ergo Israel omnes civitates ejus, et habitavit in urbibus Amorrhæi, in Hesebon scilicet, et viculis ejus.

26. Urbs Hesebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnavit contra regem Moab: et tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat, usque Arnon.

27. Idcirco dicitur in proverbio: Venite in Hesebon, ædificetur, et construatur civitas Sehon:

28. Ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehon, et devoravit Ar Moabitarum, et habitatores excelsorum Arnon.

29. [1] Væ tibi Moab, peristi populo Chamos. Dedit filios ejus in fugam, et filias in captivitatem, regi Amorrhæorum Sehon.

30. Jugum ipsorum disperiit ab Hesebon usque Dibon, lassi pervenerunt in Nophe, et usque Medaba.

31. Habitavit itaque Israel in terra Amorrhæi.

32. Misitque Moyses qui explorarent Jazer: cujus ceperunt viculos, et possederunt habitatores.

33. [2] Verteruntque se, et ascenderunt per viam Basan, et occurrit eis Og, rex Basan, cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai.

34. Dixitque Dominus ad Moysen: Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, et omnem populum, ac terram ejus: faciesque illi sicut fecisti Sehon, regi Amorrhæorum habitatori Hesebon.

35. Percusserunt igitur et hunc cum filiis suis, universumque populum ejus usque ad internecionem, et possederunt terram illius.

℣. 27. *In proverbio* — Hoc est, in poemate seu cantico sequente, quod Amorrhæi devictis Moabitis, in gratulationem sibi et memoriam victoriæ obtentæ composuisse videntur, quo rident, et insultant jam victis. Porro Moabitæ vocantur hic *populus Chamos*, ab idolo *Chamos*, quod Moabitæ colebant, de quo vide 2 Regum 11, v. 7.

(1) Judic. 11, vers. 24; 3 Reg. 11, 7.

(2) Deut. 3, vers. 3, et 29, vers. 7.

CAPUT XXII.

Balac rex Moab vocat Balaam ariolum, ut maledicat Israelitis. Sed hunc prohibet Deus ne maledicat; maledicendi tamen animo istuc proficiscentem angelus per os asinæ loquens severe reprehendit.

1. Profectique castrametati sunt in campestribus Moab, ubi trans Jordanem Jericho sita est.

2. Videns autem Balac filius Sephor omnia quæ fecerat Israel Amorrhæo,

3. Et quod pertimuissent eum Moabitæ, et impetum ejus ferre non possent,

4. Dixit ad majores natu Madian: Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quo modo solet bos herbas usque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab.

5. [1] Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor ariolum, qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, ut vocarent eum, et dicerent: Ecce egressus est populus ex Ægy-

℣. 5. *Ariolum* — In Hebræo *Pethora* [2] intelligunt LXX, Pagninus, Oleaster, Cajetanus, Vatablus, Sa, Mariana, et Tigurina nomen proprium loci, nempe *Mesopotamiæ*.

(1) Deut. 23, vers. 5; Jos. 24, 9.

(2) פְּתוּרָה.

pto, qui operuit superficiem terræ, sedens contra me.

6. Veni igitur, et maledic populo huic, quia fortior me est; si quo modo possim percutere et ejicere eum de terra mea. Novi enim quod benedictus sit cui benedixeris, et maledictus in quem maledicta congesseris.

7. Perrexeruntque seniores Moab, et majores natu Madian, habentes divinationis pretium in manibus. Cumque venissent ad Balaam, et narrassent ei omnia verba Balac:

8. Ille respondit: Manete hic nocte, et respondebo quidquid mihi dixerit Dominus. Manentibus illis apud Balaam, venit Deus, et ait ad eum:

9. Quid sibi volunt homines isti apud te?

10. Respondit: Balac filius Sephor rex Moabitarum misit ad me,

11. Dicens: Ecce populus qui egressus est de Ægypto, operuit superficiem terræ: veni, et maledic ei, si quo modo possim pugnans abigere eum.

12. Dixitque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque maledicas populo: quia benedictus est.

13. Qui mane consurgens dixit ad principes: Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum.

14. Reversi principes dixerunt ad Balaac: Noluit Balaam venire nobiscum.

15. Rursum ille multo plures et nobiliores quam ante miserat, misit.

16. Qui cum venissent ad Balaam, dixerunt: Sic dicit Balac filius Sephor: Ne cuncteris venire ad me:

17. Paratus sum honorare te, et quidquid volueris dabo tibi: veni et maledic populo isti.

18. Respondit Balaam: [1] Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar.

19. Obsecro ut hic maneatis etiam hac nocte, et scire queam quid mihi rursum respondeat Dominus.

20. Venit ergo Deus ad Balaam nocte, et ait ei: Si vocare te venerunt homines isti, surge et vade cum eis: ita dumtaxat, ut quod tibi præcepero, facias.

21. Surrexit Balaam mane, et strata asina sua profectus est cum eis.

22. [2] Et iratus est Deus. Stetitque angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ, et duos pueros habebat secum.

potamiam Syriæ, ut Deuteronomii 23, v. 4 expresse etiam Noster dicit, cum de hoc eodem Balaam agit. Quia tamen idem nomen appellative significat *ariolum, conjectorem*, vel *somniorum interpretem*; et constabat ex historiæ progressu hunc *Balaam* talem esse; maluit Noster appellative potius, quam proprie nomen illud usurpare.

Petes, qualis ariolus, seu divinator fuerit hic Balaam? Basilius, Chrysostomus, Origenes et Augustin. [3]: item Procopius, Lyranus, Abulensis, Paulus Burgensis dicunt magum fuisse, et cum dæmone consortium habuisse. Malim tamen cum Josepho [4], Eugubino, Cajetano, Oleastro, et aliis dicere, fuisse verum Prophetam, uti fuerunt Sibyllæ. Nam veri Dei nomen ubique inculcat, et c. 24, v. 13 vocat eum *Deum suum*. Concedo tamen, hominem impium fuisse, qui pecuniæ cupiditate nihil non faceret, nihil non suaderet, etiam contra Deum et conscientiam: quique in consulendo Deo impiis quoque et superstitiosis ritibus subinde uteretur, ut patet ex initio c. 24.

℣. 22. *Iratus est Deus* — Quomodo irascitur eunti, cum veniam eundi concesserit? Respondeo, non concesserat alia lege, quam ut nihil faceret nisi quod præcepturus esset Deus, ut expresse addiderat. Sed Balaam inter eundum ava-

(1) Infra 24, vers. 13.
(2) 2 Petr. 2, 15.
(3) Basil. ep. 80; Chrys. hom. 21 in Gen.; Orig. hom. 13 in Num.; Aug. serm. 103 de Temp
(4) Lib. 4 Antiq., c. 6.

23. Cernens asina angelum stantem in via, evaginato gladio, avertit se de itinere, et ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, et vellet ad semitam reducere,

24. Stetit angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur.

25. Quem videns asina, junxit se parieti, et attrivit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam:

26. Et nihilominus angelus ad locum angustum transiens, ubi nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit.

27. Cumque vidisset asina stantem angelum, concidit sub pedibus sedentis; qui iratus, vehementius cædebat fuste latera ejus.

28. Aperuitque Dominus os asinæ, et locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me? ecce jam tertio?

29. Respondit Balaam: Quia commeruisti, et illusisti mihi: utinam haberem gladium, ut te percuterem!

30. Dixit asina: Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem? dic quid simile unquam fecerim tibi. At ille ait: Numquam.

31. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit angelum stantem in via, evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram.

32. Cui angelus: Cur, inquit, tertio verberas asinam tuam? Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria:

33. Et nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, et illa viveret.

34. Dixit Balaam: Peccavi, nesciens quod tu stares contra me: et nunc si displicet tibi ut vadam, revertar.

35. Ait angelus: Vade cum istis, et cave ne aliud quam præcepero tibi loquaris. Ivit igitur cum principibus.

36. Quod cum audisset Balac, egressus est in occursum ejus, in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon.

37. Dixitque ad Balaam: Misi nuntios ut vocarent te, cur non statim venisti ad me? an quia mercedem adventui tuo reddere nequeo?

38. Cui ille respondit: Ecce adsum: numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?

39. Perrexerunt ergo simul, et venerunt in urbem, quæ in extremis regni ejus finibus erat.

40. Cumque occidisset Balac boves et oves: misit ad Balaam, et principes qui cum eo erant, munera.

41. Mane autem facto duxit eum ad excelsa Baal, et intuitus est extremam partem populi.

ritia victus statuebat animo, si quo modo posset, maledicere Hebræis, quod erat contra voluntatem et præceptum Dei. Unde v. 32 ait angelus, *Perversa est via tua, mihique contraria.*

℣. 28. *Locuta est asina* — angelo linguam ejus movente, et per eam voces articulatas efformante: sicut dæmon movit os serpentis ut loqueretur Evæ; aerem vicinum quoad opus collidendo, et sic supplendo quod organis bestiæ deerat. Ita Abulensis et alii. Non ergo loquebatur asina, nisi admodum improprie, maxime cum nec vitalis esset illa actio (nam non fiebat vi animæ, sed a movente extrinseco): neque ullo prævio conceptu aut intellectu verba proferrentur. Procopius et quidam alii apud Theodoretum dicunt angelum hunc fuisse Michaelem Hebræorum tutelarem, atque unum eumdemque fuisse qui domi Balaam vicé Dei concesserat, ut iret ad Balac: eumdem qui armatus restitit eidem in via: eumdem qui eodem tempore per os asinæ locutus est: eumdem denique qui in Moabitide per os Balaam prophetavit.

Tropologice S. Gregorius [1], asina, id est, caro flagellata, sæpe Balaamo, id est menti, Deum ostendit. Et apte bruta mens, per brutum edocetur, 2 Petri 2, v. 15.

(1) 3 p. Pastoralis, admonit. 13.

CAPUT XXIII.

Balaam maledicturus, ut putabatur, Israelitis, eis præter mentem benedicit: laudatque a religione, fortitudine, præsidio divino: eorumque victorias prædicit.

1. Dixitque Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic septem aras, et para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes.

2. Cumque fecisset juxta sermonem Balaam, imposuerunt simul vitulum et arietem super aram.

3. Dixitque Balaam ad Balac: Sta paulisper juxta holocaustum tuum, donec vadam, si forte occurrat mihi Dominus, et quodcumque imperaverit, loquar tibi.

4. Cumque abiisset velociter, occurrit illi Deus. Locutusque ad eum Balaam: Septem, inquit, aras erexi, et imposui vitulum et arietem desuper.

5. Dominus autem posuit verbum in ore ejus, et ait: Revertere ad Balac, et hæc loqueris.

6. Reversus invenit stantem Balac juxta holocaustum suum, et omnes principes Moabitarum:

7. Assumptaque parabola sua, dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus orientis: Veni, inquit, et maledic Jacob: propera, et detestare Israel.

8. Quo modo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur?

9. De summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur.

10. Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia.

11. Dixitque Balac ad Balaam: Quid est hoc quod agis? Ut maledíceres inimicis meis vocavi te: et tu econtrario benedicis eis.

12. Cui ille respondit: Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus?

13. Dixit ergo Balac: Veni mecum in alterum locum unde partem Israel videas, et totum videre non possis, inde maledicito ei.

14. Cumque duxisset eum in locum sublimem, super verticem montis Phasga, ædificavit Balaam septem aras, et impositis supra vitulo atque ariete,

15. Dixit ad Balac: Sta hic juxta holocaustum tuum, donec ego obvius pergam.

℣. 1. *Septem aras* — Qui cap. præcedenti censebant Balaam verum magum fuisse, iidem dicunt, eum septem has aras dæmonibus septem planetarum præsidibus, augurum patronis construxisse. Sed malim cum aliis, qui prophetam, licet impium, fuisse dicunt, consequenter dicere has aras et hæc sacrificia in veri Dei honorem ab eo apparata fuisse, et his viis illum sibi demereri studuisse.

℣. 7. *De Aram* — Id est, ex *Syria*, et nominatim ex *Mesopotamia*, ut habent LXX et insinuatur in eo quod sequitur, *De montibus orientis*, nam Mesopotamia est orientalis Moabitidi et Palæstinæ.

℣. 9. *Populus* Israeliticus *solus habitabit* — Id est, religione et cultu veri Dei segregabitur ab aliis omnibus populis idololatris. Hinc *moriatur anima mea*, id est, utinam vita mea finiatur fine simili justis, hoc est Judæis, qui meliorem vitam post hanc sibi repositam habent. Nimirum solent mali justorum mortem sibi exoptare, vitam non sectari.

16. Cui cum Dominus occurrisset, posuissetque verbum in ore ejus, ait: Revertere ad Balac, et hæc loqueris ei.

17. Reversus invenit eum stantem juxta holocaustum suum, et principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid, inquit, locutus est Dominus?

18. At ille, assumpta parabola sua, ait: Sta, Balac, et ausculta, audi, fili Sephor:

19. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit?

20. Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo.

21. Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israel. Dominus Deus ejus cum eo est, et clangor victoriæ regis in illo.

22. [1] Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis.

23. Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Jacob et Israeli quid operatus sit Deus.

24. Ecce populus ut leæna consurget, et quasi leo erigetur: non

℣. 20. *Ad benedicendum adductus sum* — a Deo scilicet vel angelo. Neque enim alio fine permissus sum huc ad te excurrere, licet et tu, o rex, et ego aliud intenderimus. Quare et *prohibere non valeo benedictionem*, quam mihi Deus imperat. Licet enim non eriperetur impio prophetæ libertas physica, tamen intellectus ejus tam claro lumine collustrabatur, et voluntas tam efficaciter impellebatur, ut moraliter impossibile sibi putaret aliter facere. Sed hæc collustratio et impulsus non diu durabat, unde et subtractis illis, ad priorem cordis duritiem impietatemque redibat, uti et Sauli, et pluribus aliis contigit.

℣. 22. *Cujus fortitudo similis est rhinocerotis* — Hoc est, maxima. Porro quanta sit rhinocerotis fortitudo, colligere licet ex Job 39, ex Martiali, Plinio, Solino, Diodoro Siculo, Pausania, Æliano, Pierio, Radero [2], qui addit, toto corpore squamis durissimis esse loricatum, ejusque pellem tanta esse spissitudine, ut ægre jaculo penetrari queat. Est autem ei innata discordia, et pugna perpetua cum elephanto: cum quo pugnaturus, cornu suum (quod unicum in nare habet, unde et nomen sumpsit) ad saxa limat et exacuit: quo deinde molliorem elephanti partem, puta alvum, infestat: habet et alterum, sed longe brevius cornu, paullo supra nares, ut ex jam dictis auctoribus patet. Et licet iidem auctores distinguant *rhinocerota* a *monocerote* seu *unicorni*, quod ille in nare, iste in fronte cornu habeat: tamen usu Scripturæ videntur hæc nomina confundi, nam pro eodem nomine Hebræo *reem* [3] nunc vertit tam Noster [4], quam Septuaginta [5], *rhinocerota*, nunc *monocerota* [6] seu *unicornem*. Neque hoc mirum, cum *monoceros* genus sit respectu *rhinocerotis*. Porro de uno genere seu specie monocerotis narrat Plinius [7], animal esse corpore equino, capite cervino, pernicitate incredibili, feritate tanta, ut nulla venantium vi aut arte vivum capi possit, nisi adhibita puella virgine sinum pandente, in quem quasi jam victum ac mansuetum caput immittit, et mox soporatur, et quasi inerme capitur. Sic Deus vere unicornis, id est singularis potentiæ et comprehendi nescius, Hebrææ virginis tractus odore uteri, sese illi inclusit, et ex eo comprehendi potuit et occidi, inquit Rupertus, Gregorius, Tertullianus Justinus, Isidorus et Pierius [8].

℣. 23. *Temporibus suis dicetur Jacob*, id est Israelitis, *quid operatus sit Deus* — pro, quid operari decreverit. Laudat hic Israelem, non solum quod nulla colat

(1) Infra 24, vers. 8.
(2) Martial. lib. Spectacul. et in Apophoretis; Plin. l. 8, c. 20; Solin. c. 43; Diod. l. 4; Pausan. l. 9; Ælian. l. 17, c. 40; Pierio l. 2 Hierogl.; Radero in Martial.
(3) ראם.
(4) Hic, et c. seq. v. 8; Deut. 33, vers. 17; Ps. 28, vers. 6; Job 39.
(5) Iisdem omnibus locis.
(6) Psalm. 21, vers. 22; Ps. 77, vers. 69; Ps. 91, v. 11; Isa. 34, v. 7.
(7) Sup. c. 21.
(8) Gregor. l. 31 Moral., c. 15; Tertull. contra Judæos, c. 10; Just. contr. Tryphonem; Pierius in Hierogl. Rhinocerotis.

accubabit donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat.

25. Dixitque Balac ad Balaam: Nec maledicas ei, nec benedicas.

26. Et ille ait: Nonne dixi tibi, quod quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem?

27. Et ait Balac ad eum: Veni, et ducam te ad alium locum: si forte placeat Deo ut inde maledicas eis.

28. Cumque duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit solitudinem,

29. Dixit ei Balaam: Ædifica mihi hic septem aras, et para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes.

30. Fecit Balac ut Balaam dixerat: imposuitque vitulos et arietes per singulas aras.

idola, sed insuper quod nulla quoque captet auguria vel divinationes, quibus mire dediti erant Gentiles: sed, cum res exigeret, et negotii magnitudo postularet, a prophetis et pontificibus responsa peteret acciperetque certissima de rebus quas Deus facturus esset.

CAPUT XXIV.

Balaam tertio et quarto benedicit Israeli: prædicitque Christum ex eo instar stellæ exorituram. Varia quoque de Amalecitis exscindendis: de Cinæis per Assyrios abducendis: de Hebræis per Romanos vastandis: de Romanis quoque ad extremum perdendis.

1. Cumque vidisset Balaam quod placeret Domino ut benediceret Israeli, nequaquam abiit ut ante perrexerat, ut augurium quæreret: sed dirigens contra desertum vultum suum,

2. Et elevans oculos, vidit Israel in tentoriis commorantem per tribus suas: et irruente in se spiritu Dei,

3. Assumpta parabola, ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cujus obturatus est oculus:

4. Dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus:

5. Quam pulcra tabernacula tua Jacob, et tentoria tua Israel:

6. Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.

7. Fluet aqua de situla ejus, et semen illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag, rex ejus, et auferetur regnum illius.

℣. 1. *Ut augurium quæreret* — Solebat ergo impius Balaam, etiam cum a vero Deo responsum quæreret, adhibere superstitiosos quosdam ritus, ut hic septem præcise aras, septem vitulos, septem arietes: et forsan certo situ, v. g. ad orientem vel meridiem: certo statu corporis, certis instrumentis, certis vocibus, etc. ut solent profani augures captare auguria. Quæ quia jam omnia spernit, solique spiritui divino attendit, ideo dicitur non amplius *augurium quærere*.

℣. 3. *Homo, cujus obturatus est oculus* — scilicet internus mentis oculus, qui obturatus, id est clausus et obtenebratus, in prophetis dicitur, quamdiu revelatio divina illis non innotuit: tamdiu enim circa futura nihil omnino vident aut norunt. Patet ex adjunctis versu sequenti, ubi etiam exponit qua ratione *aperiantur oculi ejus*, seu quo modo divinam visionem et revelationem accipere soleat, puta *cadendo* primum: addunt LXX *in somnis*, non proprie dictis, sed in extasi, quæ est quasi soporatio seu suspensio sensuum exteriorum, spiritu prophetico totam mentem ad se rapiente, nec nisi clausis externis sensibus, internos oculos aperiente ad revelationem excipiendam.

℣. 7. *Fluet aqua de situla ejus.* Pa-

8. Deus eduxit illum de Ægypto, [1] cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Devorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, et perforabunt sagittis.

9. Accubans dormivit ut leo, et quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur.

10. Iratusque Balac contra Balaam, complosis manibus ait: Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus econtrario tertio benedixisti:

11. Revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice honorare te; sed Dominus privavit te honore disposito.

12. Respondit Balaam ad Balac: Nonne nuntiis tuis, quos misisti ad me, dixi:

13. [2] Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo: sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar?

14. Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.

15. Sumpta igitur parabola, rursum ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cujus obturatus est oculus:

16. Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, et visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos.

17. Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non prope. [3] ORIETUR STELLA ex Jacob, et consurget virga de Israel: et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.

18. Et erit Idumæa possessio ejus:

rabola est, quam mox sequentibus verbis explicat, *et semen* Israelis *erit in aquas multas* — id est in populos [4] multos; q. d. Numerosissima erit posteritas, et multi quasi populi via generationis procedent ex hoc jam uno populo. Ita Oleaster, Abulensis, Sa. Mox de primo Israelitarum rege subdit, *Tolletur propter Agag, rex ejus*, puta Israelis, nempe Saul, cui sublatum est regnum propter non occisum Agag Amalecitarum regem, quem a Deo jussus fuerat occidere, lib. 1 Reg. 15. Ita omnes SS. Patres et Doctores.

℣. 14. *Dabo* tibi *consilium* — Quale id fuerit, hic non exprimitur, sed capite sequenti factum narratur: et licet consilio Balaam id factum ibi non referatur, refertur tamen diserte c. 31, v. 16, et Apocalypsis 2, v. 14. Jam enim non amplius actus spiritu Dei, sed a mammona insessus Balaam, ut auro Moabitico potiretur, gratiam regis Balac, quam non potuit maledicendo Israeli, conatur demereri suggerendo pravum consilium ad Israelem evertendum. Erat autem istud consilium, de pertrahendis Israelitis in idololatriam per speciosas virgines Moabiticas, quæ suis blanditiis juvenes Hebræos ad idolorum sacrificia pellicerent, ut factum capite sequenti.

Extremo tempore — Id est, tandem post alia omnia remedia frustra a nobis tentata, q. d. Hoc saltem ultimum succedet ex voto. Sed hoc consilium ipsimet Balaamo exitium attulit, ut c. 31, v. 8 patebit.

℣. 17. *Videbo eum*, scilicet Messiam de quo nunc ago, *sed non modo, sed non prope* — nam quæ de illo jam prædico, non tam cito evenient, sed longius absunt a nostris temporibus. Addunt quidam, Balaam hic insinuare, visurum se Christum non suis, sed posterorum suorum oculis, hoc est Magorum trium, qui ductu stellæ adorarunt Christum recens natum in Bethlehem. Sed incertum est, an hi Magi fuerint e posteris Balaam.

Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel — Rabbini, et ex eis Abulensis, hæc de Davide ad litteram accipiunt, quia hic subegit Moabitas et Idumæos, de quibus post agit Balaam. Et vero ad Davidem alludi non libenter

(1) Supra 23, vers. 22. (2) Sup. 22, vers. 18. (3) Matth. 2, vers. 2. (4) Apoc. 17, vers. 15.

hereditas Seir cedet inimicis suis. Israel vero fortiter aget.

19. De Jacob erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis.

20. Cumque vidisset Amalec, assumens parabolam, ait: Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur.

21. Vidit quoque Cinæum: et assumpta parabola, ait: Robustum quidem est habitaculum tuum: sed si in petra posueris nidum tuum,

22. Et fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere? Assur enim capiet te.

23. Assumptaque parabola iterum locutus est: Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus?

24. [1] Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, et ad extremum etiam ipsi peribunt.

25. Surrexitque Balaam, et reversus est in locum suum: Balac quoque via, qua venerat, rediit.

negarim: primario tamen de Messia filio et herede Davidis, et per Davidem tamquam per typum et figuram repræsentato, certum est ad litteram hæc exponi debere. Et ita exponit Chaldæus, et fere omnes SS. Patres. Erat enim Christus ex Israele oriundus vera *stella* mundi, luce doctrinæ suæ; et *virga* seu sceptrum, regia sua potestate qua toti mundo dominetur. Atque ita huic proprie quadrat, quod adventu suo *percusserit duces Moab, vastaritque omnes filios Seth,* id est *omnes homines*, inquit Chaldæus; quia omnes quotquot ex Noe prognati sunt, a *Seth* atavo Noe processerunt. Omnes ergo non solum Moabitæ, id est idololatræ et jurati hostes Israelitarum, sed etiam alii populi, a Christo subjiciendi hic dicuntur, more Prophetis usitato, qui adventum Christi tum primum, tum secundum solent describere ad modum atrocissimi cujusdam belli in omnes nationes gerendi, propterea quod omnium gentium idololatriam, impietatem et scelera destructurus sit. Ita Eugubinus, Lyranus, Abulensis, Oleaster, Vatablus, Cajetanus et Sa.

℣. 19. *Et perdat reliquias civitatis* — puta Romæ, quæ antonomastice *civitas* et *urbs* vocatur tamquam præcipua totius orbis urbs, inquit Abulensis. Hæc perdita est a Constantino Magno, cum hic conversus ad Christum totam quoque Romam, et reliquias Gentilium una secum ad Christum traduxit. Sic infra.

℣. 24. *Venient in trieribus* seu triremibus, *de Italia*, etc. — Plurimis ante Romam conditam annis, prædicit potentia Romanorum superatum iri Assyrios, quod factum primo, tempore Augusti Imperatoris, cum Ventidius Bassus de ipsis et vicinis Parthis triumphavit. Secundo, tempore Trajani, a quo rursum subjugati Assyrii et in provinciam redacti sunt, teste Dione, Cassiodoro [2], Festo Rufo et aliis. Ab iisdem Romanis prædicit hic vastatum et excisum iri etiam Hebræos, alludens ad cludes a Pompejo ipsis inferendas, et ad excidium urbis imperiique illorum per Titum et Vespasianum Imperatores Romanos [3]. Denique Romanos quoque ipsos, everso excisoque illorum imperio, stirpitus perituros prænunciat eodem versu, quod futurum in fine mundi, sub initium monarchiæ Antichristi, constans est sanctorum Patrum et Doctorum sententia. Idem prædixit Daniel cap. 2, vers. 40 et sequentibus. Vide Bellarminum de Pontifice libr. 3, cap. 5.

(1) Dan. 11, 30.
(2) Dio. l. 68 Rom. hist.; Cassiod. in Chron.

(3) De Cin et Cinæis v. 21, vide c. 10, v. 29.

CAPUT XXV.

Fornicantur Israelitæ cum Madianitis, et colunt Beelphegor. Unde principes suspenduntur e patibulis, et e plebe 24 millia jugulantur. Phinees filius Eleazari pontificis, quia zelose occidit principem fornicarium, pro mercede accipit pontificatum suæ familiæ hereditarium.

1. Morabatur autem eo tempore Israel in Settim, et fornicatus est populus cum filiabus Moab,

2. Quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt et adoraverunt deos earum.

3. [1] Initiatusque est Israel Beelphegor: et iratus Dominus

4. Ait ad Moysen: [2] Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis: ut avertatur furor meus ab Israel.

5. Dixitque Moyses ad judices Israel: [3] Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor.

6. Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, et omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi.

7. [4] Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, et arrepto pugione,

8. Ingressus est post virum Israelitem in lupanar, et perfodit ambos simul, virum scilicet et mulierem, in locis genitalibus. Cessavitque plaga a filiis Israel:

9. Et occisi sunt viginti quatuor millia hominum.

10. Dixitque Dominus ad Moysen:

11. Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis avertit iram meam a filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo:

12. Idcirco loquere ad eum: [5] Ecce do ei pacem fœderis mei,

13. Et erit tam ipsi quam semini ejus pactum sacerdotii sempiter-

℣. 1. *Fornicatus est populus* — utraque fornicatione, corporali, et spiritali, id est idololatria, inquit Lyranus et Oleaster. Addit Villalpandus [6], uno eodemque actu physico fornicationis coluisse idolum: nam tali turpitudine colebatur *Beelphegor*, id est *Priapus*, teste sancto Hieronymo, Isidoro, Theophylacto, Adrichom., Masio, Aria, Ribera, Lorino [7]. Dicitur autem *Beel-Phegor* hebraice, id est *dominus opertionis*, id est obscœnitatis, q. d. Deus *nuditatis;* ita auctores jam citati. Ab hoc idolo nomen idem Phogor monti, et urbi, in quibus maxime colebatur, inditum fuit Numer. 23, v. 28, et Josue 13, v. 20. Usque eo autem invaluit subinde etiam apud Hebræos pudendus hujus Dei cultus etiam per feminas principes, ut mater quoque Asa regis Juda sordibus illis præesse vellet, lib. 3 Reg. 15, v. 13; sed rex illam vi dimovit, et Priapum evertit. Porro lenocinia et artes quibus Madianiticæ puellæ deceperunt hic Hebræos, fuse enarrat Josephus [8].

℣. 12. *Do ei pacem fœderis mei* — Hoc est, ineo cum Phinees fœdus pacificum, quo secure et pacifice perfruetur, nempe quod in posteris suis perpetuo fungetur sacerdotio, scilicet summo [9].

Petes, quomodo hoc subsistit, cum post pronepotem Phinees translatus fuerit

(1) Jos. 22, vers. 17; Ps. 105, vers. 28.
(2) Deut. 4, vers. 3. (3) Exod. 32, vers. 27.
(4) Psalm. 105, vers. 30; 1 Mach. 2, vers. 26; 1 ad Cor. 10, vers. 8.
(5) Eccli. 45, vers. 30; 1 Mach. 2, vers. 54.
(6) In Ezech. 43, l. 4, c. 79.
(7) Hieron. l. 1 advers. Jovinian., et in Isa. 25; Osee 4, v. 9; Isidor. l. 5 Originum, c. 11; Theophyl. in Osee 4 et 9; Adrich. in Theatro, in Ruben; Lorinus in Psalm. 105.
(8) Lib. 4 Antiq., cap. 5.
(9) Shuckfordius t. 3 *Hist. Orbis sacr. et prof.*, p. 352, ut Phinees facinus defendat, Vulgatam nostram sugillat, et quæ Hebraice scripta sunt *Hinneni Nothen Lobarithi Shalom*, reddi ait debuisse: *Ecce me dantem, seu qui dabam illi pactum meum*

num, quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israel.

14. Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione et tribu Simeonis.

15. Porro mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur principis nobilissimi Madianitarum.

16. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

17. [1] Hostes vos sentiant Madianitæ, et percutite eos:

18. Quia et ipsi hostiliter egerunt contra vos, et decepere insidiis per idolum Phogor, et Cozbi filiam ducis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phogor.

pontificatus ad Heli, qui erat de familia Ithamari patrui Phinees? teste Josepho [2] et Scriptura [3]. Respondeo, fœdus hoc conditionatum fuisse, si nempe posteri ipsius in fide et cultu Dei constantes perseverarent. Sic enim fœdera, quia mutua, obligationem utrimque inducere solent. Vi tamen hujus fœderis factum videtur, quod, resipiscentibus posteris Phinees, tempore Davidis et Salomonis recuperarint pontificatum, quem per Heli amiserant: semperque deinceps retinuerint in sua familia, saltem usque ad tempora Herodis, cum jam non amplius jure successionis, sed vel pretio, vel gratia principum, pontificatus obtineretur [4].

pacis; quibus præceptum quoddam antea Phinees a Deo datum de Zambri occidendo indicatur. Verum his opus non est, ut quem Deus postea probavit, ac pace fœderis sui donavit, defendamus.

(1) Infra 31, vers. 2.
(2) Lib. 5 Antiq. c. ult. et l. 8, c. 1.
(3) 1 Paral. 24, vers. 3.
(4) Supra c. 20, vers. 28.

CAPUT XXVI.

Israelitæ terram promissam ingressuri, de novo numerantur a 20 annis et supra, per singulas tribus. Et secundum hanc dinumerationem jubetur illis terra dividi, et majori tribui major portio, minori minor consignari.

1. Postquam noxiorum sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen et Eleazarum filium Aaron sacerdotem:

2. [1] Numerate omnem summam filiorum Israel a viginti annis et supra, per domos et cognationes suas, cunctos qui possunt ad bella procedere.

3. Locuti sunt itaque Moyses et Eleazar sacerdos in campestribus Moab super Jordanem contra Jericho, ad eos qui erant

4. A viginti annis et supra, sicut Dominus imperaverat, quorum iste est numerus.

5. Ruben primogenitus Israel: [2] hujus filius, Henoch, a quo familia Henochitarum: et Phallu, a quo familia Phalluitarum:

℣. 2. *Numerate omnem summam filiorum Israel a viginti annis* — Mortuis jam omnibus, qui prima populi lustratione, Numer. 1, recensiti fuerant, *sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta;* novus hic census jubetur institui, eo quod jam in procinctu essent ut ingrederentur in terram promissam, et hæc ipsis dividi deberet. Quo lustro reperti sunt *sexcenta millia, mille septingenti triginta.* Unde patet, summam pugnatorum hoc quadragesimo anno initam non æquasse summam censorum primo censu anno secundo egressus ex Ægypto, sed inferiorem illa fuisse *mille octingentis* viginti capitibus.

(1) Sup. 1, vv. 2, 3.
(2) Gen. 46, v. 9; Exod. 6, v. 14; 1 Par. 5 v. 3.

6. Et Hesron, a quo familia Hesronitarum: et Charmi, a quo familia Charmitarum.

7. Hæ sunt familiæ de stirpe Ruben: quarum numerus inventus est, quadraginta tria millia et septingenti triginta.

8. Filius Phallu, Eliab;

9. Hujus filii, Namuel et Dathan et Abiron: isti sunt Dathan et Abiron principes populi, [1] qui surrexerunt contra Moysen et Aaron in seditione Core, quando adversus Dominum rebellaverunt:

10. Et aperiens terra os suum devoravit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum est grande miraculum,

11. Ut, Core pereunte, filii illius non perirent.

12. Filii Simeon per cognationes suas: Namuel, ab hoc familia Namuelitarum: Jamin, ab hoc familia Jaminitarum: Jachin, ab hoc familia Jachinitarum:

13. Zare, ab hoc familia Zareitarum: Saul, ab hoc familia Saulitarum.

14. Hæ sunt familiæ de stirpe Simeon, quarum omnis numerus fuit, viginti duo millia ducenti.

15. Filii Gad per cognationes suas: Sephon, ab hoc familia Sephonitarum: Aggi, ab hoc familia Aggitarum: Suni, ab hoc familia Sunitarum:

16. Ozni, ab hoc familia Oznitarum: Her, ab hoc familia Heritarum:

17. Arod, ab hoc familia Aroditarum: Ariel, ab hoc familia Arielitarum.

18. Istæ sunt familiæ Gad, quarum omnis numerus fuit, quadraginta millia quingenti.

19. [2] Filii Juda, Her et Onan, qui ambo mortui sunt in terra Chanaan.

20. Fueruntque filii Juda, per cognationes suas: Sela, a quo familia Selaitarum: Phares, a quo familia Pharesitarum: Zare, a quo familia Zareitarum.

21. Porro filii Phares: Hesron, a quo familia Hesronitarum: et Hamul, a quo familia Hamulitarum.

22. Istæ sunt familiæ Juda, quarum omnis numerus fuit, septuaginta sex millia quingenti.

23. Filii Issachar, per cognationes suas: Thola, a quo familia Tholaitarum: Phua, a quo familia Phuaitarum:

24. Jasub, a quo familia Jasubitarum: Semran, a quo familia Semranitarum.

25. Hæ sunt cognationes Issachar, quarum numerus fuit, sexaginta quatuor millia trecenti.

26. Filii Zabulon per cognationes suas: Sared, a quo familia Sareditarum: Elon, a quo familia Elonitarum: Jalel, a quo familia Jalelitarum.

27. Hæ sunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit, sexaginta millia quingenti.

28. Filii Joseph per cognationes suas, Manasse et Ephraim.

29. De Manasse ortus est Machir, a quo familia Machiritarum. [3] Machir genuit Galaad, a quo familia Galaaditarum.

30. Galaad habuit filios: Jezer, a quo familia Jezeritarum: et Helec, a quo familia Helecitarum:

31. Et Asriel, a quo familia Asrielitarum: et Sechem, a quo familia Sechemitarum:

32. Et Semida, a quo familia Semidaitarum: [4] et Hepher, a quo familia Hepheritarum.

33. Fuit autem Hepher pater Salphaad, qui filios non habebat, sed tantum filias, quarum ista sunt nomina: [5] Maala, et Noa, et Hegla, et Melcha, et Thersa.

34. Hæ sunt familiæ Manasse, et

(1) Sup. 16, vv. 1, 2. (2) Gen. 38, vv. 3, 4. (3) Jos. 17, v. 1. (4) Infr. 27, v. 1. (5) Ibid.

numerus earum, quinquaginta duo millia septingenti.

35. Filii autem Ephraim per cognationes suas, fuerunt hi: Suthala, a quo familia Suthalaitarum: Becher, a quo familia Becheritarum: Thehen, a quo familia Thehenitarum:

36. Porro filius Suthala fuit Heran, a quo familia Heranitarum.

37. Hæ sunt cognationes filiorum Ephraim, quarum numerus fuit, triginta duo millia quingenti.

38. Isti sunt filii Joseph per familias suas. Filii Benjamin in cognationibus suis: Bela, a quo familia Belaitarum: Asbel, a quo familia Asbelitarum: Ahiram, a quo familia Ahiramitarum.

39. Supham, a quo familia Suphamitarum: Hupham, a quo familia Huphamitarum.

40. Filii Bela: Hered et Noeman. De Hered, familia Hereditarum: de Noeman, familia Noemanitarum.

41. Hi sunt filii Benjamin per cognationes suas, quorum numerus fuit, quadraginta quinque millia sexcenti.

42. Filii Dan per cognationes suas: Suham, a quo familia Suhamitarum; hæ sunt cognationes Dan per familias suas:

43. Omnes fuere Suhamitæ, quorum numerus erat, sexaginta quatuor millia quadringenti.

44. Filii Aser per cognationes suas: Jemna, a quo familia Jemnaitarum: Jessui, a quo familia Jessuitarum: Brie, a quo familia Brieitarum.

45. Filii Brie: Heber, a quo familia Heberitarum: et Melchiel, a quo familia Melchielitarum.

46. Nomen autem filiæ Aser, fuit Sara.

47. Hæ cognationes filiorum Aser, et numerus eorum, quinquaginta tria millia quadringenti.

48. Filii Nephthali per cognationes suas: Jesiel, a quo familia Jesielitarum: Guni, a quo familia Gunitarum.

49. Jeser, a quo familia Jeseritarum: Sellem, a quo familia Sellemitarum.

50. Hæ sunt cognationes filiorum Nephthali per familias suas: quorum numerus, quadraginta quinque millia quadringenti.

51. Ista est summa filiorum Israel, qui recensiti sunt, sexcenta millia, et mille septingenti triginta.

52. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

53. Istis dividetur terra juxta numerum vocabulorum in possessiones suas.

54. Pluribus majorem partem dabis, et paucioribus minorem: singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio:

55. Ita dumtaxat ut sors terram tribubus dividat et familiis.

56. Quidquid sorte contigerit, hoc

℣. 53. *Istis dividetur terra juxta numerum vocabulorum* — id est *nominum*, ut est in Hebræo, Chaldæo et LXX, id est, per singula capita nominatim recensita. Sensus est, tribui uni plus, vel minus terræ donandum esse, quo plura vel pauciora essent in tribu capita: nam sequitur, *Pluribus majorem partem dabis, et paucioribus minorem.* Sic tamen ut in divisione terræ, non solius mensuræ haberetur ratio, sed etiam, et quidem ante omnia, fœcunditatis soli, ut factum ait Josephus [1]. Indeque contigisse, quod tribus Benjamin, licet numero multis aliis tribubus esset major, tamen angustissimam sortem acceperit, quod optimum fertilissimumque totius Chananææ tractum nacta esset, Jerichuntem puta et Jerosolymam.

℣. 55. *Ita dumtaxat ut sors terram tribubus dividat et familiis* — Petes, quomodo sors hic habere potuit locum, cum jubeatur ratio haberi capitum plurium pauciorumve, et præterea bonitatis ac fertilitatis soli? Respondeo, haberi potuisse hoc modo: geometræ dividebant eis Jordanem terram in novem partes æ-

(1) Lib. 5 Antiq. c. 1.

vel plures accipiant, vel pauciores.

57. [1] Hic quoque est numerus filiorum Levi per familias suas: Gerson, a quo familia Gersonitarum: Caath, a quo familia Caathitarum: Merari, a quo familia Meraritarum:

58. Hæ sunt familiæ Levi: Familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Musi, familia Core. At vero Caath genuit Amram:

59. Qui habuit uxorem Jochabed filiam Levi, quæ nata est ei in Ægypto; hæc genuit Amram viro suo filios, Aaron et Moysen, et Mariam sororem eorum.

60. De Aaron orti sunt Nadab et Abiu, et Eleazar et Ithamar:

61. [2] Quorum Nadab et Abiu mortui sunt, cum obtulissent ignem alienum coram Domino.

62. Fueruntque omnes qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini, ab uno mense et supra: quia non sunt recensiti inter filios Israel, nec eis cum ceteris data possessio est.

63. Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt a Moyse et Eleazaro sacerdote, in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho;

64. [3] Inter quos, nullus fuit eorum qui ante numerati sunt a Moyse et Aaron in deserto Sinai,

65. [4] Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in solitudine. Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb filius Jephone, et Josue filius Nun.

quales cum dimidia: nam reliquæ duæ tribus cum dimidia jam sine sorte terras suas trans Jordanem [5] acceperant. Super his novem cum dimidia vel decem partibus jaciebantur sortes quæ cuique tribui pars cederet: sed post jactas sortes contrahebatur ea pars a geometris quæ obvenerat uni tribui in qua pauciores erant numero bellatores quam pars tanta requireret, dilatabatur vero ab iisdem, si in ea plures essent, idque juxta numerum capitum, et qua parte commodius dilatari vel contrahi posset.

(1) Exod. 6, vers. 16.
(2) Lev. 10, v. 1; Supra 3, v. 4; 1 Par. 24, v. 2.
(3) 1 ad Cor. 10, vers. 5.
(4) Supra 14, vv. 23, 24. (5) Num. 32.

CAPUT XXVII.

Propter filias Salphaad, lex fertur, ut, deficiente prole mascula, filiæ parentibus succedant in hereditatem. Jubetur Moyses ex monte Abarim contemplari terram promissam; sibique in ducatu populi substituere Josue.

1. Accesserunt [1] autem filiæ Salphaad, filii Hepher, filii Galaad, filii Machir, filii Manasse, qui fuit filius Joseph: quarum sunt nomina, Maala, et Noa, et Hegla, et Melcha, et Thersa.

2. Steteruntque coram Moyse et Eleazaro sacerdote, et cunctis principibus populi, ad ostium tabernaculi fœderis, atque dixerunt:

3. Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ [2] concitata est contra Dominum sub Core, sed in peccato suo mortuus est: hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua,

℣. 3. *In peccato suo mortuus est* — Peccatum hoc fuit commune cum reliquis murmur post exploratorum reditum supra cap. 14. Cujus peccati pœnam Deus ibidem statuit mortem singulis oppetendam in deserto. Et quia hanc pœnam voluit in parentibus, qui soli peccaverant, hærere, neque ad filios extendi, idcirco dicunt *filiæ Salphaad* parentem in *suo* peccato mortuum esse.

(1) Sup. 26, vv. 32, 33; Infra 36, v. 1; Jos. 17, v. 1.
(2) Supra 16, vers. 1.

quia non habuit filium? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri.

4. Retulitque Moyses causam earum ad judicium Domini.

5. Qui dixit ad eum:

6. Justam rem postulant filiæ Salphaad: da eis possessionem inter cognatos patris sui, et ei in hereditatem succedant.

7. Ad filios autem Israel loqueris hæc:

8. Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hereditas;

9. Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos;

10. Quod si et fratres non fuerint, dabitis hereditatem fratribus patris ejus;

11. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hereditas his qui ei proximi sunt; eritque hoc filiis Israel sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Moysi.

12. Dixit quoque Dominus ad Moysen: [1] Ascende in montem istum Abarim, et contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israel;

13. Cumque videris eam, ibis et tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron:

14. [2] Quia offendistis me in deserto Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas; hæ sunt aquæ contradictionis in Cades deserti Sin.

15. Cui respondit Moyses:

16. Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc:

17. Et possit exire et intrare ante eos, et educere eos, vel introducere: ne sit populus Domini sicut oves absque pastore.

18. Dixitque Dominus ad eum: [3] Tolle Josue filium Nun, virum in quo est Spiritus, et pone manum tuam super eum.

19. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote et omni multitudine:

20. Et dabis ei præcepta cunctis videntibus, et partem gloriæ tuæ,

℣. 12. *Ascende in montem Abarim* — Est continuatio plurium montium in confinibus Amorrhæorum et Moabitarum: cujus pars una, seu jugum unum quod Moyses conscendit, dicebatur *Nebo* vel *Nabah*, ejusque vertex *Phasga*, uti habes Deuteronomii 32 et 34. De peccato Moysis, ob quod exclusus est a terra sancta, dixi supra c. 20, v. 12.

℣. 18. *Pone manum tuam super eum* — Hoc ritu significabatur Moysen resignare et transmittere potestatem suam in Josue. Eratque hæc non nuda externa cæremonia qua inauguraretur Josue princeps populi, sed eadem insuper conferebatur illi Spiritus sapientiæ, qui principi ad regendum est necessarius. Conferebatur, inquam, morali quadam efficientia, Moyse id a Deo conceptis precibus expetente. Sic enim dicitur Deuteron. ult. *Josue filius Nun repletus est Spiritu sapientiæ; quia Moyses posuit super eum manus suas.*

℣. 20. *Et dabis ei præcepta* — utique ad principis officium rite obeundum spectantia: maxime vero, ut strenue adversus hostem rem gerat, Deo fretus nihil metuat, populum in officio suo, et Dei cultu contineat, ut Philo [4] exponit, et colligitur Deuteronomii 3, v. 21 et sequentibus.

Et partem gloriæ tuæ — seu dignitatis et auctoritatis tuæ communicabis Josue, ut in posterum tibi non tamquam minister adsit, ut hactenus, sed tamquam princeps assideat, insignia principatus eadem quæ tu gestet, frequenti famulitio cingatur, denique pro principe se gerat in omnibus, et Moysi dignitate sit proximus. Idque *ut audiat eum omnis synagoga*, hoc est, ut hac via concilietur ei auctoritas apud populum, et omnes paullatim, etiam te vivente, illi parere discant. Ita S. Augustinus [5], Cajetanus, Abulensis, Serarius.

(1) Deut. 32, vers. 49.
(2) Supra 20, 12; Deut. 32, vers. 51.
(3) Deut. 3, vers. 21.
(4) Lib. de Charitate.
(5) Q. 55 in Num.

ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel.

21. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur et ingredietur ipse, et omnes filii Israel cum eo, et cetera multitudo.

22. Fecit Moyses ut præceperat Dominus. Cumque tulisset Josue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote et omni frequentia populi.

23. Et impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit quæ mandaverat Dominus.

CAPUT XXVIII.

Statæ victimæ præscribuntur partim quotidie, partim in festis offerendæ. Quotidie agnus unus mane, et alter vespere, eratque hoc juge sacrificium. In sabbatis duo agni mane. In neomeniis vituli duo, aries unus et agni septem in holocaustum, et hircus unus in hostiam pro peccato. Et eædem victimæ jubentur offerri in festo Paschatis et Pentecostes.

1. Dixit quoque Dominus ad Moysen:

2. Præcipe filiis Israel, et dices ad eos: Oblationem meam et panes, et incensum odoris suavissimi offerte per tempora sua.

3. Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis: [1] Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum:

4. Unum offeretis mane, et alterum ad vesperum.

5. Decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, et habeat quartam partem hin:

6. Holocaustum juge est quod obtulistis in monte Sinai in odorem suavissimum incensi Domini;

7. Et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in sanctuario Domini.

8. Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam, juxta omnem ritum sacrificii matutini, et libamentorum ejus, oblationem suavissimi odoris Domino.

9. [2] Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, et duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, et liba,

10. Quæ rite funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiternum.

11. In calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos,

12. Et tres decimas similæ oleo

℣. 11. *In calendis* — Hebraice, in capite mensium: græce, in neomeniis: latine novilunia vocamus, a quibus Judæi suos menses inchoabant, qui proinde alterni erant 29 et 30 dierum: nam ab uno novilunio ad alterum sudt dies 29 cum dimidio. Voluit autem Deus has calendas seu novilunia esse sacra, quia primitiæ erant mensium. Sicut ergo initium finisque cujusque hebdomadæ per sabbatum Deo consecrabatur, et initium totius anni per Pascha: sic initium cujusque mensis Deo similiter consecrandum erat, et quidem per festum proprie dictum, quo et servilia opera, et iter prolixius inhibebatur, ut patet 1 Reg. 20, v. 19, quo item specialia sacrificia, quasi mensis totius primitiæ, in templo, nomine publico offerebantur; ita Sanctius in 1 Reg. 20, v. 19 et Abulensis ibid., licet hic contrarium insinuet. S. Thomas et Lyranus dicunt, sicut *sabbatis* jussi fuerant Hebræi celebrare memoriam *creationis;* ita *neomeniis* memoriam *gubernationis* divinæ: nam luna corporibus omnibus sublunaribus dominatur, et illa maxime in novilunio immutat. De festis calendis apud Romanos, vide Macrobium [3] et alios. Petes, an singulæ neomeniæ clangore tubarum indici consueverint apud Ju-

(1) Exod. 29, vers. 38. (2) Matth. 12, vers. 5.

(3) L. 1 Saturnal.

conspersæ in sacrificio per singulos vitulos: et duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes;

13. Et decimam decimæ similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos; holocaustum suavissimi odoris atque incensi est Domino.

14. Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum; hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt.

15. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis.

16. [1] Mense autem primo, quartadecima die mensis, Phase Domini erit,

17. Et quintadecima die solemnitas: septem diebus vescentur azymis.

18. Quarum dies prima venerabilis et sancta erit: omne opus servile non facietis in ea;

19. Offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem:

20. Et sacrificia singulorum ex simila quæ conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, et duas decimas per arietem,

21. Et decimam decimæ per agnos singulos: id est, per septem agnos.

22. Et hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis,

23. Præter holocaustum matutinum quod semper offeretis.

24. Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis, et in odorem suavissimum Domino, qui surget de holocausto, et de libationibus singulorum.

25. Dies quoque septimus celeberrimus et sanctus erit vobis: omne opus servile non facietis in eo.

26. Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis et sancta erit: omne opus servile non facietis in ea.

27. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, et agnos anniculos immaculatos septem:

28. Atque in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas,

29. Per agnos decimam decimæ, qui simul sunt agni septem; hircum quoque

30. Qui mactatur pro expiatione: præter holocaustum sempiternum et liba ejus.

31. Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.

dæos? Respondeo cum Sanctio [2], id probabilius esse, ex Numeror. 10, v. 10, quam quod volunt Ribera, a Lapide, et Bonfrer. [3], in sola mensis septimi neomenia id factitari solitum, quasi ob id *festum tubarum* dicta fuerit, de quo fuse Levitici 23, ubi et de aliis hujus et sequentis capitis festis egimus.

(1) Exod. 12, vers. 18; Levit. 23, vers. 5.
(2) Sanctius sup.

℣. 13. Per *decimam decimæ* intelligit eam mensuram quæ *Assaron* dicebatur, quæ erat decima pars *ephi* [4]: ac proinde vocabatur *decima minor*, nempe ad distinctionem *decimæ majoris*, quæ erat ipsum *ephi:* nam *ephi* erat decima pars *cori*, quæ erat omnium maxima mensura apud Hebræos.

(3) Ribera l. 5 de Templ., c. 2; A Lapide et Bonfr. hic.
(4) Vide Proleg. de Mensuris.

CAPUT XXIX.

In festo Tubarum, prima Tisri, et in festo Expiationis decima ejusdem mensis, jubentur offerri vitulus unus, aries unus, et agni septem. Pro festo Tabernaculorum, decimaquinta ejusdem mensis, per integrum octiduum variæ victimæ præscribuntur.

1. Mensis etiam septimi prima dies venerabilis et sancta erit vobis: omne opus servile non facietis in ea, quia dies clangoris est et tubarum.

2. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, et agnos anniculos immaculatos septem:

3. Et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem,

4. Unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem:

5. Et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi,

6. Præter holocaustum calendarum cum sacrificiis suis, et holocaustum sempiternum cum libationibus solitis; eisdem ceremoniis offeretis in odorem suavissimum incensum Domino.

7. [1] Decima quoque dies mensis hujus septimi erit vobis sancta atque venerabilis, et affligetis animas vestras: omne opus servile non facietis in ea.

8. Offeretisque holocaustum Domino in odorem suavissimum, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem:

9. Et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem,

10. Decimam decimæ per agnos singulos, qui sunt simul agni septem:

11. Et hircum pro peccato, absque his quæ offerri pro delicto solent in expiationem, et holocaustum sempiternum, cum sacrificio et libaminibus eorum.

12. Quintadecima vero die mensis septimi, quæ vobis sancta erit atque venerabilis, omne opus servile non facietis in ea, sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus;

13. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

14. Et in libamentis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, qui sunt simul

℣. 12. *Celebrabitis solemnitatem* tabernaculorum *Domino septem diebus* — Non quod totis septem diebus vacandum esset ab opere servili (nam de solo primo die id præceptum fuit), sed quod totidem diebus manendum esset in tabernaculis: et quod peculiaria singulis diebus sacrificia publico nomine offerenda essent, quæ hic etiam sigillatim recensentur. Non quod specie differrent, sed numero solo: nempe, e vitulorum numero quotidie unus detrahebatur, ita ut primo die offerrentur tredecim, secundo die duodecim, tertio undecim, et sic consequenter, donec die septimo ad vitulos septem deventum esset. Alioquin in arietibus, agnis, libis seu libamentis, et aliis, idem numerus et mensura eorumdem omnibus septem diebus servabatur, ut patet consideranti singula.

(1) Lev. 16, vers. 29, et 23, vers. 24.

mul vituli tredecim: et duas decimas arieti uno, id est, simul arietibus duobus,

15. Et decimam decimæ agnis singulis, qui sunt simul agni quatuordecim:

16. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, et sacrificio, et libamine ejus.

17. In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

18. Sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis:

19. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque et libamine ejus.

20. Die tertio offeretis vitulos undecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

21. Sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis:

22. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque et libamine ejus.

23. Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

24. Sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis:

25. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine.

26. Die quinto offeretis vitulos novem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

27. Sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis:

28. Et hircum pro peccato absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine.

29. Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

30. Sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis:

31. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine.

32. Die septimo offeretis vitulos septem, et arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

33. Sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis:

34. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine.

35. Die octavo, qui est celeberrimus, omne opus servile non facietis,

36. Offerentes holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem:

37. Sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis:

38. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine.

39. Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris: præter vota et oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, et in hostiis pacificis.

℣. 38. *Absque holocausto sempiterno* — Hoc est, præter juge sacrificium duorum agnorum, qui quotidie infallibiliter offerri debebant, non obstante omni alio hostiarum numero. Sensus ergo est, omnia jam dicta sacrificia et libamina singulis suis diebus offerenda esse, ultra juge sacrificium cum suo libamine: et ultra quoque alia omnia sacrificia quæ quis vel ex voto, aut privata aliqua culpa tenetur, vel ex peculiari devotione, vel pietate volet ultro offerre [1].

(1) Cetera hujus capitis vide sup. 23 Levit.

CAPUT XXX.

Indulget Deus, ut pater votum filiæ, maritus uxoris irritare possit, dummodo illi contradicat statim, id est, primo die quo illud rescivit.

1. Narravitque Moyses filiis Israel omnia quæ ei Dominus imperarat:
2. Et locutus est ad principes tribuum filiorum Israel: Iste est sermo quem præcepit Dominus:
3. Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit.
4. Mulier si quippiam voverit, et se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, et in ætate adhuc puellari: si cognoverit pater votum quod pollicita est, et juramentum quo obligavit animam suam, et tacuerit, voti rea erit:
5. Quidquid pollicita est et juravit, opere complebit:
6. Sin autem, statim ut audierit, contradixerit pater: et vota et juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater.
7. Si maritum habuerit, et voverit aliquid, et semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento:
8. Quo die audierit vir, et non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat;
9. Sin autem audiens statim contradixerit, et irritas fecerit pollicitationes ejus, verbaque quibus obstrinxerat animam suam: propitius erit ei Dominus.
10. Vidua et repudiata quidquid voverint, reddent.
11. Uxor in domo viri cum se voto constrinxerit et juramento,
12. Si audierit vir, et tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque promiserat;
13. Sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea: quia maritus contradixit, et Dominus ei propitius erit.
14. Si voverit, et juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel ceterarum rerum abstinentiam, affligat animam suam, in arbitrio viri erit ut faciat, sive non faciat;
15. Quod si audiens vir tacuerit, et in alteram diem distulerit sententiam: quidquid voverat atque promiserat, reddet: quia statim ut audivit, tacuit;
16. Sin autem contradixerit post-

v. 16. *Sin autem contradixerit postquam rescivit* — Agit de parente puellæ, vel marito, qui cognito voto filiæ vel uxoris tacuit tota die, atque ita sua taciturnitate votum reddidit ratum, post illum nihilominus diem repugnat filiæ vel uxori, neque vult votum ab illis impleri: quid tali casu faciet filia vel uxor? Respondet hic Deus, obediendum esse parenti et marito etiam illo casu: neque enim decet umquam, filiam aut uxorem parenti vel marito in dubiis reluctari. Atque ita liberat Deus tali casu filiam et uxorem ab impletione voti. Quia tamen inique facit parens vel maritus impediendo completionem voti, quod suo silentio semel confirmarat; hinc addit Deus, tali casu parentem et maritum portaturum hanc iniquitatem, hoc est, obnoxium fore divinæ pœnæ, propter talis voti omissionem debitæ et infligendæ: sicut enim tota culpa est penes parentem et maritum, ita penes eosdem fore et pœnam. Putarim tamen quod hic dicitur; tali casu liberam esse filiam et uxorem, limitari debere ad ea vota quæ commode impleri non possunt quin parens vel maritus id resciscat, v. g. jejunio, peregri-

quam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus.

17. Istæ sunt leges, quas constituit Dominus Moysi, inter virum et uxorem, inter patrem et filiam, quæ in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet in parentis domo.

natione, et simili afflictione corporali. Nam si quæ alia vovisset, quæ parente vel marito inscio et absque justa offensione illius exequi potest, v. g. orare ad breve tempus, levem eleemosynam dare, etc. poterat ipsa, etiam prohibente parente vel marito, clam votum implere, et vero etiam debebat. Ita S. Augustinus, Lyranus, Oleaster, Cajetanus. Hinc patet, has leges non esse prorsus juris naturæ, sed divini positivi, et cæremoniales (saltem pro majore parte) legis veteris, atque ita pro ea parte jam abrogatas esse, neque obligare in lege nova.

CAPUT XXXI.

Jussu Dei exscinduntur stirpitus Madianitæ, solis virginibus vita donatis. Præda dividitur cum iis quoque qui remanserant in castris. Et sua etiam portio cedit sacerdotibus ac Levitis.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. [1] Ulciscere prius filios Israel de Madianitis, et sic colligeris ad populum tuum.

3. Statimque Moyses: [2] Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint [3] ultionem Domini expetere de Madianitis;

4. Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel qui mittantur ad bellum.

5. Dederuntque millenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam:

6. Quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, vasa quoque sancta, et tubas ad clangendum tradidit ei.

7. Cumque pugnassent contra Madianitas atque vicissent, omnes mares occiderunt,

8. [4] Et reges eorum, Evi, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe, quinque principes gentis: Balaam quoque filium Beor, interfecerunt gladio:

℣. 6. *Vasa sancta* — Puta *arcam* cum suis appendicibus. Ita Rabbini, et Lyranus, Abulensis, Cajetanus et Serarius[5]. Solebat enim arca passim ad bellum deferri a Judæis, ut idola a Gentilibus; idque ut pugnaturi firmum haberent adversus hostes præsidium, et certam spem victoriæ. *Tubas* quoque, scilicet argenteas illas, sacras, de quibus supra c. 10, v. 2, ad animos pugnantibus addendos, inflabant sacerdotes in bello, et hoc officium erat illis proprium. Et hæc erat causa cur *Phinees* sacerdos pugnaturus Israelitis junctus fuerit a Moyse: non vero ut ducem supremum belli ageret; quod vult Lyranus. Cur enim id Josue recens inaugurato principi, cui id ex officio incumbebat, negatum fuisset, ipso maxime præfecturæ initio, quo concilianda illi erat apud populum auctoritas? Ita Doctores supra citati.

℣. 8. *Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio* — Hærebat ergo adhuc Balaam in parte aliqua Madianitidis. Et hic locus illius dici potest, ad quem c. 24, vers. ult. reversus fuisse dicitur: nempe ex confiniis et montibus, e quibus prospexerat castra Hebræorum, descenderat in interiora regni, et apud amicos adhuc hærebat hospes, inde in Mesopo-

(1) " Vers. 2. *Ulciscere prius filios Israel de Madianitis*, quia ipsi provocaverunt Israelitas prostituendo eis filias suas ad fornicationem et idololatriam Beelphegor, juxta cap. 25, Num. 6 et 7, Menochius et Gordonus. "

(2) Supra 25, vers. 17.

(3) " Vers. 3. *Ultionem Domini*, nempe Domino adjuvante facta hæc ultio. "

(4) Jos. 13, vers. 21.

(5) Lib. 1 Josue, c. 10, q. 1.

9. Ceperuntque mulieres eorum, et parvulos, omniaque pecora, et cunctam supellectilem: quidquid habere potuerant depopulati sunt:

10. Tam urbes quam viculos et castella flamma consumpsit.

11. Et tulerunt prædam, et universa quæ ceperant tam ex hominibus quam ex jumentis.

12. Et adduxerunt ad Moysen, et Eleazarum sacerdotem, et ad omnem multitudinem filiorum Israel; reliqua autem utensilia portaverunt ad castra in campestribus Moab juxta Jordanem contra Jericho.

13. Egressi sunt autem Moyses et Eleazar sacerdos, et omnes principes synagogæ, in occursum eorum extra castra.

14. Iratusque Moyses principibus exercitus, tribunis, et centurionibus qui venerant de bello,

15. Ait: Cur feminas reservastis?

16. [1] Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, et prævaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, unde et percussus est populus?

17. [2] Ergo cunctos interficite quidquid est generis masculini, etiam in parvulis: et mulieres, quæ noverunt viros in coitu, jugulate:

18. Puellas autem et omnes feminas virgines reservate vobis:

19. Et manete extra castra septem diebus. Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio et septimo.

20. Et de omni præda, sive vestimentum fuerit, sive vas, et aliquid in utensilia præparatum, de caprarum pellibus, et pilis, et ligno, expiabitur.

21. Eleazar quoque sacerdos ad viros exercitus, qui pugnaverant, sic locutus est: Hoc est præceptum legis, [3] quod mandavit Dominus Moysi:

22. Aurum, et argentum, et æs, et ferrum, et plumbum, et stannum,

23. Et omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur. Quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur:

24. Et lavabitis vestimenta vestra die septimo, et purificati postea castra intrabitis.

25. Dixit quoque Dominus ad Moysen:

26. Tollite summam eorum quæ capta sunt, ab homine usque ad pecus, tu et Eleazar sacerdos et principes vulgi:

27. Dividesque ex æquo prædam, inter eos qui pugnaverunt egressique sunt ad bellum, et inter omnem reliquam multitudinem;

28. Et separabis partem Domino ab his qui pugnaverunt et fuerunt in bello, unam animam de quingentis, tam ex hominibus quam ex bobus et asinis et ovibus,

tamiam commodo suo trajecturus. Sed divino consilio ac providentia factum, ut hæsitans in via, cum pereuntibus Madianitis ipse auctor et totius flagitii architectus simul periret.

℣. 16. *Super peccato Phogor* — Idololatriæ scilicet, de quo cap. 25, cujus auctor et incentor fuerat Balaam. Jubet ergo hic occidi mulieres omnes quotquot viros expertæ essent, eo quod hæ vel ad flagitium concurrissent sese prostituendo, et Israelitas ad idololatriam pertrahendo: vel saltem consensissent ut filiæ suæ id facerent. Virginibus, quia innoxiis, vitam condonat, et ut vel uxorum, vel ancillarum loco sint Hebræis, permittit. Filios autem masculos, quantumcumque parvulos et innocentes, occidi jubet, non solum in detestationem facinoris parentum, eorumdemque majorem punitionem, sed etiam ut gens omnis Madianitica stirpitus exscinderetur, posteritatis spe omni recisa: et ne parentum aliquando ultores filii exsurgerent. Ita Theodoretus.

(1) Sup. 25, vers. 18. (2) Judic. 21, vers. 11. (3) Lev. 6, vers. 28, et 11, vers. 33, et 15, v. 11.

29. Et dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiæ Domini sunt.

30. Ex media quoque parte filiorum Israel accipies quinquagesimum caput hominum, et boum, et asinorum, et ovium, cunctorum animantium, et dabis ea Levitis, qui excubant in custodiis tabernaculi Domini.

31. Feceruntque Moyses et Eleazar, sicut præceperat Dominus.

32. Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ovium sexcenta septuaginta quinque millia,

33. Boum septuaginta duo millia,

34. Asinorum sexaginta millia et mille:

35. Animæ hominum sexus feminei, quæ non cognoverant viros, triginta duo millia.

36. Dataque est media pars his qui in prælio fuerant, ovium trecenta triginta septem millia quingentæ:

37. E quibus in partem Domini supputatæ sunt oves sexcentæ septuaginta quinque.

38. Et de bobus triginta sex millibus, boves septuaginta et duo:

39. De asinis triginta millibus quingentis, asini sexaginta unus:

40. De animabus hominum sedecim millibus, cesserunt in partem Domini triginta duæ animæ.

41. Tradiditque Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti, sicut fuerat ei imperatum,

42. Ex media parte filiorum Israel, quam separaverat his qui in prælio fuerant.

43. De media vero parte, quæ contigerat reliquæ multitudini, id est, de ovibus trecentis triginta septem millibus quingentis,

44. Et de bobus triginta sex millibus,

45. Et de asinis triginta millibus quingentis,

46. Et de hominibus sedecim millibus,

47. Tulit Moyses quinquagesimum caput, et dedit Levitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, sicut præceperat Dominus.

48. Cumque accessissent principes exercitus ad Moysen, et tribuni, centurionesque, dixerunt:

49. Nos servi tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra: et ne unus quidem defuit.

50. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini singuli quod in præda auri potuimus invenire, periscelides et armillas, annulos et dextralia, ac murænulas, ut depreceris pro nobis Dominum.

51. Susceperuntque Moyses, et Eleazar sacerdos, omne aurum in diversis speciebus,

52. Pondo sedecim millia, septingentos quinquaginta siclos, a tribunis et centurionibus.

53. Unusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat.

54. Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonii, in monimentum filiorum Israel coram Domino.

℣. 50. *Murænulas* — Colli sunt ornamenta, vel stricte illi circumposita, ut fere uniones solent; vel in pectus defluentia, ut torques. Sic *periscelides* crurum: *dextralia* dextri: *armillæ* utriusvis brachii ornamenta sunt.

℣. 52. *Pondo* — Id est pondere, non vero libra. Et certum est ex Hebræo, pondus omne auri, quod hic ex spoliis et manubiis hostium Deo dedicatur, non fuisse nisi *siclos sedecim millia septingentos quinquaginta:* qui conflabant talenta Hebraica quinque cum dimidio, et insuper siclos 250; nam talentum Hebraicum constabat ter mille siclis [1].

(1) Proleg. de Ponderib.

CAPUT XXXII.

Tribubus Ruben et Gad et dimidiæ Manasse, quod pecoribus abundarent, terra Galaad in sortem hereditariam conceditur, ea lege ut ceteras tribus præeant armati.

1. Filii autem Ruben et Gad habebant pecora multa, et erat illis in jumentis infinita substantia. Cumque vidissent Jazer et Galaad aptas animalibus alendis terras,

2. Venerunt ad Moysen, et ad Eleazarum sacerdotem, et principes multitudinis, atque dixerunt:

3. Ataroth, et Dibon, et Jazer, et Nemra, Hesebon, et Eleale, et Saban, et Nebo, et Beon,

4. Terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regio uberrima est ad pastum animalium: et nos servi tui habemus jumenta plurima:

5. Precamurque si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem.

6. Quibus respondit Moyses: Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, et vos hic sedebitis?

7. Cur subvertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus?

8. Nonne ita egerunt patres vestri, quando misi de Cadesbarne ad explorandam terram?

9. [1] Cumque venissent usque ad Vallem botri, lustrata omni regione, subverterunt cor filiorum Israel, ut non intrarent fines, quos eis Dominus dedit.

10. Qui iratus juravit, dicens:

11. Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto, a viginti annis et supra, terram, quam sub juramento pollicitus sum Abraham, Isaac, et Jacob: et noluerunt sequi me,

12. Præter Caleb filium Jephone Cenezæum, et Josue filium Nun: isti impleverunt voluntatem meam.

13. Iratusque Dominus adversum Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur universa generatio, quæ fecerat malum in conspectu ejus.

℣. 12. *Caleb filium Jephone Cenezæum* — Cum Scriptura [2] etiam *Othonielem* dicat *filium* fuisse *Cenez*, eumdemque *fratrem Caleb;* videri quibusdam posset, et visum fuit Emanueli Sa, *Jephonen* patrem fuisse tam *Othonielis*, quam *Caleb*, et alio nomine vocatum fuisse *Cenez* vel *Cenezæum*. Verum cum 1 Paralip. 4, vers. 13, ubi filii *Cenez* ex professo recensentur, non adnumeretur Caleb: cum item Josue 15, vers. 17, filia Caleb nupserit *Othonieli;* non video quomodo *Othoniel* possit dici *frater Caleb* ex uno eodemque parente *Cenez*, si eorum sequamur sententiam, qui censent lege Mosaica prohibitum esse matrimonium [3] patrui cum nepte. Cum quibus conformiter respondendum, *Othonielem* non absolute dici fuisse *fratrem Caleb*, sed cum additamento *fratrem juniorem* [4], vel *minorem* [5], hoc est, *nepotem ex fratre*, ut vult Oleaster et Eugubinus: vel potius, ut alii, fratruelem. In Scriptura enim nepotes, fratrueles, cognati passim vocantur *fratres*. *Cenez* ergo avus fuit tam *Othonielis* quam *Calebi*, ut videre est ex ejus stirpe quam recensui in Chronico [6]. Itaque ab uno eodemque avo uterque nomen habuit *Cenezæi*.

(1) Sup. 13, vers. 24.
(2) Josue 15, vers. 17, et Judic. 1, vers. 13, et cap. 3, vers. 9.
(3) Lev. 18, vers. 12 et 14.
(4) Josue 15, vers. 17.
(5) Judic. 1, v. 13, et c. 3, v. 9. (6) Cap. 46.

14. Et ecce, inquit, vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa et alumni hominum peccatorum, ut augeretis furorem Domini contra Israel.

15. Quod si nolueritis sequi eum, in solitudine populum derelinquet, et vos causa eritis necis omnium.

16. At illi prope accedentes, dixerunt: Caulas ovium fabricabimus, et stabula jumentorum, parvulis quoque nostris urbes munitas:

17. Nos autem ipsi armati et accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua. Parvuli nostri, et quidquid habere possumus, erunt in urbibus muratis, propter habitatorum insidias.

18. Non revertemur in domos nostras, usque dum possideant filii Israel hereditatem suam:

19. Nec quidquam quæremus trans Jordanem, quia jam habemus nostram possessionem in orientali ejus plaga.

20. Quibus Moyses ait: [1] Si facitis quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam:

21. Et omnis vir bellator armatus Jordanem transeat, donec subvertat Dominus inimicos suos,

22. Et subjiciatur ei omnis terra: tunc eritis inculpabiles apud Dominum et apud Israel, et obtinebitis regiones, quas vultis, coram Domino.

23. Sin autem quod dicitis, non feceritis, nulli dubium est quin peccetis in Deum: et scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos.

24. Ædificate ergo urbes parvulis vestris, et caulas et stabula ovibus ac jumentis: et quod polliciti estis implete.

25. [2] Dixeruntque filii Gad et Ruben ad Moysen: Servi tui sumus, faciemus quod jubet dominus noster.

26. Parvulos nostros, et mulieres, et pecora, ac jumenta relinquemus in urbibus Galaad:

27. Nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, sicut tu, domine, loqueris.

28. Præcepit ergo Moyses Eleazaro sacerdoti, et Josue filio Nun, et principibus familiarum per tribus Israel, et dixit ad eos:

29. [3] Si transierint filii Gad et filii Ruben vobiscum Jordanem, omnes armati ad bellum coram Domino, et vobis fuerit terra subjecta, date eis Galaad in possessionem.

30. Sin autem noluerint transire armati vobiscum in terram Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca.

31. Responderuntque filii Gad, et filii Ruben: Sicut locutus est dominus servis suis, ita faciemus:

32. Ipsi armati pergemus coram Domino in terram Chanaan, et possessionem jam suscepisse nos confitemur trans Jordanem.

33. [4] Dedit itaque Moyses filiis Gad et Ruben, et dimidiæ tribui Manasse filii Joseph, regnum Sehon regis Amorrhæi, et regnum Og re-

℣. 21. *Omnis vir bellator armatus Jordanem transeat — Omnis*, scilicet, a me, vel a Josue designandus. Neque enim poterant tot urbes, in quas Rubenitæ, Gaditæ et Manassitæ parvulos, et uxores, et omnes suos thesauros intulerant, sine necessario præsidio relinqui: neque erat opus, tot millia Jordanem trajicere. Quin ex Josue 4 patet, vix tertiam partem armatorum ex duabus his cum dimidia tribubus superiore lustro c. 26 recensitorum, Jordanem trajecisse: reliqui ergo citra Jordanem remanserunt partim præsidio suis futuri, partim urbes *exstructuri*, id est, ex parte dirutas vel collapsas instauraturi, et novis munimentis firmaturi. Porro de his, et aliis passim in Scriptura urbibus, vide Adrichomium de Locis terræ sanctæ, et alios interpretes.

(1) Jos. 1, vers. 14.
(2) Jos. 4, vers. 12.
(3) Deut. 3, vers. 12; Jos. 13, vers. 8, et 22, v. 4.
(4) Jos. 22, vers. 4.

gis Basan, et terram eorum cum urbibus suis per circuitum.

34. Igitur extruxerunt filii Gad, Dibon, et Ataroth, et Aroer,

35. Et Etroth, et Sophan, et Jazer, et Jegbaa,

36. Et Bethnemra, et Betharan, urbes munitas, et caulas pecoribus suis.

37. Filii vero Ruben ædificaverunt Hesebon, et Eleale, et Cariathaim,

38. Et Nabo, et Baalmeon versis nominibus, Sabama quoque: imponentes vocabula urbibus quas extruxerant.

39. [1] Porro filii Machir, filii Manasse, perrexerunt in Galaad, et vastaverunt eam interfecto Amorhæo habitatore ejus.

40. Dedit ergo Moyses terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitavit in ea.

41. Jair autem filius Manasse abiit et occupavit vicos ejus, quos appellavit Havoth Jair, id est, Villas Jair.

42. Nobe quoque perrexit, et apprehendit Chanath cum viculis suis: vocavitque eam ex nomine suo Nobe.

(1) Gen. 50, vers. 22.

CAPUT XXXIII.

Recensentur 42 mansiones Israelitarum in deserto. De quibus egi in Chronico cap. 19.

1. Hæ sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Moysi et Aaron,

2. Quas descripsit Moyses juxta castrorum loca, quæ Domini jussione mutabant.

3. Profecti igitur de Ramesse mense primo, quintadecima die mensis primi, altera die Phase, filii Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptiis,

4. Et sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus (nam et in diis eorum exercuerat ultionem)

5. Castrametati sunt in Soccoth.

6. Et de Soccoth venerunt in Etham, quæ est in extremis finibus solitudinis.

7. [1] Inde egressi venerunt contra Phihahiroth, quæ respicit Beelsephon, et castrametati sunt ante Magdalum.

8. Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem: et ambulantes tribus diebus per desertum Etham, castrametati sunt in Mara.

9. [2] Profectique de Mara venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, et palmæ septuaginta: ibique castrametati sunt.

10. Sed et inde egressi, fixerunt tentoria super mare Rubrum. Profectique de mari Rubro,

11. Castrametati sunt in deserto Sin.

12. Unde egressi, venerunt in Daphca.

13. Profectique de Daphca, castrametati sunt in Alus.

14. Egressique de Alus, in Ra-

℣. 2. *Mansiones quas descripsit Moyses juxta castrorum loca* — hoc est, juxta numerum castrametationum. Has mansiones enumerat *quadraginta duas* S. Hieronymus, et explicat in epistola ad Fabiolam, et illas descripsi in Chronico cap. 19. Rabanus et Rupertus tropologice applicant itineribus in cælum.

(1) Exod. 14, vers. 2.

(2) Exod. 15, vers. 27.

phidim fixere tentoria, [1] ubi populo defuit aqua ad bibendum.

15. Profectique de Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai.

16. Sed et de solitudine [2] Sinai egressi, venerunt ad Sepulcra concupiscentiæ;

17. [3] Profectique de Sepulcris concupiscentiæ, castrametati sunt in Haseroth.

18. [4] Et de Haseroth venerunt in Rethma.

19. Profectique de Rethma, castrametati sunt in Remmomphares.

20. Unde egressi, venerunt in Lebna.

21. De Lebna, castrametati sunt in Ressa.

22. Egressique de Ressa, venerunt in Ceelatha.

23. Unde profecti, castrametati sunt in monte Sepher.

24. Egressi de monte Sepher, venerunt in Harada.

25. Inde proficiscentes, castrametati sunt in Maceloth.

26. Profectique de Maceloth venerunt in Thahath.

27. De Thahath, castrametati sunt in Thare.

28. Unde egressi, fixere tentoria in Methca.

29. Et de Methca, castrametati sunt in Hesmona.

30. Profectique de Hesmona, venerunt in Moseroth.

31. Et de Moseroth, castrametati sunt in Benejaacan.

32. [5] Profectique de Benejaacan, venerunt in montem Gadgad.

33. Unde profecti, castrametati sunt in Jetebatha.

34. Et de Jetebatha, venerunt in Hebrona.

35. Egressique de Hebrona, castrametati sunt in Asiongaber.

36. [6] Inde profecti, venerunt in desertum Sin, hæc est Cades.

37. Egressique de Cades, castrametati sunt in monte Hor, in extremis finibus terræ Edom.

38. [7] Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor, jubente Domino: et ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis,

39. Cum esset annorum centum viginti trium.

40. Audivitque Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, in terram Chanaan venisse filios Israel.

41. Et profecti de monte Hor, castrametati sunt in Salmona.

42. Unde egressi, venerunt in Phunon.

43. Profectique de Phunon, castrametati sunt in Oboth.

44. Et de Oboth, venerunt in Ijeabarim, quæ est in finibus Moabitarum.

45. Profectique de Ijeabarim, fixere tentoria in Dibongad.

46. Unde egressi, castrametati sunt in Helmondeblathaim.

47. Egressique de Helmondeblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo.

48. Profectique de montibus Abarim, transierunt ad campestria Moab, supra Jordanem contra Jericho.

49. Ibique castrametati sunt de Bethsimoth usque ad Abelsatim in planioribus locis Moabitarum,

50. Ubi locutus est Dominus ad Moysen:

51. Præcipe filiis Israel, et dic ad eos: Quando transieritis Jordanem, intrantes terram Chanaan,

52. Disperdite cunctos habitatores terræ illius: [8] confringite titulos, et statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate,

53. Mundantes terram, et habi-

(1) Exod. 17, vers. 1. (2) Exod. 19, vers. 2.
(3) Sup. 11, vers. 34. (4) Sup. 13, vers. 1.
(5) Deut. 10, vers. 7. (6) Sup. 20, vers. 1.
(7) Sup. 20, vers. 25; Deut. 32, vers. 50.
(8) Deut. 7, vers. 5; Jud. 2, vers. 2.

tantes in ea; ego enim dedi vobis illam in possessionem,

54. Quam dividetis vobis sorte. Pluribus dabitis latiorem, et paucis angustiorem. Singulis ut sors ceciderit, ita tribuetur hereditas. Per tribus et familias possessio dividetur.

55. Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ: qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceæ in lateribus, et adversabuntur vobis in terra habitationis vestræ:

56. Et quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam.

℣. 55. *Sin nolueritis interficere habitatores terræ, erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceæ in lateribus* — Hoc est, erunt vobis admodum infesti, et continuis bellis omnem vobis adiment quietem: non secus ac si latus vel oculi stimulis configerentur.

Petes, an ergo vicinæ omnes gentes uno impetu delendæ fuerint? Respondeo negative. Tantum enim jussi [1] sunt Hebræi paullatim eas delere. Unde et Josue non delevit nisi eas gentes quæ occupabant interiora terræ sanctæ: reliquas consulto debellandas posteris reliquit [2]. Cum vero posteri id negligerent, immo data opera nonnullas gentes delere nollent, factum quod hic prædicitur, et plurimæ maximæque calamitates inde subortæ, et bella ex bellis prognata. Quibus tamen ex altera parte hoc boni effectum, quod Judæi hoc fræno continerentur in officio, vel deviantes hoc flagello [3] punirentur: saltem quod otio ac desidia non diffluxerint [4].

(1) Exod. vers. 29, et Deut. 7, vers. 22.
(2) Josue 23.
(3) Judic. 2, vers. 20.
(4) Judic. 3, vers. 1 et 2.

CAPUT XXXIV.

Describuntur quatuor termini terræ promissæ.
Et duodecim principes designantur qui terram istam Israelitis sorte dividant.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Præcipe filiis Israel, et dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram Chanaan, et in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur:

3. [1] Pars meridiana incipiet a so-

℣. 3. *Mare salsissimum* est mare mortuum, seu lacus Asphaltites, seu Sodomorum. In Hebræo vocatur *mare salis*, quod cetera maria Judaica salsedine multum superet. Causa tantæ salsedinis est sulphur, bitumen et sal, quæ in incendio Pentapoleos e cælo deciderunt, et quorum regio illa ferax [2] est. Plura de hoc mari vide Gen. 19, vers. 26. Ab hoc mari seu lacu desumebantur termini orientales Judææ, quæ ad septemtrionem habebat mare Cenereth, quod a regione Cenneroth ei lacui adjacente, 3 Reg. 15, v. 20, vel ab urbe ejusdem nominis vicina in tribu Nephthali [3] sic nominatur. Sed in Evangeliis alia subinde sortitur nomina: vocatur enim stagnum Genesareth, mare Galilææ, mare Tiberiadis a regione Genesareth et Galilææ, et urbe Tiberiade, eidem lacui adjacentibus. Dico hos fuisse terminos aquilonares et orientales Judææ. Nam si totam terram sanctam spectemus, prout illa possessionem universam Israelitarum complectitur, cum Rubenitæ, Gaditæ et dimidia tribus Manasse ultra Jordanem versus orientem, et tribus Nephthali ultra mare Cenereth versus aquilonem habitarint, alii termini necessario assignari debent. Itaque terra sancta ab aquilone terminatur Phœnicia, Syria Libanica, et Syria Damasci, ab ortu Arabia, ab austro deserto Sin, regione Cedar, et Ægypto, ab occidente mari magno seu Mediterraneo. Quantus autem

(1) Jos. 15, vers. 1. (2) Sophoniæ 3, vers. 9.
(3) Josue 19, vers. 35.

litudine Sin, quæ est juxta Edom: et habebit terminos contra orientem mare salsissimum;

4. Qui circuibunt australem plagam per ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna, et perveniant a meridie usque ad Cadesbarne, unde egredientur confinia ad villam nomine Ador, et tendent usque ad Asemona;

5. Ibitque per gyrum terminus ab Asemona usque ad torrentem Ægypti, et maris magni littore finietur.

6. Plaga autem occidentalis a mari magno incipiet, et ipso fine claudetur.

7. Porro ad septentrionalem plagam a mari magno termini incipient, pervenientes usque ad montem altissimum,

8. A quo venient in Emath usque ad terminos Sedada:

9. Ibuntque confinia usque ad Zephrona, et villam Enan; hi erunt termini in parte Aquilonis:

10. Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan usque Sephama,

11. Et de Sephama descendent termini in Rebla contra fontem Daphnim: inde pervenient contra orientem ad mare Cenereth,

12. Et tendent usque ad Jordanem, et ad ultimum salsissimo claudentur mari. Hanc habebitis terram per fines suos in circuitu.

13. Præcepitque Moyses filiis Israel, dicens: Hæc erit terra, quam possidebitis sorte, et quam jussit Dominus dari novem tribubus, et dimidiæ tribui.

14. Tribus enim filiorum Ruben per familias suas, et tribus filiorum Gad juxta cognationum numerum, media quoque tribus Manasse,

fuerit hic terræ tractus, quæ nomina provinciarum et urbium totius terræ sanctæ, vide in tabula geographica, et apud Adrichomium qui hæc accurate prosequitur. Hoc constat, amplitudine sua non excessisse Belgium nostrum, fere tamen æquasse.

℣. 4. *Per ascensum Scorpionis* — Hebraice *Acrabbim*[1], nomen proprium est loci, a multitudine scorpionum ibi degentium sic nominati, inquit Abulensis et Lyranus: vel a collium et cacuminum curvitate, ut Emanuel Sa, et Mariana. Unde Andreas Masius *Ascensum scorpionis* vertit, *collem Acrabin*; Arias Montanus et Serarius, *montes Acrabin*[2]. Et certum est, etiam urbem ejusdem nominis fuisse in Idumæa ad ipsa confinia Judææ Acrabata dictam, ut ex lib. 1 Machabæorum[3], Hieronymo et Josepho[4] patet, a qua Acrabatena toparchia nomen accepit.

℣. 11. *In Rebla*, alias *Reblatha*: ubi Nabuchodonosor aliquando stativa sua fixit, 4 Reg. ult., *contra fontem Daphnim*

(1) עקרבים.

(2) Masius in Josue 15; Arias Mont. in Chanaan; Serarius in Josue 15 et Judic. 1.

(3) 1 Mach. 5, vers. 3.

— Ne putes hic agi de Daphne Syriæ Antiochenæ, seu de ambitioso Antiochiæ suburbano perennibus irriguo fontibus, omnium historicorum scriptis celebri, licet id putarit S. Hieronymus et Antonius Nebrissensis[5]: nam illa Daphne procul est extra limites terræ sanctæ, intra quos tamen hæc nostra statuitur. Itaque cum Josepho[6] et Adrichomio dic Daphnim esse illam quæ sita est ad lacum *Semechonitem* (qui in tabulis geographicis *aqua Meron* dicitur, et a Jordane intersecatur) estque adinstar alterius Daphnes Antiochenæ, deliciosissimus locus, fontibus ubique irriguus, et lauris ac cupressis pulcherrime consitus. Neque mirum, pluribus et valde dissitis locis, ob similitudinem quarumdam rerum, unum subinde et idem nomen impositum fuisse, cum in plurimis regnis id usu venire etiamnum cernamus v. g. Vienna Austriæ, et Galliæ: Lugduno Galliæ, et Bataviæ: Valentia Hispaniæ, et Galliæ, etc.

(4) Hieron. in cap. 1 Abdiæ; Josephus lib. 12 Antiq., c. 11, et l. 3 Belli, cap. 2.

(5) Hieron. in Ezech. 47; Nebrissens. cap. 14 Quinquagenæ.

(6) Josephus l. 4 Belli, c. 1; apud Bonfr. ubi vide plura de hac re.

15. Id est, duæ semis tribus, acceperunt partem suam trans Jordanem contra Jericho ad orientalem plagam.

16. Et ait Dominus ad Moysen:

17. [1] Hæc sunt nomina virorum qui terram vobis dividunt, Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun,

18. Et singuli principes de tribubus singulis,

19. Quorum ista sunt vocabula: De tribu Juda, Caleb filius Jephone.

20. De tribu Simeon, Samuel filius Ammiud.

21. De tribu Benjamin, Elidad filius Chaselon.

22. De tribu filiorum Dan, Bocci filius Jogli.

23. Filiorum Joseph de tribu Manasse, Hanniel filius Ephod.

24. De tribu Ephraim, Camuel filius Sephthan.

25. De tribu Zabulon, Elisaphan filius Pharnach.

26. De tribu Issachar, dux Phaltiel filius Ozan.

27. De tribu Aser, Ahiud filius Salomi.

28. De tribu Nephthali, Phedael filius Ammiud.

29. Hi sunt, quibus præcepit Dominus ut dividerent filiis Israel terram Chanaan.

(1) Jos. 14, vv. 1, 2.

CAPUT XXXV.

Jubet Deus 48 urbes dari Levitis ad inhabitandum, cum suburbanis ad alenda eorum pecora. Ex iis omnibus urbibus jubet sex designari pro azylo homicidis involuntariis, in quibus maneant usque ad mortem pontificis.

1. Hæc quoque locutus est Dominus ad Moysen, in campestribus Moab supra Jordanem, contra Jericho:

2. [1] Præcipe filiis Israel ut dent Levitis de possessionibus suis

3. Urbes ad habitandum, et suburbana earum per circuitum: ut ipsi in oppidis maneant, et suburbana sint pecoribus ac jumentis:

4. Quæ a muris civitatum forinsecus, per circuitum, mille passuum spatio tendentur;

5. Contra orientem duo millia erunt cubiti, et contra meridiem similiter erunt duo millia: ad mare quoque, quod respicit ad occidentem, eadem mensura erit, et septentrionalis plaga æquali termino finietur; eruntque urbes in medio et foris suburbana.

6. De ipsis autem oppidis, quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem: et exceptis his, alia quadraginta duo oppida,

7. Id est, simul quadraginta octo cum suburbanis suis.

8. Ipsæque urbes, quæ dabuntur

℣. 6. Sex urbes *erunt in fugitivorum auxilia* — cum jure scilicet azyli. Quænam vero sex ille urbes fuerint, explicatur Josue 20, nempe tres cis Jordanem, et aliæ tres ultra Jordanem. Hinc patet non omnes Levitarum urbes, quæ erant 48 [2], habuisse jus azyli, sed solum sex illarum; quæ æquali spatio distabant [3] a se mutuo, ne nimis conjunctæ vel disjunctæ essent, utque omni ex parte commoditas esset ad unam aliquam istarum confugiendi, cum necessitas premeret.

Nota primo, ob nullum crimen seu voluntarium seu involuntarium jus refugii datum fuisse Judæis, præterquam ob homicidium casu patratum. Puta tamen, id etiam locum habuisse, cum quis studio, sed vim vi repellendo, et cum modera-

(1) Jos. 21, 2. (2) Num. 35, vers. 7. (3) Deut. 19, vv. 3 et 7.

de possessionibus filiorum Israel, ab his qui plus habent, plures auferentur: et qui minus, pauciores; singuli juxta mensuram hereditatis suæ dabunt oppida Levitis.

9. Ait Dominus ad Moysen:

10. Loquere filiis Israel, et dices ad eos: [1] Quando transgressi fueritis Jordanem in terram Chanaan,

11. Decernite quæ urbes esse debeant in præsidia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderint:

12. In quibus cum fuerit profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis, et causa illius judicetur.

13. [2] De ipsis autem urbibus, quæ

mine inculpatæ tutelæ, alterum occidisset, sed id publice necdum liquebat: tum enim necesse erat ad azylum confugere, donec judicum sententiis de inculpata defensione constaret. Ita Serarius [3].

Nota secundo, ob Judæorum duritiem permisisse Deum [4] omnibus occisi cognatis, impune quoad forum tam externum, quam internum, occidere percussorem sui cognati extra azylum deprehensi, etiam ante omnem judicis sententiam: post sententiam vero, etiam coactos [5] fuisse occidere, si judicatum esset homicidium studio et injuste patratum fuisse. Quin etsi judicatum esset, involuntarium et innoxium fuisse homicidium, si tamen extra locum azyli deprehenderetur homicida, censent aliqui [6] coactum fuisse lege divina cognatum occisi occidere occisorem, eo quod prætergressus legem divinam de remanendo in azylo, jam innocens esse desineret. Crediderim tamen, non fuisse obligatum occidere, licet posset: quia possunt permissive exponi verba legis, in casu innocentis homicidii. Hoc saltem certum, nullo casu licuisse cognatis prece vel pretio transigere [7] cum homicida, etiam innocente, ut impune ex urbe azyli excedere, et ad propria redire posset, idque ad majorem homicidii horrorem omnibus incutiendum, cum viderent, nolle Deum ne quidem homicidio involuntario perfectam securitatem præstari, saltem ante mortem summi pontificis.

Nota tertio, confugientis ad azylum causam ventilari et judicari debuisse in porta civitatis, non refugii, ut volunt Masius, Serarius et Arias Montanus in cap. 20 Josue: sed urbis in qua cædes patrata fuerat, ubi ad manum erant testes et indicia criminis vel innocentiæ. Ita Rabbini, Abulensis, Lyranus et Cajetanus. Judicari, inquam, debebat a judicibus ejus urbis, sed *in conspectu multitudinis*, seu propalam et publice; sic enim solebant olim judicia in portis urbium exerceri. Huc ergo e loco azyli fida septus custodia reus deducebatur: et innocens judicatus, ad idem azylum eadem securitate reducebatur [8]. Sin noxius judicaretur, tradebatur propinquis occisi, qui statim illum occidere [9], et latam in eum a judicibus sententiam exequi cogebantur, neque poterant vitam homicidæ donare.

Nota quarto. Quantumcumque innocens deprehensus ac declaratus, debebat in urbe azyli manere usque ad mortem summi pontificis, quo sublato, ad propria remeabat. Causas hujus rei varias profert Serarius [10]. Vera et solida et litteralis est, ut significaretur, nonnisi Christi morte peccatori perfectam libertatem obventuram, reditumque in patriam seu cælum concessum iri: interea in urbe azyli, hoc est in Ecclesia, sacerdotum tutelæ committi debere. Quæ enim figuræ tantum seu signa sunt rei futuræ, vix aliam litteralem causam habent, quam quæ ex analogia et ordine ad rem figuratam desumitur.

Nota quinto, etiam templum, seu locum tabernaculi fuisse pro azylo, sed iis solis qui jam à cæde commissa expiati essent [11]. Sed quemadmodum qui homicidium certo ac scienter patrasset, poterat vi ex urbibus refugii extrahi, vel in eis occidi: ita etiam potuit fieri in templo [12], et reipsa factum fuit Joabo, 3 Reg. 2, ob geminum homicidium dedita opera ante admissum.

(1) Deut. 19, vers. 2; Jos. 20, vers. 2.
(2) Deut. 4, vers. 41; Jos. 20, vv. 7, 8.
(3) In Josue 20, q. 2.
(4) Num. 35, vers. 19.
(5) Vers. 21 et 31, item Deut. 19, vers. 12.
(6) Bonfrerius hic. (7) Vv. 31, 32, etc.
(8) Num. 35, vers. 25.
(9) Vv. 19, 21, 31, et Deut. 19, vers. 12.
(10) In Josua 20, q. 5.
(11) Philo de Specialibus legibus, et lib. de Sacerdotum honoribus.
(12) Exod. 21, vers. 14.

ad fugitivorum subsidia separantur,
14. Tres erunt trans Jordanem, et tres in terra Chanaan,
15. Tam filiis Israel quam advenis atque peregrinis, ut confugiat ad eas qui nolens sanguinem fuderit.
16. Si quis ferro percusserit, et mortuus fuerit qui percussus est: reus erit homicidii, et ipse morietur.
17. Si lapidem jecerit, et ictus occubuerit: similiter punietur.
18. Si ligno percussus interierit: percussoris sanguine vindicabitur.
19. Propinquus occisi, homicidam interficiet: statim ut apprehenderit eum, interficiet.
20. [1] Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias:
21. Aut cum esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus fuerit: percussor homicidii reus erit; cognatus occisi statim ut invenerit eum, jugulabit.
22. Quod si fortuitu, et absque odio,
23. Et inimicitiis, quidquam horum fecerit,
24. Et hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem et propinquum sanguinis quæstio ventilata:
25. Liberabitur innocens de ultoris manu, et reducetur per sententiam in urbem ad quam confugerat, manebitque ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur.
26. Si interfector extra fines urbium, quæ exulibus deputatæ sunt,
27. Fuerit inventus, et percussus ab eo qui ultor est sanguinis: absque noxa erit qui eum occiderit;
28. Debuerat enim profugus usque ad mortem pontificis in urbe residere; postquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam.
29. Hæc sempiterna erunt, et legitima in cunctis habitationibus vestris.
30. Homicida sub testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur.
31. Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis, statim et ipse morietur.
32. Exules et profugi ante mortem pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt:
33. Ne polluatis terram habitationis vestræ, quæ insontium cruore maculatur: nec aliter expiari potest, nisi per ejus sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit.
34. Atque ita emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum; ego enim sum Dominus qui habito inter filios Israel.

(1) Deut. 19, vers. 11.

CAPUT XXXVI.

Occasione filiarum Salphaad (de quibus cap. 27), lex fertur, ut quæcumque filiæ hereditatem paternam adeunt, nubant contribulibus suis.

1. [1] Accesserunt autem et [2] principes familiarum Galaad filii Machir filii Manasse de stirpe filiorum Joseph: Locutique sunt Moysi coram principibus Israel, atque dixerunt:
2. Tibi domino nostro præcepit

(1) Sup. 27, vers. 1.
(2) Vers. 1. *Principes familiarum Galaad filii Machir.* Aliqui putant hic in Hebræo et in Nostro trajectionem esse, quam judicat v. 5, nam reliquæ familiæ filiorum Josephi se adjunxerunt familiæ Ghilhaidis, ut ei apud Mosen et principes Israelis patrocinarentur. Et versum ita reddunt: *Tunc accedentes primores patrum ex familiis filiorum Josephi, cum familia filiorum Ghilhaidis, filii Machiris, filii Menaschis, locuti sunt coram Mosen, et coram principibus primoribus patrum inter filios Israelis.*

Dominus ut terram sorte divideres filiis Israel, et ut filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri:

3. Quas si alterius tribus homines uxores acceperint, sequetur possessio sua, et translata ad aliam tribum, de nostra hereditate minuetur;

4. Atque ita fiet, ut cum jubilæus, id est, quinquagesimus annus remissionis advenerit, confundatur sortium distributio, et aliorum possessio ad alios transeat.

5. Respondit Moyses filiis Israel, et Domino præcipiente, ait: Recte tribus filiorum Joseph locuta est;

6. Et hæc lex super filiabus Salphaad a Domino promulgata est: [1] Nubant quibus volunt, tantum ut suæ tribus hominibus:

7. Ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione sua:

8. Et cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient: ut hereditas permaneat in familiis,

9. Nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant

10. Ut a Domino separatæ sunt. Feceruntque filiæ Salphaad, ut fuerat imperatum:

11. Et nupserunt Maala, et Thersa, et Hegla, et Melcha, et Noa, filiis patrui sui

12. De familia Manasse, qui fuit filius Joseph: et possessio, quæ illis fuerat attributa, mansit in tribu et familia patris earum.

13. Hæc sunt mandata atque judicia, quæ mandavit Dominus per manum Moysi ad filios Israel, in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho.

℣. 7. *Omnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione sua* — Non omnes absolute, neque enim tale hic omnibus præceptum datur, licet id censeant Abulensis et Lyranus. Nam constat permissu divino, et variis sanctorum virorum exemplis licuisse Judæis, et ex aliena tribu, et ex aliena gente uxores ducere. Ita permittitur expresse Deuteronomii 21, vers. 12. Et *David* uxorem accepit filiam Saul e tribu Benjamin: *Jojada* sanctus pontifex filiam regis *Joram* de tribu Juda: Salmon Rahab Chanaanitidem: *Booz* Ruth Moabitidem: *David* Maacham filiam regis Gessur: *Salomon* filiam Pharaonis, et alii alias. Ergo præceptum quod hic datur, particulare est, et eos solos concernit de quibus quæstio mota fuerat, puta ratione quorum hereditas devolvenda esset ad alienam tribum, vel saltem ad alienam familiam: nam et hoc caveri voluit Deus. Quare reciprocam hic imponit eo casu obligationem: sicut enim puellæ ad quam devolvebatur hereditas, jubet suæ tribus et familiæ maritum accipere, ita jubet quoque viro qui tali puellæ erat cognatione proximus, eamdem in uxorem una cum hereditate accipere, nisi forte jure suo cedere vellet, et alteri ejusdem familiæ illam ambienti transcribere, ut factum vidimus Ruth c. 4. Constant hæc non modo exemplis jam allatis, sed etiam ex textu hujus loci Hebræo, Chaldæo et Græco, ubi id diserte affirmatur, et insuper ex scopo et fine legis, qui (ut subditur) erat, *ut hereditas* quæque *permaneat in* sua *familia*. Ergo ubi periculum non erat transferendæ alio hereditatis, locum ea lex non habebat. Ita Burgensis, Oleaster, Vatablus et Masius. Hinc patet, quomodo Elisabeth, Lucæ 1, licet esset de tribu [2] Juda, maritum habere potuerit Zachariam sacerdotem de tribu Levi.

Nota, occasione legis jam dictæ, puellas Hebræas, quandocumque vel ob morbum, vel ob imbecillitatem fratrum, aliorumve propinquorum, spem habebant futuræ successionis, ne hereditate frustrarentur, vel illi renuntiasse censerentur, solitas suæ tribus et familiæ viris nubere: nam quo casu nupsissent alienis, etsi postea, sublatis fratribus et propinquis, forte devolveretur ad ipsas hereditas, non succedebant tamen in hereditate, quia matrimonio suo cum extraneis censebantur juri suo successionis renuntiasse; et tunc hereditas illa ad alios propinquos, ejusdem tribus et familiæ transibat, perinde ac si nullæ tales puellæ superfuissent.

(1) Tob. 7, vers. 14.

(2) Chronici c. 46 in fine.

LIBER DEUTERONOMII

Unde dictus; quando, a quo,
quem in finem conscriptus sit, exponitur initio capitis primi.

CAPUT I.

Moyses incipit relegere iter, casus et gesta 40 annorum quibus vagati sunt per desertum. Primo, recenset acta in Sinai et in Cadesbarne, ubi ob perfidiam exploratorum seniores omnes ad mortem, juniores ad peregrinationem 40 annorum damnati sunt a Deo.

1. Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem in solitudine campestri, contra mare Rubrum, inter Pharan et Thophel et Laban et Haseroth, ubi auri est plurimum:

2. Undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cadesbarne.

3. Quadragesimo anno, undecimo mense, prima die mensis, locutus est Moyses ad filios Israel omnia quæ præceperat illi Dominus, ut diceret eis:

v. 1. *Hæc sunt verba* — Referuntur hæc ad sequentia, quæ toto hoc libro recensentur; q. d. *Hæc sunt verba quæ Moyses* jam pridem *locutus* fuerat *in* vasto illo *deserto*, ubi per 40 annos peregrinati sunt Israelitæ, incipiendo a monte Horeb seu Sinai e regione *maris Rubri, usque ad Cadesbarne*. Quæ eadem verba rursum postea, *quadragesimo* et ultimo peregrinationis *anno, mense undecimo* eodemque ultimo vitæ suæ, elocutus est, et repetiit *in* campestribus *Moab*. Et ab hac repetitione liber hic vocatur græce *Deuteronomium*, hoc est, *secunda lex*, seu secundo explicata lex. Neque enim est nuda repetitio præceptorum seu legum, tribus præcedentibus libris expositarum: sed repetitio simul et explicatio, quin multæ etiam leges, quarum nulla facta libris præcedentibus mentio, hic adferuntur. Ita S. Athanasius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus. Cum enim populus Israel totus jam esset novus, mortuis omnibus qui ante 38 annos priori legis promulgationi interfuerant, et jam jam instaret transitus Jordanis, et ingressus in terram promissam; ne quid forte contra legem ex ignorantia peccaretur, fuit secundo lex promulganda et explicanda. Et hæc eadem est ratio cur de novo etiam fœdus Dei cum populo sancitum sit c. 29; et cur septimo quoque anno, in festo Tabernaculorum, totum hoc Deuteronomium (quo brevi compendio omnia scitu necessaria complexus est Moyses) toto audiente populo prælegi jubeatur c. 31, v. 10; cur item jubeantur novi reges seu principes Hebræi, mox ut inaugurati essent, Deuteronomium sibi describere, et quotidie aliquid ex eo lectitare, c. 17, v. 18; cur denique jussum sit, totum lapidibus seu lapideis tabulis inscribi, c. 27, v. 3, et Josue inscripserit de facto, Josue cap. 8, v. 32, nempe ad æternam memoriam, et ne legum ignorantia posset ullo umquam casu prætexi.

4. [1] Postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon: et Og regem Basan, qui mansit in Astharoth, et in Edrai,

5. Trans Jordanem in terra Moab. Cœpitque Moyses explanare legem, et dicere:

6. Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens: Sufficit vobis quod in hoc monte mansistis:

7. Revertimini, et venite ad montem Amorrhæorum, et ad cetera quæ ei proxima sunt campestria atque montana et humiliora loca contra meridiem, et juxta littus maris, terram Chananæorum, et Libani usque ad flumen magnum Euphraten.

8. En, inquit, tradidi vobis: ingredimini et possidete eam, super qua juravit Dominus patribus vestris, Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret illam eis, et semini eorum post eos:

9. Dixitque vobis illo in tempore:

10. [2] Non possum solus sustinere vos: quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellæ cæli, plurimi.

11. (Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, et benedicat vobis sicut locutus est.)

12. Non valeo solus negotia vestra sustinere, et pondus ac jurgia.

13. Date ex vobis viros sapientes et gnaros, et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes.

14. Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere.

15. Tulique de tribubus vestris viros sapientes et nobiles, et constitui eos principes, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula.

16. Præcepique eis, dicens: Audite illos, et [3] quod justum est judicate: sive civis sit ille, sive peregrinus.

17. [4] Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam.

18. Præcepique omnia quæ facere deberetis.

19. Profecti autem de Horeb, transivimus, per eremum terribilem et maximam, quam vidistis, per viam

v. 7. Usque ad flumen magnum Euphraten — Hic quatuor termini seu fines terræ promissæ secundum quatuor mundi plagas designantur.

Dices, Numerorum 34 et alibi longe angustioribus terminis terra promissa definitur: et satis constat, Hebræos numquam ne Salomonis quidem tempore sedes suas aut habitationem ad Euphratem usque protulisse. Respondet S. Augustinus [5], duplicem fuisse terram Hebræis promissam; nam una fuit quasi hereditaria, quamque ut propriam inhabitarunt: hæc strictioribus terminis finiebatur, *a Dan usque Bersabee, et ab introitu Emath usque ad* rivum *Ægypti*. Altera ultra hos fines protendebatur usque ad Euphratem, sed erat tantum tributaria seu vectigalis Hebræis sub Davide et Salomone, qui eo usque dominabantur [6]. Vel etiam dici posset, hanc quoque usque ad Euphratem terram omnem Hebræis quasi hereditariam et propriam fuisse a Deo promissam; sed sub conditione, si in fide et cultu Dei constantes permanerent, ut expresse cavit Deus Deuteronomii 19, vv. 8 et 9, quod quia non fecerunt, mirum non est, promissionem etiam hanc completam reipsa non fuisse: quin potius, ob tam frequentem in idololatriam relapsum, vix umquam angustiores illos fines integros plene possedisse. Ita S. Hieronym., Andreas Masius et Serarius [7].

(1) Num. 21, vers. 24.
(2) Exod. 18, vers. 18.
(3) Joan. 7, vers. 24.
(4) Lev. 19, vers. 13; Infr. 16, vers. 19; Prov. 24, vers. 23; Eccli. 42, vers. 1; Jac. 2, vers. 1.
(5) L. quæst. in Josue, c. 21.
(6) 2 Reg. 8, v. 3; 1 Paral. 18, v. 3; 3 Reg. 4, v. 21, et Joseph. l. 6, Antiq., c. 2.
(7) Hier. ep. 139 ad Dardanum et in Ezech. 20, v. 8; Masius et Serarius in Josue 1.

montis Amorrhæi, sicut præceperat Dominus Deus noster nobis. Cumque venissemus in Cadesbarne,

20. Dixi vobis: Venistis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est nobis.

21. Vide terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi: ascende et posside eam, sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis: noli timere, nec quidquam paveas.

22. [1] Et accessistis ad me omnes, atque dixistis: Mittamus viros qui considerent terram: et renuntient per quod iter debeamus ascendere, et ad quas pergere civitates,

23. Cumque mihi sermo placuisset, misi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis.

24. Qui cum perrexissent, et ascendissent in montana, venerunt usque ad Vallem botri: et considerata terra,

25. Sumentes de fructibus ejus, ut ostenderent ubertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis.

26. Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri

27. Murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis: Odit nos Dominus, et idcirco eduxit nos de terra Ægypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret.

28. Quo ascendemus? nuntii terruerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo est, et nobis statura procerior: urbes magnæ, et ad cælum usque munitæ, filios Enacim vidimus ibi.

29. Et dixi vobis: Nolite metuere, nec timeatis eos:

30. Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus.

31. Et in solitudine (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum.

32. Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro,

33. [2] Qui præcessit vos in via, et metatus est locum in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, et die per columnam nubis.

34. Cumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus juravit, et ait:

35. [3] Non videbit quispiam de hominibus generationis hujus pessimæ terram bonam, quam sub juramento pollicitus sum patribus vestris:

36. Præter Caleb filium Jephone; ipse enim videbit eam, et ipsi dabo terram, quam calcavit, et filiis ejus, quia secutus est Dominum.

37. Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc:

38. Sed Josue filius Nun minister tuus, ipse intrabit pro te; hunc exhortare et robora, et ipse sorte terram dividet Israeli.

39. Parvuli vestri, de quibus dixistis quod captivi ducerentur, et filii qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur: et ipsis dabo terram, et possidebunt eam.

40. Vos autem revertimini, et abite in solitudinem per viam maris Rubri.

41. [4] Et respondistis mihi: Peccavimus Domino: ascendemus et pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster. Cumque instructi armis pergeretis in montem,

42. Ait mihi Dominus: Dic ad

(1) Num. 13, vers. 3.
(2) Exod. 13, vers. 21; Num. 14, vers. 14.
(3) Num. 14, vers. 23; Ps. 94, vers. 11.
(4) Num. 14, vers. 40.

eos: [1] Nolite ascendere, neque pugnetis, non enim sum vobiscum: ne cadatis coram inimicis vestris.

43. Locutus sum, et non audistis: sed adversantes imperio Domini, et tumentes superbia, ascendistis in montem.

44. Itaque egressus Amorrhæus,

(1) Num. 14, vers. 42.

qui habitabat in montibus, et obviam veniens, persecutus est vos sicut solent apes persequi: et cecidit de Seir usque Horma.

45. Cumque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere.

46. Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore.

CAPUT II.

Transitus Israelitarum per extremos fines Idumeæ, Moabitidis et Ammonitidis, incolis earum intactis. Bellum et victoria de Sehon rege Amorrhæorum.

1. Profectique inde venimus in solitudinem, quæ ducit ad mare Rubrum, sicut mihi dixerat Dominus: et circuivimus montem Seir longo tempore.

2. Dixitque Dominus ad me:

3. Sufficit vobis circuire montem istum: ite contra aquilonem:

4. Et populo præcipe, dicens: Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, et timebunt vos.

5. Videte ergo diligenter ne moveamini contra eos; neque enim dabo vobis de terra eorum quantum potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir.

6. Cibos emetis ab eis pecunia, et comedetis; aquam emptam hauretis, et bibetis.

7. Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: novit iter tuum, quomodo transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, et nihil tibi defuit.

8. Cumque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Elath, et de Asiongaber, venimus ad iter quod ducit in desertum Moab.

9. Dixitque Dominus ad me: Non pugnes contra Moabitas, nec ineas adversus eos prælium: non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Lot tradidi Ar in possessionem.

10. Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus, et validus, et tam excelsus, ut de Enacim stirpe,

11. Quasi gigantes crederentur, et

℣. 4. *Transibitis per terminos Esau* — Id est, per extremas Idumææ oras ac fines. Nam per interiora regni, aut viscera terræ, ut transirent, negarunt Israelitis Idumæi, Numerorum 20, v. 21.

℣. 10. *Emim* — Id est terribiles, nempe robore et proceritate sua gigantes. Meminit enim hic quadruplicis generis gigantum: primo, *Emim:* secundo *Enacim* [1]; tertio, *Hevæorum* [2] seu *Raphaim* [3]; quarto, *Zomzommim* [4], vel *Zuzim* [5].

Hos gigantes dicit, initio tenuisse terram Palæstinæ, sed ab Amorrhæis, Moabitis, Ammonitis et Cappadocibus inde vi pulsos fuisse. Quod idcirco hic narrat Moyses, ut fiduciam etiam Israelitis faciat occupandæ, Deo duce, ejusdem Palæstinæ. Nam si tam proceri, tam validi gigantes potuerunt armis et vi humana superari, quid erit impervium aut impossibile militantibus Deo, et fultis ope divina?

(1) Deut. 2, vers. 10, et Josue 21, vers. 11.
(2) Deut. 2, vers. 23.
(3) 1 Par. 20, vers. 6, et ibid. And. Masius; Gen. 14, vers. 6; Isaiæ 26, vers. 14.
(4) Deut. 2, vers. 20. (5) Gen. 14, vers. 5.

essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim.

12. In Seir autem prius habitaverunt Horrhæi: quibus expulsis atque deletis, habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israel in terra possessionis suæ, quam dedit illi Dominus.

13. Surgentes ergo ut transiremus torrentem Zared, venimus ad eum.

14. Tempus autem, quo ambulavimus de Cadesbarne usque ad transitum torrentis Zared, triginta et octo annorum fuit: donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut juraverat Dominus:

15. Cujus manus fuit adversum eos, ut interirent de castrorum medio.

16. Postquam autem universi ceciderunt pugnatores,

17. Locutus est Dominus ad me, dicens:

18. Tu transibis hodie terminos Moab, urbem nomine Ar:

19. Et accedens in vicina filiorum Ammon, cave ne pugnes contra eos, nec movearis ad prælium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Lot dedi eam in possessionem.

20. Terra gigantum reputata est: et in ipsa olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim,

21. Populus magnus, et multus, et proceræ longitudinis, sicut Enacim, quos delevit Dominus a facie eorum: et fecit illos habitare pro eis,

22. Sicut fecerat filiis Esau, qui habitant in Seir, delens Horrhæos et terram eorum illis tradens, quam possident usque in præsens.

23. Hevæos quoque, qui habitabant in Haserim usque Gazam, Cappadoces expulerunt: qui egressi de Cappadocia deleverunt eos, et habitaverunt pro illis.

24. Surgite, et transite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhæum, et terram ejus incipe possidere, et committe adversus eum prælium.

25. Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo: ut audito nomine tuo paveant, et in morem parturientium contremiscant, et dolore teneantur.

26. [1] Misi ergo nuntios de solitudine Cademoth ad Sehon regem Hesebon verbis pacificis, dicens:

27. Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via: non declinabimus neque ad dexteram, neque ad sinistram.

℣. 23. *Cappadoces, egressi de Cappadocia* — Hebraice est *Caphtorim*. Non enim agit hic Moyses de *Cappadocibus* qui in Asia Minore, in continente, ad Pontum Euxinum degunt, quorum regio passim a Geographis *Cappadocia* vocatur. Nam hi ab Japhet oriundi sunt teste Josepho[2]: cum alii, de quibus hic Moyses, a Mesraim, qui Ægyptum propagavit, filio Cham proseminati fuerint, ut dicitur Genesis 10, v. 14. Unde et verisimile est, *Cappadociam* seu locum, e quo hi in Chananæam venerunt, vel Ægypti partem fuisse, vel Ægypto conterminum, puta *Meroen*, *Syenen*, vel ipsum etiam *Delta*, aliasque insulas Nili, quæ ut numero plurimæ, ita magnitudine vastissimæ sunt. Supra septingentas esse Diodorus Siculus affirmat, et quasdam vix quinque dierum cursu permeari posse, Justinus et Plinius[3]. Quare merito a Jeremia c. 47 et Amos 9 dicuntur Palæstini, *Cappadocum reliquiæ*, venisse *ex insulis Cappadociæ*. Et videntur hi non alii fuisse quam *Philisthæi*, et loca quæ in Palæstina occuparunt, esse quinque illæ Philisthinorum satrapiæ, *Accaron*, *Geth*, *Azotus*, *Ascalon* et *Gaza*, quas omnes simul Noster hic complectitur duabus vocibus *Haserim* seu villarum, et *Gaza*.

(1) Num. 21, vers. 21.
(2) Lib. 1 Antiq., c. 6.
(3) Diod. Siculus l. 1; Justinus. l. 2 historiæ; Plin. l. 5, c. 9.

28. Alimenta pretio vende nobis, ut vescamur: aquam pecunia tribue, et sic bibemus. Tantum est ut nobis concedas transitum,

29. Sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir, et Moabitæ, qui morantur in Ar, donec veniamus ad Jordanem, et transeamus ad terram, quam Dominus Deus noster daturus est nobis.

30. Noluitque Sehon rex Hesebon dare nobis transitum: quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum ejus, et obfirmaverat cor illius, ut traderetur in manus tuas, sicut nunc vides.

31. Dixitque Dominus ad me: [1] Ecce cœpi tibi tradere Sehon, et terram ejus, incipe possidere eam.

32. Egressusque est Sehon obviam nobis cum omni populo suo ad prælium in Jasa.

33. Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis: percussimusque eum cum filiis suis et omni populo suo.

34. Cunctasque urbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus et parvulis; non reliquimus in eis quidquam.

35. Absque jumentis, quæ in partem venere prædantium: et spoliis urbium quas cepimus

36. Ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido quod in valle situm est, usque Galaad. Non fuit vicus et civitas, quæ nostras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis.

37. Absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus: et cunctis quæ adjacent torrenti Jeboc, et urbibus montanis, universisque locis, a quibus nos prohibuit Dominus Deus noster.

(1) Amos 2, vers. 9.

CAPUT III.

Victoria de Og rege Basanitidis. Quæ, ut et ditio regis Sehon, cessit tribubus Ruben et Gad et dimidiæ Manasse. Orat Moyses Deum, ut sibi quoque detur ingredi in terram promissam, sed Deus id illi negat, jubetque silere hac de re.

1. Itaque conversi ascendimus per iter Basan: [1] egressusque est Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo ad bellandum in Edrai.

2. Dixitque Dominus ad me: Ne timeas eum: quia in manu tua traditus est cum omni populo ac terra sua: faciesque ei [2] sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon.

3. [3] Tradidit ergo Dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og regem Basan, et universum populum ejus: percussimusque eos usque ad internecionem,

4. Vastantes cunctas civitates illius uno tempore; non fuit oppidum, quod nos effugeret: sexaginta urbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan.

5. Cunctæ urbes erant munitæ muris altissimis, portisque et vectibus, absque oppidis innumeris, quæ non habebant muros.

6. Et delevimus eos, sicut feceramus Sehon regi Hesebon, disperdentes omnem civitatem, virosque ac mulieres et parvulos:

7. Jumenta autem et spolia urbium diripuimus.

8. Tulimusque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem: a torrente Arnon usque ad montem Hermon,

(1) Num. 21, vers. 33; Infr. 29, vers. 7. (2) Num. 21, vers. 34. (3) Num. 21, vers. 35.

9. Quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhæi Sanir:

10. Omnes civitates, quæ sitæ sunt in planitie, et universam terram Galaad et Basan usque ad Selcha et Edrai civitates regni Og in Basan.

11. Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.

12. Terramque possedimus tempore illo ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, usque ad mediam partem montis Galaad: et civitates illius [1] dedi Ruben et Gad.

13. Reliquam autem partem Galaad, et omnem Basan regni Og, tradidi mediæ tribui Manasse, omnem regionem Argob: cunctaque Basan vocatur Terra gigantum.

14. Jair filius Manasse possedit omnem regionem Argob usque ad terminos Gessuri et Machati. Vocavitque ex nomine suo Basan, Havoth Jair, id est, Villas Jair, usque in præsentem diem.

15. Machir quoque dedi Galaad.

16. Et tribubus Ruben et Gad dedi de terra Galaad usque ad torrentem Arnon medium torrentis, et confinium usque ad torrentem Jeboc, qui est terminus filiorum Ammon:

17. Et planitiem solitudinis, atque Jordanem, et terminos Cenereth usque ad mare deserti, quod est salsissimum, ad radices montis Phasga contra orientem.

18. Præcepique vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus vester dat vobis terram hanc in hereditatem, expediti præcedite fratres vestros filios Israel omnes viri robusti:

19. Absque uxoribus, et parvulis, atque jumentis. Novi enim quod plura habeatis pecora, et in urbibus remanere debebunt, quas tradidi vobis,

20. Donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit: et possideant ipsi etiam terram, quam daturus est eis trans Jordanem: tunc revertetur unusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis.

21. [2] Josue quoque in tempore illo præcepi, dicens: Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus: sic faciet omnibus regnis, ad quæ transiturus es.

22. Ne timeas eos: Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis.

23. Precatusque sum Dominum in tempore illo, dicens:

24. Domine Deus, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam; neque enim est alius Deus, vel in cælo, vel in terra, qui possit facere opera tua, et comparari fortitudini tuæ.

25. Transibo igitur, et videbo ter-

℣. 11. *Solus Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum* — Hebraice de stirpe *Raphaim*. Itaque solum hic negatur, quemquam superfuisse de una illa et particulari stirpe gigantæa Raphaim, cum antea tempore Abrahami, Genes. 14, Raphaim totam illam regionem occuparent. Cui non obstat, quod alii gigantes ex alia triplici stirpe, cap. præced. eodem tempore et diu post superstites extiterint, ut patet ex Josue, Judicum et Regum libris. Quin neque obstat, quod vel tunc, vel postea etiam, aliqui Raphaim superfuerint, sed extra terminos Basanitidis, in qua sola regione hic dicitur, nullos ex ea stirpe superfuisse. Patet: nam 1 Paral. 20, mentio iterum fit Raphaim.

℣. 25. *Transibo igitur*. Hoc est, precor ut transire mihi liceat, *et videre montem istum egregium* — Forte designat montes *Bethel*, qui viciniores erant Jordani, nec multum a Jericho remoti, mirum in modum amœni, fœcundi, nemorosi, arboribus consiti, odoriferis herbis referti, teste Adrichomio. Nisi malis cum Oleastro dicere, per *montem egregium* desi-

(1) Num. 32, vers. 29. (2) Num. 27, vers. 18.

ram hanc optimam trans Jordanem, et montem istum egregium, et Libanum.

26. Iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudivit me, sed dixit mihi: Sufficit tibi: nequaquam ultra loquaris de hac re ad me.

27. Ascende cacumen Phasgæ, et oculos tuos circumfer ad occidentem, et ad aquilonem, austrumque et orientem, et aspice; [1] nec enim transibis Jordanem istum.

28. Præcipe Josue, et corrobora eum atque conforta: quia ipse præcedet populum istum, et dividet eis terram quam visurus es.

29. Mansimusque in valle contra fanum Phogor.

gnari *Libanum*, ut copulativa *et* pro exegetica ponatur, significetque *id est*, ut alias subinde.

℣. 26. *Iratus est Dominus mihi propter vos* — Hoc est, occasione vestri peccati et murmurationis, quia illa occasio fuit, ut ego, dum aquas de petra conarer educere, in aliquam incredulitatem, etiam externo signo scandalose [2] vobis patefactam, inciderim, atque ita iram Dei incurrerim. Ergo per accidens saltem et remote populus causa fuit iræ divinæ in Moysen: propria et propinqua causa fuit Moysis incredulitas, ut supra dixi Numer. 20.

℣. 29. *Mansimus contra fanum Phogor* — Hebraice, contra seu juxta *Bethphogor*, id est domum Phogor. Erat autem *Phogor* nomen idoli, ut dixi Num. 25, hinc domus in qua adservabatur, fanum proprie verti potuit. Quin et urbs ipsa in qua id fanum erat, vel vicina erat fano, *Bethphogor* dicta fuit, Josue 13, vers. 20, cessitque tribui Ruben, ut ibidem narratur.

(1) Infr. 31, vers. 2, et 34, vers. 4.

(2) Num. 20, vers. 12.

CAPUT IV.

Amplificat beneficium datæ de cælo legis in Sinai, cum igne et fumo. Designat tres urbes refugii trans Jordanem pro homicidis casualibus.

1. Et nunc, Israel, audi præcepta et judicia, quæ ego doceo te: ut faciens ea, vivas, et ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis,

2. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri quæ ego præcipio vobis.

3. [1] Oculi vestri viderunt omnia

℣. 2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor* — Ergo, inferunt hæretici, non sunt admittendæ ullæ *traditiones*, aut *leges humanæ*, seu *civiles*, seu *Ecclesiasticæ*. Respondeo, Deus hic non vetat omne additamentum: nam alioquin omnes etiam Prophetarum et Apostolorum libri vetiti essent, cum in his omnibus multa addantur dogmata et præcepta dogmatibus et præceptis Moysis. Neque umquam putarunt Judæi inhibitum sibi a Moyse, ne leges novas, si reipublicæ utiles vel necessariæ essent, instituere aut admittere possent: quin plurimas pro ratione temporum instituerunt de novo, et religiose observarunt. Patet tempore Saulis [2], Davidis [3], Salomonis et aliorum regum, qui varias leges: item Mardochæi [4], et Judith [5], et Machabæorum [6], qui festum sortium, festum victoriæ, festum encæniorum, et alia festa Mosaicis festis addiderunt. Certum ergo, verba Moysis cum limitatione intelligenda esse de additamento contrario, repugnante, vel adulterante ea quæ hic proponuntur. Patet hoc ex scopo Moysis quem hic intendebat, et ex circumstantiis in quibus hæc loquebatur. Quia enim Hebræi

(1) Num. 25, v. 4.
(2) 1 Reg. 14, vers. 24.
(3) 1 Reg. 30, vers. 24.
(4) Esther 9.
(5) Judith ult.
(6) 1 Mach. 4.

quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quomodo contriverit omnes cultores ejus de medio vestri.

4. Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi usque in præsentem diem.

5. Scitis quod docuerim vos præcepta atque justitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra, quam possessuri estis:

6. Et observabitis et implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens et intelligens, gens magna.

7. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

8. Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat ceremonias, justaque judicia, et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?

9. Custodi igitur temetipsum, et animam tuam sollicite. Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos,

10. A die in quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locutus est mihi, dicens: Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos, et discant timere me omni tempore quo vivunt in terra, doceantque filios suos.

11. Et accessistis ad radices montis, qui [1] ardebat usque ad cælum: erantque in eo tenebræ, et nubes, et caligo.

12. Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis.

13. Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit ut faceretis, et decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis.

14. Mihique mandavit in illo tempore ut docerem vos ceremonias et judicia, quæ facere deberetis in terra, quam possessuri estis.

15. Custodite igitur solicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem, in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis:

16. Ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ,

17. Similitudinem omnium jumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cælo volantium,

proclives admodum erant in cultus idololatricos, et superstitiosos ritus seu cæremonias Gentilium, v. g. ut asinum Beelphegor seu Priapo immolarent, canem Hecatæ, porcam Cereri, proles vivas Moloch cremarent, et alia aliis diis; hinc vetatur hic [2] illis tale quid attentare, etiamsi id vellent facere in honorem veri Dei: jubenturque solas oves, capras, boves, et pauca altilia statis temporibus et casibus Deo offerre: nulla relicta ipsis potestate alia ab illis diversa animalia in sacrificium etiam vero Deo immolandi aut alium aliquem novum numinis cultum publicum inducendi, qui præscriptis hic a Deo repugnet, aut noceat. Atqui tantum abest, his repugnent aut noceant

(1) Exod. 10, vers. 18.
(2) Deut. 12, vers. 30, etc.

leges civiles aut Ecclesiasticæ, aut traditiones sinceræ, ut potius inclusæ, atque in his quæ Moyses hic proponit, comprehensæ sint. Nam c. 5 hujus libri v. 16 et c. 17, v. 10, diserte jubet Deus, etiam sub pœna mortis, ut sacerdotis imperio, et judicum præceptis seu legibus omnes pareant, consequenter et traditionibus, quia hæ nihil aliud sunt quam instituta seu leges non scripto, sed viva voce primo evulgatæ. Quas Moyses hic etiam comprehendit, cum dicit, *Non addetis ad verbum quod loquor;* et infra, *Quæ ego præcipio:* loquebatur autem viva voce, et viva voce quoque præcipiebat, non minus quam scripto. Ita Bellarminus, Vasquez et alii Doctores [3].

(3) Bellarm. de verbo Dei non scripto; Vasquez 1. 2. q. 95, a. 1, disp. 152, cap. 4.

18. Atque reptilium quæ moventur in terra, sive piscium qui sub terra morantur in aquis:

19. Ne forte elevatis oculis ad cælum, videas solem et lunam, et omnia astra cæli, et errore deceptus adores ea, et colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.

20. Vos autem tulit Dominus, et eduxit de fornace ferrea Ægypti, ut haberet populum hereditarium, sicut est in præsenti die.

21. [1] Iratusque est Dominus contra me propter sermones vestros, et juravit ut non transirem Jordanem, nec ingrederer terram optimam, quam daturus est vobis.

22. Ecce morior in hac humo, non transibo Jordanem: vos transibitis, et possidebitis terram egregiam.

23. Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum: et facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit:

24. [2] Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator.

25. Si genueritis filios ac nepotes, et morati fueritis in terra, deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo vestro, ut eum ad iracundiam provocetis:

26. Testes invoco hodie cælum et terram, cito perituros vos esse de terra, quam transito Jordane possessuri estis; non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus,

27. Atque disperget in omnes gentes, et remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus;

28. Ibique servietis diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno et lapidi qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur.

29. Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ.

30. Postquam te invenerint omnia quæ prædicta sunt, novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, et audies vocem ejus.

31. Quia Deus misericors, Dominus Deus tuus est: non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti, in quo juravit patribus tuis.

32. Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die quo creavit Deus hominem super terram, a summo cælo usque ad summum ejus, si facta est aliquando hujuscemodi res, aut unquam cognitum est,

33. Ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti et vixisti:

34. Si fecit Deus ut ingrederetur, et tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, et robustam manum, extentumque brachium, et horribiles visiones, juxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis:

35. Ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius præter eum.

36. De cælo te fecit audire vocem suam, ut doceret te, et in terra ostendit tibi ignem suum maximum, et audisti verba illius de medio ignis,

37. Quia dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos. [3] Eduxitque te præcedens in virtute sua magna ex Ægypto,

38. Ut deleret nationes maximas et fortiores te in introitu tuo: et introduceret te, daretque tibi terram

(1) Sup. 1, vers. 37. (2) Ad Hebr. 12, v. 29. (3) Exod. 13, 21.

earum in possessionem, sicut cernis in præsenti die.

39. Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in cælo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius.

40. Custodi præcepta ejus atque mandata, quæ ego præcipio tibi: ut bene sit tibi, et filiis tuis post te, et permaneas multo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

41. [1] Tunc separavit Moyses tres civitates trans Jordanem ad orientalem plagam,

42. Ut confugiat ad eas qui occiderit nolens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante unum et alterum diem, et ad harum aliquam urbium possit evadere:

43. [2] Bosor in solitudine, quæ sita est in terra campestri de tribu Ruben: et Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gad: et Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse.

44. Ista est lex, quam proposuit Moyses coram filiis Israel;

45. Et hæc testimonia et cerimoniæ atque judicia, quæ locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Ægypto,

46. Trans Jordanem in valle contra fanum Phogor in terra Sehon regis Amorrhæi, qui habitavit in Hesebon, quem percussit Moyses. Filii quoque Israel egressi ex Ægypto

47. Possederunt terram ejus, et terram Og regis Basan, duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem ad solis ortum:

48. Ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, usque ad montem Sion, qui est et Hermon,

49. Omnem planitiem trans Jordanem ad orientalem plagam, usque ad mare solitudinis, et usque ad radices montis Phasga.

℣. 48. *Montem Sion, qui est et Hermon* — Hic idem mons *Hermon* c. præcedenti [3] vocatur lingua Sidoniorum *Sarion*, Amorrhæorum *Sanir*. Ergo quadruplex illi nomen erat, forte secundum diversa juga ejusdem montis: nam totus tractus illius montis vocabatur *Galaad*, cujus extrema pars trans Jordanem dicebatur *Hermon*, vel *Sarion*, vel *Sanir*, vel *Sion*: sed tunc Sion per *scin* scribitur, non vero per *tsade* [4], ut scribitur alter mons *Sion*, in quo arx et civitas David, seu Jerosolyma constructa erat. Sic Psalmo 132 dicitur, *Ros Hermon, qui descendit in montem Sion*. Et ratione hujus partis montis vocatur a Jeremia *Galaad caput Libani* [5], quia videlicet hac parte *Hermonis*, mons *Galaad* cum *Libano* jungitur, et inchoat quasi tractum montium *Libani*. Ita S. Hieron. et Adrichomius [6].

(1) Num. 35, vers. 14.
(2) Jos. 20, vers. 8. (3) Deut. 3, vers. 9.
(4) ציון שיאן.
(5) Jerem. 22, vers. 6.
(6) Hieron. in Locis Hebraicis; Adrich. de Terra sancta.

CAPUT V.

Moyses iterato explicat populo decalogum. Narrat populi pavorem cum ex ardente monte Sinai lex promulgaretur.

1. Vocavitque Moyses omnem Israelem, et dixit ad eum: Audi, Israel, ceremonias atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, et opere complete.

℣. 1. *Vocavit Moyses omnem Israelem* — Puta sexcenta pugnatorum millia, insuperque senes, feminas, proselytos, adolescentes et pueros, nam omnes ad-

2. Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb.

3. Non cum patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum qui in præsentiarum sumus, et vivimus.

4. Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis.

5. Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus : timuistis enim ignem, et non ascendistis in montem, et ait :

6. [1] Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis.

7. [2] Non habebis deos alienos in conspectu meo.

8. [3] Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quæ in cælo sunt desuper, et quæ in terra deorsum, et quæ versantur in aquis sub terra.

9. [4] Non adorabis ea, et non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus: Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me,

10. Et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, et custodientibus præcepta mea.

11. [5] Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra : quia non erit impunitus qui super re vana nomen ejus assumpserit.

12. Observa diem sabbati, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.

13. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua.

14. [6] Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, et filius tuus, et filia, servus et ancilla, et bos, et asinus, et omne jumentum tuum, et peregrinus qui est intra portas tuas : ut requiescat servus tuus, et ancilla tua, sicut et tu.

15. Memento quod et ipse servieris in Ægypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, et brachio extento. Idcirco præcepit tibi ut observares diem sabbati.

16. [7] Honora patrem tuum et matrem, sicut præcepit tibi Dominus

fuisse patet Deuteronomii 29, v. 10. Et vero expediebat omnes ex ipso Moysis ore instrui, et ad fœdus cum Deo denuo instaurandum præparari. Sed quomodo unus Moyses a tanta turba potuit exaudiri? Respondeo, Deus voci illius vim quamdam sonoram addidit, qua fiebat ut ea ad omnes pervaderet. Quod Vincentio Ferrerio, Francisco Xaverio, et aliis quibusdam sanctis viris etiam nostro seculo concessum legimus. Et alia certe magis miranda in Moyse, et a Moyse in gratiam istius populi facta constat.

℣. 3. *Non cum patribus nostris iniit* Deus *pactum*, hoc est, non cum Abrahamo, Isaaco, Jacobo, aliisve Patriarchis: *sed nobiscum* — Quia multi adhuc eorum superstites erant qui fœderi icto in Horeb præsentes fuerant, ut patet ex dictis c. 14 Numerorum: saltem unus idemque erat populus cum quo et tunc, et modo fœdus inibatur. Sed nonne Genesis 15 dicitur, *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram?* Respondeo, Non illud, neque tale fœdus, quale hic initum fuit. Ibi enim Abrahamo tantum promittit Deus terram Chananæam: hic vero acceptat posteros Abrahæ in populum suum, peculiaribus legibus ac cæremoniis sibi adstrictum : et illi vicissim ipsum acceptant in Deum suum, ejusque legibus ac cæremoniis sese adstringunt.

℣. 15. *Idcirco præcepit tibi ut observares diem Sabbati* — Ut scilicet memor durissimæ servitutis Ægyptiacæ, qua nulla tibi quies umquam dabatur, tu vicissim jam servis tuis aliquid libenter

(1) Exod. 20, vers. 2; Lev. 26, vers. 1; Ps. 80, vers. 11.
(2) Exod. 20, vers. 3; Ps. 80, vers. 10.
(3) Exod. 20, vers. 4; Levit. 26, vers. 1; Ps. 96, vers. 7.
(4) Exod. 34, vers. 14.
(5) Exod. 20, vers. 7; Lev. 19, v. 12; Matth. 5, vers. 33.
(6) Gen. 2, vers. 2; Exod. 20, v. 10; Ad Hebr. 4, vers. 4.
(7) Exod. 20, v. 12; Eccli. 3, v. 9; Matth. 15, v. 4; Marc. 7, v. 10; Ad Ephes. 6, v. 2.

Deus tuus, ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

17. Non occides.

18. Neque mœchaberis.

19. Furtumque non facies.

20. Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

21. [1] Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quæ illius sunt.

22. Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis et nubis, et caliginis, voce magna, nihil addens amplius: et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi.

23. Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum, et montem ardere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum, et majores natu, atque dixistis:

24. Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem et magnitudinem suam; vocem ejus audivimus de medio ignis, et probavimus hodie, quod loquente Deo cum homine, vixerit homo.

25. Cur ergo moriemur, et devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur.

26. Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur sicut nos audivimus, et possit vivere?

27. Tu magis accede: et audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi: loquerisque ad nos, et nos audientes faciemus ea.

28. Quod cum audisset Dominus, ait ad me: Audivi vocem verborum populi hujus quæ locuti sunt tibi: bene omnia sunt locuti.

29. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis et filiis eorum in sempiternum?

30. Vade, et dic eis: Revertimini in tentoria vestra.

31. Tu vero hic sta mecum, et loquar tibi omnia mandata mea, et ceremonias atque judicia: quæ docebis eos, ut faciant ea in terra, quam dabo illis in possessionem.

32. Custodite igitur et facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram:

33. Sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, et bene sit vobis, et protelentur dies in terra possessionis vestræ.

indulgeas quietis, et post multorum dierum labores saltem septimo quoque respirare permittas.

Notat S. Thomas[2], præceptum hoc, qua diem et tempus aliquod indefinitum cessationi a servilibus, et vacationi divino cultui, etiam publico et externo, dandum præcipit, esse morale, immo naturale, ac proinde merito ab Ecclesia Christiana diem Dominicum ei rei destinatum esse: quatenus vero dies Sabbati præcise ad hoc deputatus erat, fuisse tantum ceremoniale: ideoque potuisse aboleri a Christianis, et in alium diem transferri. Vide plura de Sabbato supra Exodi c. 35.

(1) Matth. 5, vers. 28; Ad Rom. 7, vers. 7.

(2) Opusculo hac de re.

CAPUT VI.

Inculcat præceptum diligendi Deum ex toto corde. Quo præstito, promittit perpetuam in terra promissa fertilitatem et prosperitatem.

1. Hæc sunt præcepta, et cerimoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos, et faciatis ea in terra, ad quam transgredimini possidendam:

2. Ut timeas Dominum Deum tuum, et custodias omnia mandata et præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, et filiis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, ut prolongentur dies tui.

3. Audi Israel, et observa ut facias quæ præcepit tibi Dominus, et bene sit tibi, et multipliceris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte et melle manantem.

4. Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est.

5. [1] Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.

6. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo:

7. Et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.

8. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos,

9. Scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ.

10. Cumque introduxerit te Do-

℣. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua* — Potest per *cor* intelligi voluntas seu appetitus rationalis: per *animam* appetitus sensitivus: per *fortitudinem*, seu vires (ut citat S. Lucas c. 10), facultas executiva. Sed verisimilius est, simplici hebraismo, hæc omnia idem prorsus significare, et posteriora non alium ob finem addita fuisse, quam ut eamdem rem magis exprimerent et inculcarent, nempe *amorem* nostrum erga Deum debere *summum* esse. Ubi nota contra hæreticos, præcipi hic amorem *summum*, non *intensive*, aut *extensive*, et multo minus *continue;* sed solum *appretiative* vel *comparative*, ut nempe Deum rebus omnibus creatis anteferamus, nec quidquam illius amicitiæ præponamus. Unde potest hoc præceptum in hac vita etiam facile impleri: et de Josia [2] rege, et aliis legimus, implevisse illud, uti et alia omnia præcepta. Simile est quod de Davide [3], Asa [4], Ezechia [5], Zacharia [6], Elisabeth et aliis habemus, *cor eorum* fuisse *perfectum cum Deo*, vel *incessisse in omnibus mandatis Dei.*

Dices, S. Augustinus dicit [7], neminem in hac vita posse Deum ex toto corde diligere, sed hoc a solis Sanctis in cælo præstari. Respondeo, S. Augustinus non explicat ibi litteraliter illa verba, *Ex toto corde:* sed anagogico sensu, ut idem sit, quod intentissimo, perfectissimo, ac continuo amoris actu, quod profecto non est hujus viæ, sed solius patriæ. Alioquin posse, immo debere hominem ita ex toto corde diligere Deum, ut nihil aliud illo charius habeat (qui est sensus litteralis hujus præcepti); ex pluribus S. Augustini locis [8] certissimo constat. Tropologice vide S. Bernardum [9].

℣. 8. *Eruntque et movebuntur inter oculos tuos*, etc. — Loquitur non proprie, sed parabolice, q. d. Curabis et

(1) Infr. 11, v. 13; Matth. 22, v. 37; Marc. 12, vers. 30; Luc. 10, vers. 27.
(2) 4 Reg. 23, vers. 25.
(3) 3 Reg. 11, vers. 4.
(4) 3 Reg. 15, vers. 11.
(5) 4 Reg. 18, v. 6.
(6) Lucæ 1, v. 6.
(7) Lib. de perfect. justitia, tom. 7.
(8) Vide Vasq. 1. 2. q. 109, a. 3, et alios DD.
(9) Serm. de dilig. Deo et de triplici dilectionis modo et tract. de diligendo Deo.

minus Deus tuus in terram, pro qua juravit patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob: et dederit tibi civitates magnas et optimas, quas non ædificasti,

11. Domos plenas cunctarum opum, quas non extruxisti, cisternas, quas non fodisti, vineta et oliveta, quæ non plantasti.

12. Et comederis, et saturatus fueris:

13. Cave diligenter, ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis. [1] Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis.

14. Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt:

15. Quoniam Deus æmulator, Dominus Deus tuus in medio tui: nequando irascatur furor Domini Dei tui contra te, et auferat te de superficie terræ.

16. [2] Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis.

17. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia et ceremonias, quas præcepit tibi:

18. Et fac quod placitum est et bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi: et ingressus possideas terram optimam, de qua juravit Dominus patribus tuis,

19. Ut deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est.

20. Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi volunt testimonia hæc, et ceremoniæ, atque judicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis?

21. Dices ei: Servi eramus Pharaonis in Ægypto, et eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti:

22. Fecitque signa atque prodigia magna et pessima in Ægypto contra Pharaonem, et omnem domum illius in conspectu nostro,

23. Et eduxit nos inde, ut introductis daret terram, super qua juravit patribus nostris.

24. Præcepitque nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima hæc, et timeamus Dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie.

25. Eritque nostri misericors, si custodierimus et fecerimus omnia præcepta ejus coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis.

efficies, ne mandatorum meorum oblivi-scaris, sed sæpe et manu, et oculis et animo illa pervolves; atque ita præsentem omnium memoriam habebis, ac si frontalibus, dextralibus, et liminaribus inscriptas haberes. Pharisæi tamen et crassiores aliqui Judæi, hæc ad litteram usurpantes, dilatabant ea occasione phylacteria sua et fimbrias, ut iis legem inscriberent, Matthæi 23, vers. 5. Alii saltem omni studio connitebantur, ut legem Moysis, totumque Deuteronomium memoria tenerent. Traduntque Rabbini, hunc in finem vel in sola urbe Jerosolymitana fuisse supra quadringentas scholas et synagogas, in quibus lex Dei traderetur et explicaretur.

(1) Infr. 10, v. 20; Matth. 4, v. 10; Luc. 4, v. 8.

(2) Matth. 4, vers. 7; Luc. 4, vers. 12.

CAPUT VII.

Jubet stirpitus exscindi Chananæos et idola eorum. Vetat iniri cum ipsis nuptias aut alia fœdera.

1. Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, et deleverit gentes multas coram te, [1] Hethæum, et Gergesæum, et Amorrhæum, Cha-

(1) Exod. 23, vers. 23, et 33, vers. 2.

nanæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, septem gentes multo majoris numeri quam tu es, et robustiores te:

2. Tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas usque ad internecionem. [1] Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum,

3. [2] Neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo:

4. Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis: irasceturque furor Domini, et delebit te cito.

5. Quin potius hæc facietis eis: [3] Aras eorum subvertite, et confringite statuas, lucosque succidite, et sculptilia comburite.

6. [4] Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te [5] elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.

7. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus est Dominus, et elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores:

8. Sed quia dilexit vos Dominus, et custodivit juramentum, quod juravit patribus vestris: eduxitque vos in manu forti, et redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti.

9. Et scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his qui custodiunt præcepta ejus, in mille generationes:

10. Et reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur.

11. Custodi ergo præcepta et cæremonias atque judicia, quæ ego mando tibi hodie ut facias.

12. Si postquam audieris hæc judicia, custodieris ea et feceris, custodiet et Dominus Deus tuus pactum tibi, et misericordiam quam juravit patribus tuis:

13. Et diliget te ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, et fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, et armentis, gregibus ovium tuarum super terram, pro qua juravit patribus tuis ut daret eam tibi.

14. Benedictus eris inter omnes populos. [6] Non erit apud te sterilis

℣. 3. *Neque sociabis cum* Chananæis *conjugia* — Quousque hæc illicita fuerint dixi Exodi 34.

℣. 10. *Reddens odientibus se statim* — scilicet debitam scelerum pœnam. Non loquitur de Ethnicis aut infidelibus, sed de solo populo Dei, ut bene explicat auctor libri 2 Machabæorum c. 6, v. 12. Neque enim solet Deus diu dissimulare cum suis quos chariores habet, maxime quando punitio non est ad interitum, sed ad correptionem, vel purgationem: vel certe ad interitum tantum paucorum, imprimisque eorum qui gravius deliquerunt, ut ceteri a peccando deterreantur.

℣. 14. *Non erit apud te sterilis utriusque sexus* — Ex toto contextu manifestum est, hæc verba non continere præceptum (ut voluit S. Hieronymus), sed ad solam benedictionem pertinere. Et quod hic additur, aperte id indicat, nempe, *tam in hominibus, quam in gregibus tuis*. Neque enim brutorum animantium greges præcepti capaces sunt: neque etiam hominibus vetari potest *sterilitas*, quia non est in hominum potestate fœcunditas. Erat quidem nota aliqua et quasi infamia apud Hebræos, si quis conjugatus liberis careret, quasi in pœnam sceleris alicujus admissi privaretur hac benedictione, et spe Messiæ ex se procreandi: tamen numquam præceptum legimus Hebræis matrimonium inire, aut inhibitum virginitatem servare. Ita Vasquez [7], et alii Doctores.

(1) Exod. 23, vers. 32, et 34, vv. 15, 16.
(2) Exod. 34, vers. 16.
(3) Exod. 23, v. 24; Infr. 12, v. 3, et 16, v. 21.
(4) Infr. 14, vers. 2.
(5) Infr. 26, vers. 18.
(6) Exod. 23, vers. 26.
(7) Tom. 2, p. 3, disp. 124, c. 2.

utriusque sexus, tam in hominibus quam in gregibus tuis.

15. Auferet Dominus a te omnem languorem: et infirmitates Ægypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis.

16. Devorabis omnes populos quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec servies diis eorum, ne sint in ruinam tui.

17. Si dixeris in corde tuo: Plures sunt gentes istæ quam ego, quomodo potero delere eas?

18. Noli metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, et cunctis Ægyptiis,

19. Plagas maximas, quas viderunt oculi tui, et signa atque portenta, manumque robustam, et extentum brachium, ut educeret te Dominus Deus tuus; sic faciet cunctis populis, quos metuis.

20. [1] Insuper et crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat qui te fugerint, et latere potuerint.

21. Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est. Deus magnus et terribilis:

22. Ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter: ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ.

23. Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: et interficiet illos donec penitus deleantur.

24. Tradetque reges eorum in manus tuas, et disperdes nomina eorum sub cælo: nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos.

25. [2] Sculptilia eorum igni combures: non concupisces argentum et aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui.

26. Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.

(1) Exod. 23, vers. 28; Jos. 24, vers. 12.

(2) 2 Mach. 12, vers. 40.

CAPUT VIII.

Hortatur ad accuratam legis divinæ custodiam, ob multiplicia a Deo beneficia partim accepta in deserto, partim accipienda in terra Chanaan. Transgressoribus excidium comminatur.

1. Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, cave diligenter ut facias: ut possitis vivere, et multiplicemini, ingressique possideatis terram, pro qua juravit Dominus patribus vestris.

2. Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, atque tentaret, et nota fierent quæ in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non.

3. Afflixit te penuria, et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui: ut ostenderet tibi quod

℣. 3. *In omni verbo quod egreditur de ore Dei* — Hebraismus est, pro quacumque re qua Deus nos voluerit et jusserit vesci. Nulla igitur res est, inquit Abulensis, tam venenata, tam inepta ad nutritionem, quam si Deus nos jusserit in cibum sumere, non sit nobis magis profutura, quam quivis alius ad delicias paratus cibus, Deo occulta ratione et noxias qualitates præpediente, et facultates nutritivas adjuvante et corroborante: adeoque, si vellet, sine omni cibo vive-

non [1] in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.

4. Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit; et pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est.

5. Ut recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te,

6. Ut custodias mandata Domini Dei tui, et ambules in viis ejus, et timeas eum.

7. Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum aquarumque et fontium: in cujus campis et montibus erumpunt fluviorum abyssi:

8. Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, et malogranata, et oliveta nascuntur: terram olei ac mellis,

9. Ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, et rerum omnium abundantia perfrueris: cujus lapides ferrum sunt, et de montibus ejus æris metalla fodiuntur:

10. Ut cum comederis, et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.

11. Observa, et cave nequando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas mandata ejus atque judicia et ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie:

12. Ne postquam comederis, et satiatus fueris, domos pulcras ædificaveris, et habitaveris in eis,

13. Habuerisque armenta boum, et ovium greges, argenti et auri, cunctarumque rerum copiam,

14. Elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis:

15. Et ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, [2] in qua erat serpens flatu adurens, et scorpio ac dipsas, et nullæ omnino aquæ; [3] qui eduxit rives de petra durissima,

16. Et [4] cibavit te manna in solitudine, quod nescierunt patres tui.

remus, ut vixit Moyses, Elias, ipseque Christus totis quadraginta diebus in deserto nihil vel manducans vel bibens.

℣. 4. *Vestimentum tuum nequaquam vetustate defecit* — Illustre miraculum, quo divina potentia factum, ut annorum quadraginta spatio vestes omnium, et calcei, non modo non corrumperentur, sed neque veterascerent aut deteriores efficerentur [5]. Accessit et aliud miraculum, inquit Abulensis, quod vestes et calcei puerorum una cum incremento corporum, etiam ipsa incrementum caperent: alias enim non fuisset de vestibus aut calceis sat cautum crescentibus. Sed unde vestes pueris in deserto per quadraginta annos de novo natis? Respondeo, Desumi poterant et consui ex demortuorum exuviis: maxime cum constet, quadragesimo anno non plures extitisse Israelitas pugnatores, quam primo anno. Nota, hoc privilegium vestium non detritarum omnibus commune fuisse, tam malis quam bonis, uti et manna, et aqua de petra, etc. Ita Abulensis.

℣. 15. *Serpens flatu adurens* — Hebraice *saraph* [6], unde *seraphim* [7], id est igniti, urentes. Verisimile est designari *basiliscum* seu *regulum:* sic enim eamdem Hebræam vocem vertit Noster, Isaiæ 30, v. 6. Et huic serpenti omnium venenatissimo maxime competit, quod afflatu suo et herbas, et homines, et serpentes alios adurat, et venenum adspiret, teste Plinio et Æliano [8]. Addit Galenus [9] regulum solo sibilo sive serpentes, sive ho-

(1) Matth. 4, vers. 4; Luc. 4, vers. 4.
(2) Num. 20, vers. 9, et 21, vers. 6.
(3) Exod. 17, vers. 6. (4) Exod. 16, vers. 14.
(5) Antonius Binæus *de calceis Hebræor.* I. Clericus et Gothofredus Rebigius in libro Lipsiæ edito, inscriptoque *de vestimentis Israelitarum in deserto, an per miraculum duraverint, aut creverint;* contra dictam Moysis auctoritatem non hoc loco tantum, sed etiam infra 29, 7, ac præterea Nehemiæ testimonium 2 *Esdræ*, 9, v. 21, negare ausi sunt, hocce miraculum. Sed leves eorum conjecturas evertunt Trivultiani PP. in litterariis Ephemeridibus an. 1707, pag. 926.
(6) שרף. (7) Marc. 6, vers. 2.
(8) Plin. lib. 8, c. 21, et lib. 29, c. 4; Ælian. lib. 2, cap. 5.
(9) Lib. de Theriaca ad Pisonem.

Et postquam afflixit ac probavit, ad extremum misertus est tui,

17. Ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, et robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt;

18. Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum, super quo juravit patribus tuis, sicut præsens indicat dies.

19. Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, coluerisque illos et adoraveris: ecce nunc prædico tibi quod omnino dispereas.

20. Sicut gentes, quas delevit Dominus in introitu tuo, ita et vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

mines, sive alias animantes occidere: quin et a multis creditum, solo visu enecare.

Dipsas — Et hic serpens est a διψᾶν, id est sitire, sic dictus: et ab eadem *siti*, latine *situla* vocatur, teste Isidoro, qui dicit aspidis speciem esse, et quotquot admorsi sunt ab hoc serpente, tanto *sitis* ardore cruciari, ut vel eodem moriantur, vel eousque bibant donec medii disrumpantur, ut exemplo signifert Catonis demonstrat Lucanus, et aliis Ælianus Aetius, Dioscorides, Pierius et Galenus, qui addunt theriacam huic malo præsens remedium esse [1].

(1) Lucan. l. 9; Ælian. l. 5, c. 50; Aetius l. 13; Diosc. l. ult.; Pierius in Hieroglyph. de Dipsade; Galenus supr.

CAPUT IX.

Refricat Hebræis sua murmura et peccata, maxime adorationem vituli aurei; ut exinceps sibi a talibus caveant.

1. Audi, Israel: Tu transgredieris hodie Jordanem, ut possideas nationes maximas et fortiores te, civitates ingentes, et ad cælum usque muratas,

2. Populum magnum atque sublimem, filios Enacim, quos ipse vidisti et audisti, quibus nullus potest ex adverso resistere.

3. Scies ergo hodie quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans atque consumens, qui conterat eos et deleat atque disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi.

4. Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter justitiam meam introduxit me Dominus ut terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes.

5. Neque enim propter justitias tuas, et æquitatem cordis tui, ingredieris ut possideas terras earum: sed quia illæ egerunt impie, introeunte te deletæ sunt: et ut compleret verbum suum Dominus, quod sub juramento pollicitus est patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob.

6. Scito ergo quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ cervicis sis populus.

7. Memento, et ne obliviscaris, quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in solitudine. Ex eo die, quo egressus es ex Ægypto usque ad locum istum, semper adversum Dominum contendisti.

8. [1] Nam et in Horeb provocasti eum, et iratus delere te voluit,

9. Quando ascendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit vobiscum Domi-

(1) Exod. 17, vers. 6, et 19, vers. 3.

nus: et perseveravi in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, et aquam non bibens.

10. [1] Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, et continentes omnia verba quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est.

11. Cumque transissent quadraginta dies, et totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis,

12. Dixitque mihi: [2] Surge, et descende hinc cito: quia populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, deseruerunt velociter viam quam demonstrasti eis, feceruntque sibi conflatile.

13. Rursumque ait Dominus ad me: Cerno quod populus iste duræ cervicis sit:

14. Dimitte me ut conteram eum, et deleam nomen ejus de sub cælo, et constituam te super gentem, quæ hac major et fortior sit.

15. Cumque de monte ardente descenderem, et duas tabulas fœderis utraque tenerem manu,

16. Vidissemque vos peccasse Domino Deo vestro, et fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam ejus, quam vobis ostenderat:

17. Projeci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro.

18. Et procidi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus et noctibus panem non comedens, et aquam non bibens propter omnia peccata vestra quæ gessistis contra Dominum, et eum ad iracundiam provocastis:

19. Timui enim indignationem et iram illius, qua adversum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudivit me Dominus etiam hac vice.

20. Adversum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, et pro illo similiter deprecatus sum.

21. Peccatum autem vestrum quod feceratis, id est, vitulum, arripiens, igne combussi, et in frusta comminuens, omninoque in pulverem redigens, projeci in torrentem, qui de monte descendit.

22. [3] In incendio quoque et in tentatione, et in Sepulcris concupiscentiæ provocastis Dominum:

23. Et quando misit vos de Cadesbarne, dicens: Ascendite, et possidete terram, quam dedi vobis, et contempsistis imperium Domini Dei vestri, et non credidistis ei, neque vocem ejus audire voluistis:

24. Sed semper fuistis rebelles a die qua nosse vos cœpi.

25. Et jacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos ut fuerat comminatus:

26. Et orans dixi: Domine Deus, ne disperdas populum tuum et he-

℣. 23. *Contempsistis imperium Domini Dei vestri* — Dices, nusquam legimus, Deo jubente noluisse Judæos ascendere adversus Chananæos. Respondeo, noluisse ex Cadesbarne eo ascendere nisi præmissis exploratoribus, Deuter. 1, vers. 22, cui illorum consilio licet Deus tandem assensus sit Numeror. 13, vers. 3, postea tamen multiplici ultione sat manifestum fecit, quam periculosum sit divinis imperiis reluctari.

℣. 25. *Et jacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus* — Id jam tertio repetit hoc eodem cap. Unde Rabbini, et ex iis Lyranus et Oleaster, cum Cajetano, Saliano et quibusdam aliis, colligunt, Moysen tres omnino quadragenas in monte Horeb seu Sinai exegisse. Vero tertiæ quadragenæ tempus quo exigi potuisset, nullum reperiri, capite ultimo Exodi fuse demonstravi. Porro non aliam hoc cap. v. 25, quadragenam designari, quam cujus antea vers. 18, per hysteron proteron meminerat, clarius est quam ut

(1) Exod. 31, vers. 18. (2) Exod. 32, vers. 7. (3) Num. 11, v. 1, et 16, v. 2, et 21, v. 5.

reditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti.

27. Recordare servorum tuorum Abraham, Isaac, et Jacob: ne aspicias duritiam populi hujus, et impietatem atque peccatum:

28. Ne forte dicant habitatores terræ, de qua eduxisti nos: Non poterat Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus est eis, et oderat illos: idcirco eduxit, ut interficeret eos in solitudine;

29. Qui sunt populus tuus et hereditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento.

probatione egeat: nam utrobique se pro eodem populi peccato prostratum jacuisse, Deumque exorasse narrat. Quid vero opus fuisset, Deo semel exorato placatoque, rursus eumdem in finem aliam quadragenam ordiri?

CAPUT X.

Commemorat tabulas digito Dei inscriptas et arcam fœderis: tribum Leviticam a Deo speciatim delectam pro cultu tabernaculi; Israelitas multiplicatos sicut astra cœli.

1. [1] In tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, et ascende ad me in montem: faciesque arcam ligneam,

2. Et scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas ante confregisti, ponesque eas in arca.

3. Feci igitur arcam de lignis setim. Cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus.

4. Scripsitque in tabulis, juxta id quod prius scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est: et dedit eas mihi.

5. Reversusque de monte, descendi, et posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus.

6. [2] Filii autem Israel moverunt castra ex Beroth filiorum Jacan in Mosera, ubi [3] Aaron mortuus ac sepultus est, pro quo, sacerdotio functus est Eleazar filius ejus.

7. Inde venerunt in Gadgad: de

℣. 6. *Moverunt castra ex Beroth filiorum Jacan in Mosera* — nempe cum secunda vice in *Mosera* reditum fuit (nam subinde, per spatium quadraginta annorum redibatur ad eadem loca): quando etiam contigit, Aaronem eodem in loco mori ac sepeliri: mons enim *Hor*, ubi sepultus dicitur Numeror. 20 et 33, et Deuteron. 32, erat pars una regionis *Mosera*, seu *Moseroth*, ut vocatur Numerorum 33. Nam hæc nomina unum eumdemque locum significant: sicut et *Beroth filiorum Jacan*, idem est locus qui *Benjaacan* Numer. 33 vocatur. Unde quod hic sequitur, Ex *Mosera venerunt in Gadgad*, inde *castrametati sunt in Jethebatha*, intelligendum id factum cum prima vice in *Mosera* seu *Moseroth* appulissent, et inde excederent: tunc enim inde profecti sunt in *Gadgad*, et ulterius in *Jetebatha*. Ergo præteritum *venerunt*, et *castrametati sunt*, ponitur hic pro plusquam perfecto *venerant*, et *castrametati fuerant*. Quod perfamiliare est Hebræis, qui cum unicum habeant præteritum, coguntur uno illo jam pro perfecto, jam pro imperfecto, vel plusquam perfecto subinde uti; unde necessum est, similes sententiarum ambiguitates non raro subnasci.

(1) Exod. 34, vers. 1. (2) Num. 33, vers. 31. (3) Num. 20, vv. 28, 29.

quo loco profecti, castrametati sunt in Jetebatha, in terra aquarum atque torrentium.

8. Eo tempore separavit tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, et staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius usque in præsentem diem.

9. Quam ob rem non habuit Levi partem, neque possessionem cum fratribus suis: quia ipse Dominus possessio ejus est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus.

10. Ego autem steti in monte, sicut prius, quadraginta diebus ac noctibus: exaudivitque me Dominus etiam hac vice, et te perdere noluit.

11. Dixitque mihi: Vade, et præcede populum, ut ingrediatur, et possideat terram, quam juravi patribus eorum ut traderem eis.

12. Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua:

13. Custodiasque mandata Domini, et cæremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi?

14. En Domini Dei tui cælum est, et cælum cæli, terra, et omnia quæ in ea sunt:

15. Et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos, elegitque semen eorum post eos, id est, vos, de cunctis gentibus, sicut hodie comprobatur.

16. Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius:

17. Quia Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, et Dominus dominantium, Deus magnus et potens, et terribilis, [1] qui personam non accipit, nec munera.

18. Facit judicium pupillo et viduæ, amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum;

19. Et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenæ in terra Ægypti.

20. [2] Dominum Deum tuum timebis, et ei soli servies: ipsi adhærebis, jurabisque in nomine illius.

21. Ipse est laus tua, et Deus

℣. 8. *Eo tempore* non quo mortuus est Aaron, cujus immediate hic ante facta mentio, sed quo Moyses de monte Sinai cum secundis tabulis descendit, ut dixerat v. 5, *separavit* Dominus *tribum Levi* — a reliquis tribubus, sibi eam suoque divino servitio appropriando, nempe triplici, ut sequitur: primo, *ut portaret arcam fœderis Domini*, cum reliquis omnibus quæ arcæ et tabernaculo annexa erant. Secundo, ut *staret coram eo in ministerio*, omni scilicet quod ad Deum et ad tabernaculum spectat, maxime vero in *sacrificio*, quod nobilissimum erat illorum ministerium, et nobilissimæ partis Leviticæ tribus, puta sacerdotum, de familia Aaron. Tertio, ut *benediceret in nomine Domini*, scilicet populum, eidemque bene precaretur invocato Dei nomine, et, ut LXX vertunt, pro eodem deprecaretur per nomen Dei. Quæ omnia solis sacerdotibus propria erant: uti et publice, seu cum solemni cæremonia benedicere nomini Domini, quod 1 Paralip. 23, v. 13 Aaroni ejusque filiis adscribitur. Quamquam benedicere simpliciter nomini Domini in quotidiano templi officio dum sacrificia peragerentur, quod fiebat hymnis, psalmis, et aliis canticis atque instrumentis musicis conveniret etiam Levitis inferioribus, e quorum numero cantores et lusores desumebantur.

℣. 16. *Circumcidite præputium cordis vestri* — LXX vertunt, *duritiam;* Chaldæus, *insipientiam.* Potest et luxuria, et idolomania, et quævis alia malitia designari: et in genere, noxia quæque et impia desideria, nam sicut carnale præputium in humano corpore, sic illa in corde superfluunt, et illud dehonestant.

(1) 2 Par. 19, vers. 7; Job 34, vers. 19; Sap. 6, vers. 8; Eccli. 35, vers. 15; Act. 10, vers. 34; Ad Rom. 2, vers. 11; Ad Gal. 2, vers. 6.

(2) Supr. 6, vers. 13; Matth. 4, vers. 10; Luc. 4, vers. 8.

tuus, qui fecit tibi hæc magnalia et terribilia, quæ viderunt oculi tui.

22. [1] In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum: et ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut astra cæli.

(1) Gen. 46, vers. 27; Exod. 1, vers. 5.

CAPUT XI.

Terret Hebræos per pœnas Pharaoni, Core, Dathan et Abiron ob sua scelera inflictas. Præfert Chananæam Ægypto. Piis benedictionem, impiis maledictionem intentat.

1. Ama itaque Dominum Deum tuum, et observa præcepta ejus et ceremonias, judicia atque mandata, omni tempore.

2. Cognoscite hodie quæ ignorant filii vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia ejus et robustam manum, extentumque brachium,

3. Signa et opera quæ fecit in medio Ægypti Pharaoni regi, et universæ terræ ejus,

4. Omnique exercitui Ægyptiorum, et equis ac curribus: quo modo operuerint eos aquæ maris Rubri, cum vos persequerentur, et deleverit eos Dominus usque in præsentem diem:

5. Vobisque quæ fecerit in solitudine, donec veniretis ad hunc locum:

6. Et [1] Dathan atque Abiron filiis Eliab, qui fuit filius Ruben: quos [2] aperto ore suo terra absorbuit, cum domibus et tabernaculis, et universa substantia eorum, quam habebant in medio Israel.

7. Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit,

8. Ut custodiatis universa mandata illius, quæ ego hodie præcipio vobis, et possitis introire, et possidere terram, ad quam ingredimini,

9. Multoque in ea vivatis tempore: quam sub juramento pollicitus est Dominus patribus vestris, et semini eorum, lacte et melle manantem.

10. Terra enim, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ:

11. Sed montuosa est et campestris, de cælo expectans pluvias;

12. Quam Dominus Deus tuus

℣. 10. *Ubi jacto semine*, quod in Ægypto fit post Nili inundationem, *in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ* — Ergo præter inundationem Nili spontaneam, quæ incipit a solstitio æstivo collecta jam messe, duratque fere centum diebus, nempe usque ad æquinoctium autumnale, teste Plinio, Diodoro Siculo et Herodoto [3]; alia opus est Ægyptiis irrigatione, sat molesta et laboriosa, qua delapsis jam Nili aquis, et novo semine terræ limosæ commisso, necessum est agros subinde arte irrigari. Hunc in finem fossæ ubique ductæ, quibus varias in partes per totam Ægyptum Nilus derivatur, testibus jam citatis, itemque Justino, et nuperrime Duce Radzivilio inspectore oculato: qui addit, traditionem esse, fossas illas ab Hebræis cum in Ægypto servirent, effossas esse, et quidem aggeribus, et cataractis ita munitas, ut aquas Nili præpropere, ut subinde sit, defluentes retinere possint quamdiu libuerit; quin et insigni artificio ad altiora etiam remotioraque Ægypti loca, quo exundatio fluminis alioqui non pertingeret, aquas transmittunt, quæ absque illis exsucca et prorsus sterilia

(1) Num. 16, vers. 1.
(2) Num. 16, vers. 32.
(3) Plin. lib. 5, cap. 9, et lib. 18, cap. 18; Diod. lib. 1; Herod. in Euterpe.

semper invisit, et oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus.

13. [1] Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et serviatis ei in toto corde vestro, et in tota anima vestra:

14. Dabit pluviam terræ vestræ temporaneam et serotinam, ut colligatis frumentum, et vinum, et oleum,

15. Fœnumque ex agris ad pascenda jumenta, et ut ipsi comedatis ac saturemini.

16. Cavete ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino, serviatisque diis alienis, et adoretis eos:

17. Iratusque Dominus claudat cælum, et pluviæ non descendant, nec terra det germen suum, pereatisque velociter de terra optima, quam Dominus daturus est vobis.

18. [2] Ponite hæc verba mea in cordibus et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros collocate.

19. Docete filios vestros ut illa meditentur; quando sederis in domo tua, et ambulaveris in via, et accubueris atque surrexeris.

20. Scribes ea super postes et januas domus tuæ:

21. Ut multiplicentur dies tui, et filiorum tuorum, in terra quam juravit Dominus patribus tuis, ut daret eis quamdiu cælum imminet terræ.

22. Si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, et feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, adhærentes ei,

23. Disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, et possidebitis eas, quæ majores et fortiores vobis sunt.

permanerent. Porro has fossas, in quas Nilus ita exæstuat, longa vetustate obstimatas Augustus Cæsar militari opere detersit, inquit Svetonius [3]. Ex his ergo fossis hausta aqua sæpius irrigandi sunt agri semine jam consiti: hauriunt autem variis instrumentis seu machinis, quas Diodorus Siculus [4] dicit ab Archimede Syracusio adinventas fuisse, et a figura cochleas vocari. Sed posteris hæ cochleæ deservire potuerunt. Hebræorum tempore, et quod ad Archimeden usque exurrit, videntur Ægyptii alio usi instrumento seu trusatili, seu rotatili, quod manibus pedibusve impellerent ad irrigationem illam perficiendam: nam in Hebræo, Chaldæo et LXX hic additur, irrigationem illam *pede* fieri, hoc est, instrumentis *pede* adactis. Sed quid opus hac artificiosa laboriosaque irrigatione, saltem iis Ægypti locis quæ Nilus antea sponte sua inundarat et oblimarat? Respondeo, quia limus ille quem recedens Nilus relinquit, etsi sat humidus sit ut semen injectum excipere, fovere et aliquanto tempore nutrire possit; post paullo tamen per ardorem solis humore exsucto, cum raræ admodum, et, si Platoni, Plinio, Straboni, Herodoto, Philoni, Claudiano, Philostrato et Pierio [5] credimus, nullæ sint pluviæ, saltem in illa Ægypti regione; limus nimis indurescere, neque semina excludere posset, nisi ejusmodi irrigatione subinde humectaretur.

Petes; quando uvas colligunt Ægyptii, et vindemiam faciunt, cum a solstitio æstivo usque ad æquinoctium, saltem tempore vindemiæ, teste Ecclesiastico c. 24, v. 37, aquæ omnem terram obtineant? Herodotus [6] dicit Ægyptum vitibus vinoque carere. Sed verisimilius est, vina aliqua, sed minus generosa istic colligi, et saltem lintribus ac cymbis vites adiri posse. Vide Macrobium [7], et Alexandrum Aphrodisæum [8].

(1) Sup. 10, vers. 12.
(2) Sup. 6, vers. 6.
(3) In Aug. c. 18.
(4) Supra ubi de Ægypto.
(5) Plato in Eponomide; Plin. in Panegyr. ad Trajanum, et supra; Strabo l. 3; Herod. supra; Philo l. 1 et 3 de Moyse; Claud. carmine de Nilo; Philost. apud Pierium in Hieroglyph. lib. 46 de Nilo.
(6) Supra.
(7) L. 7 Saturn., c. 8.
(8) Problem. lib. 1.

24. [1] Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto, et a Libano, a flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri.

25. Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum et formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis.

26. En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem:

27. Benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis:

28. Maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, et ambulaveritis post deos alienos, quos ignoratis.

29. Cum vero introduxerit te Dominus Deus tuus in terram ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal:

30. Qui sunt trans Jordanem, post viam quæ vergit ad solis occubitum, in terra Chananæi, qui habitat in campestribus contra Galgalam, quæ est juxta vallem tendentem et intrantem procul.

31. Vos enim transibitis Jordanem, ut possideatis terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut habeatis et possideatis illam.

32. Videte ergo ut impleatis cerimonias atque judicia, quæ ego hodie ponam in conspectu vestro.

℣. 24. *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit* — Ex hoc et simili loco Josue 1, v. 3. Thalmudici Rabbini somniarunt, voluisse Deum possessioni Judæorum adscribi quidquid ubivis terrarum vestigio suo premerent. Sed certum est ex iis quæ mox subduntur, id restringi intra terminos illis in terra promissa assignatos: et quidem non nisi sub conditione, si divinis mandatis essent obsequentes, ut dixi c. 1, v. 7.

℣. 29. *Pones benedictionem super montem Garizim* — Hoc est, eos qui benedictionem proclamabunt, pones a dextris in monte Garizim: qui vero maledictionem, a sinistris in monte Hebal. Qua ratione id factum, vide infra c. 27.

℣. 30. *In campestribus cotra Galgalam* — seu e regione et juxta Galgalam, ubi Josue secundam fecit Hebræorum circumcisionem, et Pascha celebravit tertium ab egressu ex Ægypto, Josue 4 et 5. Erat hæc juxta Jericho, et *juxta vallem tendentem et intrantem procul*: hebraice est, *juxta Elon More*, id est, juxta Aulon vallem in ingentem quamdam longitudinem protensam. Hæc vallis Genesis 12, v. 6 vocatur *Convallis illustris*.

(1) Josue 1, vers. 3.

CAPUT XII.

Jubet, non in montibus et lucis, sed in loco ad id designando a Deo offerri victimas, decimas, primitias et vota. Sanguine et omni immundo cibo vult abstineri.

1. Hæc sunt præcepta atque judicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, ut possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris.

2. Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos et colles, et subter omne lignum frondosum.

3. [1] Dissipate aras eorum, et confringite statuas, lucos igne combu-

(1) Sup. 7, vers. 25; 2 Mach. 12, vers. 40.

rite, et idola comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis.

4. Non facietis ita Domino Deo vestro:

5. Sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, et habitet in eo, venietis:

6. Et offeretis in loco illo holocausta et victimas vestras, decimas et primitias manuum vestrarum, et vota atque donaria, primogenita boum et ovium.

7. Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri: ac lætabimini in cunctis, ad quæ miseritis manum, vos et domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester.

8. Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur.

9. Neque enim usque in præsens tempus venistis ad requiem, et possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis.

10. Transibitis Jordanem, et habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut requiescatis a cunctis hostibus per circuitum: et absque ullo timore habitetis.

11. In loco, quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo; illuc omnia, quæ præcipio, conferetis, holocausta, et hostias, ac decimas, et primitias manuum vestrarum: et quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vovebitis Domino.

12. Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos et filii ac filiæ vestræ, famuli et famulæ, atque Levites qui in urbibus vestris commoratur; neque enim habet aliam partem et possessionem inter vos.

13. Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris;

14. Sed in eo, quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum offeres hostias, et facies quæcumque præcipio tibi.

15. Si autem comedere volueris, et te esus carnium delectaverit, occide, et comede juxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in urbibus tuis: sive immundum fuerit, hoc est, maculatum et debile:

℣. 6. *Primitias manuum vestrarum,* hoc est, laborum vestrorum, *offeretis in loco quem elegerit Dominus, ut ponat nomen suum ibi* — Hoc est, ubi fuerit tabernaculum vel templum: quia illud vocabatur *domus Dei,* et ibi continua erat memoria *nominis divini,* et cultus et invocatio *Dei.*

℣. 7. *Comedetis ibi in conspectu Dei,* Hoc est, in ea urbe in qua erit tabernaculum vel templum, agitabitis solemnes epulas vestras et convivia, scilicet ter in anno, tribus primariis festis, quibus eo vobis conveniendum. *Comedetis,* inquam, *ac lætabimini in cunctis,* seu ex cunctis *ad quæ miseritis manum* — Hoc est, ex decimis proventuum annuorum qui de manuum vestrarum labore provenerunt. Nam his præcipue secundariis decimis constabant istæ epulæ, et aliis insuper quibusdam de quibus hic v. 17. Ad has epulas præter domesticos et amicos invitabantur etiam Levitæ, viduæ, pupilli et advenæ: ut dixi Levitici 19, et Numer. 18. Non tamen debebant in specie Jerosolymam omnia deferri [1]; sat erat, pecuniam inde redactam transferre, qua deinde victimæ pacificæ et cetera ad epulas necessaria Jerosolymæ compararentur.

℣. 15. *Sive immundum fuerit,* etc.— Hinc patet, animal aliquod solitum dici *mundum* et *immundum,* vel *absolute,* vel tantum *secundum quid. Mundum absolute* erat illud, quod et comedi passim licebat et etiam in sacrificiis offerri; cujusmodi sola erant bos, ovis, capra, turtur et columba; si modo tamen maculam non haberent, id est, si non essent mutila, neque manca, neque ægra, neque alio corporis vitio affecta, ut explicatur Levitici 22, vers. 21. *Mundum secundum quid,* itemque *immundum secundum quid* erat illud, quod comedi quidem poterat, non tamen in sacrificiis

(1) Deut. 14, vers. 24.

sive mundum, hoc est, integrum et sine macula, quod offerri licet, sicut capream et cervum comedes.

16. Absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes.

17. Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, et vini, et olei tui, primogenita armentorum et pecorum, et omnia quæ voveris, et sponte offerre volueris, et primitias manuum tuarum:

18. Sed coram Domino Deo tuo comedes ea, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, tu et filius tuus, et filia tua, et servus et famula, atque Levites qui manet in urbibus tuis: et lætaberis et reficieris coram Domino Deo tuo, in cunctis ad quæ extenderis manum tuam.

19. Cave ne derelinquas Levitem in omni tempore quo versaris in terra.

20. [1] Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, et volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua:

21. Locus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus ut sit nomen ejus ibi, si procul fuerit, occides de armentis et pecoribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, ut comedes in oppidis tuis, ut tibi placet.

22. Sicut comeditur caprea et cervus, ita vesceris eis: et mundus et immundus in commune vescentur.

23. Hoc solum cave, ne sanguinem comedas; sanguis enim eorum pro anima est: et idcirco non debes animam comedere cum carnibus:

24. Sed super terram fundes quasi aquam,

25. Ut bene sit tibi et filiis tuis post te, cum feceris quod placet in conspectu Domini.

26. Quæ autem sanctificaveris, et voveris Domino, tolles, et venies ad locum, quem elegerit Dominus;

27. Et offeres oblationes tuas carnem et sanguinem super altare Do-

offerri: cujusmodi erant bubalus, cervus, tragelaphus, oryx, pygargus, camelopardalus, et alia de quibus infra c. 14. Item munda alioquin, capra, ovis, bos, etc.; sed quæ vitio aliquo laborabant. *Immundum absolute* erat quod nec immolari liceret nec comedi, immo comedentem polluebat, uti et tangentem, si morticinum esset. Talia erant lepores, sues, chœrogrylli, et alia ejusmodi quæ describuntur Levitici cap. 11 et Deuteronomii cap. 14.

℣. 17. Per *primogenita armentorum et pecorum*, quæ hic jubentur ab Israelitis comedi non in urbibus propriis, sed in loco tabernaculi vel templi, non intelliguntur *primogenita mascula*, quia hæc integra Deo sanctificanda [2] erant, et integre sacerdotibus cedebant, si tamen sine macula et immolatitia essent, ut patet Exodi 13 et 34, Numeror. 3 et 18. Sed intelliguntur vel *feminei sexus primogenita*, vel *masculini*, sed *maculata* vitio aliquo corporis, quæ, cum nulla maculata Deo offerri possent, debebant saltem vel ipsa, vel pretia ipsorum in sacras illas Jerosolymis epulas converti. Uti etiam præcipitur cap. 14, vers. 23.

Nota, solitos Judæos hanc legem religiose observare non tantum quando intra terminos terræ promissæ sedes suas habebant, sed etiam cum in remotissimas regiones deduxissent colonias. Neque nisi unum sub cælo locum, ad hunc finem a Deo delectum, v. g. Jerosolymis, agnoscebant: ut patet ex votivis quæ etiam captivi e Babylonia [3] mittebant statis temporibus Jerosolymam, etiam cum destructum esset templum Domini. Et licet temporibus Machabæorum Onias pontifex Oniæ filius Jerosolymis fugatus in Ægypto templum [4] aliud annuente Ptolemæo Philometore, æmulum Jerosolymitano, et quidem in honorem veri Dei construxerit; numquam tamen a religiosioribus Judæis extorquere potuit, teste Josepho [5], ut eo vel ipsi sacrificiorum causa concederent, vel decimas primitiasve suas destinarent.

(1) Gen. 28, v. 14; Ex. 34, v. 24; Infr. 19, v. 8.
(2) Deut. 15, vers. 19, et Exodi 13, vers. 12, et c. 34, v. 19, et Num. 3, v. 40.
(3) Baruch 1, vers. 6.
(4) Chron. c. 39 in Philometore.
(5) Lib. 13 Antiq., c. 6, et l. 7 Belli, c. 30.

mini Dei tui: sanguinem hostiarum fundes in altari: carnibus autem ipse vesceris.

28. Observa et audi omnia quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi et filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris quod bonum est et placitum in conspectu Domini Dei tui.

29. [1] Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, et possederis eas, atque habitaveris in terra earum:

30. Cave ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subversæ, et requiras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita et ego colam.

31. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios et filias, et comburentes igni.

32. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.

(1) Infr. 19, vers. 1.

CAPUT XIII.

Pseudoprophetam, et quicumque suaserit cultum idolorum, jubet lapidari: urbem quæ idola coluit, funditus excindi usque ad pecora; omnemque supellectilem cum urbe flammis absumi.

1. Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum:

2. Et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus, et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis:

3. Non audies verba prophetæ illius aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non, in toto corde, et in tota anima vestra.

4. Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus: ipsi servietis, et ipsi adhærebitis.

5. Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur: quia locutus est ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, et redemit vos de domo servitutis: ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus: et auferes malum de medio tui.

6. Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens: Eamus, et serviamus diis alienis, quos ignoras tu, et patres tui,

7. Cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ.

8. Non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut miserearis et occultes eum,

℣. 1. *Prophetes* — Sive a Deo is sit, sive a dæmone afflatus: sive falsa edat prodigia et ficta ad suæ impiæ doctrinæ confirmationem, sive vera olim ediderit ad veritatem confirmandam, atque his nomen et auctoritatem veri Prophetæ sibi compararit; si tamen post continuat

9. Sed statim interficies; [1] sit primum manus tua super eum, et postea omnis populus mittat manum.

10. Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere a Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis:

11. Ut omnis Israel audiens timeat, et nequaquam ultra faciat quippiam hujus rei simile.

12. Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos:

13. Egressi sunt filii Belial de medio tui, et everterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt: Eamus, et serviamus diis alienis quos ignoratis:

14. Quære solicite et diligenter, rei veritate perspecta, si inveneris certum esse quod dicitur, et abominationem hanc opere perpetratam,

15. Statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, et delebis eam ac omnia quæ in illa sunt, usque ad pecora;

16. Quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, et cum ipsa civitate succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo, et sit tumulus sempiternus; non ædificabitur amplius,

17. Et non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua: ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, et misereatur tui, multiplicetque te sicut juravit patribus tuis,

18. Quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

℣. 9. *Statim interficies*, non privata auctoritate, sed accusatione et denuntiatione apud judicem. Unde mox additur, *sit primum manus tuas super eum* — Hoc est, tu delator vel testis incipies primus lapidationem. Sic enim expresse decreverat Deus, ut infra cap. 17, v. 7 dicetur. Et hoc intellige, si sollicitatio ad idololatriam occulta esset: nam, si publica, licuit verisimilius sollicitatorem illum extemplo occidere, non expectata judicis auctoritate, ut de idololatra publico licuisse docet Philo [2], et probat exemplo Phinees, et Matathiæ et aliorum.

℣. 13. *Filii Belial* — Hoc est, valde impii, facinorosi, diabolici. *Belial* [3] enim significat, *sine jugo* [4], quod κατ ἐξοχὴν diabolo convenit, qui primus sua rebellione jugum Dei excussit, hinc nomen *Belial* proprium diabolo facit S. Hieronymus [5], et alii, sicut et nomen *Satan:* unde, et *Belial* sæpe *diabolum* vertit secutus Apostolum 2 Cor. 6, vers. 15. Chaldæus tamen et LXX et plerique Rabbini fere appellative eam vocem accipiunt pro quovis rebelli, facinoroso, seu diabolico homine.

℣. 17. *Non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua* — hoc est, nihil ex eo tibi vel in usus tuos reservabis. Debebant enim ejusmodi urbes idololatricæ, instar victimæ immolari divinæ justitiæ quasi in holocaustum, nec poterat quidquam exitio subtrahi, nisi si quid peculiari indulto Deus subtractum voluisset, ut indulsit Rahab meretrici ejusque familiæ in anathemate Jericho: etiam aurum, argentum, æs et ferrum omne, si non flammis semper absumi, saltem usibus profanis subtrahi et Deo consecrari jussa. Hinc Josue 7 graviter totis castris turbatum est ob sacrilegium *Achan*. Et *Saul* etiam regno exutus a Deo 1 Reg. 15, quod jussus anathemate disperdere Amalecitas, regem et optima quæque spolia exitio subtraxisset.

(1) Infr. 17, vers. 7.
(2) Lib. de Monarchia.
(3) בליעל.
(4) Judic. 19, vers. 22, et S. Hieron. in Tradit. Hebraic., et in init. 1 Regum, et in Isaiæ 27, et in Eph. 4.
(5) Ibid. et 3 Reg. 21, vers. 13; Psalm. 17, v. 5; Psalm. 41, vers. 9.

CAPUT XIV.

Explicat quæ munda sint animalia, et quæ immunda. Præter primas decimas, de quibus Numerorum 18 indicit etiam secundas et tertias.

1. Filii estote Domini Dei vestri: non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo;

2. [1] Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo: et te elegit ut sis ei in populum peculiarem, de cunctis gentibus quæ sunt super terram.

3. [2] Ne comedatis quæ immunda sunt.

4. Hoc est animal quod comedere debetis, bovem, et ovem, et capram,

5. Cervum et capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum.

6. Omne animal, quod in duas partes findit ungulam, et ruminat, comedetis.

7. De his autem quæ ruminant, et ungulam non findunt, comedere non debetis, ut camelum, leporem, chœrogryllum: hæc quia ruminant, et non dividunt ungulam, immunda erunt vobis.

8. Sus quoque, quoniam dividit ungulam et non ruminat, immunda erit; carnibus eorum non vescemini, et cadavera non tangetis.

9. Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis: Quæ habent pinnulas et squamas, comedite:

10. Quæ absque pinnulis et squa-

℣. 1. *De incisione* super mortuo, itemque de *calvitio* ex superstitione non inducendo, vide Levit. 19, v. 27.

℣. 5. *Tragelaphus*, id est *hircocervus*, ab Aristotele [3] vocatur *hippelaphus*, hoc est *equocervus:* quia *juba* refert *equum*, *cornibus et barba hircum*, reliqua *corporis* forma *cervum*. Vide Plinium et Diodorum Siculum [4].

Bubalus non est bos ille Italiæ quem vulgus *bufalum* appellat, sed neque *bos silvester*, ut Vatablus et Sa putant: neque enim hi inter delicias reponi solent aut cibos regios, ut bubali, 3 Reg. 4, vers. 23, inter cibos Salomonis regios et venatione captos reponuntur. Quales bubalos agnoscunt Plinius [5] et Aristoteles dum eos ajunt esse de genere *cervorum:* Gesnerus item et Hesychius, qui eos referunt ad genus *caprearum*. Et forte melius ex mente Scripturæ, quæ tam hic, quam 3 Regum 4 *bubalum capreæ* conjungit.

Pygargum quoque *capreis* adnumerat Plinius [6], et *damæ* similem facit. Quamquam et aquilæ genus sit eodem Plinio [7] et Aristotele [8] testibus, quod ab *albicante cauda pygargus quoque vocatur*.

Denique et *orygem* in *caprarum* silvestrium genere reponunt iidem Plinius [9] et Aristoteles [10], eamque unicornem ac bifulcam faciunt, et contrario pilo, nempe ad caput verso, vestiri dicunt.

Camelopardalus camelum et pardalim aliquo modo refert: *camelum* capite et oblongo aliquantum collo, *pardalim* seu *pantheram* macularum toto corpore varietate. Vide Plinium [11]. Oppianus, Heliodorus, et Angelus Politianus dicunt, camelopardalim habere crura anteriora multo altiora quam sint posteriora crura: item duo parva in capite cornua: neque tamen animali illi quidquam inesse feritatis [12].

(1) Supr. 7, vers. 6; Infr. 26, vers. 18.
(2) Lev. 11, vers. 4.
(3) Lib. 2 Hist. animal., cap. 1.
(4) Plin. l. 8, c. 33; Diod. supr.
(5) Supra c. 15. (6) Supra c. 53.
(7) Lib. 10, c. 3. (8) Lib. 6 supra.
(9) Lib. 8, c. 53, et l. 11, c. 46.
(10) Lib. 2, c. 1. (11) Supra c. 18.
(12) Oppian. l. 3 de Venatione; Heliod. l. 10 Æthiopicæ hist.; Ang. Polit. apud Gesnerum et Anton. Nebrissensem in Quinquagena, c. 8; Plin. l. 10, c. 49; Albertus Magnus.

mis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt.

11. Omnes aves mundas comedite.

12. Immundas ne comedatis : aquilam scilicet, et gryphem, et haliætum,

13. Ixion, et vulturem ac milvum juxta genus suum :

14. Et omne corvini generis,

15. Et struthionem, ac noctuam, et larum, atque accipitrem juxta genus suum :

16. Herodium ac cygnum, et ibin,

17. Ac mergulum, porphyrionem, et nycticoracem,

18. Onocrotalum, et charadrium, singula in genere suo : upupam quoque et vespertilionem.

19. Et omne quod reptat et pennulas habet, immundum erit, et non comedetur.

20. Omne quod mundum est, comedite.

21. Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei : quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. [1] Non coques hœdum in lacte matris suæ.

22. Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra per annos singulos,

℣. 15. *Struthio* avium maxima, non tamen per aera volat, sed alis se ad cursum, quem pernicissimum habet, juvat. In nonnullis naturam quadrupedum refert, puta ungula pedum, quam bifulcam habet ut cervus. Stolidissimum est animal, solitudinis amans, voce lugubri, etc. teste Job, Isaia, Jeremia, Michæa [2].

Laruse ex milvorum est genere, pisciculis quos prædatur victitans. Ex eodem genere videtur esse et *mergulus*, de quo v. 17 quem alii ardeam esse volunt, dicique mergulum, quod se in aquas ad pisciculos capiendos immergat.

℣. 16. *Ibis* Ægypti avis est, serpentibus infesta : estque duplicis generis, una candida, altera nigra.

℣. 17. *Porphyrio* venustissima avium a purpura nomen accepit : *rostrum* illi *et prælonga crura rubent*, inquit Plinius [3], *cæruleus toto corpore color, media extremæ caudæ pars in cinereo albicat*, inquit Gesnerus [4]. In Bætica patria sua frequentem hanc avem esse, ait Antonius Nebrissensis [5]. Addit Ælianus [6], amicissime cum aliis domesticis animalibus convivere : et, cum gallum forte herus epuli causa jugulasset, porphyrionem præ dolore sibi ipsi inedia mortem attulisse.

℣. 18. *Onocrotalus*, id est asini crepitaculum, ob inconditam et absonam vocem quam emittit. Hæc avis in Helvetia et ad lacum Lemannum frequens, rostro admodum longo, magnitudine corporis et pennarum candore, cygno fere similis, teste Plinio [7]. Gesnerus [8] narrat eum qui Mechliniæ totis 50 annis nutritus nostro seculo fuit, alarum extrema habuisse nigra. In faucibus ingluviem habet amphoræ capacem, quam aqua implet, sicque in eam pisciculos recipit : quos ubi sat multos receperit, aquam evomit retentis pisciculis quos vorat.

Charadrionis seu *Charadrii* meminere Aristoteles, Plutarchus, Ælianus et Suidas [9]. Sic dictus, *quod circa fluminum alveos, et rivorum* χαράδρας, *seu hiatus riparum versari soleat*. Unde et latine *hiaticola* dici posset, inquit Gaza [10]. Tribuunt ei hanc virtutem, quod ictericis seu regio morbo affectis solo suo aspectu medeatur. Licet alii velint non tam sanitatem adferre, quam futuram sanitatem prænuntiare, si ægrum defixis oculis intueatur ; mortem vero, si oculos avertat.

De chœrogryllo, gryphe et haliæeto, vide quæ dixi Levit. 11. De *hœdo* vero *non coquendo in lacte matris*, vide Exodi 23. De triplici genere decimarum quæ ab Israelitis pendi debebant, dixi Lev. 19, v. 23.

(1) Exod. 23, vers. 19, et 34, vers. 26.
(2) Job 30; Isaiæ 13, vv. 34, 43; Jerem. 50; Michææ 1.
(3) Lib. 10, c. 46. (4) In Paralipom.
(5) Cap. 36 Quinquagenæ.
(6) Lib. 5, c. 38. (7) Lib. 10, c. 47. (8) Supra.
(9) Arist. l. 8 de Hist. animal., c. 3, et l. 9, c. 11; Plutarch. in Sympos. l. 5, q. 7; Ælianus l. 5, c. 23; Suidas in Hipponact.
(10) Gaza interpres Aristot. supr.

23. Et comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit, ut in eo nomen illius invocetur, decimam frumenti tui, et vini, et olei, et primogenita de armentis et ovibus tuis: ut discas timere Dominum Deum tuum omni tempore.

24. Cum autem longior fuerit via, et locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare,

25. Vendes omnia, et in pretium rediges, portabisque manu tua, et proficisceris ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus:

26. Et emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque et siceram, et omne quod desiderat anima tua: et comedes coram Domino Deo tuo, et epulaberis tu et domus tua:

27. Et levites qui intra portas tuas est, cave ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua.

28. [1] Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore: et repones intra januas tuas.

29. Venietque Levites qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, et peregrinus ac pupillus et vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent et saturabuntur: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.

(1) " Vers. 28. *Anno tertio separabis aliam decimam.* Hebr. omittit *aliam;* hæc tamen alia certe fuisse videtur ab ea, cujus mentio v. 22. Confer Gilletum in 4 *Jud. Ant. lib., admot. 5.* "

CAPUT XV.

De anno sabbatico, seu septimo remissionis, quo jubet remitti Judæis debita, servos et ancillas dimitti liberos, nec sine viatico. Item de primogenitis pecorum Deo offerendis.

1. Septimo anno facies remissionem.

2. Quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini.

3. A peregrino et advena exiges: civem et propinquum repetendi non habebis potestatem.

4. Et omnino indigens et mendicus non erit inter vos: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem.

5. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris universa quæ jussit, et quæ ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus est.

6. Fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, et tui nemo dominabitur.

℣. 4. *Et omnino indigens et mendicus non erit inter vos* — Ex versione LXX patet esse præceptum, quo inhibet Deus ne quem Judæum patiantur apud se egenum, quin ei petenti subveniant saltem mutuando. Et hoc præceptum v. 7 dilucidius explicatur.

Dices, v. 11 prædicitur, numquam defuturos pauperes in terra promissa. Respondeo, Aliud est conari et operam adhibere; quod solum hic præcipit singulis: aliud, perficere, et finem consequi; quod non erat in potestate singulorum. Sic alibi prohibetur, ne sit ulla meretrix ex filiabus Israel; quis tamen audeat dicere, defuisse umquam de facto?

℣. 6. *Fœnerabis gentibus multis,* etc. — Hinc Judæi putant sibi licere ad usuram dare Christianis. Sed respondeo, In Hebræo, Chaldæo et LXX tantum est,

7. Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum,

8. Sed aperies eam pauperi, [1] et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris.

9. Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis: et avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum.

10. Sed dabis ei: nec ages quippiam callide in ejus necessitatibus sublevandis: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis ad quæ manum miseris.

11. [2] Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra.

12. [3] Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, et sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum:

13. Et quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris:

14. Sed dabis viaticum de gregibus, et de area, et torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi.

15. Memento quod et ipse servieris in terra Ægypti, et liberaverit te Dominus Deus tuus, et idcirco ego nunc præcipio tibi.

16. Sin autem dixerit: Nolo egredi: eo quod diligat te, et domum tuam, et bene sibi apud te esse sentiat:

17. Assumes subulam, et perforabis aurem ejus in janua domus tuæ, et serviet tibi usque in æternum: ancillæ quoque similiter facies.

18. Non avertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos: quoniam juxta mercedem mercenarii per sex annos servivit tibi: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus quæ agis.

19. De primogenitis, quæ nascuntur in armentis, et in ovibus tuis, quidquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium.

20. In conspectu Domini Dei tui

mutuabis: et Latinum *fœnerabis* idem hic significat, ut patet ex antithesi mox adjuncta, *A nullo accipies mutuum.* Ergo nulla hic usuræ est permissio, aut mentio, multo minus præceptum: sed solum promittitur benedictio, qua sibi obedientibus addicit Deus, tantam fore facultatum copiam, ut ipsi possint non solis contribulibus suis, sed aliis quoque gentibus passim mutuas dare pecunias sine damno suo, ipsi vero a nemine compellantur mutuum accipere. An autem licuerit Judæis ad usuram dare Gentilibus, dicemus infra c. 23.

℣. 17. *Ancillæ similiter facies* — Non refertur hoc ad auris perforationem, licet hæc immediate præcedat, quia hæc in ancillis locum non habebat: sed ad viaticum, et alia donativa, quibus vv. 13 et 14 jubet donari servos quando liberi dimittuntur. Ceterum de hoc, aliisque privilegiis anni septimi Sabbatici, vide quæ dixi Exodi 23, v. 11.

℣. 19. *Non operaberis in primogenito bovis*, etc. — Agit hic de primogenito, non illo masculo et immaculato, de quo paullo ante, quia hoc totum Deo et sacerdotibus cedere debebat, ut expresse ibidem jubetur: sed de primogenitis feminei sexus, quæ postquam immolata essent more pacificorum, uti licuisse constat ex Levitici 3, v. 1, poterant postea ab ipsomet offerente ejusque familia in solemnibus Jerosolymæ epulis absu-

(1) Matth. 5, vers. 42; Luc. 6, vers. 34.
(2) Matth. 26, vers. 11.
(3) Exod. 21, vers. 2; Jerem. 34, vers. 14.

comedes ea per annos singulos, in loco quem elegerit Dominus, tu et domus tua.

21. [1] Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo:

22. Sed intra portas urbis tuæ comedes illud: tam mundus quam immundus similiter vescentur eis, quasi caprea et cervo.

23. Hoc solum observabis, ut sanguinem eorum non comedas, sed effundes in terram quasi aquam.

mi, uti etiam absumi in iisdem epulis poterant si quæ primogenita maculosa seu vitio alicui obnoxia obvenissent: non poterant tamen hæc Deo, ne quidem in hostiam pacificam [2], offerri. Vide supra, c. 12, v. 17, et Levitici 19, v. 23.

(1) Lev. 22, vv. 20, 21; Eccli. 35, vers. 14.

(2) Deut. 15, vers. 21.

CAPUT XVI.

De festis Paschæ seu Azymorum, Pentecostes et Tabernaculorum. Jubetque tribus illis festis omnem masculum comparere coram Domino in tabernaculo: judices quoque per singulas urbes constitui.

1. Observa mensem novarum frugum, et verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.

2. Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, et de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.

3. Non comedes in eo panem fermentatum: septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto: ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ.

4. Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus, et non remanebit de carnibus ejus quod immolatum est vespere in die primo usque mane.

5. Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi;

6. Sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi: immolabis Phase vespere

℣. 2. *Immolabis Phase de ovibus et de bobus* — Hinc constat, per *Phase* seu Pascha non semper designari agnum solum paschalem, qui ad vesperam diei decimæ quartæ a tota multitudine per singulas familias immolari et comedi debebat: quia hoc *Phase* non poterat *de bobus* esse: sed solere designari hoc eodem nomine sacrificia omnia, quæ ex legis præscripto totis illis septem Paschæ diebus offerebantur. Sic Joannis 18, v. 28 recusant sacerdotes introire in prætorium Pilati, ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha, id est paschales victimas ejus diei et sex sequentium. Pari modo sumitur 2 Paralipom. 35, vv. 8, 9 et alibi.

℣. 3. *Septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem* — Hoc est, affligentem, panem, puta *azymum*, qui non solum index et in monimentum erat afflictionis Ægyptiacæ, ut exponit Vatablus et Arias Montanus; sed vere etiam *affligebat* stomachum et corpus, eo quod insuavis, insipidus et gravis esset. Et phrasi Hebræa omnis abstinentia pœnitentiaque *afflictio* vocatur.

℣. 6. *In loco quem elegerit Dominus*, etc. — Hoc est, in loco ubi tabernaculum erit vel templum: nusquam vero alibi immolabis aut edes agnum paschalem. Ex qua lege liquet, Judæos modo, cum templo careant, non posse agnum paschalem edere aut immolare.

Immolabis autem *vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto*

ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.

7. Et coques, et comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, maneque consurgens vades in tabernacula tua.

8. Sex diebus comedes azyma: et in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus.

9. Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris;

10. Et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres juxta benedictionem Domini Dei tui:

11. Et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, et filia tua, servus tuus et ancilla tua, et Levites qui est intra portas tuas, advena ac pupillus et vidua, qui morantur vobiscum : in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi:

12. Et recordaberis quoniam servus fueris in Ægypto: custodiesque ac facies quæ præcepta sunt.

13. Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area et torculari fruges tuas:

14. Et epulaberis in festivitate tua, tu, filius tuus et filia, servus tuus et ancilla, Levites quoque et advena, pupillus ac vidua qui intra portas tuas sunt.

15. Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco quem elegerit Dominus: benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, et in omni opere manuum tuarum, erisque in lætitia.

16. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit: in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum. [1] Non apparebit ante Dominum vacuus:

17. Sed offeret unusquisque secundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.

18. Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio,

19. Nec in alteram partem declinent. [2] Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum.

20. Juste quod justum est persequeris: ut vivas et possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.

21. Non plantabis lucum, et omnem arborem juxta altare Domini Dei tui.

22. Nec facies tibi, neque constitues statuam: quæ odit Dominus Deus tuus.

— inchoative scilicet, quia vespere egressum apparasti, sed eadem nocte finiente reipsa egressus es.

℣. 7. *Maneque consurgens*, sed post septimam azymorum diem, *vades in tabernacula tua* — hoc est, redibis in urbem et domum propriam. Verisimilius enim est Israelitas totos illos septem dies Jerosolymis permanere debuisse, uti et in Scenopegiæ festo, eosque in sacris epulis (de quibus hic et c. præc., v. 20, et c. 12, et Lev. 19) absumere consuevisse.

(1) Exod. 23, v. 15, et 34, v. 20; Eccli. 35, v. 6.

Nota, cum jubeat hic Deus, ut ter in anno omne masculinum accedat ad locum tabernaculi, solitum fuisse divina sua providentia sic peregrinantium rebus et commodis consulere, sic desertas domos et urbes tueri, ut numquam magis essent ab hoste securæ, quam cum, absentibus viris, ab omni humano præsidio desertæ videbantur. Ita Sanctius in lib. 1 Regum 1. Reliqua hujus capitis vide exposita Exodi 12 et Levitici 23.

(2) Exod. 23, vers. 8; Lev. 19, vers. 15; Sup. 1, vers. 17; Eccli. 20, vers. 31.

CAPUT XVII.

Jubet occidi idololatras, causas dubias referri ad sacerdotes, eorumque decretis obediri sub pœna mortis. Si quando rex deligendus fuerit, vult ex ipsorum gente deligi: legesque a rege observandas præscribit.

1. Non immolabis Domino Deo tuo ovem, et bovem, in quo est macula, aut quippiam vitii: quia abominatio est Domino Deo tuo.

2. Cum reperti fuerint apud te, intra unam portarum tuarum quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, et transgrediantur pactum illius,

3. Ut vadant et serviant diis alienis et adorent eos, solem et lunam, et omnem militiam cæli, quæ non præcepi:

4. Et hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensque inquisieris diligenter, et verum esse repereris, et abominatio facta est in Israel:

5. Educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, et lapidibus obruentur.

6. [1] In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium.

7. Manus testium prima interficiet eum, [2] et manus reliqui populi extrema mittetur: ut auferas malum de medio tui.

8. Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram: et judicum intra portas tuas videris verba variari: surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.

℣. 8. *Si ambiguum judicium*, etc. *inter sanguinem et sanguinem* — Interpres Noster 2 Paralip. 19, v. 10 verba Hebræa quæ hic habentur, vertit, *inter cognationem et cognationem*, hoc est, inter eos qui vel diversæ vel ejusdem cognationis seu familiæ sunt, inter quos ratione possessionum et aliarum rerum solent frequentes et longæ lites esse. Quamquam etiam cum Tostato, Vatablo et Lyrano per *sanguinem* hic intelligi possit *homicidium* patratum, sit ne voluntarie, an casu factum. Vel cum Cajetano et Oleastro *crimen* quodvis *capitale*, ratione cujus dubitetur an auctor morte plectendus sit, nec ne. Sic apte sequitur, *Inter causam et causam*, q. d. Vel alia qualibet de causa et lite, etiam non capitali aut criminali. Etiam *inter lepram et lepram*, an scilicet vera sit et contagiosa, propter quam quis debeat ab hominum contubernio semoveri, quod pluribus erat molestissimum, et lepræ species poterat subinde fallere. Si talis, inquam, dubius casus obveniat, et *judicum* particularium *intra portas tuas*, hoc est, in urbium vel tribuum singularum tribunalibus, *verba* seu sententias *variari videris*; confer te ad locum in quo erit tabernaculum vel templum, et defer causam ad sacerdotes et judicem supremum qui præsunt illi loco. Ubi re eventilata et dijudicata, stabitur illorum sententiæ, neque ulli licitum erit ei refragari, etiam sub pœna mortis. Erat enim hoc supremum et ultimum Judæorum tribunal, a quo nulla vel appellatio vel declinatio dabatur: ad illud vero undique et ab omnibus appellari poterat. Constabat hoc tribunal seu concilium supremum summo pontifice tamquam capite et præside, et 70 senioribus tamquam assessoribus: qui licet initio promiscue ex omnibus tribubus, paullatim

(1) Infr. 19, vers. 15; Matth. 18, vers. 16; 2 ad Cor. 13, vers. 1.

(2) Supr. 13, vers. 9.

9. [1] Veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.

10. Et facies quodcumque dixe-

tamen ex solis sacerdotibus, saltem pro majori parte desumebantur. Et hi delatas ad se causas graviores vel communi consilio simul omnes, vel certo numero a pontifice designati, prout causæ erant majoris vel minoris momenti et difficultatis cognoscebant et decidebant.

Dices, Ex 2 Paralip. 19, vv. 10 et 11 et aliunde constat, distinctos fuisse limites judicum politicorum, et Ecclesiasticorum seu sacerdotum; et politicos quidem judicasse omnia civilia, v. g. quæ pacem, quæ bella, quæ contractus, quæ possessiones bonorum, furta, homicidia, similesque injurias concernebant: sacerdotes vero ea quæ sacra erant judicasse, v. g. quæ legem divinam, quæ religionem, quæ cæremonias spectabant. Respondeo, Hæc quidem præcipue ad sacerdotes spectabant, sed non sola. Cum enim politici judices adeoque et ipsi reges non possent suis legibus aut arbitratu rempublicam Judæorum administrare, seu divinis legibus, quæ fere continentur hoc Deuteronomio (quod idcirco rex ipse perpetuo penes se habere jubetur [2]); hinc fiebat, ut etiam politicum tribunal in multis casibus a sacro sacerdotum tribunali dependeret: cogerenturque etiam principes in casibus ejusmodi dubiis seu juris, seu facti, ad sanedrim confugere. Unde infra c. 21, v. 5 expresse et generaliter dicitur *omne negotium* esse *ad verbum sacerdotum*, id est, omnem litem et controversiam (sic enim est in Hebræo) verbo ac sententia sacerdotum decidi debere: et Numerorum 27, v. 21 Josue jam designato principi totius populi injungitur, ut nihil majoris momenti aggrediatur, nisi per pontificem consulto Deo. Ex hac ergo dependentia laicorum tribunalium a sacro, si quid in judicando a rege vel alio politico tribunali peccatum esset contra legem divinam, poterat, immo debebat a pontifice et sacro tribunali corrigi. Quod si locum habebat in lege Mosaica et republica Judæorum, longe rudiore minusque composita; quanto magis in Ecclesia et lege Christiana, quæ cultissima est, optimeque ordinata?

(1) 2 Par. 19, vers. 8.

Objicit Calvinus, per *judicem* hic intelligi non pontificem, sed principem politicum: nam qui in politicis præerant Hebræis usque ad tempora regum, non alio quam Judicum nomine vocabantur. Respondeo, Deum hic loqui non de quovis *judice*, sed de illo solo qui præerat loco in quo tabernaculum erat vel templum, ut hic dicitur v. 10. Atqui nullus judicum politicorum præfuit umquam illi loco, sed soli pontifici et sacerdotibus id competebat: ergo et his solis ultimum illud controversiarum judicium hic defertur.

Replicat Lucas Osiander: Judæi tantum hic jubentur facere quæ sacerdotes illi decreverint *juxta legem Dei*, hoc est, conformiter legi divinæ: non vero si quid extra hos limites decernant. Respondeo, ut summum excludi his verbis, quod manifeste pateret contrarium esse legi divinæ, v. g. quod ex mero odio vel animo hostili decerneretur contra jus et fas, ut fieri potuisset in rebellione, cui etiam pontifex subscripsisset; et forte ita factum ab *Abiathar* summo sacerdote conspirante [3] cum Adonia contra Salomonem. Alioquin omni alio casu, etiam maxime dubio an verbis legis comprehenderetur, nec ne; immo etsi expresse constaret non comprehendi, dummodo tamen constaret manifeste non contrariari; censebantur sacerdotes judicare *juxta legem Dei:* quia lege divina, ut supra dixi, potestas ipsis facta erat omnia controversa ad se delata dijudicandi; ad quod præsidio illis erant leges cælitus acceptæ, totoque Pentateucho comprehensæ, sed non nisi casibus ibidem expressis: in aliis vero ibidem non expressis debebant consulendo Deum, vel invicem conferendo, vel pluralitate suffragiorum, vel alia commodiore via sententiam curare; cui omnes omnino parere hic jubentur, non minus his posterioribus casibus lege non comprehensis, quam prioribus in lege expressis.

Ex quibus omnibus patet, quam procul a divina lege devient, qui supremum judicem omnium controversiarum etiam fidei, et interpretem S. Scripturæ conan-

(2) Hic vv. 18 et 19. (3) 3 Reg. 1 et 2.

rint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te

11. Juxta legem ejus: sequerisque sententiam eorum; nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram.

12. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel:

13. Cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.

14. Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illa, et dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes:

15. Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.

16. Cumque fuerit constitutus, [1] non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus, præsertim cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini.

17. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti et auri immensa pondera.

18. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus,

19. Et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et cerimonias ejus, quæ in lege præcepta sunt.

20. Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, et filii ejus, super Israel.

tur nobis obtrudere vel principem politicum, vel magistratum civilem, ut Anglo-Calvinistæ et Arminiani: vel privatum spiritum cujusque, etiam plebeji, ut Puritani, Gommaristæ, et alii hæretici.

(1) " Vers. 16. *Non multiplicabit sibi equos*, non quod Deus omnem omnino equorum usum Hebræis interdixerit, sed ne iis uterentur in bello, quemadmodum Ægyptii, aliæque gentes. Vide Sherlockium diss. 4, tom. 2, pag. 289 seq., et Anonymi, qui Sherlockium defendit, dissertationem tom. 1 ejusdem Sherlockii p. 118 seq.

CAPUT XVIII.

Non vult sacerdotes aut Levitas, ullam portionem hereditariam habere in divisione terræ Chanaan, sed victimis, decimis et oblationibus contentos esse. Vetat consuli divinos aut maleficos: sed Prophetas audiri jubet.

1. Non [1] habebunt sacerdotes et Levitæ, et omnes qui de eadem tribu sunt, partem et hereditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini, et oblationes ejus comedent,

2. Et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum: Dominus enim ipse est hereditas eorum, sicut locutus est illis.

3. Hoc erit judicium sacerdotum a populo, et ab his qui offerunt victimas: sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum ac ventriculum:

4. [2] Primitias frumenti, vini, et

(1) Num. 18, vv. 20, 23; Sup. 10, vers. 9; 1 ad Cor. 9, vers. 13.

(2) Num. 18, vers. 11.

olei, et lanarum partem ex ovium tonsione.

5. Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, ut stet, et ministret nomini Domini ipse, et filii ejus in sempiternum.

6. Si exierit Levites ex una urbium tuarum ex omni Israel in qua habitat, et voluerit venire, desiderans locum quem elegerit Dominus,

7. Ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitæ, qui stabunt eo tempore coram Domino.

8. Partem ciborum eamdem accipiet, quam et ceteri: excepto eo, quod in urbe sua ex paterna ei successione debetur.

9. Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium;

10. Nec inveniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: [1] aut qui ariolos sciscitetur et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus,

11. Nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, [2] aut quærat a mortuis veritatem;

12. Omnia enim hæc abominatur Dominus, et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo:

13. Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo.

14. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt: tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es.

15. [3] PROPHETAM de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies,

16. Ut petisti a Domino Deo tuo [4]

℣. 11. *Pythones, divinos, ariolos*, etc. — Possunt hi, si velis, sic distingui, ut *python* sit qui dæmonem in se inhabitantem et e ventris specu exili voce responsantem habet. *Divinus*, qui dæmonem quoque in se inhabitantem habet, sed ex ore et per linguam clara voce loquentem: qua ratione phœbades olim entheatæ et a maligno spiritu in furorem actæ responsa dabant. *Ariolus* vero, qui dæmonem non inhabitantem, sed extrinsecus assistentem consulit, vel ex aliis rerum superstitiosis notis aut conjecturis res futuras conjectat, v. g. ex horoscopi inspectione, lauri crepitu, manuum lineamentis, vel similibus divinans. De his et aliis vide Plinium, Julium Obsequentem, et similes a Delrione [5] citatos. An tamen licita sit aliqua alterius generis divinatio, et qualis, dixi Gen. 40 et 44.

℣. 15. *Prophetam de gente tua*, etc. *sicut me, suscitabit tibi Dominus* — Loquitur non de solo Christo (ut Eusebius vult et Strabus, et Cajetanus, et Josephus Acosta [6]), neque de solo Josue ad litteram, et allegorice de Christo (ut exponunt Vatablus et Emanuel Sa): sed ad litteram de omnibus Prophetis qui Moysen consecuti sunt, simul et de Christo: præcipue tamen ac primario de Christo. Ita S. August. [7], Lyranus, Abulensis, Oleaster et alii. Nam scopus tam Dei, quam Moysis hoc loco est, inculcare Judæis, nihil necesse esse consulere divinos vel augures, quia nempe numquam defuturi sunt illis veri Prophetæ, quos urgente necessitate consulere possint: et suo tempore affuturus quoque illis Prophetarum princeps Christus, a quo quidquid optare possint, clare et aperte rescisCent. Ita de Christo hunc quoque locum exponit Petrus Actorum 3, v. 22 et alii [8] alibi. Dicitur autem hic Propheta futurus similis Moysi, non omnimoda similitudine, quia *non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses*, Deut. ult. v. 10. Et Christus longe Moysi præcelluit. Sed magna tamen similitudine similes dici possunt omnes fuisse Moysi: in eo nempe quod divinam voluntatem et imperia populo aperuerint, et interpretati sint. Christus insuper, quod, sicut Moyses

(1) Lev. 20, vers. 27. (2) 1 Reg. 28, vers. 7.
(3) Joan. 1, vers. 45; Act. 3, vers. 22.
(4) Exod. 20, vers. 21. (5) De Magia.
(6) Euseb. Cæsar. l. 3 de Demonstr., c. 2, et l. 9, c. 11; Acosta l. 3 de Christo revelato.
(7) Lib. 16 contra Faustum, c. 15 et alibi.
(8) Philippus Nathanaeli; Joan. 1, vers. 45, et Judæi, Joan. 6, vers. 14, et ipse Christus, Joan. 5, vers. 46.

in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.

17. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti.

18. [1] Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: et ponam verba mea in ore ejus, loquetur que ad eos omnia quæ præcepero illi:

19. Qui autem verba ejus, quæ loquetur, in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.

20. Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur.

21. Quod si tacita cogitatione responderis: Quo modo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus?

22. Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit: hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit: et idcirco non timebis eum.

Israelitas ex servitute Ægyptiaca, per mare Rubrum submersis Ægyptiis traduxit ad terram sanctam: dedit illis legem in Sinai, pavit in deserto manna cælesti, et aqua de petra: et tot patravit stupenda miracula: denique debellavit hostes illorum Moabitas, Chananæos, etc. ita Christus mundum a servitute diaboli, per lavacrum baptismi deletis peccatis traduxit in cælum: dedit novam legem Evangelicam, sanxitque innumeris miraculis: pascit suos suomet corpore et sanguine: debellat omnes hostes salutis nostræ, etc. Neque, ut Propheta Christus nominetur, obstat quod nulla fuerit in eo cognitio *obscura*, uti in ordinariis Prophetis, quia hæc obscuritas non est de essentia *Prophetæ* aut *prophetiæ*: sufficit enim futurorum prænotio et prædictio. Ita Suarez et alii [2].

℣. 22. *Hoc habebis signum* etc. *quod non evenerit: hoc Dominus non est locutus* — Et hoc quidem extra dubium est, et infallibile signum pseudoprophetæ. Sed quid si evenerit quod prædixit? tum ad alia signa confugiendum, v. g. Si ad idololatriam pelliciat, ut supra initio c. 13, aut alia ratione conetur a Deo vel lege Dei homines avertere, certum signum habes fictæ vel diabolicæ prædictionis. Quod si nil tale ex verbis Prophetæ possis elicere; tum vel ex aliis miraculis, vel ex patefactione secretorum cordis, vel ex sanctimonia vitæ, vel ex præcedentium prophetiarum eventu, vel ex testimonio aliorum qui vitæ sanctitate, scientiaque et spirituum discretione præstant, argumenta veræ vel falsæ prophetiæ petenda sunt. Si nihil horum omnium sufficienter rem elucidare possit, suspende fidem, eventum exspecta prophetiæ, et Deo omnia committe, qui numquam patietur fraudem si quæ subsit, diu latere.

(1) Joan. 1, vers. 45.

(2) Sed multis hanc Tirini explanationem refellit Sherlockius tom. 2 *Usus et finium prophetiæ*, pag. 47 seqq., ostenditque de solo Christo hoc Mosis oraculum intelligi posse.

CAPUT XIX.

Jubet designari in Chanaanitide tres urbes refugii, in asylum homicidæ involuntario: quibus tres alias, crescente populo, vult adjici. Homicidam voluntarium jubet ex asylo extrahi et occidi. Falso testi pœnam talionis decernit.

1. Cum disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram, et possederis eam habitaverisque in urbibus ejus et in ædibus:

2. [1] Tres civitates separabis tibi in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem,

(1) Num. 35, vers. 11; Jos. 20, vers. 2.

3. Sternens diligenter viam : et in tres æqualiter partes totam terræ tuæ provinciam divides : ut habeat e vicino qui propter homicidium profugus est, quo possit evadere.

4. Hæc erit lex homicidæ fugientis, cujus vita servanda est : Qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri et nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur :

5. Sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, et in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, et occiderit : hic ad unam supradictarum urbium confugiet et vivet :

6. Ne forsitan proximus ejus, cujus effusus est sanguis, dolore stimulatus, persequatur, et apprehendat eum si longior via fuerit, et percutiat animam ejus, qui non est reus mortis : quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur.

7. Idcirco præcipio tibi, ut tres civitates æqualis inter se spatii dividas.

8. [1] Cum autem dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut juravit patribus tuis, et dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus est,

9. (Si tamen custodieris mandata ejus, et feceris quæ hodie præcipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus omni tempore) addes tibi tres alias civitates, et supradictarum trium urbium numerum duplicabis ;

10. Ut non effundatur sanguis innoxius in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus.

11. [2] Si quis autem odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus,

12. Mittent seniores civitatis illius, et arripient eum de loco effu-

℣. 9. *Addes tres alias civitates* — Jam ante eis Jordanem designatæ erant a Moyse tres civitates refugii *Bosor, Ramoth* et *Golan* Deuteron. 4, v. 43, hic initio capitis jubentur Judæi tres quoque trans Jordanem designare, scilicet intra limites Chananææ, postquam expulsis hostibus illam obtinuerint. Præter has sex urbes jubentur hic v. 9, tres iterum alias designare, non intra, sed extra terminos Chananææ, nempe si contingat usque ad *Euphratem* habitationem Judæorum (ut ipsis et patribus promissum erat) extendi.

Dices, Numquam fuerunt novem urbes refugii. Respondeo, Neque umquam fuit habitatio Judæorum usque ad Euphraten extensa. Nam licet sub Davide et Salomone, cum longissime imperarunt, fuerint eæ regiones Judæis vectigales, non tamen ab ipsis insessæ aut inhabitatæ, quo solo casu designandæ ibi erant et servire poterant urbes refugii. Promissio autem divina de finibus Judæorum eo usque extendendis non absoluta, sed solum conditionata fuerat, ut hic dicitur v. 9, scilicet si legem et mandata divina servarent. Quam conditionem ipsis non servantibus, non tenebatur etiam Deus fines illorum usque eo protendere.

℣. 12. *Mittent seniores* seu magistratas *civitatis illius* — non civitatis refugii, sed *occisi*, seu ejus cui versu præcedente dicuntur structæ insidiæ, ut notat Cajetanus. Debebant enim magistratus loci, in quo cædes patrata fuerat, argumenta et indicia saltem probabilia culpæ admissæ ad judices urbis refugii mittere : quæ si justa comperirentur, tradebatur homicida prioribus magistratibus, a quibus deinde causa discutiebatur ; et veritate comperta, si mero casu homicidium patratum constabat, ad civitatem refugii tuto remittebatur reus, ut dixi Num. 35, sin studio factum, proximo plectendus dabatur. Atque ita, *innoxius sanguis* occisi *auferebatur de Israel*, hoc est, culpa et reatus cædis innocentis justa homicidæ morte tollebatur ab humeris universi populi : nam reatus criminis tam scelesti tamdiu adhæret populo, quamdiu crimen impunitum manet.

(1) Gen. 28, v. 14; Ex. 34, v. 24; Sup. 12, v 20.

(2) Num. 35, vers. 20.

gii, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, et morietur.

13. Non misereberis ejus, et auferes innoxium sanguinem de Israel, ut bene sit tibi.

14. Non assumes, et transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra, quam acceperis possidendam.

15. [1] Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.

16. Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis,

17. Stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum et judicum qui fuerint in diebus illis.

18. [2] Cumque diligentissime perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium:

19. Reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui:

20. Ut audientes ceteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere.

21. Non misereberis ejus, [3] sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

(1) Sup. 17, vers. 6; Matth. 18, vers. 16; 2 ad Cor. 13, vers. 1. (2) Dan. 13, vers. 62. (3) Exod. 21, vv. 23, 24; Levit. 34, vers. 20; Matth. 5, vers. 38.

CAPUT XX.

Jubet e castris tempore belli domum remitti novos ædificatores, vinitores, sponsos et pavidos: in urbe bello capta, masculos occidi, infantibus parci; sed in Chanaanitide, omnes etiam infantes et femellas occidi: arbores hostiles infrugiferas excindi, frugiferis parci.

1. Si exieris ab bellum contra hostes tuos, et videris equitatus et currus, et majorem quam tu habeas adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti.

2. Appropinquante autem jam prælio, stabit sacerdos ante aciem, et sic loquetur ad populum:

3. Audi, Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis; non pertimescat cor vestrum; nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos:

4. Quia Dominus Deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.

5. Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt: [1] Quis est homo qui ædificavit domum novam, et non dedicavit eam? vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius dedicet eam.

℣. 5. *Non dedicavit* -- Hebraice, *non initiavit* domum, scilicet eam inhabitando. Dedicari enim res dicitur, quando cum solemni aliquo ritu, vel convivio, rei usus inchoatur. Tribus hic hominum generibus ex legis præscripto, priusquam belli duces *cuneos præparent*, hoc est, ordines ad prælium disponant, edici jubetur ut domum revertantur. Primum, eorum qui *novam sibi domum ædificarant*, necdum tamen eam incoluerant. Josephus [2] vult anni unius inhabitationem præscri-

(1) 1 Mach. 3, vers. 56. (2) Lib. 4 Antiq., cap. 8.

6. Quis est homo qui plantavit vineam, et necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo ejus fungatur officio.

7. Quis est homo qui despondit uxorem, et non accepit eam? vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo accipiat eam.

8. His dictis addent reliqua, et loquentur ad populum: [1] Quis est homo formidolosus, et corde pavido? vadat, et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.

9. Cumque siluerint duces exercitus, et finem loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit.

10. Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem.

11. Si receperit, et aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, et serviet tibi sub tributo.

12. Sin autem fœdus inire noluerit, et cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.

13. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladii,

14. Absque mulieribus et infantibus, jumentis, et ceteris quæ in civitate sunt. Omnem prædam exercitui divides, et comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.

15. Sic facies cunctis civitatibus, quæ a te procul valde sunt, et non sunt de his urbibus, quas in possessionem accepturus es.

16. De his autem civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere:

17. Sed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet, et Amorrhæum, et Chananæum, Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus:

18. Ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis: et peccetis in Dominum Deum vestrum.

19. Quando obsederis civitatem multo tempore, et munitionibus circumdederis ut expugnes eam, non succides arbores de quibus vesci potest, nec securibus per circuitum debes vastare regionem: quoniam lignum est, et non homo, nec po-

ptam fuisse, qua scilicet jam expleta censeatur vehementior cupiditas. Secundum, eorum *qui vineam plantarant*, necdum tamen fecerant eam *communem*, hoc est profanam, seu quæ profanis usibus servire posset, quod anno demum quinto fiebat. Nam et vitis et cujusvis alterius arboris fructus trium primorum annorum, tamquam præmaturos et insalubres abjicere jubebantur Hebræi, Lev. 19; fructus vero quarti anni Deo primitiarum nomine consecrare debebant, ut ibidem decernitur. Ergo quinto demum anno communes fiebant domino et familiæ, et ad profanum esum usumque transibant. Tertium genus erat eorum *qui sibi uxores desponderant*, et necdum eas domum duxerant, necdum nuptias celebrarant, quibus et anni integri induciæ conceduntur infra cap. 24, vers. 5. Causas hujus legis, ob quas triplex istud hominum genus castris abire jubeatur, duas assignat Philo et Josephus[2]. Una est, quia iniquum videbatur non permitti e propriis seu ædibus, seu vinea, seu uxore fructum saltem aliquem percipere. Altera, ne desiderio rerum adeo expetitarum, remissius agerent in prælio, sibique parcentes, vel etiam fugam capessentes, aliis et scandalo essent et damno. Eadem de causa jubentur hic v. 8 etiam e castris facessere quicumque *formidolosi* essent et *pavido corde*. Praxin hujus legis habes in Juda Machabæo, 1 Mach. 3, v. 56.

(1) Judic. 7, vers. 3.

(2) Philo lib. de Fortitudine; Joseph. sup.

test bellantium contra te augere numerum.

20. Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, et in ceteros apta usus, succide, et instrue machinas, donec capias civitatem, quæ contra te dimicat.

CAPUT XXI.

Homicidium occultum quo ritu expiandum. Femina captiva, quibus legibus in uxorem sumenda. Filius odiosæ uxoris, si fuerit primogenitus, ne jure primogeniti privetur. Filius contumax lapidetur. Cadavera suspensorum sepeliantur eodem die.

1. Quando inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadaver occisi, et ignorabitur cædis reus,

2. Egredientur majores natu, et judices tui, et metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum:

3. Et quam viciniorem ceteris esse perspexerint, seniores civitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum, nec terram, scidit vomere,

4. Et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem recepit: et cædent in ea cervices vitulæ:

5. Accedentque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei, et benedicant in nomine ejus, et ad verbum eorum, omne negotium, et quidquid mundum, vel immundum est judicetur.

6. Et venient majores natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntque manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est,

7. Et dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt;

8. Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti, Domine, et ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis:

9. Tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cum feceris quod præcepit Dominus.

10. Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captivosque duxeris,

11. Et videris in numero captivorum mulierem pulcram, et ada-

℣. 5. *Accedentque sacerdotes* — ejusdem urbis incolæ. Jubet ergo Deus, si patrata fuerit in agro cædes ignoto auctore, post sedulam inquisitionem (etiam indici præmiis propositis, inquit Josephus [1]), magistratum vicinioris urbis tam sacrum, quam politicum, cæsa vitula, fractaque ejus cervice, quasi umbratile supplicium de homicida sumere; quale nimirum de ipsomet, si reperiri posset, revera sumerent: simulque lavare manus super cæsa vitula, et hac cæremonia protestari sese innoxios esse, et auctoris ignaros. Addit Abulensis, sed *parergos*, id ideo quoque jussum, ut auctor sceleris, si forsan adesset, hac via proderetur, puta naturali sanguinis antipathia, qua fit ut propinquante homicida, vulnera cadaveris vel ossa, etiam post plures dies sanguinem exsudent, Deo sceleris auctorem tali signo subinde prodente: ut aliis quoque mirabilibus signis etiam apud Gentiles prodidisse, pluribus exemplis probant Cicero, Plutarchus et Ælianus [2].

(1) Supra.

(2) Cicero lib. 1 de Divinat.; Plutarch. de Numinis vindicta; Ælianus lib. 13.

maveris eam, voluerisque habere uxorem,

12. Introduces eam in domum tuam: quæ radet cæsariem, et circumcidet ungues,

13. Et deponet vestem, in qua capta est: sedensque in domo tua, flebit patrem et matrem suam uno mense: et postea intrabis ad eam, dormiesque cum illa, et erit uxor tua.

14. Si autem postea non sederit animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia, nec opprimere per potentiam: quia humiliasti eam.

15. Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosæ primogenitus,

16. Voluerit que substantiam inter filios suos dividere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, et præferre filio odiosæ:

17. [1] Sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum ejus, et huic debentur primogenita.

18. Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, et coercitus obedire contempserit:

19. Apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii,

20. Dicentque ad eos: Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis:

21. Lapidibus eum obruet populus civitatis: et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat,

22. Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, et adjudica-

℣. 12. *Radet cæsariem, circumcidet ungues, et* mutabit *vestem* — His cæremoniis captiva puella, et Judaicam religionem complecti parata, priusquam marito Judæo jungeretur, permittitur lugere toto mense mortem parentum suorum in bello occisorum. Licet enim Judæis ejusmodi luctus genus in more non fuerit, fuit tamen plurimis gentibus, et verisimiliter etiam his Judææ vicinis. Radere etiam uxorum et filiarum caput in luctu celebriore funebri, variis variarum gentium regulis in more fuisse testis est, Svetonius [2] in morte Germanici. Idem Græcos actitasse docet Plutarchus; Persas Curtius; Romanos quoque Propertius, Seneca, Virgilius et Ovidius [3]. Resectionem unguium nusquam legi in funebri luctu usurpatam: in alio luctu et gravi calamitate, v. g. in naufragio, usurpari solitam testes sunt Juvenalis, Propertius, et Petronius Arbiter [4]. Et quid vetat quemadmodum modo Sinenses ungues prolixos ingenuitatis nobilitatisque indicium amant, ita et olim alios fuisse tales, qui proinde resectionem eorumdem unguium in funere carorum, tamquam extremi doloris indicium adhibere consueverint? Saltem constat, id ejusmodi puellis Gentilibus patrio et gentilitio ritu, priusquam ad Judæorum mores et religionem transirent, in funere parentum hic permitti. De vestium mutatione nihil attinet dicere, cum omnium fere gentium mos semper fuerit, peculiares in funeribus vestes assumere. Sinenses [5], et, ni fallor, etiam Ægyptii, albati lugent hoc tempore, ut olim Romanæ matronæ. Sed aliis fere omnibus gentibus pullus color sive olim, sive modo magis in luctu placet.

Nota, præter circumcisionem maribus necessariam, et alias supradictas cæremonias, debuisse quoque tam feminas, quam mares, quotquot e gentilitate in Judæorum religionem transibant, baptizari, seu toto corpore ablui, et holocausti insuper victimam Deo offerre. Ita Rabbini a Serario citati [6].

(1) 1 Par. 5, vers. 1.
(2) In Caligula, cap. 5.
(3) Plut. in Problem., c. 13; Curtius l. 10 in Alex. morte; Proper. l. 1, eleg. 17; Seneca in Phœdra, actu 5; Virg. Æneidos l. 9; Ovid. l. 3 Metamorphoseon.
(4) Juvenal. satyra 12; Petronius in Satyrico.
(5) Trigant. in hist. Sinensi.
(6) In cap. 1 Ruth fine.

tus morti appensus fuerit in patibulo:

23. Non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia [1] maledictus a Deo est qui pendet in ligno: et nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.

℣. 23. *Maledictus a Deo* — Hebraice est, *maledictio Dei* vel *maledictum* est *suspensus* in patibulo, idque vel in cruce, vel in furca, vel ex trabe aut quovis alio palo. Nam omne suspendii genus, etiam patibularis quæ fune fit strangulatio, non minus apud Judæos quam apud Romanos, extremæ erat infamiæ et probri, cunctis exosum et execrabile. Testes Seneca, Livius, Lactantius, Philo, Josephus [2], et S. Scriptura pluribus locis [3]. Vide Lipsium et Gretserum de Cruce. Ratio infamiæ videtur fuisse, quod qui suspenditur in altum, quodammodo judicetur indignus qui terram pedibus premat, aut sanguine suo contaminet, atque ita quasi toto mundo extruditur et eliminatur. Quare et Christus, ut maxime se abjiceret, vilissimumque mortis genus subiret, crucem delegit: unde et ab Apostolo [4] dicitur factus pro nobis *maledictum*, juxta sensum hujus loci.

(1) Ad Gal. 3, vers. 13.
(2) Seneca epist. 101; Livius l. 14; Lactantius l. 4, c. 26; Philo l. de Mundo et de Specialib. legibus; Joseph. supr.
(3) Hic, et Sap. 2, vers. 20, et ad Galat. 3, v. 13; Lipsius l. 3 de Cruce, c. 7; Gretserus l. 1, c. 60.
(4) Ad Gal. 3, vers. 13.

CAPUT XXII.

Misericordia etiam in bestias exercenda. Pœnæ falsi accusatoris, adulteri, et adulteræ, etiam sponsæ; et constupratoris virginis.

1. Non [1] videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et præteribis: sed reduces fratri tuo,

2. Etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum: duces in domum tuam, et erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, et recipiat.

3. Similiter facies de asino, et de vestimento, et de omni re fratris tui, quæ perierit: si inveneris eam, ne negligas quasi alienam.

4. Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo.

5. Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc.

6. Si ambulans per viam, in ar-

℣. 5. *Non induetur mulier veste virili* — neque contra. Tum ut nequitiis ansa præcidatur: tum ut decentiæ consulatur: nam, teste Philone [3], ut insigne dedecus est masculo sexui, seu habitu capitis, seu vestitu, seu molli fractoque incessu, seu aliis effeminatis moribus ad femineum quasi sexum se abjicere: ita dedecet etiam femineum sexum, si plus æquo virilis appareat. Vide de his etiam Senecam, Clementem Alexandrinum, et Salvianum [3]. Et hoc nomine pessime audierunt Sardanapalus apud Diodorum Siculum, Cajus Caligula apud Svetonium, Dinocrates Messenius apud Volaterranum, Clisthenes et alii apud alios. Excipe tamen casum necessitatis, vel alias similes justas et graves causas, v. g. in Joanna quæ virili habitu et armata Anglos Gallia expulit. Sic Theodora [4] virgo Antiochena, et altera Corinthiaca [5], lupanar veste virili evaserunt: Eugenia, Euphrosyna, Apollinaris, Pelagia, Antonina, Theodora, Athanasia, Susanna,

(1) Exod. 23, vers. 4.
(2) Lib. de Fortitudine et de Special. leg.
(3) Seneca controvers. 1; Clem. Pædagog. l. 3, c. 3; Salvian. l. 7 de Vero judicio et Provid. Dei.
(4) Ambr. l. 2 de Virgin.
(5) Palladius in Lausiaca hist., c. 149.

bore vel in terra nidum avis inveneris, et matrem pullis vel ovis desuper incubantem: non tenebis eam cum filiis,

7. Sed abire patieris, captos tenens filios: ut bene sit tibi, et longo vivas tempore.

8. Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum: ne effundatur sanguis in domo tua, et sis reus, labente alio et in præceps ruente.

9. Non seres vineam tuam altero semine: ne et sementis quam sevisti, et quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur.

10. Non arabis in bove simul et asino.

11. Non induēris vestimento, quod ex lana linoque contextum est.

12. [1] Funiculos in fimbriis faciès per quatuor angulos pallii tui, quo operieris.

13. Si duxerit vir uxorem, et postea odio habuerit eam,

14. Quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, objiciens ei nomen pessimum, et dixerit: Uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inveni virginem:

15. Tollent eam pater et mater ejus, et ferent secum signa virginitatis ejus ad seniores urbis qui in porta sunt:

16. Et dicet pater: Filiam meam

Anastasia Patricia, Poppula [2], Jachelina [3], Hildegundis [4], quæ instinctu Spiritus sancti virginitatis tutandæ causa se claustris cœnobiorum virili habitu incluserunt, quod deessent tunc mulierum cœnobia in quibus occultari possent. Quo defectu jam cessante, facinus istiusmodi probrosum prorsus et illicitum est.

℣. 8. *Facies murum tecti per circuitum* — LXX facies *coronam solario tuo.* Omnis enim limbus prominens, in Scripturis *corona* vocatur, etsi non rotundæ, sed quadratæ vel alterius figuræ sit.

Nota, solitos Judæos, et reliquos Orientales tecta domorum suarum non supina ad morem nostratem erigere, sed fere plana constituere, in iisque solaria ad deambulandum et auram captandam habere. Quocirca ne quis inambulans per imprudentiam e sublimi loco decideret, jubentur hic addere circumcirca *peribolum septum,* quo lapsus impediretur, quod noster hic Interpres vocat *murum tecti.* Vide 4 Reg. 1, v. 2.

℣. 9. *Ne sanctificentur* — Hoc est, ne polluantur, ut vertit Chaldæus; utrumque enim contrariorum significat Hebræum *cadasch* [5]. Polluere autem significat *contaminare* non solum *contaminatione legali*, sed etiam *physica*, quod est *corrumpere* et *perdere.* Sic Latine quoque sicut *sanctum* et *sacrum* sumitur subinde antiphrastice pro *re de-*

testanda, et *perdita;* potest etiam et solet *sanctificari* et *sacrari* simili modo usurpari pro *perdi* et *inutile reddi*, a quo perinde abstineatur propter physicam corruptionem, atque abstinetur a re Deo consecrata propter moralem ab usu profano separationem. Sensus ergo est, cavete ne vites et fruges in uno eodemque fundo mixtim conseratis, ne utrumque tam racemi, quam sementis pereant, seu naturaliter, dum unum alterum impedit et suffocat, aut etiam succo terræ exhausto interimit: seu divinitus, Deo vos propter vestram avaritiam et legis hujus transgressionem puniente; ita Joseph. [6].

℣. 15. *Signa virginitatis* — Quænam hæc sint, explicatur v. 17, nempe *vestimenta* vel linteamina, in quibus concubuerunt novi conjuges, tincta sanguine rupti hymenis seu uteri virginalis. De quo vide Franciscum Valesium [7]. Quo solo signo voluit Deus falsitatis convinci maritum, pudicitiæ conjugis ante nuptias perditæ injustum accusatorem. Secundo, jubet eumdem *verberari*, nempe more Judæorum, inflictis quadraginta uno minus flagellorum ictibus: ut explicat Josephus. Tertio, pro mulcta pendere socero suo centum siclos argenti, seu florenos Belgicos [8]. Quarto, vult eum vel invitum uxorem illam retinere in conjugio: uxori tamen eo casu liberum erat vel recedere, vel remanere, inquit Philo [9].

(1) Num. 15, v. 38. (2) Apud Greg. Turonens. (3) Apud Thom. de Cantiprato in l. Apum. (4) Raderus in Viridario SS., p. 1.

(5) כרש. (6) Supra. (7) De Sacra philosoph., cap. 25. (8) Proleg. de Pond. (9) De Special. legib.

dedi huic uxorem: quam quia odit,

17. Imponit ei nomen pessimum, ut dicat: Non inveni filiam tuam virginem: et ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram senioribus civitatis:

18. Apprehendentque senes urbis illius virum, et verberabunt illum,

19. Condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ: quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel: habebitque eam uxorem, et non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ.

20. Quod si verum est quod objicit, et non est in puella inventa virginitas:

21. Ejicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis illius, et morietur: quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui: et auferes malum de medio tui.

22. [1] Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, adulter et adultera: et auferes malum de Israel.

23. Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum ea,

24. Educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur: puella, quia non clamavit, cum esset in civitate: vir, quia humiliavit uxorem proximi sui; et auferes malum de medio tui.

25. Sin autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, et apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus:

26. Puella nihil patietur, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam ejus, ita et puella perpessa est:

27. Sola erat in agro: clamavit et nullus affuit qui liberaret eam.

28. Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum illa, et res ad judicium venerit:

29. [2] Dabit qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, et habebit eam uxorem, quia humiliavit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.

30. Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit operimentum ejus.

(1) Lev. 20, vers. 10. (2) Exod. 22, vers. 16.

CAPUT XXIII.

Eunuchus, Ammonites et Moabites æternum arcentur ab ecclesia Dei: Idumæus et Ægyptius usque ad tertiam generationem: mamzer usque ad decimam. Jubet castra munda servari a sordibus. Vetat scortationem et fœnus. Votum sine mora solvi jubet.

1. Non intrabit eunuchus, attritis vel amputatis testiculis et abscisso veretro, ecclesiam Domini.

2. Non ingredietur mamzer, hoc

℣. 1. *Non intrabit ecclesiam Domini* — Per *ecclesiam* hic non intelligitur religio Judaica, aut locus tabernaculi vel templi, quia ad hæc patebat statim aditus cuivis alienigenæ dummodo circumcisus esset, et proselytus: sed *jus civium* seu populi Israelitici. Sicut enim apud Romanos maximi fiebat *jus civium*, quo speciali gratia subinde exteri donabantur, atque ita capaces fiebant munerum et dignitatum publicarum perinde atque si Romæ nati fuissent: ita voluit Deus etiam apud Judæos esse peculiaria jura et privilegia civium Judæorum, quibus alie-

est, de scorto natus, in ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem.

3. [1] Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini, in æternum:

4. Quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via quando egressi estis de Ægypto: et [2] quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, ut malediceret tibi:

5. Et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem ejus in benedictionem tuam, eo quod diligeret te.

6. Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.

7. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est: nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus.

8. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in ecclesiam Domini.

9. Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala.

10. Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra,

11. Et non revertetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua: et post solis occasum regredietur in castra.

12. Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ,

13. Gerens paxillum in balteo; cumque sederis, fodies per circuitum, et egesta humo operies

14. Quo relevatus es (Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, et tradat tibi inimicos tuos) et sint castra tua sancta; et nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.

15. Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit;

16. Habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, et in una urbium tuarum requiescet: ne contristes eum.

17. Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel.

nigenæ subinde donari quidem possent, sed certis tantum casibus; ac tum perinde accensebantur illi Judæis, ac si ex illis aut patriarchis oriundi fuissent, atque adeo instar reliquorum civium adibant hereditatem et possessionem agrorum in terra sancta, et capaces erant omnium munerum publicorum ac dignitatum. Et quidem *Idumæi*, propter consanguinitatem, utpote ex eodem communi cum ipsis parente Isaaco prognati: item *Ægyptii*, propter peculiaria beneficia olim Israelitis collata, permittuntur *tertia generatione* [3] a suscepta religione Judaica, hoc modo adscribi populo Dei. *De scorto* publico *nati* alienigenæ (de quibus solis hic agitur) quia etiam apud suos hoc nomine viles et contemptibiles esse solent, non nisi post longum tempus, abolita jam macula et infamia, nempe post *decimam* demum *generationem* [4], adscribi permittuntur. *Moabitæ* et *Ammonitæ*, propter frequentia maleficia, et eamdem verisimiliter ob causam Amalecitæ quoque, et omnes Chananæi, numquam [5] adscribi potuerunt: uti neque *eunuchi* [6], quocumque demum casu virilitatem exuissent. Sed et hoc ad alienigenas solos spectabat. Nam Judæis, licet omnis ipsis castratio seu hominum, seu animantium vetita esset, teste Josepho [7], si quo tamen casu vel a natura, vel a latrone aut tyranno castrari contigisset, id fraudi non erat.

Intellige vero prædicta cum hac exceptione, nisi tam præclara essent alicujus alienigenæ merita, ut populo Dei adcensendus jure videri posset. Sic contigit Rahab meretrici, Josue 6, et Achior Ammonitæ, Judith 14, et aliis qui subinde jura civium adepti sunt.

℣. 17. *Non erit meretrix, nec scortator* — Puta publici, seu auctoritate publica constituti aut permissi, quæstus

(1) Nehem. 13, vers. 1.
(2) Num. 22, vers. 5; Jos. 24, vers. 9.
(3) Hic vv. 7 et 8. (4) Vers. 2.
(5) Vers. 3. (6) Vers. 1. (7) Supr. l. 4, c. 8.

18. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis, in domo Domini Dei tui, quidquid illud est quod voveris: quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum.

19. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem:

20. Sed alieno. Fratri autem tuo absque usura, id quod indiget, commodabis: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam ingredieris possidendam.

21. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.

22. Si nolueris polliceri, absque peccato eris.

23. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore tuo locutus es.

24. Ingressus vineam proximi tui comede uvas quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas tecum.

25. Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, et manu conteres: falce autem non metes.

gratia, corpora sua vulgantes. Alioquin ex *matre Jephte* [1], et illis *apud Salomonem* [2] *litigantibus*, et aliis Scripturæ locis [3] sat constat, non defuisse privatas apud Judæos meretrices et scortatores. Nisi cum Procopio, Theodoreto, Serario [4] et Bonfrerio dicere malis, hic solum vetari Judæis, ne in honorem Dei, ut solebant Gentiles in honorem idolorum, evulgent sua corpora. Neque ex *mercede prostibuli*, id est, pretio meretricis occultæ, vel saltem in prostibulo delitescentis, neque ex *pretio canis*, id est, ex canina seu publica, et in propatulo scortatione collecto [5], quidquam offerant Deo, aut ad offerendum coemant victimam. Nam et hoc apud Gentiles ex ejusmodi sordibus factitari solitum patet ex Baruch et Michæa prophetis, Herodoto, Strabone, Athenæo, Clemente Alexandrino, Augustino, Athanasio et Villalpando [6]. Et ad Judæos quoque dimanasse ejusmodi tum puellarum, tum puellorum prostibula, colligitur ex 3 Reg. 14, v. 24, et 4 Reg. 23, v. 7, et 2 Mach. 4, v. 12. Et vero, si Severus Imperator indecorum putavit tributa quæ ex meretricio quæstu colligebantur, in sacrum ærarium inferri; quanto magis probrosum sit ea Deo offerri?

v. 19. *Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno* — Hoc ex privilegiis civium Judaicorum unum erat, quod indigentibus illis mutuum gratuito donandum esset sine usura: ab aliis vero non civibus, etsi proselyti essent, etiam usuras accipere possent Judæi. Licet enim jure naturæ sit illicita usura, utpote quæ ex re per se infrugifera, et sub alterius dominio existente lucrum quærit et colligit: Deo tamen potestate supremi dominii sui supercrescens fœnus largiente Judæis, factum ut id licite accipere possent ab alienigenis: eodem modo, quo volente Deo licuit Judæis Ægyptum spoliare: licuit libellum repudii dare: licuit plures simul uxores habere. Quæ omnia alioqui repugnant juri naturæ, concessa tamen Judæis a Deo ob duritiem cordis eorum, ne, ut erant lucro nimis inhiantes, extorquerent fœnus etiam a fratribus suis Judæis. Qua concessione jam cessante, et sublatis omnibus Synagogæ privilegiis, imo extincta sepultaque Synagoga, manent quoque jure naturæ prorsus illicitæ omnibusque vetitæ usuræ. Quod addo propter modernos Judæos perpetuos usurarios, et Calvinum, qui permittit fœnus a divitibus exigi. Quam vero semper id detestata sit natura, docent exempla pene omnium nationum, etiam Gentilium, quæ strictissimis legibus usuras omni tempore [7] vetuerunt.

(1) Judic. 11. (2) 3 Reg 3.
(3) Lev. 21, vv. 7 et 14, et Josepho supr.
(4) In cap. 2 Josue.
(5) De veri canis pretio hæc tamen non improbabiliter accipias, ut pridem contendit Bochartus *de Animal.* part. 2, lib. 2, c. 56, et contra Clericum ostendit Gilletus *in 4 Ant. Jud. l. udn.* 4.
(6) Baruch 6, vers. 43; Michææ lib. 7; Herod. lib. 1 sub finem; Strabo l. 8 et 12 de meretricib.; Athenæus l. 13, c. 6; Clemens in adhortatoria ad Gentes; Athanas. orat: contra idola; Villalp. in Ezech. 43, l. 4, c. 79.
(7) Vide exempla apud Cornelium a Lapide.

CAPUT XXIV.

Permittitur libellus repudii. Variæ leges circa pignora, et pauperum subventionem sanciuntur.

1. Si [1] acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem : scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua.

2. Cumque egressa alterum maritum duxerit,

3. Et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit :

4. Non poterit prior maritus recipere eam in uxorem : quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino : ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam.

5. Cum acceperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis injungetur publicæ, sed vacabit absque culpa domi suæ, ut uno anno lætetur cum uxore sua.

6. Non accipies loco pignoris inferiorem, et superiorem molam :

℣. 1. *Libellum repudii* — Hoc est, chartam seu schedam qua maritus uxori potestatem faciebat abeundi quo vellet, et alteri nubendi cui vellet. Hac enim lege concedebat Deus non solius thori disjunctionem, sed etiam matrimonii dissolutionem, ut uterque alteri nubere posset. Colligitur ex vers. 2, et Malachiæ 2, vers. 16, et Matthæi 19, v. 9, et testatur Josephus eam fuisse praxin Judæorum. Consulebatur autem hac via maxime feminarum bono, quæ alioqui sæpius ab iratis maritis necatæ fuissent. Continebantur nihilominus eædem quoque in officio, ne quid admitterent quod repudio causam daret. Neque enim licebat repudiare nisi justam ob causam : scilicet ob aliquam *fœditatem :* hoc est, si uxor displiceret marito propter rem aliquam fœdam. Tertullianus et Burgensis id restringunt ad adulterium durante conjugio, vel fornicationem ante commissam, sed post initum conjugium detectam. Verum hæc non divortio, sed morte plectebantur, ut patet c. 22, vers. 21 et 22. Sola vero adulterii suspicio purgabatur haustu poculi zelotypiæ, Num. 5. Ergo fœditatis nomine hic generaliter intelligitur id omne quod merito censeatur devenustare et turpem reddere uxorem, sive id physicum quid sit, v. g. epilepsia, lepra, frequens mania, perpetuus aliquis morbus, sterilitas : sive morale quid, ut inobedientia, pertinacia, dicacitas, jurgia perpetua, furta, veneficii vel gravioris criminis suspicio probabilis, et quidquid jure reddat uxorem valde exosam marito.

Nota, quod dato libello repudii, si maritus redire vellet in gratiam cum conjuge repudiata, priusquam illa alteri jungeretur, poterat id facere : at post conjunctionem cum altero non poterat redire ad priorem maritum, etsi forte contingeret illam simili repudio ab illis secundis nuptiis exsolvi. Ratio hic additur vers. 4, *Quia* jam *polluta est,* scilicet semine secundi viri et macula seu indecentia ex copula cum secundo marito, *et abominabilis facta est coram Domino :* hebraice est, *abominabile hoc,* seu transcursus iste de thoro in thorum, *coram Domino,* id est vere et a parte rei, et Dei ipsius judicio; cui merito displicet turpis illa species vagi repetitique concubitus, et orbicularis nuptiarum regressus.

℣. 6. *Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam* — seu lapidem molarem; quia scilicet pauperculi absque illis frumentum commolere non possunt : atque ita *animam,* id est vitam ipsorum, quam tibi *opposuerunt* seu oppignorarunt, misellis intercluderes, id

(1) Matth. 5, v. 31, et 19, v. 7; Marc. 10, v. 4.

quia animam suam opposuit tibi.

7. Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, et vendito eo acceperit pretium, interficietur, et auferes malum de medio tui.

8. Observa diligenter ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcumque docuerint te sacerdotes Levitici generis, juxta id quod præcepi eis, et imple sollicite.

9. [1] Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ in via cum egrederemini de Ægypto.

10. Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus ut pignus auferas:

11. [2] Sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit;

12. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus,

13. Sed statim reddes ei ante solis occasum: ut dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, et habeas justitiam coram Domino Deo tuo.

14. [3] Non negabis mercedem indigentis, et pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est:

15. Sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum.

16. [4] Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.

17. Non pervertes judicium advenæ et pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum.

18. Memento quod servieris in Ægypto, et eruerit te Dominus Deus tuus inde. Idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem.

19. Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum: sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.

20. Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas: sed relinques advenæ, pupillo, ac viduæ.

21. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ, pupilli, ac viduæ.

22. Memento quod et tu servieris in Ægypto, et idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem.

ipsis auferendo sine quo victum sibi parare non possunt. Simili de causa vetat v. 10 ne creditor pro libito suo, etsi fretus publica judicis auctoritate, vel stipatus ministro justitiæ, deligat sibi in pignus quidquid e supellectili debitoris arriserit: sed jubet designationem pignoris totam permitti arbitrio debitoris. Quin et v. 12 si debitor forte præ inopia cogatur in pignus dare vestimentum aut stragulum, quo ad se tegendum indiget, jubet id illi reddi ante solis occasum: hoc ipso inhibens, ne hujusmodi reculæ pauperi quotidie necessariæ accipiantur quovis modo in pignus.

℣. 7. *Homo sollicitans fratrem suum* — Hebræa, Chaldæa et LXX habent, *furans*, nempe vel aperta vi, vel dolo et promissis falsis pelliciens ut se ei subjiciat, et sequatur ad alienigenas, quibus eum tunc vendat. Jubet ergo hic *plagiarium* vel evidentia facti, vel in judicio convictum, capite plecti.

℣. 8. *Observa ne incurras plagam lepræ* — divina ultione infligendam, si Superioribus inobediens fueris, maximeque si sacerdotum imperiis obgannieris; exemplo Mariæ sororis Moysis [5], ut sequitur vers. sequenti; et Oziæ regis Juda, 2 Paralip. 26.

(1) Num. 12, vers. 10.
(2) Exod. 22, vers. 26.
(3) Lev. 19, vers. 13; Tob. 4, vers. 15.

(4) 4 Reg. 14, vers. 6; 2 Paralip. 25, vers. 4; Ezech. 18, vers. 20.
(5) Num. 12.

CAPUT XXV.

Jubentur judices juste judicare: frater fratri defuncto semen suscitare. Nomen Amalec penitus deleri.

1. Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint judices: quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis.

2. Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis: prosternent, et coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit et plagarum modus:

3. Ita dumtaxat, [1] ut quadrage-narium numerum non excedant: ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.

4. [2] Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas.

5. [3] Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui:

6. Et primogenitum ex ea filium

℣. 3. *Quadragenarium numerum non excedant* — Judæi legis hujus servandæ studio, metu ne, si quadragenarium numerum complerent, forsan oblivione, inadvertentia, vel impetu animi excederent, in more habebant non nisi triginta novem ictus infligere, teste Jos. [4]. Unde et Apostolus in suo illo exantlatorum laborum catalogo, *A Judæis*, inquit [5], *quinquies quadragenas una minus accepi*. Infligebantur autem hæc verbera flagello seu scutica e nervis aut pelle confecta, teste eodem Josepho.

℣. 4. *Non ligabis os bovis*, etc. — Ad litteram prohibet Deus ne vel capistro, vel alio impedimento prohibeatur bos vesci ex manipulis, in quibus triturandis reipsa laborat: quia *æquum non est*, inquiunt Joseph. et Philo [6], *vetare laboris socios, quo minus et fructuum sint participes*. Sed allegorico sensu (quem Deus hic primario intendit, et quem Paulus [7] explicat) docentur homines non negare victus stipendium iis qui ipsorum causa laborant, maxime vero Evangelii ministris. Bobus autem triturari solitum non solum apud Judæos, sed et apud Romanos, et Græcos, et alias gentes, ex Varrone, Columella, Homero et Athenæo constat [8]: et etiamnum in Canariis insulis in usu esse perhibetur.

℣. 5. *Quando habitaverint fratres simul*. Hoc est, quando ejusdem tribus et familiæ fuerint, qui fere in eodem loco habitare solent, ubi familiæ est hereditas: *et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit* — vel, si quos moriens habuit liberos, ii ante initum matrimonium extinguantur; *uxor defuncti non nubet alteri* quam qui sanguine propinquior defuncto fuerit. Hoc solum tangit uxorem primariam: vel, si plures primariæ defuncto fuissent, eam quam ex omnibus propinquior sibi delegisset.

Petes, quid agendum, si frater defuncti, vel alius quicumque propinquus cui successio debebatur, adhuc infans esset vel impubis? Respondeo, exspectandam eo casu viduæ fuisse adultam pueri ætatem, ut in simili ante legem fecit Thamar Genesis 38, v. 11. Hoc tamen intellige, si modo spes esset, quod per diuturnum ætatis lapsum ista non fieret ad generandum impotens. Nam si ejus rei periculum esset, poterat illa, immo debebat, relicto puero, alteri propinquo defuncti jam maturo nubere, et defuncto semen suscitare.

Petes secundo, quanta fuerit obligatio vel viduæ nubendi propinquo: vel propinquo ducendi viduam a defuncto relictam? Respondeo, ante legem Mosaicam

(1) 2 ad Cor. 11, vers. 24.
(2) 1 ad Cor. 9, vers. 9; 1 ad Tim. 5, vers. 18.
(3) Matth. 22, v. 24; Marc. 12, v. 19; Luc. 20, vers. 28.
(4) Lib. 4 Antiq., c. 8. (5) 2 ad Cor. 11, v. 24.
(6) Joseph. sup.; Philo l. de Charitate.
(7) 1 ad Cor. 9, vers. 9.
(8) Varro l. 1 de Re rustica, c. 52; Columella l. 2 de Re rustica, c. 21; Homer. Iliade Y et E; Athen. lib. 12.

nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel.

7. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, et interpellabit majores natu, dicetque: [1] Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel, nec me in conjugem sumere.

8. Statimque accersiri eum facient, et interrogabunt. Si responderit: Nolo eam uxorem accipere:

9. Accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, et dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui.

10. Et vocabitur nomen illius in Israel, Domus discalceati.

11. Si habuerint inter se jurgium viri duo, et unus contra alterum rixari cœperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum, et apprehenderit verenda ejus:

12. Abscides manum illius, nec flecteris super eam ulla misericordia.

13. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus:

14. Nec erit in domo tua modius major et minor:

15. Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi: ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi;

16. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam.

17. [2] Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto:

18. Quomodo occurrerit tibi: et extremos agminis tui, qui lassi residebant, cæciderit, quando tu eras fame et labore confectus, et non timuerit Deum.

19. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, et subjecerit cunctas per circuitum nationes, in terra, quam tibi pollicitus est: delebis nomen ejus sub cælo. Cave ne obliviscaris.

videtur apud Chananæos id stricte justitiæ fuisse, ut patet ex casu Thamar Gen. 38, v. 26. Sed tanta obligatio non videtur lege Moysis admissa fuisse; immo pœna hic vers. 9, apposita non arguit ullam gravem obligationem. Quin ex facto Ruth [3] constat, nullam prorsus obligationem fuisse, si quis alius e fratribus vel propinquis paratus esset id officium charitatis defuncto exhibere.

Petes tertio, An, si defunctus nullum quidem filium, sed tamen filiam reliquisset, nihilominus vidua etiam tunc tenebatur nubere fratri vel propinquo defuncti? Respondeo, Nec debebat, nec poterat: quia extra casus hic exceptos erat illicitum viduas nubere fratri mariti defuncti, ut patet Lev. 20, v. 21. Atqui hic casus non excipitur hoc loco, nam et filiæ inter liberos censentur, et eo casu aliter ex lege, Num. ult. prospectum erat continuationi nominis et familiæ defuncti. Nam filia sic sola relicta hereditatem patris adibat; sed hac conditione, ut ipsa uni de tribu et familia nuberet, cujus prima proles mascula, filius dicebatur non patris ex quo genitus esset, neque ejus fiebat heres, neque in ejus genealogia nominabatur: sed avi materni et filius censebatur, et heres fiebat, et in genealogia ab avo ad nepotem immediate transibatur.

(1) Ruth 4, vers. 5. (2) Exod. 17, vers. 8. (3) Ruth 4.

CAPUT XXVI.

Primitiæ frugum jubentur offerri Deo: et tertio quoque anno tertiæ etiam decimæ dari pauperibus.

1. Cumque intraveris terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, et obtinueris eam, atque habitaveris in ea:

2. Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus:

3. Accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, et dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram, pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis.

4. Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui:

5. Et loqueris in conspectu Domini Dei tui: Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, et ibi peregrinatus est in paucissimo numero: crevitque in gentem magnam ac robustam et infinitæ multitudinis.

6. Afflixeruntque nos Ægyptii, et persecuti sunt imponentes onera gravissima:

7. Et clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum: qui exaudivit nos, et respexit humilitatem nostram, et laborem, atque angustiam:

8. Et eduxit nos de Ægypto in manu forti, et brachio extento, in ingenti pavore, in signis atque portentis:

9. Et introduxit ad locum istum, et tradidit nobis terram lacte et melle manantem.

10. Et idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui, et adorato Domino Deo tuo.

11. Et epulaberis in omnibus bonis quæ Dominus Deus tuus dederit tibi, et domui tuæ, tu et Levites, et advena qui tecum est.

12. Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis Levitæ, et advenæ, et pupillo et viduæ, ut comedant intra portas tuas, et saturentur:

13. Loquerisque in conspectu Domini Dei tui: Abstulit quod sanctificatum est de domo mea, et [1] dedi illud Levitæ et advenæ, et pupillo ac viduæ, sicut jussisti mihi: non præterivi mandata tua, nec sum oblitus imperii tui.

℣. 5. *Syrus* hic est Laban — *persequebatur patrem meum* — Jacobum e Mesopotamia redeuntem in Chananæam. Genes. 31. Nam *Mesopotamia*, in qua *Laban* habitabat, est pars *Syriæ*, unde et passim in Scripturis [2] vocatur *Mesopotamia Syriæ*.

℣. 13. *Quod sanctificatum est*, hoc est, omne genus decimarum, quæ jussu Dei separandæ erant a reliquis, quasi sanctæ a profanis, *abstuli de domo mea* — hoc est, integras extuli et huc attuli, nec quidquam ex his domi remansit. Hæc et sequentia continent gratiarum actionem atque in ea protestationem, qua, peractis jam suis sacrificiis et sacris epulis, domum regressuri Judæi, teste Josepho supra, publice removebant a se suspicionem omnem defectus alicujus admissi, aut immunditiæ quæ timeri posset in rebus hisce sacris, seu ex parte offerentis, seu ex parte rei oblatæ, seu ex parte usus,

(1) Sup. 14, vers. 29.

(2) 2 Reg. 10, vers. 16, etc.

14. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei, et feci omnia sicut præcepisti mihi.

15. [1] Respice de sanctuario tuo, et de excelso cælorum habitaculo, et benedic populo tuo Israel, et terræ, quam dedisti nobis, sicut jurasti patribus nostris, terræ lacte et melle mananti.

16. Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi ut facias mandata hæc atque judicia: et custodias et impleas ex toto corde tuo, et ex tota anima tua.

17. Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias ceremonias illius, et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio;

18. [2] Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius:

19. Et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit, in laudem, et nomen, et gloriam suam: ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est.

v. g. comestionis rei sacræ. Unde subdebant, *Non comedi ex eis in luctu meo*, scilicet funebri existens, atque ideo immundus ex mortuo: neque enim talibus qui funeri interfuissent licebat vesci sub pœna capitis ex hostiis pacificis, Lev. 7, v. 20. Addunt, *Nec separavi ea in qualibet immunditia*, hoc est, nihil etiam eorum quæ Deo offerenda seposui, pollutum aut immundum fuit. Denique, *Nec expendi ex his quidquam in re funebri*, hoc est ad rem quampiam immundam.

Et vero vetitum erat universim, ex decimis Deo semel sepositis, ad usum profanum aliquid detrahere: quantum ergo flagitium fuisset, si quis quid ex his in rem immundam expendisset? v. g. in pompam funebrem, vel convivium funebre, vel sepulcri erectionem: nam totum negotium funebre immundum erat, et omnibus usurpantibus summam immunditiam afflabat. Porro de variis decimarum generibus, et sacris epulis inde solitis instrui, vide Levit. 19 et Deut. 12.

(1) Isa. 63, vers. 15; Baruch 2, vers. 16.

(2) Sup. 7, vers. 6.

CAPUT XXVII.

Cæremonia benedictionis publice instituendæ in monte Garizim, et maledictionis in monte Hebal.

1. Præcepit autem Moyses et seniores Israel, populo dicentes: Custodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie.

2. Cumque transieritis Jordanem in terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, et calce lævigabis eos,

ỳ. 2. *Eriges ingentes lapides*, tot quot inscribendo toti Deuteronomio [1] necessarii fuerint. Andreas Masius et [2] Serarius duodecim fuisse volunt. *Et calce lævigabis eos* — Neque enim in lapidibus impolitis conscribi lex potuisset, nisi prius calce obliti, aut simili alia incrustatione lævigati forent: opera vero mallei eos lævigare, nimis longæ et difficilis operæ fuisset.

Nota. Præter hos lapides quibus inscribi jussum Deuteronomium, jussi quoque sunt componi alii rudes lapides ad altare construendum, non in monte seu jugo *Garizim*, sed in *Hebal*, altero ejusdem montis jugo, juxta Sichimam, in ea

(1) Patet ex Jos. 8, vers. 32.

(2) Ad c. 8 Josue.

3. Ut possis in eis scribere omnia verba legis hujus, Jordane transmisso: ut introeas terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte et melle manantem, sicut juravit patribus tuis.

4. [1] Quando ergo transieritis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis, in monte Hebal, et lævigabis eos calce:

5. Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo, de lapidibus quos ferrum non tetigit,

6. Et de saxis informibus et impolitis: et offeres super eo holocausta Domino Deo tuo,

7. Et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, et epulaberis coram Domino Deo tuo.

8. Et scribes super lapides omnia verba legis hujus plane et lucide.

9. Dixeruntque Moyses et sacerdotes Levitici generis ad omnem Israelem: Attende, et audi Israel: hodie factus est populus Domini Dei tui:

10. Audies vocem ejus, et facies mandata atque justitias, quas ego præcipio tibi.

11. Præcepitque Moyses populo in die illo, dicens:

12. Hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim, Jordane transmisso: Simeon, Levi, Judas, Issachar, Joseph, et Benjamin.

13. Et e regione isti stabunt ad maledicendum in monte Hebal: Ruben, Gad, et Aser, et Zabulon, Dan, et Nephthali.

14. [2] Et pronuntiabunt Levitæ, dicentque ad omnes viros Israel excelsa voce:

15. Maledictus homo qui facit sculptile et conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito; et respondebit omnis populus, et dicet: Amen.

parte Chananææ, quæ obtigit tribui Ephraim. In hoc altari jubentur holocausta et pacificas hostias immolare Deo, et de immolatis epulari. Interim tribus sex nobiliores, puta Simeon, Levi, Judas, Issachar, Joseph (duplicata ex Ephraim ac Manasse) et Benjamin constituuntur a dextris in monte Garizim et in confiniis illius: reliquæ sex a sinistris in monte Hebal: sacerdotibus cum arca in media valle consistentibus, qui mox instar fœcialium ad innovandum firmandumque fœdus Deum inter et Israelitas, primo versus montem Garizim conversi, *voce excelsa* intonabant conceptis verbis benedictiones seorsim singulas: ad quas responsabant *Amen*, seu fiat, omnes ii qui ad montem Garizim stabant. Deinde conversi ad Hebal, simili modo pronunciabant singulas maledictiones seu execrationes, quibus responsabant qui erant in et circum Hebal. Et quidem maledictiones sigillatim hic exprimuntur numero duodecim, forsan primariæ et præcipuæ, sed benedictiones nusquam disertis verbis expressas habes: facile tamen ex maledictionibus colligere est, quales illæ benedictiones fuerint, nempe quæ contrariis virtutum actionibus bona et præmia decernerent.

Petes primo, Quorsum hæ cæremoniæ? Respondeo *ad litteram*, ut hoc novo ritu fœdus cum Deo instauraretur in primo terræ promissæ ingressu: et Israelitæ his solemnibus benedictionum pollicitationibus, ac maledictionum interminationibus, ad accuratiorem legis divinæ observationem excitarentur. *Analogice* vero, ut typus esset extremi horrendique judicii, quod verus Josue, seu *Jesus* Christus, in ingressu futuræ vitæ inter oves a dextris, et hœdos a sinistris instituet, ut ait Rupertus [3].

Petes secundo, Quando usurparit hanc cæremoniam Josue? Respondeo, Quinto anno ab ingressu terræ sanctæ, inquit Josephus [4]. Sed ex vers. 12 hujus capitis patet, statim *Jordane transmisso* id peragendum fuisse: et liber Josue satis indicat, post Jerichuntinam et Hajensem expugnationem mox peractum fuisse.

(1) Exod. 20, vers. 25; Jos. 8, vers. 31.
(2) Dan. 9, vers. 11.
(3) Lib. 2, c. 5.
(4) Lib. 3 Antiq., c. 1.

16. Maledictus qui non honorat patrem suum, et matrem; et dicet omnis populus: Amen.

17. Maledictus qui transfert terminos proximi sui; et dicet omnis populus: Amen.

18. Maledictus qui errare facit cæcum in itinere; et dicet omnis populus: Amen.

19. Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli, et viduæ; et dicet omnis populus: Amen.

20. Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, et revelat operimentum lectuli ejus; et dicet omnis populus: Amen.

21. Maledictus qui dormit cum omni jumento; et dicet omnis populus: Amen.

22. Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui vel matris suæ; et dicet omnis populus: Amen.

23. Maledictus qui dormit cum socru sua; et dicet omnis populus: Amen.

24. Maledictus qui clam percusserit proximum suum; et dicet omnis populus: Amen.

25. Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis; et dicet omnis populus: Amen.

26. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit; et dicet omnis populus: Amen.

CAPUT XXVIII.

Bona, quæ legem servantibus promittuntur: et mala, quæ violantibus.

1. Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra.

2. Venientque super te universæ benedictiones istæ, et apprehendent te: si tamen præcepta ejus audieris.

3. Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro.

4. Benedictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, et caulæ ovium tuarum.

5. Benedicta horrea tua, et benedictæ reliquiæ tuæ.

6. Benedictus eris tu ingrediens et egrediens.

7. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, coruentes in conspectu tuo: per unam viam venient contra te, et per septem fugient a facie tua.

8. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, et super omnia opera manuum tuarum: benedicetque tibi in terra, quam acceperis.

9. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut juravit tibi: si custodieris mandata Domini Dei tui, et ambulaveris in viis ejus.

10. Videbuntque omnes terrarum populi quod nomen Domini invocatum sit super te, et timebunt te.

11. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, et fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam juravit Dominus patribus tuis ut daret tibi.

12. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo: benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et fœnerabis gen-

tibus multis, et ipse a nullo fœnus accipies.

13. Constituet te Dominus in caput, et non in caudam: et eris semper supra, et non subter: si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, et custodieris et feceris.

14. Ac non declinaveris ab eis, nec ad dexteram, nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos.

15. [1] Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias, et facias omnia mandata ejus et ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te.

16. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro.

17. Maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ.

18. Maledictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum.

19. Maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens.

20. Mittet Dominus super te famem et esuriem, et increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies: donec conterat te, et perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas in quibus reliquisti me.

21. Adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam.

22. Percutiat te Dominus egestate, febri et frigore, ardore et æstu, et aere corrupto ac rubigine, et persequatur donec pereas.

23. Sit cælum, quod supra te est, æneum: et terra, quam calcas, ferrea.

24. Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, et de cælo descendat super te cinis, donec conteraris.

25. Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos; per unam viam egrediaris contra eos, et per septem fugias, et dispergaris per omnia regna terræ;

26. Sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus cæli, et bestiis terræ, et non sit qui abigat.

27. Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, et partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque et prurigine: ita ut curari nequeas.

28. Percutiat te Dominus amentia et cæcitate ac furore mentis,

℣. 17. *Maledictæ reliquiæ tuæ* — hoc est, quæ ex bonis tuis asservanda in futurum reliquisti vel seposuisti.

℣. 22. *Percutiat te æstu*, græce, φόνῳ, id est *cæde: ac rubigine* — quæ est morbus segetum et herbarum, cum defectu humoris flavescunt et exsiccantur. Alibi tamen LXX eamdem quæ hic est vocem Hebræam vertunt [2] ἴκτερον, qui in hominibus morbus est, et latine, *aurugo* vocatur; gallice, *la Jaulnisse;* flandrice, *de Geelsucht.*

℣. 24. *De cælo descendat cinis* — Ejusmodi cineris imber ad extremam terræ sterilitatem inducendam valet: et vel miraculo immittitur a Deo, vel ex montium expirationibus etiam naturaliter provenit. Sic Seneca, Cicero, Plinius et alii meminerunt Ætnæ cineres evomentis, et totam circumquaque regionem desolantis, cinere in lapideam duritiem concrescente, omniaque adurente. Memorabilis item illa Vesuvii montis juxta Neapolim Campaniæ expiratio, qui cinerem Romam, imo Constantinopolim usque evomuit. Et alias rursum Constantinopoli ex alterius montis vomitu cinerem tam copiosum pluisse, ut palmi prope minoris altitudine in tegulis jaceret, testes sunt Zonaras, Nicephorus [3] et Procopius. Et, a paucis jam annis, ut Mexico scribitur, in Peruano regno ex simili monte erumpens, sed ope dæmonum dispersus, cinis ad quadraginta dies depluit, die in noctem verso, totamque regionem ad ducentas fere leucas texit, omniumque frugum proventum sustulit.

(1) Lev. 26, vers. 14; Thren. 2, vers. 17; Baruch 1, vers. 20; Matth. 2, vers. 2.

(2) ירקון, ierakon.

(3) Zon. in Leone I; Niceph. l. 15, c. 20.

29. Et palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, et non dirigas vias tuas. Omnique tempore calumniam sustineas, et opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te.

30. Uxorem accipias, et alius dormiat cum ea. Domum ædifices, et non habites in ea. Plantes vineam, et non vindemies eam.

31. Bos tuus immoletur coram te, et non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, et non reddatur tibi. Oves tuæ dentur inimicis tuis, et non sit qui te adjuvet.

32. Filii tui et filiæ tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis, et deficientibus ad conspectum eorum tota die, et non sit fortitudo in manu tua.

33. Fructus terræ tuæ, et omnes labores tuos comedat populus quem ignoras: et sis semper calumniam sustinens, et oppressus cunctis diebus,

34. Et stupens ad terrorem eorum quæ videbunt oculi tui.

35. Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus et in suris, sanarique non possis a planta pedis usque ad verticem tuum.

36. Ducet te Dominus, et regem tuum, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras tu et patres tui: et servies ibi diis alienis, ligno et lapidi.

37. Et eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus.

38. [1] Sementem multam jacies in terram, et modicum congregabis: quia locustæ devorabunt omnia.

39. Vineam plantabis, et fodies: et vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vastabitur vermibus.

40. Olivas habebis in omnibus terminis tuis, et non ungeris oleo: quia defluent et peribunt.

41. Filios generabis et filias, et non frueris eis: quoniam ducentur in captivitatem.

42. Omnes arbores tuas et fruges terræ tuæ rubigo consumet.

43. Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes, et eris inferior.

44. Ipse fœnerabit tibi, et tu non fœnerabis ei. Ipse erit in caput, et tu eris in caudam.

45. Et venient super te omnes maledictiones istæ, et persequentes apprehendent te, donec intereas: quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec servasti mandata ejus et ceremonias, quas præcepit tibi.

46. Et erunt in te signa atque prodigia, et in semine tuo usque in sempiternum:

47. Eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia, propter rerum omnium abundantiam:

48. Servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, et siti, et nuditate, et omni penuria: et ponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat.

49. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, et de extremis terræ finibus, in similitudinem aquilæ volantis cum impetu: cujus linguam intelligere non possis:

50. Gentem procacissimam, quæ

℣. 36. *Ducet te, et regem tuum in gentem quam ignoras* — Ad litteram id contigit sub Manasse, Joakim et Sedecia regibus Juda per Nabuchodonosor in Babylonem; et regibus Israel cum decem tribubus per Teglatphalassar et Salamanassar in Assyriam abductis.

(1) Mich. 6, vers. 15; Aggæi 1, vers. 6.

℣. 49. *Adducet super te gentem de longinquo, in similitudinem aquilæ volantis cum impetu* — q. d. Celerrime, de repente et improviso advolantis. Et vero Apulejus [2] aquilæ pernicitatem, qua superne in prædam ruit, fulmini comparat. Graphice hic depingit *Chaldæos*, de

(2) Lib. 1 Floridorum.

non deferat seni, nec misereatur parvuli,

51. Et devoret fructum jumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ: donec intereas, et non relinquat tibi triticum, vinum, et oleum, armenta boum, et greges ovium: donec te disperdat,

52. Et conterat in cunctis urbibus tuis, et destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus:

53. Et [1] comedes fructum uteri tui, et carnes filiorum tuorum et filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia et vastitate qua opprimet te hostis tuus.

54. Homo delicatus in te, et luxuriosus valde, invidebit fratri suo, et uxori, quæ cubat in sinu suo,

55. Ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet: eo quod nihil aliud habeat in obsidione et penuria, qua vastaverint te inimici tui, intra omnes portas tuas.

56. Tenera mulier et delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter mollitiem et teneritudinem nimiam, invidebit viro suo, qui cubat in sinu ejus, super filii et filiæ carnibus,

57. Et illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio feminum ejus, et super liberis qui eadem hora nati sunt; comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obsidione et vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas.

58. Nisi custodieris et feceris omnia verba legis hujus, quæ scripta sunt in hoc volumine, et timueris nomen ejus gloriosum et terribile, hoc est, Dominum Deum tuum:

59. Augebit Dominus plagas tuas, et plagas seminis tui, plagas magnas et perseverantes, infirmitates pessimas et perpetuas;

60. Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, et adhærebunt tibi:

61. Insuper et universos languores, et plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat:

62. Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cæli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui.

63. Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de terra, ad quam ingredieris possidendam.

64. Disperget te Dominus in omnes populos, a summitate terræ usque ad terminos ejus: et servies ibi diis alienis, quos et tu ignoras et patres tui, lignis et lapidibus.

65. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam mœrore:

66. Et erit vita tua quasi pen-

quibus Jeremias ad hunc locum alludens, in Threnis c. 4, *Velociores*, inquit, *fuerunt persecutores nostri aquilis cæli.* Et c. 4 prophetiæ suæ, *Velociores aquilis equi illius*, Nabuchodonosoris. Et hunc nominatim etiam Ezechiel aquilæ comparat cap. 17. Quamquam etiam dici possit, Moysen hic quoque ad *Romanos* allusisse, aquilis suis notissimos. Neque enim ab his minus quam a Chaldæis passi sunt Judæi, quæ infra [2] de comedendis propriis fœtibus, de venditione in mancipia, et aliis horrendis afflictionibus proponuntur.

¶. 66. *Erit vita tua quasi pendens ante te* — nempe periculo semper expo-

(1) Thren. 4, vers. 10; Baruch 2, vers. 2.

(2) Hic vers. 53, et Lev. 26, vers. 29.

dens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ.

67. Mane dices: Quis mihi det vesperum? et vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, et propter ea, quæ tuis videbis oculis.

68. Reducet te Dominus classibus in Ægyptum, per viam de qua dixit tibi ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos et ancillas, et non erit qui emat.

sita, et quasi in dubio suspensa. Imo *non credes*, seu non fides, *vitæ tuæ*, sed de ea tuenda desperabis.

Allegorice, S. Augustinus, S. Leo [1] et Procopius per vitam intelligunt hic Christum in cruce appensum.

℣. 68. *Reducet te classibus in Ægyptum* — Id factum esse sub Tito, docet Josephus [2], cum scribit Judæos captos, qui minores essent septemdecim annis, in Ægyptum devectos, ibique venditos, sed vix inventos emptores.

Nota, hinc patere, classes jam tunc a tempore Moysis notas fuisse Hebræis: falsumque esse, quod fingunt Poetæ, primas naves fuisse Jasonis et Argonautarum, qui nonnisi 40 annis ante ultimum bellum Trojanum in Colchum navigarunt; nam Moyses plus quam ducentis annis mortuus est ante illam Argonautarum in Colchum expeditionem.

(1) August. 16 contra Faustum, cap. 22; Leo serm. 3 de Passione.
(2) Lib. 7 Belli, cap. 16.

CAPUT XXIX.

Ad legem Dei studiosius observandam excitat Hebræos partim beneficiis et promissis amplissimis: partim terroribus et minis severissimis.

1. Hæc sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moysi ut feriret cum filiis Israel in terra Moab: præter illud fœdus, quod cum eis pegigit in Horeb.

2. Vocavitque Moyses omnem Israel, et dixit ad eos: [1] Vos vidistis universa, quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius,

3. Tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa, portentaque ingentia,

4. Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem.

5. [2] Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.

6. Panem non comedistis, vinum et siceram non bibistis: ut sciretis quia ego sum Dominus Deus vester.

7. Et venistis [3] ad hunc locum: [4] egressusque est Sehon rex Hesebon, et Og rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam. Et percussimus eos,

8. [5] Et tulimus terram eorum,

℣. 4. *Dominus non dedit vobis* propter vestra demerita et peccata, *cor intelligens* divinorum beneficiorum magnitudinem et præstantiam: neque animi vestri *oculos* vel *aures* aperuit, quibus attenta consideratione penetraretis eadem beneficia, monitaque divina, et iisdem obediente aure obsecundaretis, nempe lumini interno et gratiæ vos excitanti semper rebelles obstitistis.

(1) Exod. 19, vers. 4. (2) Sup. 8, vers. 2. — [a] Vers. 5. *Adduxit:* sic etiam LXX at Hebr. et Chald. *Duxi.*
(3) [a] Vers. 7. *Ad hunc locum,* nempe Campestria Moab, uti Moses Deuteronomium promulgavit, et ista omnia loquebatur. Vide cap. 1, vers. 1, et cap. 3, vers. 29. [a]
(4) Sup 3, v. 1. (5) Num. 32, v. 19; Jos. 22, 4.

ac tradidimus possidendam Ruben et Gad, et dimidiæ tribui Manasse.

9. Custodite ergo verba pacti hujus, et implete ea: ut intelligatis universa quæ facitis.

10. Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, principes vestri, et tribus, ac majores natu, atque doctores, omnis populus Israel,

11. Liberi et uxores vestræ, et advena qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, et his qui comportant aquas:

12. Ut transeas in fœdere Domini Dei tui, et in jurejurando quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum:

13. Ut suscitet te sibi in populum, et ipse sit Deus tuus, sicut locutus est tibi, et sicut juravit patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob.

14. Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio, et hæc juramenta confirmo,

15. Sed cunctis præsentibus et absentibus.

16. Vos enim nostis quo modo habitaverimus in terra Ægypti, et quo modo transierimus per medium nationum, quas transeuntes,

17. Vidistis abominationes et sordes, id est, idola eorum, lignum et lapidem, argentum et aurum, quæ colebant.

18. Ne forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cujus cor aversum est hodie a Domino Deo nostro: ut vadat et serviat diis illarum gentium: et sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem.

19. Cumque audierit verba juramenti hujus, benedicat sibi in corde suo, dicens: Pax erit mihi, et ambulabo in pravitate cordis mei: et absumat ebria sitientem,

20. Et Dominus non ignoscat ei: sed tunc quam maxime furor ejus fumet, et zelus contra hominem illum, et sedeant super eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine: et deleat Dominus nomen ejus sub cælo,

21. Et consumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israel, juxta maledictiones, quæ in libro legis hujus ac fœderis continentur.

22. Dicetque sequens generatio, et filii qui nascentur deinceps, et peregrini, qui de longe venerint, videntes plagas terræ illius, et infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus,

23. Sulphure et salis ardore comburens, ita ut ultra non seratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum [1] subversionis Sodomæ et Gomorrhæ, Adamæ et Seboim, quas subvertit Dominus in ira et furore suo.

24. Et dicent omnes gentes: [2] Quare sic fecit Dominus terræ huic?

℣. 19. *Et ambulabo* — pro, licet ambulavero; q. d. Licet transgrediar mandata Dei, maledictiones hæ mihi non nocebunt.

Et absumat ebria sitientem — Proverbium est Hebræis familiare: quod LXX vertunt, *perdat peccator innocentem*, dum scilicet ebrius idololatra alios quoque seu suasione, seu exemplo suo in idem scelus, et consequenter in eamdem secum ruinam trahit. Vide Delrionem in Adagiis sacris [3]. Nisi forte malis [4] ad unam eamdemque personam peccantem utrumque referre, quæ sitire dicitur, cum aliquid vehementer appetit: ebria vero esse, cum quod appetivit, abunde consecuta est; tum vero absumit ebria sitientem, cum quod appetiit, et jam consecuta est, illi causa est ruinæ. Sic enim, inquit Moyses, contiget idololatris, cum vehementer desiderarint solvi legibus divinis, et idolis prostitui, compotes jam facti votorum et sceleribus ebrii, sentient se sibi extremam perniciem accersivisse.

(1) Gen. 19, vers. 24.
(2) 3 Reg. 9, vers. 8; Jer. 22, vers. 8.
(3) Adagio 138.
(4) Cum P. Bonfrer.

quæ est hæc ira furoris ejus immensa?

25. Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de terra Ægypti:

26. Et servierunt diis alienis, et adoraverunt eos, quos nesciebant, et quibus non fuerant attributi:

27. Idcirco iratus est furor Domini contra terram istam, ut induceret super eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine scripta sunt:

28. Et ejecit eos de terra sua in ira et in furore, et in indignatione maxima, projecitque in terram alienam, sicut hodie comprobatur.

29. Abscondita Domino Deo nostro: quæ manifesta sunt nobis et filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus.

℣. 29. *Abscondita,* supple, O utinam æternum sint, *Domino Deo nostro,* hæc quæ ante minatus est supplicia! ita nempe, ut numquam cogatur ea inferre; q. d. Moyses: Precor ut populus ita legibus Dei custodiendis insistat, ut numquam cogatur Deus supplicia quæ transgressoribus minatus est, de facto infligere, sed ita se gerat ac si ea omnia mala ignoraret. Interim *manifesta* sint hæc *nobis et filiis nostris* — ut eorum metu a transgressione legum arceamur. Ita Cajetanus.

CAPUT XXX.

Lapsis, sed pœnitentibus promittit reditum e captivitate, et liberationem ex aliis miseriis. Docet legem observatu facilem esse. Dat optionem vitæ aut mortis, boni aut mali.

1. Cum ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio, sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo: et ductus pœnitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus,

2. Et reversus fueris ad eum, et obedieris ejus imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, et in tota anima tua:

3. Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui, et rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit.

4. Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus,

5. Et [1] assumet, atque introducet in terram, quam possederunt patres tui, et obtinebis eam: et benedicens tibi, majoris numeri te esse faciet quam fuerunt patres tui.

6. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui: ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, ut possis vivere.

7. Omnes autem maledictiones has convertet super inimicos tuos, et eos qui oderunt te et persequuntur.

8. Tu autem reverteris, et audies vocem Domini Dei tui: faciesque universa mandata quæ ego præcipio tibi hodie:

9. Et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in sobole uteri tui, et in fructu jumentorum tuorum, in ubertate terræ tuæ, et in rerum omnium largitate. Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in patribus tuis:

10. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris præce-

(1) 2 Machab. 1, vers. 29.

pta ejus et ceremonias, quæ in hac lege conscripta sunt: et revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua.

11. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum,

12. Nec in cælo situm, ut possis dicere: [1] Quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus atque opere compleamus?

13. Neque trans mare positum: ut causeris, et dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre: ut possimus audire et facere quod præceptum est?

14. Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum.

15. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et econtrario mortem et malum:

16. Ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata illius ac ceremonias atque judicia: et vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi in terra, ad quam ingredieris possidendam.

17. Si autem aversum fuerit cor tuum, et audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris deos alienos, et servieris eis:

18. Prædico tibi hodie quod pereas, et parvo tempore moreris in terra, ad quam, Jordane transmisso, ingredieris possidendam.

19. Testes invoco hodie cælum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum:

20. Et diligas Dominum Deum

℣. 11. *Mandatum hoc* toto Deuteronomio contentum, *non supra te est, sed juxta te est valde* — Hoc est, ad manum tibi est, et admodum facile, ut, si velis vel tantillam adhibere diligentiam, possis illud *et in corde* seu memoria discendo habere, *et ore* pronuntiare, et, ut addunt LXX *in manibus* quoque *tuis* habere, hoc est opere complere. Neque enim defutura erat illis divina gratia, qua etiam totam legem implere possent.

Dices, Actorum 15, Petrus ait: *Jugum* legis *neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* Respondeo, Significat illis verbis non impossibilitatem (nam teste sacra Scriptura semper aliqui reperti qui totam legem impleverunt), sed solum magnam difficultatem: tum ob præceptorum multitudinem et gravitatem: tum ob gratiæ parcitatem: neque enim ex opere operato annexa hæc erat Sacramentis aut sacrificiis veteris legis, ut jam contingit in nova lege: sed internis fidei, spei, contritionis, charitatisque actibus emendicanda erat a Deo. Quod quia pauci constanter præstabant, hinc factum, quod reipsa pauci quoque legem totam impleverint: et verum esset quod scribit Apostolus ad Romanos 3, *omnes sub peccato fuisse*, etiam Judæos, et eguisse *gloria Dei et gratia Christi.* Et hoc erat ratio præcipua cur Deus illos tanto tempore in sua infirmitate egestateque hærere permiserit, nempe ut imbecillitatem legis suæ qua plusculum superbiebant, et auxilii divini, gratiæque necessitatem agnoscentes, utpote experimento edocti, promptius ardentiusque ad Deum confugerent, et ad promissum Messiam suspirarent; cujus opera meritoque et legem perfectiorem, et auxilia ampliora certo sibi obventura prænoscirent.

Objicit secundo Brentius: ex hoc loco saltem constare, tam claram esse ubique Scripturam, ut nullo nobis sit opus interprete: multo minus trans mare aut Alpes Romam hoc nomine mittendum. Respondeo: Nego consequentiam, quia hic nulla fit mentio reliquarum Scripturarum, sed solius Deuteronomii, seu legum illarum divinarum quæ omnem populum concernebant. Sed quid hæ tantillæ ad omnes reliquas Scripturas? quæ ut numero plurimæ sunt, ita plurimis locis admodum obscuras esse, ipsi quoque hæretici tot tamque variis suis commentariis aperte demonstrant.

(1) Ad Rom. 10, vers. 6.

tuum, atque obedias voci ejus, et illi adhæreas (ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum) ut habites in terra, pro qua juravit Dominus patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret eam illis.

CAPUT XXXI.

Moyses animos addit populo, et præsertim Josue duci jam populi: scripto consignat Deuteronomium, jubetque illud publice populo prælegi septimo quoque anno remissionis; interim in latere arcæ adservari.

1. Abiit itaque Moyses, et locutus est omnia verba hæc ad universum Israel,

2. Et dixit ad eos: Centum viginti annorum sum hodie, non possum ultra egredi et ingredi, præsertim cum et Dominus dixerit mihi: [1] Non transibis Jordanem istum.

3. Dominus ergo Deus tuus transibit ante te: ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo, et possidebis eas: et Josue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus.

4. Facietque Dominus eis [2] sicut fecit Sehon et Og regibus Amorrhæorum, et terræ eorum, delebitque eos.

5. Cumque ergo et hos tradiderit vobis, [3] similiter facietis eis, sicut præcepi vobis.

6. Viriliter agite, et confortamini: nolite timere, nec paveatis ad conspectum eorum; quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, et non dimittet, nec derelinquet te.

7. Vocavitque Moyses Josue, et dixit ei coram omni Israel: [4] Confortare, et esto robustus: tu enim introduces populum istum in terram, quam daturus se patribus eorum juravit Dominus, et tu eam sorte divides.

8. Et Dominus qui ductor est veester, ipse erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timere, nec paveas.

9. Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, et cunctis senioribus Israel.

10. Præcepitque eis, dicens: Post septem annos anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum,

11. Convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel, audientibus eis,

12. Et in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis, et advenis, qui sunt intra portas tuas: ut audientes discant, et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus;

13. Filii quoque eorum qui nunc ignorant, ut audire possint, et timeant Dominum Deum suum cunctis diebus quibus versantur in terra, ad quam vos, Jordane transmisso, pergitis obtinendam.

14. Et ait Dominus ad Moysen: Ecce prope sunt dies mortis tuæ: voca Josue, et state in tabernaculo

℣. 2. *Non possum ultra egredi et ingredi* — Hoc est, non possum deinceps fungi officio supremi ducis, partim præ senio, cum jam centum viginti sim annorum: partim voluntate et nutu Dei vetantis mihi diutius in vivis esse.

℣. 14. *State in tabernaculo*, hoc est, in atrio ante ostium tabernaculi, ubi

(1) Num. 27, vers. 13; Supr. 3, vers. 27.
(2) Num. 21, vers. 24.
(3) Sup. 7, vers. 2.
(4) Jos. 1, vers. 6; 3 Reg. 2, vers. 2.

testimonii, ut præcipiam ei. Abierunt ergo Moyses et Josue, et steterunt in tabernaculo testimonii:

15. Apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quæ stetit in introitu tabernaculi.

16. Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra, ad quam ingreditur ut habitet in ea: ibi derelinquet me, et irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo.

17. Et irascetur furor meus contra eum in die illo: et derelinquam eum, et abscondam faciem meam ab eo, et erit in devorationem: invenient eum omnia mala et afflictiones, ita ut dicat in illo die: Vere quia non est Deus mecum, invenerunt me hæc mala.

18. Ego autem abscondam, et celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala quæ fecit, quia secutus est deos alienos.

19. Nunc itaque scribite vobis canticum istud, et docete filios Israel: ut memoriter teneant, et ore decantent, et sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel.

20. Introducam enim eum in terram, pro qua juravi patribus ejus, lacte et melle manantem. Cumque comederint, et saturati, crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, et servient eis: detrahentque mihi, et irritum facient pactum meum.

21. Postquam invenerint eum mala multa et afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis sui. Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum.

22. Scripsit ergo Moyses canticum, et docuit filios Israel.

23. Præcepitque Dominus Josue filio Nun, et ait: Confortare, et esto robustus: tu enim introduces filios Israel in terram, quam pollicitus sum, et ego ero tecum.

24. Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, atque complevit:

25. Præcepit Levitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens:

26. Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimonium.

27. Ego enim scio contentionem

Deus in columna nubis sese manifestabat; neque enim licebat Josue intrare intus in Sanctuarium. *Ut præcipiam ei* — Hoc est, ut supremam populi præfecturam, et aliarum rerum gerendarum præcepta, quæ per te hactenus tradidi Josue, jam ipsemet per me eidem tradam. Ita enim fecisse narratur infra v. 23. Et hæ sunt primæ vices quibus Deus locutus est Josue; ut, morituro jam Moyse, auctoritatem illi apud populum conciliaret.

℣. 25. *Præcepit Levitis* — hoc est. *sacerdotibus filiis Levi*, ut dicitur v. 9. Horum enim erat ex officio deferre arcam, ut fecerunt in transitu Jordanis, Josue 3, in eversione murorum Jerichuntinorum, Jos. 6, in dedicatione templi Salomonici, 3 Regum 8, et in quavis alia actione celebriore. Licet possent in hoc munere etiam ab inferioribus Levitis, puta Caathitis, tamquam ab ordinariis ministris suis adjuvari, ut frequentius factum in delatione arcæ per desertum.

℣. 26. *Tollite librum istum*, scilicet Deuteronomium, *et ponite in latere arcæ* — scilicet extra arcam, ubi etiam reposita erat *urna aurea* plena *manna*, et *virga Aaron* quæ fronduerat, ut habetur ad Hebræos 9. Et constat ex 3 Regum 8, vers. 9 nihil aliud in ipsa interiore arca fuisse, nisi duas *tabulas lapideas*, quibus arcæ impositis a Moyse, verisimilius est eam occlusam fuisse, neque umquam deinceps reclusam. Quin et ex 4 Regum 22, et 2 Paralip. 34 colligitur, hunc librum Deuteronomii, non amplius in Sancto sanctorum, sed neque in Sanctuario adservatum, sed in gazophylacium relegatum fuisse ubi thesauri asservabantur: nam expresse dicitur *repertus in gazophylacio*, et inde *ad regem delatus*.

tuam, et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me, et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum: quanto magis cum mortuus fuero?

28. Congregate ad me omnes majores natu per tribus vestras, atque doctores, et loquar audientibus eis sermones istos, et invocabo contra eos cælum et terram.

29. Novi enim quod post mortem meam inique agetis, et declinabitis cito de via, quam præcepi vobis, et occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum.

30. Locutus est ergo Moyses, audiente universo cœtu Israel, verba carminis hujus, et ad finem usque complevit.

CAPUT XXXII.

Canticum cycnæum Moysis jamjam morituri, quod Rabbini vocant summarium seu compendium totius legis: meminit enim potentiæ, sapientiæ, magnificentiæ Dei, creationis cæli et terræ, diluvii, divisionis linguarum et terrarum, electionis populi Israel, cultus solius Dei, beneficiorum toties præstitorum, et præstandorum, resurrectionis mortuorum, etc.

1. Audite, cæli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei.

2. Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina.

3. Quia nomen Domini invocabo: date magnificentiam Deo nostro.

4. Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus.

5. Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus: generatio prava atque perversa.

6. Hæccine reddis Domino, populo stulte et insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?

7. [1] Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi.

8. Quando dividebat Altissimus gentes: quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.

9. Pars autem Domini, populus ejus: Jacob funiculus hereditatis ejus.

℣. 8. *Quando dividebat Altissimus gentes* — in Babylonica linguarum confusione, *quando* per varias orbis regiones, diversas *filiorum Adæ* familias juxta linguarum varietatem ab invicem *separabat;* jam tum, etsi Israeliticus populus necdum existeret, de eo Deus cogitabat, et commodam ei habitationem præparabat, certosque *terminos* et terræ fines, qui a Chananæis *populis* habitari cœperunt, *constituit* destinavitque *juxta numerum filiorum Israel,* hoc est, tot et tantos, quot et quanti necessarii essent ad omnes Israelitas excipiendos, cum eo habitatum venissent. Ita fere Oleaster.

Et causam tam citæ, tam singularis providentiæ mox subnectit, quia ex tunc erat Israel a Deo delectus ac designatus in *partem* seu *funiculum* Dei, id est in portionem ejus hereditariam: quæ quia funibus dividi solebat, *funiculus* seu funis sæpe vocatur in Scripturis [2]. Sensus ergo est, Israelem e tot populis unicum a Deo electum jam inde ab initio fuisse, qui esset quasi proprium Dei peculium, regnum et hereditas: ut ceteri populi præ Israelitico videri possint quasi a Deo relicti, et idololatriæ ac falsis diis tamquam dominis permissi.

(1) Job 8, vers. 8.

(2) Psalm. 15, vers. 77, etc.

10. Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, et vastæ solitudinis: circumduxit eum, et docuit: et custodivit quasi pupillam oculi sui.

11. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.

12. Dominus solus dux ejus fuit: et non erat cum eo deus alienus.

13. Constituit eum super excelsam terram: ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

14. Butyrum de armento, et lac de ovibus cum adipe agnorum, et arietum filiorum Basan: et hircos cum medulla tritici, et sanguinem uvæ biberet meracissimum.

15. Incrassatus est dilectus, et recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.

16. Provocaverunt eum in diis alienis, et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.

17. Immolaverunt dæmoniis, et non Deo, diis quos ignorabant: novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.

18. Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.

19. Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est: quia provocaverunt eum filii sui et filiæ.

20. Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum: generatio enim perversa est, et infideles filii.

21. Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis: et [1] ego provocabo eos in eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos.

22. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima: devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet.

℣. 13. *Mel de petra, oleumque de saxo* — Indicat, montes Palæstinæ tam fertiles esse, ut apes etiam in petris sponte mellificent, et olivæ inter saxa mire fructificent: adeoque nulla terræ pars fertilitate careat, quandoquidem quæ loca alibi fere sunt infœcunda, ibi eximia fœcunditate præstent.

℣. 14. *Cum adipe agnorum.* Adipem separatim comedere numquam poterant Judæi, lege [2] id vetante. Sed hic nomine *adipis,* ut et alibi passim, intelligitur quidquid in quaque re est pinguissimum et optimum. Ergo *adeps agnorum,* idem est atque agni pinguissimi, optimi: *et arietum filiorum Basan* — hoc est, arietum electissimorum, præstantissimorum. Nam in *Basan* regione trans Jordanem, quæ olim Og regis Basan fuerat, et postmodum cessit dimidiæ tribui Manasse, erant uberrima et pinguissima pascua: ut proinde qui ibi pascebantur greges et armenta, ceteris pinguiores essent. Hinc *taurus* [3], *vacca* [4], *aries Basan,* uti passim est in Hebræo, Latini et LXX vertunt fere semper, *pingues* tauros, vaccas, arietes.

℣. 20. *Abscondam faciem meam ab eis* — scilicet in bonum: hoc est, desinam misereri et benefacere illis, sed non abscondam in malum eorum, quia *considerabo novissima eorum,* non pure speculativa consideratione, sed etiam practica, disquirendo mecum, quonam supplicii et calamitatis genere eos perdam, q. d. Calamitosissimos exitus eis immittam, et eorum interitu contemplando me pascam.

℣. 21. *Provocabo eos* ad iram et indignationem *in eo qui non est populus* meus — Id est, Judæos indignari et invidia tabescere faciam super Gentilium populo, qui nunc non est meus populus, immo est populus stultus et fatuus ob cultum idolorum: sed quem ego rejectis Judæis in populum meum assumam, et faciam longe doctiorem ac sapientiorem quam umquam Judæi fuerint. Ita exponit hunc locum S. Paulus ad Romanos 10, vers. 19.

(1) Jerem. 15, vers. 14; Ad Rom. 10, vers. 19.
(2) Levit. 3, vers. ult., et c. 7, v. 23.
(3) Psalm. 21, vers. 13.
(4) Amos. 4, vers. 1.

23. Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis.

24. Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.

25. Foris vastabit eos gladius, et intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.

26. Dixi: Ubinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

27. Sed propter iram inimicorum distuli: ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent: Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit hæc omnia.

28. Gens absque consilio est, et sine prudentia.

29. [1] Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent.

30. Quo modo persequatur unus mille, et duo fugent decem millia? nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit illos?

31. Non enim est Deus noster ut dii eorum: et inimici nostri sunt judices.

32. De vinea Sodomorum, vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum uva fellis, et botri amarissimi.

33. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.

34. Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis?

35. [2] Mea est ultio, et ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum: juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora.

36. Judicabit Dominus populum suum, et [3] in servis suis miserebitur: videbit quod infirmata sit manus, et clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.

℣. 24. *Trahentium* se *super terram* — Periphrasis est *serpentium*, ut sequitur.

℣. 28. *Gens absque consilio est, et sine prudentia* — Spectant hæc ad hostes Israelis, quibus Deus usurus esset ad puniendum Israelem; q. d. Stulte sibi arrogant ejusmodi ultionem de Israelitis sumptam, quasi suis viribus, et non meo jussu ac permissu. Quam vero stulte id sibi arrogent, vel ex ipso successu ac fine colligant licet; qui enim naturaliter fieri posset, ut unus ex hostibus mille Judæos persequeretur ac superaret, et duo decem millia fugaret? Quod si suis id viribus factum arbitrentur, v. g. Assyrii et Chaldæi, cur sese iisdem adversus suos quoque hostes tutati non sunt? Nam et Assyrii mox a Chaldæis, et Chaldæi a Persis pari facilitate devicti, fugati et absorpti sunt.

℣. 32. *De vinea Sodomorum*, etc. — Hic redit ad Israelitas, causamque reddit, cur jussu Dei sint tam graviter puniendi, quia nempe *vinea, uva, et vinum* omne, hoc est omnis illorum vita, omnia studia et actiones, quibus Deum oblectare deberent et homines; jam execrationi sunt omnibus et horrori, quia sunt similes Sodomitarum ac Gomorrhæorum vitæ, studiis et actionibus, hoc est, turpissimæ et fœdissimæ.

℣. 34. *Nonne hæc condita sunt apud me?* q. d. Ne idcirco, quia ultionem differo, existimate me scelerum vestrorum oblitum esse. Sunt enim omnia in mente mea recondita, et quasi sigillo *obsignata in thesauris meis*, seu in gazophylaciis divinæ providentiæ et justitiæ meæ: unde ea, cum præfinitum vindictæ tempus adfuerit, opportune depromam.

℣. 36. *Et in servis suis miserebitur.* Hoc est, ita puniet noxios, ut tamen innoxiorum rationem sit habiturus, et aliorum quoque si resipiscere et pœnitere voluerint, alioqui, si pergant esse noxii, perget et ipse punire, nec commiseratione vel tantilla movebitur, quin potius, quando *videbit quod infirmata sit manus*, seu quod penitus afflicti sint et prostrati, et viribus ad resistendum destituti: *et clausi quoque defecerunt*, hoc est, quod etiam milites et nobiles, qui se urbium et arcium muris tutabantur, perierint; et his pereuntibus *residui* quoque de imbelli populo (quos hi ante prote-

(1) Jerem. 9, vers. 12.
(2) Eccli. 28, v. 1; Rom. 12, v. 19; Hebr. 10, 30.
(3) 2 Mach. 7, vers. 6.

37. Et dicet: [1] Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?

38. De quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum: surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant.

39. Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me: [2] ego occidam, et ego vivere faciam: percutiam, et ego sanabo, [3] et non est qui de manu mea possit eruere.

40. Levabo ad cælum manum meam, et dicam: Vivo ego in æternum.

41. Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea: reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam.

42. Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum, et de captivitate, nudati inimicorum capitis.

43. [4] Laudate gentes populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur: et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terræ populi sui.

44. Venit ergo Moyses, et locutus est omnia verba cantici hujus in auribus populi, ipse et Josue filius Nun.

45. Complevitque omnes sermones istos, loquens ad universum Israel.

46. Et dixit ad eos: Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie: ut mandetis ea filiis vestris custodire et facere, et implere universa quæ scripta sunt legis hujus:

47. Quia non incassum præcepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent: quæ facientes longo perseveretis tempore in terra, ad quam, Jordane transmisso, ingredimini possidendam.

48. Locutusque est Dominus ad Moysen in eadem die, dicens:

49. Ascende in montem istum Abarim, id est, transituum, in montem Nebo, qui est in terra Moab contra Jericho: et vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israel obtinendam, et morere in monte.

50. Quem conscendens jungeris populis tuis, [5] sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, et appositus populis suis:

51. [6] Quia prævaricati estis con-

xerant), *consumpti* sint; insultabit tum rebellibus et idololatris Deus, *Et dicet, Ubi* jam *sunt dii* vestri? — adsint nunc vobis si possint. Pro *miserebitur*, LXX verterunt, *consolabitur* (et ita citatur hic versiculus 2 Mach. 7, vers. 6), id est, subsidio et solatio ipsis erit. Vel, si malis passive accipi, *consolabitur*, idem erit quod *recreabitur*, nempe beneficentia servis suis exhibenda, ex hostibus vero vindicta sumenda. Sequitur.

℣. 42. *Et gladius meus*, seu vindictæ meæ *devorabit carnes*, hoc est, evertet, absumet omnes: neque tamen uno omnes modo, sed partim *de cruore occisorum*, hoc est cruenta occisione, confossione, jugulatione: partim *de captivitate*, id est, abductione in captivitatem, exilium, carcerem: partim *nudati inimicorum capitis* — hoc est, denudatione et decalvatione capitis hostilis. Solebant enim olim victores victis, domini mancipiis, capita in ludibrium decalvare, unde illud de Scipionibus dictum: *Sub quorum titulis Africa tonsa jacet.* Et Prophetæ [7] toties minantur Israelitis calvitium, tamquam extremum ludibrium [8].

℣. 50. *Jungeris populis tuis* — Hoc

(1) Jerem. 2, vers. 28.
(2) 1 Reg. 2, vers. 6; Tob. 13, vers. 2; Sap. 16, vers. 13.
(3) Job 10, vers. 7; Sap. 16, vers. 15.
(4) 2 Mach. 7, vers. 6.
(5) Num. 20, vers. 26, et 27, vers. 13.
(6) Num. 20, vers. 12, et 27, vers. 14.
(7) Michææ 1, vers. ult; Isaiæ, Jerem., etc.

(8) Cutis abrasionem intelligit, non calvitium Benedictinus Martin p. 1 *Expl. loc. Script. difficilior.*, p. 88 seqq. Vide II. Machab. VII, 4, 7. Scythis præsertim familiare fuit id genus supplicii, ut tradit Herodotus l. 1, c. 103 seq Scythas autem Palæstinam ingressos fuisse constat, eaque crudelitatis portenta edidisse, quæ Moses prænunciat, indicare videtur Habacuc III, 13.

tra me, in medio filiorum Israel, ad Aquas contradictionis in Cades deserti Sin: et non sanctificastis me inter filios Israel.

52. Econtra videbis terram, et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israel.

est, morieris: quia morientes adgregantur aliis qui prioribus temporibus e populo vixerunt. De montibus Abarim et Nebo, ubi mortuus est Moyses, vide Numeror. 27, vers. 12. De *prævaricatione* vero et peccato, ob quod exclusus est a terra sancta, vide Num. 20, 12.

CAPUT XXXIII.

Moriturus Moyses benedixit Israeli, et singulis tribubus, eisque obventura olim prædicit.

1. Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses, homo Dei, filiis Israel ante mortem suam.

2. Et ait: Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex.

3. Dilexit populos, [1] omnes sancti in manu illius sunt: et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.

℣. 2. *Dominus de* monte *Sinai venit,* quia in illo monte requievit gloria Dei, ipseque Deus ex vertice ejusdem montis legem suam promulgavit. *Et de Seir* monte Idumææ *ortus est nobis,* quasi novus sol nos vivificans, cum ab ignitis serpentibus læsos serpente æneo nos curavit, Numeror. 20 et 21. Denique novo rursus beneficio *apparuit* nobis *de monte Pharan,* submittens coturnices, et 70 judices populo constituens, Numeror. 11. *Et cum eo sanctorum* angelorum *millia;* Hebræa, LXX et Aquila habent *myriades angelorum,* latera ejus stipantium. *In dextra ejus* insigne nobis paratum donum, *ignea lex* decalogi — Ignea, inquam, quia ex igneo seu ardente monte promulgata: ex igne divini amoris et favoris profecta: et quasi igne excocta, pura, omnique sorde et scoria carens: denique instar ignis intellectum nostrum illuminans, et cor accendens atque inflammans.

℣. 3. *Dilexit populos,* nempe duodecim tribus Israel. Hæc vero *dilectio* causa est omnium beneficiorum partim jam commemoratorum, partim commemorandorum. Ex hac enim dilectione factum, quod *omnes sancti,* scilicet Israelitæ, in sanctum a Deo populum ex toto orbe selecti, *in manu illius sint,* hoc est, in Dei fida certaque protectione. *Et qui appropinquant pedibus ejus,* hoc est, qui se præbent obsequentes discipulos, *accipient de doctrina illius,* qua plene instruentur ad omnem vitæ honestatem ac sanctitatem; q. d. Non auscultabunt doctrinæ vanæ aut profanæ, sed soli *legi* divinæ, *quam* jubente *Deo præcepit* explicuitque populo *Moyses, hereditatem multitudinis Jacob:* hoc est, quæ tam cara, tam pretiosa debet esse omnibus filiis Jacob, quam solet esse hereditas filiis a parente relicta: et sicut *rex* solet esse *apud* populum *rectissimum,* seu recta politia institutum. Qualis *rectitudo* apud Israelitas semper *erit,* quamdiu unanimiter in divinæ legis observationem conspirabunt *principes populi cum tribubus Israel* — Hæc præfatus Moyses de singularibus Dei beneficiis in universum populum, mox singulis seorsim tribubus benedicit, et prophetice olim obventura singulis prænuntiat. De primogenito Ruben vide dicta Genesis 49 [2].

(1) Sap. 3, vers. 1, et 5, vers. 5.
(2) Simeon hic omittitur. Ceterum in Alexandro LXX. Interpretum codice memoratur ℣. 6 hæcque illi tribuitur: *Ruben vivat, et non moriatur; Simeonis filii magno numero sint.*

4. Legem præcepit nobis Moyses, hereditatem multitudinis Jacob.

5. Erit apud rectissimum rex, congregatis principibus populi cum tribubus Israel.

6. Vivat Ruben, et non moriatur, et sit parvus in numero.

7. Hæc est Judæ benedictio: Audi, Domine, vocem Judæ, et ad populum suum introduc eum: manus ejus pugnabunt pro eo, et adjutor illius contra adversarios ejus erit.

8. Levi quoque ait: Perfectio tua, et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, et judicasti ad Aquas contradictionis.

9. Qui dixit patri suo, et matri suæ: Nescio vos: et fratribus suis: Ignoro vos: et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt,

10. Judicia tua o Jacob, et legem tuam o Israel: ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum.

11. Benedic, Domine, fortitudini ejus, et opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum ejus: et qui oderunt eum, non consurgant.

12. Et Benjamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter

℣. 7. *Audi, Domine, vocem Judæ,* hoc est, precem et supplicationem tribus Judæ, qua promissum a te in omnes Israelitas principatum postulat sibi concedi, *et ad populum suum* sibi subjectum tamquam princeps et rex *introduci* solemni inauguratione. Nam sic a te decretum est, *ut manus Judæ pugnent pro* populo universo, tamquam vindices communis omnium salutis. Et de facto tribus Juda fere semper, etiam ante designatos reges, principatum in bellis obtinuit, ut Judicum 1, v. 2, et c. 20, v. 18, et alibi dicitur.

℣. 8. Tribui *Levi ait: Perfectio tua,* et *doctrina tua:* hebraice, *tummim* et *urim, viro sancto tuo* Aaroni data sunt a te. Erant hæ gemmæ pretiosæ in pectorali summi Pontificis collocatæ, de quibus vide Exodi 28, vers. 30. Per quæ sacra pontificatus insignia metonymice intelligit ipsummet pontificatum Aaroni collatum. *Quem probasti in tentatione ad Aquas contradictionis,* Numeror. 20, *et judicasti* — ac punivisti exclusione a terra promissa, adeoque et morte; q. d. Non obstante tamen hac Aaronis offensa, voluisti summi pontificatus honorem penes illius familiam, atque omnia sacerdotalia munia, et sacra templi ministeria penes hanc unam tribum perpetuo remanere, scilicet propter alia ejusdem tribus merita: ac præsertim propter insignem zelum Phinees, et egregium omnium Levitarum facinus, cum, Exodi 32, cultores vituli aurei, nullo facto delectu seu fratrum, seu filiorum, seu parentum, cæco divinæ justitiæ zelo contrucidarunt.

℣. 11. *Percute dorsa inimicorum ejus* — q. d. Tu Deus vicissim sterne inimicos illorum, qui tanto zelo persecuti sunt inimicos tuos. Præsignat his Moyses præclara facinora et victorias sacerdotum Machabæorum, quorum robur bellicum plane fuit admirabile, et triumphi supra modum illustres.

℣. 12. *Benjamin,* ut Jacobo patri suo *amantissimus* fuit, ita et Deo opt. max. tribus illa erit charissima. Patet ex singularibus in eum collatis beneficiis: nam et pinguissimam totius terræ promissæ regionem accepit, in qua erant Jericho et Jerosolyma: et primum Israelitarum regem, Saulem ex sua tribu habuit, et in eadem tribu templum Dei Jerosolymis extructum fuit: in quo Deus *confidenter, tamquam in thalamo suo, inter humeros* dilecti sui *morabatur et requiescebat.* — Licet enim pars Jerosolymæ superior australis, ubi erat mons Sion, pertineret ad tribum Juda: pars tamen inferior et septemtrionalis cum intermedio monte Moria, in quo templum extructum fuit, spectabat ad tribum Benjamin [1]. Neque aliter in Scripturis dicitur *Deus habitasse in monte Sion,* vel *templum fuisse in monte Sion,* quam quod synecdochice *mons Sion* sumatur pro tota urbe Jerosolymitana: et quia cæquata a Salomone voragine *Mello,* quæ inter montem *Sion* et montem *Moria* interjacebat, uterque mons videri unus potuit, majore communicante minori nomen suum.

(1) Lyranus in Gen. 28.

in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet.

13. Joseph quoque ait: De benedictione Domini terra ejus, de pomis cæli, et rore, atque abysso subjacente:

14. De pomis fructuum solis ac lunæ:

15. De vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum:

16. Et de frugibus terræ, et de plenitudine ejus. Benedictio illius [1] qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem nazaræi inter fratres suos.

17. Quasi primogeniti tauri pulcritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ: hæ sunt multitudines Ephraim: et hæc millia Manasse.

18. Et Zabulon ait: Lætare Zabulon in exitu tuo, et Issachar in tabernaculis tuis.

19. Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas justitiæ. Qui inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum.

20. Et Gad ait: Benedictus in latitudine Gad: quasi leo requievit, cepitque brachium et verticem.

℣. 13. De benedictione Joseph dixi Gen. 49. Hic per *poma cæli*, et *poma fructuum solis ac lunæ* — intelliguntur optimi fructus, planeque deliciosi, ob clementem cæli et astrorum influxum in eam regionem quæ obtigit tribubus Ephraim et Manasse; designaturque maxima terræ fœcunditas non solum in planitie et vallibus, sed etiam in *vertice collium et montium*, et quidem *æternorum*, hoc est, ab ipso mundi exordio sic factorum; q. d. Hæc amœnitas et fertilitas non arte aut industria hominum inducta fuit, sed ab ipso Deo data opera a primo mundi exordio concreata. Sic *pulcritudine primogeniti tauri, et cornibus rhinocerotis*, regni Ephraimitici sub *Jeroboam* ejusque successoribus, gloria, decus et robur designatur: ut in simili dixi Numer. 23.

℣. 18. *Lætare Zabulon in exitu tuo*, id est exportatione et importatione mercium omnis generis, *et Issachar in tabernaculis tuis*, in quibus quiete degendo, et agriculturæ vacando, feliciter quoque augebis res tuas. *Populos* reliquarum tribuum *vocabunt ad montem* Dei, seu ad templum, idque duplici via. Prima, studio suo *astrologiæ*, quod cum agricultura maxime quadrat. Unde 1 Paral. 12, v. 32 dicuntur fuisse *de filiis Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora, ad præcipiendum quid facere deberet Israel.* Videtur enim Issacharæis cura demandata fuisse ephemerides, et stata per annum festa describendi, ordinandi neomenias, et, cum opus esset, embolismalem mensem intercalandi: atque ita passim indicandi quibus temporibus ter per annum ad montem sanctum et templum omnibus conveniendum esset, quod ipsum erat tacite invitare et *vocare ad montem*. Altera via quoque vocabunt, exemplo aliis præeundo, nempe copiosas *victimas justitiæ*, seu lege debitas, ex fructuum suorum ubere proventu, quotannis immolando, quoties ad templum ascenderent; q. d. In eo reliquis præcellent et præibunt. Sed vicissim Deus illis quoque copiosius benedicet: *nam inundationem maris quasi lac sugent*, hoc est, opibus ac deliciis externis, quas mare navibus affundet illis, affluent, *et thesauris absconditis arenarum*, id est, auro, argento, gemmis aliunde invectis, quæ e terra vel arenis effodi solent, mire abundabunt.

℣. 20. *Benedictus Gad*, primo, *in latitudine* — hoc est, propter latam et spatiosam regionem, quam trans Jordanem obtinuit. Secundo ob fortitudinem bellicam, et devictis hostibus securitatem, quia *quasi leo* victor et dominator omnium securus et neminem timens *quiescat*; et leonis in morem, qui prædæ quam cepit, *brachium* seu armum, simul *et verticem* seu caput, uno impetu et unguium impressione a reliquo corpore divellit, Gaditæ adversarios suos eorumque duces ac reges discerpent. Tertio, ob *principatum suum*, hoc est, singularem

(1) Exod. 3, vers. 2.

21. Et vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus: qui fuit cum principibus populi, et fecit justitias Domini, et judicium suum cum Israel.

22. Dan quoque ait: Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan.

23. Et Nephthali dixit: Nephthali abundantia perfruetur, et plenus erit benedictionibus Domini: mare et meridiem possidebit.

24. Aser quoque ait: Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, et tingat in oleo pedem suum.

25. Ferrum et æs calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua.

26. Non est deus alius ut Deus rectissimi: ascensor cæli auxiliator tuus. Magnificentia ejus discurrunt nubes.

27. Habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna: ejiciet a facie tua inimicum, dicetque: Conterere.

28. Habitabit Israel confidenter, et solus. Oculus Jacob in terra frumenti et vini, cælique caligabunt rore.

29. Beatus es tu Israel: quis similis tui, populo, qui salvaris in Domino? scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis.

excellentiam qua præ reliquis tribubus gaudet: *quod in parte sua doctor* totius populi, puta Moyses, *esset repositus*, quia mons Nebo, ubi sepultus est Moyses, intra terminos Gaditarum continetur.

℣. 22. *Dan* fortis erit et audax ut *catulus leonis*. Patuit exemplo Samsonis. *Fluet largiter* — Hoc est, largissimum maximumque fluvium subministrabit reliquæ terræ sanctæ. Nam ex hac tribu ad radices Libani duo fontes ac rivi oriuntur *Jor* et *Dan* dicti, qui prope urbem *Dan* coeuntes *Jordanem* efficiunt. Qui tamen *de Basan* quoque profluere hic dicitur, quia primam suam originem per subterraneos meatus accipit ex *Basan*, puta ex *Phiala* fonte seu lacu, ut experimento deprehendit etiam Philippus Tetrarcha, sarcinulis in eum lacum conjectis, et postea in fonte *Dan* repertis, teste Josepho, Hegesippo, Adrichomio et aliis [1].

℣. 24. *Aser benedictus* erit primo, *in filiis*, nempe prolibus quæ ob eximiam formam *fratribus*, seu ceteris reliquarum tribuum futuræ sint in amore et deliciis: eritque hæc forma non fluxa, nec imbellis, sed constans et robusta, *sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua*, hoc est, perduratura in longam senectutem. Secundo, copia *olei*, ut præ abundantia possit etiam *in oleo* quasi aqua *pedes* quotidie lavare. Huc etiam allusit Jacob, Genes. 49, eidem tribui benedicens, *Pinguis*, inquit, *panis ejus, et præbebit delicias regibus*. Tertio, fodinis *ferri et æris*, tam copiosis, ut etiam calceos inde conficere possent si vellent. Forte etiam moris apud eos fuit, calceorum fulmentis ac soleis tum subtus, tum ad latus clavos impingere, ferreos pro rusticis ac plebejis, æneos pro honestioribus. Nam id olim etiam apud Romanos, et Syros, et alios populos usitatissimum fuisse testes sunt Juvenalis, Josephus, Plinius, Valerius Maximus [2].

℣. 28. *Oculus Jacob in terra frumenti et vini*. Hoc est, oculi posterorum Jacob contemplabuntur terram sibi datam frumenti et vini supra modum feracem: *cælique caligabunt rore* — nempe tam copiosus ros decidet, ut caligine densaque nebula solem cælumque nobis obtegat. Quæ res ad frugum et fructuum abundantiam mire confert.

(1) Joseph. l. 3 Belli, c. 18; Adrich. in Jordane et Phiala.

(2) Juvenalis satyra 3; Joseph. l. 7 Belli, c. 3; Plin. l. 33, c. 3; Valer. Max. l. 9, c. 1.

CAPUT XXXIV.

Moyses e Phasga, vertice montis Nebo contemplatus terram Chanaan, jussu Dei moritur, ab angelo sepelitur, a populo plangitur. Cui Josue succedit in munere.

1. Ascendit [1] ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga contra Jericho: ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan,

2. Et universum Nephthali, terramque Ephraim et Manasse, et omnem terram Juda usque ad mare novissimum,

3. Et australem partem, et latitudinem campi Jericho civitatis palmarum usque Segor.

4. Dixitque Dominus ad eum: [2] Hæc est terra, pro qua juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam.

5. Mortuusque est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino:

6. Et sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor: et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem.

7. Moyses centum et viginti an-

℣. 3. *Civitatis palmarum* — Sic passim in Scripturis [3] Jericho vocatur, quod palmis abundaret, teste Josepho [4].

℣. 5. *Mortuusque est ibi Moyses* — Prima die mensis duodecimi, inquit Josephus [5], vel septima die, ut in Seder-Olam [6] notatur. Atque ex his verbis constat, Moysen non servari etiamnum in vivis, ut cum Enoch et Elia prodeat contra Antichristum, uti sensit Ambrosius Catarinus, Arboreus, et alii citati a Suarez 3 p. q., 45, art. 3 [7].

Petes, Cur ergo sepulcrum ejus hucusque incognitum? Cur neminem morti illius adesse voluit Deus? Respondeo, Ne Israelitæ ad idololatriam procliviores, virum tam admirabilem ac prope divinum pro Deo haberent, illiusque cadaver pro numine colerent. Et hæc erat etiam altercatio Michaelis Archangeli cum diabolo de Moysis corpore, cujus meminit S. Judas vers. 9 suæ epistolæ: nempe volebat diabolus, ut Moysis sepulcrum innotesceret Israelitis, atque ita in idololatriam pellicerentur: Michael vero, ne quid tale contigeret, voluit occultum servari.

In terra Moab — Quomodo mortuus et sepultus est Moyses *in terra Moab*, cum Moabitarum regionem non occuparint Israelitæ, Deo id vetante Deuter. 2, vers. 9? Respondeo, vetuit Israelitas Deus eam Moabitarum regionem occupare quam tum temporis illi pacifice incolebant. Sed non vetuit, immo jussit, occupari eam ex qua fuerant jam pridem ab Amorrhæis ejecti; quæ tamen passim antiquo adhuc nomine etiam in Scriptura, *terra Moab* vocatur: et in hac erat mons Nebo altissimus montium *Abarim*, in cujus vertice omnium sublimissimo *Phasga* mortuus et sepultus est Moyses, Numerorum 21 et 27.

℣. 6. *Et sepelivit eum* — Quis cum nullus hominum præsens adesset? Respondeo, Deus ope angelorum, ut habent LXX secundum explicationem Philonis et Epiphanii [8]. Idque ob causas jam dictas, quia alias innotuisset locus sepulcri: cum tamen hic dicatur, *Non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem.* Ex quibus etiam verbis patet, hæc non a Moyse, sed ab alio quopiam huic libro inserta fuisse, et verisimilius a Jo-

(1) Sup. 3, vers. 27; 2 Mach. 2, vers. 4.
(2) Gen. 12, vers. 7, et 15, vers. 18.
(3) Judic. 1, vers. 16, et c. 3, vers. 13, et 2 Paralip. 28, vers. 15.
(4) Lib. 4 Antiq., c. 5, et l. 5 Belli, c. 4.
(5) Lib. 4 Antiq., cap. ult.
(6) Chron. cap. 19 in fine.
(7) Confer Calmetium in diss. *de morte et sepultura Moysis*, et Bollandianos tom. 2 Sept. in Comm. *de S. Moyse*, § 50, num. 582 seqq. Aliqua dabit etiam Gilletus *in 4 Lib Judaic. Ant. adnot. 9.*
(8) Philo lib. 3 de Vita Moysis; Epiph. hæresi 9.

norum erat quando mortuus est: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.

8. Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus: et completi sunt dies planctus lugentium Moysen.

9. Josue vero filius Nun repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israel, feceruntque sicut præcepit Dominus Moysi.

10. Et non surrexit ultra propheta in Israël sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem,

11. In omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in terra Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius,

12. Et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram universo Israel.

sue successore illius, et rerum post mortem ejus gestarum accurato scriptore, ut patebit ex libro sequenti. Quin immo totum hoc caput, et plura quoque alia loca ab eodem Josue hinc inde in Pentateucho, maxime ubi Moyses effuse laudatur, inserta fuisse, plurimorum est opinio, quod censeant, virum tam modestum in laudes proprias numquam tam ample excursurum.

LIBER JOSUE

Ab ipsomet Josue conscriptus, gesta ipsius per annos 17 complectitur.

CAPUT I.

Corroboratus a Deo Josue monet populum, ut ad Jordanem trajiciendum se paret in diem tertium: et tribus Ruben, Gad et dimidiam Manasse, ut fratres suos armati præcedant ex condicto.

1. Et factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Moysi, et diceret ei:

2. Moyses servus meus mortuus est: surge, et transi Jordanem istum tu, et omnis populus tecum, in terram, quam ego dabo filiis Israel.

3. [1] Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi.

. ℣. 1. *Ad Josue filium Nun* — De nomine hoc ipsi per Moysen imposito vel potius immutato dixi Numer. 13, v. 17. Ubi et exposui, quomodo Josue typus fuerit Christi, non modo nomine suo, sed et rebus in bello præclarè gestis. In hoc vero libro, ex transitu Jordanis, ex Chananæorum subversione, ex plurimis stupendisque prodigiis, ex distributione terræ populo jam victori, longe id clarius certiusque innotescet. Scripsit autem hunc librum verisimilius ipsemet Josue, si pauculas exceperis lineas c. 10, v. 13 de *libro justorum* (qui posterior est temporibus Davidis, cujus, uti et Saulis et Jonathæ [2] in eo fit mentio): et cap. 15, v. 16 de *Axa* filia Caleb, et cap. 19, vers. 47 de *Lesem* expugnata (quæ contigerunt post mortem [3] Josue): et cap. ult. a v. 29 usque ad finem, de morte Josue: nam hæc vel ab Eleazaro pontifice, ut volunt Thalmudici: vel ab Esdra, ut alii, adjecta fuerunt: ut etiam Pentateucho quædam post mortem Moysis inserta hinc inde fuisse, dixi in fine ult. cap. Deuteronomii. Ita Junilius, Dorotheus, Vatablus, Abulensis, Driedo, Pineda [4] et Hebræi. Quin et cap. ult. vers. 26 diserte dicitur Josue *scripsisse omnia verba hæc in volumine legis Domini.* Hoc est in codice qui in arca erat, et legem Domini a Moyse conscriptam complectebatur. Denique occasione hujus libri ab ipsomet Josue conscripti, dicit Ecclesiasticus c. 46, v. 1, *Josue successorem* fuisse *Moysi in prophetiis*, ut est in Græco. *In prophetiis*, inquam, id est in SS. Scripturis concinnandis, et non ore solo sed et calamo exprimendis, posterisque tradendis.

(1) Deut. 11, vers. 24.
(2) 2 Reg. 1, vers. 18.
(3) Ut patet ex Judicum cap. 1 et 18.

(4) Junil. l. 1 de partibus div. legis, cap. 8; Doroth. in Synopsi; Driedo lib. 1, c. 3; Pineda præfat. 3 in Job.

4. A deserto et Libano usque ad fluvium magnum Euphraten, omnis terra Hethæorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester.

5. Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ: [1] sicut fui cum Moyse, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te.

6. [2] Confortare, et esto robustus: tu enim sorte dives populo huic terram, pro qua juravi patribus suis, ut traderem eam illis.

7. Confortare igitur, et esto robustus valde: ut custodias, et facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus: ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis.

8. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam, et intelliges eam.

9. Ecce præcipio tibi, confortare, et esto robustus. Noli metuere, et noli timere: quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus, ad quæcumque perrexeris.

10. Præcepitque Josue principibus populi, dicens: Transite per medium castrorum, et imperate populo, ac dicite:

11. Præparate vobis cibaria: quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis.

12. Rubenitis quoque et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse ait:

13. Mementote sermonis, quem præcepit vobis Moyses famulus Domini, dicens: Dominus Deus vester dedit vobis requiem, et omnem terram.

14. [3] Uxores vestræ, et filii, ac jumenta manebunt in terra quam tradidit vobis Moyses trans Jordanem: vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, et pugnate pro eis,

15. Donec det Dominus requiem fratribus vestris sicut et vobis dedit, et possideant ipsi quoque terram, quam Dominus Deus vester daturus est eis: et sic revertemini in terram possessionis vestræ, et habitabitis in ea, quam vobis dedit Moyses famulus Domini trans Jordanem contra solis ortum.

16. Responderuntque ad Josue, atque dixerunt: Omnia, quæ præcepisti nobis, faciemus: et quocumque miseris, ibimus.

17. Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi: tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse.

18. Qui contradixerit ori tuo, et non obedierit cunctis sermonibus, quos præceperis ei, moriatur; tu tantum confortare, et viriliter age.

℣. 4. *A deserto et Libano* — Termini hic describuntur terræ promissæ, de quibus egi Deuter. 1, v. 7.

℣. 11. *Post diem tertium transibitis Jordanem* — Petes, quomodo id subsistit, cum capite demum sequenti sint missi exploratores in Jericho, et hi triduo latitarint in montibus: et post reditum illorum hæserint adhuc tres dies Hebræi apud Jordanem, ut dicitur cap. 3, v. 1? Respondeo, Hæc per *hysteron proteron* hic dicuntur anticipative: nam missio exploratorum, adeoque totum caput secundum præponi debet huic Josue præcepto per castra divulgato: ita ut tres dies, quorum hic fit mentio, sint iidem cum illis tribus diebus qui habentur c. 3, v. 1. Ita Abulensis et alii Doctores.

(1) Infr. 3, vers. 7; Ad Hebr. 13, vers. 5.
(2) Deut. 31, vv. 7, 23; 3 Reg. 2, vers. 2.
(3) Num. 32, vers. 26

CAPUT II.

Missi exploratores in urbem Jericho, a meretrice Rahab occultantur: et promissa omni familiæ ipsius indemnitate, per fenestram domus ejus func demissi, redeunt incolumes in castra.

1. Misit igitur Josue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito, et dixit eis: Ite, et considerate terram, urbemque Jericho. [1] Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, et quieverunt apud eam.

2. Nuntiatumque est regi Jericho, et dictum: Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filiis Israel, ut explorarent terram.

3. Misitque rex Jericho ad Rahab, dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, et ingressi sunt domum tuam: exploratores quippe sunt, et omnem terram considerare venerunt.

¶. 1. *Mulieris meretricis* — An ergo proprie dictum scortum fuit Rahab? Negant quidam Rabbini, et cum his Lyranus, Vatablus, Pagninus, Arias Montanus et Titelmannus [2], qui nomine *meretricis cauponariam*, vel *hospitam* intelligunt, quo modo etiam Chaldæus vertit. Ratio horum præcipua est, quod, si scortum fuisset, numquam eam duxisset uxorem *Salmon* vir amplissimus, et tribus Judæ princeps nobilissimus: multo minus voluisset Christus [3] ex ea procreari. Sed verisimilius est, fuisse publicum *scortum*, et forsan ex iis *sacris scortis*, quæ in honorem deorum (v. g. *Lunæ* quæ in *Jericho* maxime colebatur), corpora sua prostituebant, de quibus egi Deuter. 23, vers. 17. Et quomodo alias tulissent parentes filiam suam adhuc juvenculam, sine marito, sine liberis, seorsim extra domum paternam, juxta urbis portam habitare? nisi et sibi et filiæ suæ id honorificum putassent, utpote in obsequium et cultum magnæ deæ? quomodo item satellites regii tam facile fidem habuerunt verbis Rahab, neque irruperunt vi in domum? nisi quod revererentur illam tamquam sacram. Ita Serarius, qui plurimis rationibus, et patrum auctoritatibus id probat. Et certe Hebræum *zonah*, Græcum πόρνη, et Latinum *meretrix* nonnisi in malam partem pro *scorto* sumi solent. Ad factum *Salmonis* Respondeo, ejusmodi sacra scorta non solere ex vilioribus esse, sed sæpe ex nobilissima stirpe, et opibus et honore præcelluisse. Testes sint Megarensis illa *Nicarete*, et Argiva *Biblistiche*, et aliæ apud Athenæum, Villalpandum et Martinum de Roa [4]. Quidquid vero sordium ex hoc meretricio in cæca illa gentilitatis nocte contraxit, sua ad Deum conversione totum eluit: et insigni sua in Hebræos exploratores (quorum forsan unus fuit hic *Salmon*) pietate, obsequio ac fide, thorum principis hujus promerita fuit. Quod si Abydeni tantopere adlaborarunt, ut meretrici, cujus indicio servitutem depulerant, gratiam referrent, teste Athenæo; an mirum videbitur, etiam Israelitas, qui non minori a Rahab beneficio affecti fuerant, omni studio conatos esse se gratos eidem exhibere? Pro Christo respondet S. Hieronym. [5], in genealogia Salvatoris Scripturam non meminisse sanctarum mulierum, sed solum illarum quæ alicujus turpitudinis labe insignes fuissent, v. g. *Thamar, Rahab, Ruth et Bersabee*. Ut, qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, se omnium peccata delere velle demonstraret. Idem tradunt S. Ambrosius, Chrysostomus, Euthymius et alii.

(1) Ad Hebr. 11, vers. 31; Jac. 2, vers. 25.
(2) In Matth. 1, alii in hunc locum.
(3) Matth. 1, vers. 5.
(4) Athen. l. 13; Villalp. in Ezech. 43, vers. 79; Martin. de Roa l. 2 Singular., c. 9 et 10, et lib. 3, cap. 9, etc.
(5) In Matth. 1.

4. [1] Tollensque mulier viros, abscondit, et ait: Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam unde essent:

5. Cumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt, nescio quo abierunt: persequimini cito, et comprehendetis eos.

6. Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitque eos stipula lini, quæ ibi erat.

7. Hi autem qui missi fuerant, secuti sunt eos per viam quæ ducit ad vadum Jordanis: illisque egressis statim porta clausa est.

8. Necdum obdormierant qui latebant, et ecce mulier ascendit ad eos, et ait:

9. Novi quod Dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores terræ.

10. Audivimus quod [2] siccaverit Dominus aquas maris Rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto: [3] et quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Jordanem, Sehon et Og, quos interfecistis.

11. Et hæc audientes pertimuimus, et elanguit cor nostrum, nec remansit nobis spiritus ad introitum vestrum: Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in cælo sursum, et in terra deorsum.

12. [4] Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita et vos faciatis cum domo patris mei: detisque mihi verum signum,

13. Ut salvetis patrem meum et matrem, fratres ac sorores meas, et omnia quæ illorum sunt, et eruatis animas nostras a morte.

14. Qui responderunt ei: Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos, cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te misericordiam et veritatem.

15. Demisit ergo eos per funem de fenestra: domus enim ejus hærebat muro.

16. Dixitque ad eos: Ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes: ibique latitate tribus diebus, donec redeant, et sic ibitis per viam vestram.

17. Qui dixerunt ad eam: Innoxii erimus a juramento hoc, quo adjurasti nos.

18. Si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, et ligaveris eum in fenestra, per quam demisisti nos: et patrem tuum ac matrem, fratres-

℣. 4. *Nesciebam unde essent* — Joseph Abbas apud Cassianum [5], Joannes Calvinus et David Chrythræus volunt *Rahab* hic sæpius mentiri quidem, sed non peccare: Tremellius et Junius Calvini assecłæ, ne quidem mentiri illam volunt, sed, quasi de aliis, qui ante ad se diverterant, loqui. Verum nimis aperta sunt hic quatuor illius mendacia, quam ut celari vel excusari possint: minuta sunt tamen et venialia, quia officiosa. Ita S. Augustinus, Rupertus [6], Abulensis, Lyranus et alii. Nam licet in temporalem perniciem et proditionem suæ gentis mentiretur, tamen, quia Dei seu revelatione, seu instinctu sciebat gentem suam a Deo jam proscriptam, et Hebræis deditam, certoque ab ipsis capiendam, ut patet vv. 9 et 10, potuit huic Dei decreto cooperari, ac saltem se suosque parentes amicosque in tuto collocare voluit, fortissima fide ac pietate pro Deo, pro Hebræis, pro parentibus morti sese objiciens, ad Hebræos 11, v. 31. Qua fide, ac pio fortitudinis, charitatis et obedientiæ opere docet eam S. Jacobus fuisse justificatam, cap. 2 suæ epistolæ vers. 25. Quomodo vero potuerit uno eodemque opere, qua parte malum fuit, Deum offendere; qua parte bonum, promereri mercedem, ostendi in simili obstetricum Ægyptiarum facto, Exodi 1, v. 22.

(1) Infra 6, vers. 17.
(2) Exod. 14, vers. 21. (3) Num. 21, vers. 24.
(4) Infr. 6, vers. 22.
(5) Collat. 17, c. 17.
(6) August. l. contr. mendacium, c. 15 et 17; Rupert. l. 1, c. 21.

que et omnem cognationem tuam, congregaveris in domum tuam.

19. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus, et nos erimus alieni. Cunctorum autem sanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit.

20. Quod si nos prodere volueris, et sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc juramento, quo adjurasti nos.

21. Et illa respondit: Sicut locuti estis, ita fiat; dimittensque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra.

22. Illi vero ambulantes pervenerunt ad montana, et manserunt ibi tres dies, donec reverterentur qui fuerant persecuti: quærentes enim per omnem viam, non repererunt eos.

23. Quibus urbem ingressis, reversi sunt, et descenderunt exploratores de monte: et, transmisso Jordane, venerunt ad Josue filium Nun, narraveruntque ei omnia quæ acciderant sibi,

24. Atque dixerunt: Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, et timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus.

CAPUT III.

Siccatum miraculo Jordanem, præeunte arca, transeunt Israelitæ.

1. Igitur Josue de nocte consurgens movit castra; egredientesque de Setim, venerunt ad Jordanem ipse et omnes filii Israel, et morati sunt ibi tres dies.

2. Quibus evolutis, transierunt præcones per castrorum medium,

3. Et clamare cœperunt: Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, et sacerdotes stirpis Leviticæ portantes eam, vos quoque consurgite, et sequimini præcedentes:

4. Sitque inter vos et arcam spatium cubitorum duum millium: ut procul videre possitis, et nosse per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulastis per eam: et cavete ne appropinquetis ad arcam.

℣. 4. *Sit inter vos et arcam spatium cubitorum duum millium* — seu pedum trium millium. Hoc spatium erat *iter sabbati*, Actor. 1, inquit Josephus, Clemens Alexandrinus [1], Œcumenius, Theophylactus, et ex his Suidas.

Petes, Cur tantum voluit Deus interesse spatium seu intervallum? Respondeo, primo, ut honos ipsi arcæ, sacerdotibusque ipsius bajulis a populo major esset. Secundo, ut Deus, qui per arcam designabatur, omnibus palam faceret, sua solius potentia siccari Jordanis alveum, et ingressum in Palæstinam patefieri: se nullius egere auxilio aut præsentia: nullum quoque timere mortalium, etsi solus præcederet, etc. Tertio, ut Hebræi viam, qua gradiendum esset, viderent eminus, non simpliciter, sed cum admiratione, animorum exultatione, divinæque majestatis veneratione et deprædicatione. Quarto, ne quis laicorum se sacerdotalibus officiis ullo modo ingereret. Quinto, allegorice, ut significaret, quam procul a Christi per arcam designati perfectione ac præstantia nos homuli et peccatores absimus.

Petes, secundo, An columnam nubis non amplius habuerint itineris sui ducem? Respondeo, cum Augustino, Abulensi, Hugone, Cajetano et Serario, non amplius habuisse sed illam quasi jam perfunctam officio suo, quo in invio deserto deservierat Hebræis, ipsos ad Jordanem deseruisse. Mystice, in veri Josue seu *Jesu* Christi principatu nulla amplius est nubes, nulla caligo.

(1) Joseph. l. 20 Antiq., c. 6; Clem. l. 5 Strom.

5. Dixitque Josue ad populum: Sanctificamini: cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.

6. Et ait ad sacerdotes: Tollite arcam fœderis, et præcedite populum. Qui jussa complentes, tulerunt, et ambulaverunt ante eos.

7. Dixitque Dominus ad Josue: Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel: ut sciant quod [1] sicut cum Moyse fui, ita et tecum sim.

8. Tu autem præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, et dic eis: Cum ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in ea.

9. Dixitque Josue ad filios Israel: Accedite huc, et audite verbum Domini Dei vestri.

10. Et rursum: In hoc, inquit, scietis quod Dominus Deus vivens in medio vestri est, et disperdet in conspectu vestro Chananæum et Hethæum, Hevæum et Pherezæum, Gergesæum quoque et Jebusæum, et Amorrhæum.

11. [2] Ecce, arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Jordanem.

12. Parate duodecim viros de tribubus Israel, singulos per singulas tribus.

13. Et cum posuerint vestigia pedum suorum, sacerdotes qui portant arcam Domini Dei universæ terræ, in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient: quæ autem desuper veniunt, in una mole consistent.

14. Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, ut transiret Jordanem: et sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum.

15. Ingressisque eis Jordanem, et pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Jordanis autem ripas alvei sui tempore [3] messis impleverat)

16. Steterunt aquæ descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes apparebant procul,

℣. 5. *Sanctificamini* — Exterius, *lotione vestium et secubitu ab uxoribus*; hunc enim sanctificationis externum ritum præscripserat illis Deus Exodi 19, vv. 10 et 15. Interius vero, firma fide, certaque spe obtinendorum a Deo quæ ipse promiserat. Hanc enim rationem cur *sanctificari* eos velit, dat continuo Josue, *Cras enim*, inquit, *faciet Dominus inter vos mirabilia.*

℣. 15. *Jordanis ripas alvei sui impleverat tempore messis* — puta hordeaceæ jam maturescentis: erat enim jam decimus dies Nisan (qui nostro fere Martio respondet), cum Jordanem transirent [4] Hebræi.

Nota. Sicut Nilus et Tigris, ita etiam Jordanis exundare solet, ut dicitur Genesis 13, vers. 10. Et hic quidem mense Martio, ob nives quæ sub id tempus e vicinis montibus liquatæ defluunt. Elegit vero Deus trajectui Hebræorum tempus istud exundationis, ut tanto majus et patentius esset miraculum. *Steterunt aquæ* Jordanis quæ a capite fontis defluxerant, *in loco uno* seu tumulo uno, puta a *Bethabara*, id est a *domo* seu loco trajectus Hebræorum, usque ad urbem *Adom*; hebraice *Adam quæ est a latere Sarthan*, hoc est, ex eodem sita est Jordanis latere urbs ignota *Adam*, ex quo notior *Sarthan*, puta circa mare Tiberiadis, seu ad lacum Genezareth. Intumuit ergo et immotus stetit Jordanis fere a mari Mortuo, usque ad mare Galilææ, hoc est, per viginti circiter milliaria: retento impetu aquarum, inquit Theodoret. [5], instar montis intumescentium; quia terminum ponebat aquis ipse aquarum opifex, qui quovis adamantino muro fortius ipsas retinebat [6].

Nota. Hoc eodem loco, quo Hebræi

(1) Sup. 1, vers. 5.
(2) Act. 7, vers. 45.
(3) Eccli. 24, vers. 36.
(4) Josue 9, vers. 19. (5) Quæst. 1.
(6) De more miraculum hoc longe insignissimum extenuat Josephus, quamobrem a P. Limpenio (non *Pinio*, quod Gilletus perperam scripsit) in Actis Sanctorum reprehenditur tom. 1 *Sept.*, pag. 30. Gilletus tamen in *lib. 5 Judaic. Ant. cap. 2*, Josephum defendit, eumque Scriptura conatur conciliare, etsi Abbati quoque Artigny visus est Josephus Scripturæ adversari. Vide tom. 3 *Novorum monumentorum historiæ, criticæ, etc.*, art. LIII, pag. 95. Sunt alii, qui Jordanem nullo miraculo trajici potuisse blasphement: eos confutat Shuckfordius tom. 3 *Hist. Orb. sacr. et prof.*, p. 318 seqq.

ab urbe quæ vocatur Adom usque ad locum Sarthan: quæ autem inferiores erant, in mare Solitudinis (quod nunc vocatur Mortuum) descenderunt, usquequo omnino deficerent.

17. Populus autem incedebat contra Jericho: et sacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti; omnisque populus per arentem alveum transibat.

transierunt sicco vestigio Jordanem, baptizavit postea Joannes, puta in *Bethabara*, Joan. 1, v. 28, sic enim ibi, pro *Bethania* legendum volunt Chrysostomus, Epiphanius [1], Theophylactus, Œcumenius et plures alii. Scilicet, ut quo loco baptismus prodigioso Hebræorum transitu primum fuerat adumbratus, eodem quoque perficeretur a S. Joanne et Christo. Ideoque multi quoque Christiani, teste S. Hieronymo [2], voluerunt postea eodem in loco sacris baptismi aquis renasci. De *mari Mortuo*, de mari Galilææ seu Tiberiadis, seu stagno Genezareth vide quæ dixi Genesis 19 et Num. 34.

(1) Hæresi 15. (2) In locis Hebr.

CAPUT IV.

Duodecim lapides e fundo Jordanis ad posterorum memoriam efferuntur, locanturque in Galgalis; et alii duodecim in ipso Jordanis alveo, ubi arca steterat, eriguntur.

1. Quibus transgressis, dixit Dominus ad Josue:

2. Elige duodecim viros singulos per singulas tribus:

3. Et præcipe eis, ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria.

4. Vocavitque Josue duodecim viros, quos elegerat de filiis Israel, singulos de singulis tribubus.

5. Et ait ad eos: Ite ante arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium, et portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israel,

6. Ut sit signum inter vos: et quando interrogaverint vos filii vestri cras, dicentes: Quid sibi volunt isti lapides?

7. Respondebitis eis: Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini, cum transiret eum: idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel usque in æternum.

8. Fecerunt ergo filii Israel sicut præcepit eis Josue, portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei imperarat, juxta numerum filiorum Israel usque ad locum in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos.

9. [1] Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, et sunt ibi usque in præsentem diem.

(1) Vers. 9. *Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo ubi steterunt sacerdotes, qui portabant arcam fœderis; et sunt ibi usque in præsentem diem*, Shuckfordius tom. 3, pag. 417. " In Hebræum textum irrepsisse mendum existimat, et pro *Betok in medio* legendum *mittok de medio;* ut hoc versu idem significetur, quod v. 20. At cur quæso Hebræum textum sollicitemus quem LXX et Chaldæus Interpres sic legere, quemadmodum Vulgatæ Auctor? Immo inutilis omnino, et extra rem ejusmodi repetitio fuisset. Sednempe Josephus nihil de his 12 lapidibus in Jordanis medio positis, nihil Arabica versio habet: Syriaca vero: *Lapides, inquam, duodecim erexerunt, quos tulerunt e medio Jordanis de sub pedibus, sacerdotum.* Præterea, inquit Shuckfordius, nusquam legimus, id Deum jussisse. Tandem inutile fuisset hujusmodi monumentum, quod aquæ *reversæ in alveum suum*, v. 18, abstulissent. At facile est hosce cavillos dissolvere. Arabica enim versio versum 9 omittit: Syriacæ opponimus Chaldæam, et LXX, Ecclesiæ judicio consecratam. Josephi silentium

10. Sacerdotes autem, qui portabant arcam, stabant in Jordanis medio, donec omnia complerentur, quæ Josue, ut loqueretur ad populum, præceperat Dominus, et dixerat ei Moyses. Festinavitque populus, et transiit.

11. Cumque transissent omnes, transivit et arca Domini, sacerdotesque pergebant ante populum.

12. Filii quoque Ruben, et Gad, et dimidia tribus Manasse, armati præcedebant filios Israel, [1] sicut eis præceperat Moyses:

13. Et quadraginta pugnatorum millia per turmas et cuneos incedebant per plana atque campestria urbis Jericho.

14. In die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israel, ut timerent eum, sicut timuerant Moysen, dum adviveret.

15. Dixitque ad eum:

16. Præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, ut ascendant de Jordane.

17. Qui præcepit eis, dicens: Ascendite de Jordane.

18. Cumque ascendissent portantes arcam fœderis Domini, et sic-

℣. 10. *Donec omnia complerentur*, etc. — Ex his colligitur, ducem Josue intra alveum Jordanis juxta sacerdotes et arcam constitisse, transeuntique populo memoriam tum præsentis beneficii, tum præteritorum omnium, unaque legis divinæ custodiam serio et acriter inculcasse, juxta monita Moysis, Deuteron. 3 in fine, et quarti initio.

Nota. Arca, quæ Deum designabat quasi regem solio suo insidentem, prima omnium transitum per Jordanem aperuit, prima ingressa est: sed in medio alvei tantisper immota substitit, humeris innixa sacerdotum, quoad omnis populus cum omnibus proselytis et advenis (qui plusquam tricena hominum millia conflabant) cum gregibus et impedimentis omnibus in adversam ripam evasisset. Tum rursus ultra ripam populum ad bis mille cubitos præcessit, et ducem viæ se præbuit usque in Galgalam.

Allegorice hæc Christo omnia, et sancti Baptismi et pœnitentiæ lavacro: quin et morti hominis christiani pulcre applicant Origenes [2], Hieronym., Rupertus, Theodoretus. Nempe si Deo nos regenti, probanti, manuducenti obsequentes fuerimus, si magno animo, si generosa constantia ad finem usque ei servierimus, etsi millenis cingamur hostibus, ipse tutos nos et illæsos non modo per aquas, sed et per aera in cælum rapiet, per medias flammas in Beatorum regionem transvehet.

Nota secundo, quam facile, quam prompte pareant creaturæ omnes nutui creatoris sui. Ut *Gyndem* fluvium siccaret Cyrus [3], ut *Euphraten* [4] Semiramis, et rursus idem Cyrus, et tertio Alexander Magnus siccatum penetrarent, quot opus habuerunt cuniculis? quot fossis et rivis? quot machinis? quot manibus? quot mensibus? Deus vix quarta diei unius parte, nemine manum, nemine machinam ullam admovente, sine fossis, sine mæandris, sine cuniculis, solo verbo et imperio suo sistit aquas Jordanis, exsiccat alveum, traducit innumeras Hebræorum copias, et in conspectu innumerabilium hostium incolumes statuit et intactas. Quin nec in gratiam solum tanti tamque copiosi exercitus tam stupendo prodigio stitit fiditque aquas has Dominus, sed, quod magis stupeas, etiam in unius Eliæ gratiam, et rursus in unius Elisæi, 4 Reg. 2, vv. 8 et 14, idem miraculum solo Eliani pallii allisu in eodem Jordane repetiit: repetetque iterum in *fluvio magno Euphrate* sub tempora Antichristi, Apoc. 16, v. 12.

non admodum morabimur, quum miraculum elevare studuerit. Neque vero etsi Deus id minime præcepit, fit, ut Josue alterum hoc suæ pietatis, et grati in Deum animi monumentum exstare noluerit. Torniellus (quod ad tertium argumentum adtinet) aliud miraculum a Deo factum ait ne revertentium aquarum impetus lapides illos dimoveret. Miraculo fortassis opus non fuit; potuit enim Josue grandiores lapides illic in fundo statuere, non secus ac qui nostris temporibus pontium sustentacula in fluminibus erigunt. Ceterum de 12 hisce lapidibus multa commenti sunt AA. Vide Bolland. tom. 1 Sept., pag. 31.

(1) Num. 32, vers. 28.
(2) Hom. 3 et 4.
(3) Herodotus l. 1, et Freculphus Lexoviensis, et Seneca lib. 3 de Ira c. 21.
(4) Julius Front. l. 3, c. 7; Curtius l. 5.

cam humum calcare cœpissent, reversæ sunt aquæ in alveum suum, et fluebant sicut ante consueverant.

19. Populus autem ascendit de Jordane decimo die mensis primi, et castrametati sunt in Galgalis contra orientalem plagam urbis Jericho.

20. Duodecim quoque lapides, quos de Jordanis alveo sumpserant, posuit Josue in Galgalis,

21. Et dixit ad filios Israel: Quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, et dixerint eis: Quid sibi volunt lapides isti?

22. Docebitis eos, atque dicetis: Per arentem alveum transivit Israel Jordanem istum,

23. Siccante Domino Deo vestro aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis:

24. [1] Sicut fecerat prius in mari Rubro, quod siccavit donec transiremus:

25. Ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum, ut et vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore.

(1) Exod. 14, vers. 21.

CAPUT V.

Circumcisio fit in Galgalis et Pascha celebratur. Deficit manna, de fructibus deinceps edunt. Angelus apparet Josue armatus.

1. Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Jordanem ad occidentalem plagam, et cuncti reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quod siccasset Dominus fluenta Jordanis coram filiis Israel donec transirent, dissolutum est cor eorum, et non remansit in eis spiritus, timentium introitum filiorum Israel.

2. Eo tempore ait Dominus ad Josue: Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel.

℣. 2. *Fac tibi cultros lapideos,* Hebraice et Chaldaice, *cultros cote acutos:* neque vero necessum erat adhiberi semper lapideos cultros, ut dixi Genesis 17, vers. 14. *Et circumcide secundo filios Israel* — Id est, instaura morem circumcidendi, primo inchoatum a patribus vestris, et continuatum perpetuo a posteris usque ad egressum ex Ægypto, sed jam per quadraginta annos intermissum. Neque enim potuerant natos in deserto circumcidere propter evidens mortis periculum cum nullam haberent uspiam certam quietem, sed ad omnem columnæ motum vasa colligere et subito castra movere deberent. Id vero iis qui forte tunc recens circumcisi fuissent, vitæ periculum maximum creasset; ita sanctus Thomas, Abulensis, Masius, Pererius [1], Serarius. Ad primum vero ingressum terræ promissæ voluit Deus omnes circumcidi, ut sic pio hoc ritu *inchoarent possessionem* terræ illius. Secundo, ut possent statim *comedere pascha,* cui præfixus erat dies decimusquartus ad vesperam seu occasum solis jamjam imminens. Tertio, ut hac via *tolleretur* a Judæis *opprobrium Ægypti* seu Gentilium; id est *præputium,* quod magno suo probro ex Ægypto plerique secum detulerant, scilicet qui sub ultima tempora cum in dies urgeretur egressus, in Ægypto nati fuerant: reliqui qui in deserto nati, quia ratione ejusdem egressus ex Ægypto et perpetui itineris ad hæc usque tempora continuati, circumcidi non potuerant, eodem quoque Ægypti probro dicebantur onerati [2]. Jam vero hoc probro remoto ab illis, seu revoluto, per circumcisionem, nomen inde loco inditum *Galgala* a *galal,*

(1) S. Thom. 3 p., q. 70, art. 4; Abulens. q. 20, 57, 59; Perer. in Genes., etc.

(2) Multis hanc *opprobrii Ægyptiorum* interpretationem confirmat Shuckfordius t. 3, p. 424 seqq.

3. Fecit quod jusserat Dominus, et circumcidit filios Israel in colle præputiorum.

4. Hæc autem causa est secundæ circumcisionis: Omnis populus, qui egressus est de Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus,

5. Qui omnes circumcisi erant, populus autem qui natus est in deserto,

6. Per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis, incircumcisus fuit: donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, et quibus ante juraverat ut non ostenderet eis terram lacte et melle manantem.

7. Horum filii in locum successerunt patrum, et circumcisi sunt a Josue: quia sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat.

8. Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur.

9. Dixitque Dominus ad Josue: Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis. Vocatumque est nomen loci illius Galgala, usque in præsentem diem.

10. Manseruntque filii Israel in Galgalis, et fecerunt Phase, quarta decima die mensis ad vesperum, in campestribus Jericho:

11. Et comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, et polentam ejusdem anni.

12. Defecitque manna postquam comederunt de frugibus terræ, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel, sed comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan.

13. Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait: Noster es, an adversariorum?

14. Qui respondit: Nequaquam: sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio.

15. Cecidit Josue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?

16. [1] Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, sanctus est. Fecitque Josue ut sibi fuerat imperatum.

seu *gilgal*, quod revolvere seu removere significat. Cetera quæ spectant ritum *circumcisionis*, ejusque mysteria et causas, et effectus explicui Genes. 17; quæ vero solemnitatem *paschæ*, Exodi 12 et Deuteron. 16. Denique de *manna*, quod jam demum post transitum Jordanis defecisse dicitur, fuse egi Exodi 16.

℣. 13. *Noster es, an adversariorum?* hoc est, an e nostris es castris? an de numero es Chananæorum? Hinc apte respondet: *Nequaquam*; q. d. De neutro sum grege: *sed sum princeps exercitus Domini* — id est, sum *Michael* princeps Synagogæ, ut dicitur Danielis 10, v. 21, et cap. 12, vers. 1. Ita Theodoretus, Pantaleon, Lyranus, Cajetanus, Viegas; Villalpandus, Schererus [2], Serarius [3].

℣. 14. *Et nunc venio* — scilicet jussu et missu Dei, ut singulari præsentia mea licet invisibili vobis perpetuo adsim adversus hostes vestros; q. d. Ne metuatis, bello non interero tantum, sed et præero: me duce, terrebuntur, fugabuntur, prosternentur hostes omnes: hic gladius quem districtum teneo, certissimam vobis opem, hostibus extremam afferet perniciem.

℣. 16. *Solve* ergo *calceamentum tuum de pedibus tuis* — ut Deo, cujus ego personam refero, debitam reverentiam exhibeas. De quo vide Exodi 3, v. 5.

(1) Exod. 3, vers. 5; Act. 7, vers. 33.
(2) Theod. q. 4; Pantaleon orat. in S. Michael; Viegas in Apoc. c. 12; Villalpan. Ezech. 40, c. 7; Scher. conc. 2 de S. Michaele.
(3) Confer Bolland. t. 2 Sept., p. 34, n. 120 seqq.

CAPUT VI.

Post varios septem dierum circuitus cum arca, urbs Jericho collapsis undique muris evertitur funditus. Sola Rahab servatur cum suis. Reædificatori urbis maledicitur.

1. Jericho autem clausa erat atque munita, timore filiorum Israel, et nullus egredi audebat aut ingredi.

2. Dixitque Dominus ad Josue: Ecce dedi in manu tua Jericho, et regem ejus, omnesque fortes viros.

3. Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus.

4. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in jubilæo, et præcedant arcam fœderis: septiesque circuibitis civitatem, et sacerdotes clangent buccinis.

5. Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, et in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint.

6. Vocavit ergo Josue filius Nun sacerdotes, et dixit ad eos: Tollite arcam fœderis: et septem alii sacerdotes tollant septem jubilæorum buccinas, et incedant ante arcam Domini.

7. Ad populum quoque ait: Ite, et circuite civitatem, armati, præcedentes arcam Domini.

8. Cumque Josue verba finisset, et septem sacerdotes septem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini,

9. Omnisque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam sequebatur, ac buccinis omnia concrepabant.

10. Præceperat autem Josue populo, dicens: Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur; donec veniat dies in quo dicam vobis: Clamate, et vociferamini.

v. 3. *Sic facietis sex diebus* — In speciem oppugnationis, sed umbratilem, jubentur *per sex dies* quotidie *semel* circuire Jericho, et buccinis clangere tum sacerdotes, tum reliquus populus, ut dicitur vers. 9, sed *septimo die* jubentur *septies* circuire et clangere. Causæ fuerunt: Prima, ut sic fides Hebræorum exerceretur, ad Hebræos 11, vers. 30. Secunda, ut pateret, non humana arte vel armis, sed unius Dei nutu ac potentia urbem expugnari. Tertia, ut significaretur, jam tempus jubilæi instare, quo Chananæa ab iniquis possessoribus ad verum dominum transferretur, et melioribus colonis traderetur. Hinc tempore jubilæi buccinis clangere jubentur: ita Abulensis, Masius, Arias. Erant hæ buccinæ partim *argenteæ*, ut patet Num. 10, v. 2, partim *corneæ*, et quidem *arietinæ*, ut dixi Levitici 23.

Allegorice, quomodo mundum expugnarint Apostoli Christi: et tropologice, quomodo nos eumdem expugnare nobisque subjicere debeamus, explicat fuse sanctus Augustinus [1] et Serarius: qui idem docet, hanc septem dierum circuitionem inchoatam fuisse postridie octavæ Paschæ, feria prima; et sabbato proximo captam urbem, sed sequenti demum die igne succensam.

Notant Espencæus et Lipsius [2], simili fere modo, cum *Robertus Francorum rex Avallonem* obsideret, ipseque precibus ut plurimum vacaret, et cum sacerdotibus psalleret, urbis muros sponte sua subito corruisse, et regiis aditum undique pandisse.

(1) Serm. 106 de Temp., et epist. 119.

(2) Espencæus tractatu de Eucharist.; Lipsius in Exempl. polit., c. 2.

11. Circuivit ergo arca Domini civitatem semel per diem, et reversa in castra, mansit ibi.

12. Igitur Josue de nocte consurgente, tulerunt sacerdotes arcam Domini,

13. Et septem ex eis septem buccinas, quarum in jubilæo usus est: præcedebantque arcam Domini ambulantes atque clangentes: et armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum sequebatur arcam, et buccinis personabat.

14. Circuieruntque civitatem secundo die semel, et reversi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus.

15. Die autem septimo, diluculo consurgentes, circuierunt urbem, sicut dispositum erat, septies.

16. Cumque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Josue ad omnem Israel: Vociferamini: tradidit enim vobis Dominus civitatem:

17. Sitque civitas hæc anathema et omnia quæ in ea sunt, Domino: sola Rahab meretrix vivat, cum universis qui cum ea in domo sunt: [1] abscondit enim nuntios quos direximus.

18. Vos autem cavete, ne de his quæ præcepta sunt, quippiam contingatis, et sitis prævaricationis rei, et omnia castra Israel sub peccato sint atque turbentur.

19. Quidquid autem auri et argenti fuerit, et vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris ejus.

20. [2] Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt: et ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat: [3] ceperuntque civitatem.

21. Et interfecerunt omnia quæ erant in ea a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque et oves et asinos in ore gladii percusserunt.

22. Duobus autem viris, [4] qui exploratores missi fuerant, dixit Josue: Ingredimini domum mulieris meretricis, et producite eam, et omnia quæ illius sunt, sicut illi juramento firmastis.

23. [5] Ingressique juvenes, eduxerunt Rahab, et parentes ejus, fratres quoque, et cunctam supellectilem ac cognationem illius, et extra castra Israel manere fecerunt.

24. [6] Urbem autem, et omnia quæ erant in ea, succenderunt; absque auro et argento, et vasis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini consecrarunt.

25. [7] Rahab vero meretricem, et domum patris ejus, et omnia quæ habebat, fecit Josue vivere, et habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem: eo quod absconderit nuntios, quos miserat ut explorarent Jericho. In tempore illo, imprecatus est Josue, dicens:

26. [8] Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho. In primo-

℣. 17. *Sit civitas hæc anathema* — Primo, ut has urbium primitias Deo darent. Secundo, ut in prima urbe exemplum aliis statuerent, terrorem incuterent, ad deditionem et ad pœnitentiam provocarent. Tertio, et primario, quia sic Deus per angelum fieri jusserat, conformiter iis quæ habentur Deuteron. 13, v. 16. Unde et 3 Regum 16 in fine Deo tamquam auctori adscribitur. De modo hujus anathematis vide quæ dixi Levitici 27.

℣. 26. *In primogenito suo fundamenta jaciat* — Id est, quisquis instaurare vo-

(1) Sup. 2, vers. 4; Ad Hebr. 11, vers. 31.
(2) Ad Hebr. 11, v. 30. (3) 2 Mach. 12, v. 16.
(4) Sup. 2, vv. 1, 14. (5) Ad Hebr. 11, v. 31.
(6) Infr. 8, vers. 2.
(7) " Vers. 25. *Rahab vero meretricem, et domum patris ejus, et omnia quæ habebat,* fecit *Josue vivere,* immo illam duxisse Josue uxorem fabulantur Rabbini aliqui apud Serarium q. 49 in c. 6 et q. 14 in c. 24 *Josue,* qui eos solide refutat. V. et Bolland. p. 37, n. 136 seq. „ (8) 3 Reg. 16, v. 34.

genito suo fundamenta illius jaciat, et in novissimo liberorum ponat portas ejus.

27. Fuit ergo Dominus cum Josue, et nomen ejus vulgatum est in omni terra.

luerit Jericho, ille maximum natu liberorum suorum perdet cum fundamenta jaciet urbis: in progressu vero ædificii ceteros paullatim omnes: ita ut minimum omnium perdat cum jam absoluto opere portas urbis locabit. Ita ad litteram evenit inobedienti *Hiel*, 3 Reg. 16 in fine. Nempe, voluit Deus in ruderibus et busto Jericho æternum extare monumentum divinæ potentiæ, et vindictæ in impios, et maxime in idololatras, et benignitatis in pios. Ita Rabbi Moses, Masius, Arias.

Allegorice, Eucherius et Angelomius et Origenes extremam mundi conflagrationem hic designari notant: Serarius, quam detestabilia peccata sint, quæ pœnis tantis in hoc etiam seculo punit Deus alioqui benignissimus.

CAPUT VII.

Explorata urbe Hai, et tentata, cæditur populus Israel, propter furtum ex anathemate Jericho. Josue lamentatur. Achan sorte deprehensus jussu Dei lapidatur, et omnis familia, omnisque supellex igni crematur.

1. Filii [1] autem Israel prævaricati sunt mandatum, et usurpaverunt de anathemate. [2] Nam Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda, tulit aliquid de anathemate: iratusque est Dominus contra filios Israel.

2. Cumque mitteret Josue de Jericho viros contra Hai, quæ est juxta Bethaven, ad orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis: Ascendite, et explorate terram. Qui præcepta complentes exploraverunt Hai.

3. Et reversi dixerunt ei: Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum pergant, et deleant civitatem: quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos?

4. Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui statim terga vertentes,

5. Percussi sunt a viris urbis Hai, et corruerunt ex eis triginta sex homines: persecutique sunt eos adversarii de porta usque ad Sabarim, et ceciderunt per prona fugientes: pertimuitque cor populi, et instar aquæ liquefactum est.

6. Josue vero scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israel: miseruntque pulverem super capita sua.

7. Et dixit Josue: Heu Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi, et perderes? utinam ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem.

8. Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem?

9. Audient Chananæi, et omnes habitatores terræ, et pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra: et quid facies magno nomini tuo?

℣. 9. *Et quid facies magno nomini tuo?* — q. d. Quod nos omnes pereamus, et nomen nostrum funditus extirpetur, cum viles simus homunciones et terræ filii, parvum fortasse detrimentum censeri posset, immo nullum, si per se ipsum spectetur: tuum vero nomen, o

(1) Infr. 22, vers. 20. (2) 1 Par. 2, vers. 7.

10. Dixitque Dominus ad Josue: Surge; cur jaces pronus in terra?

11. Peccavit Israel, et prævaricatus est pactum meum: tuleruntque de anathemate, et furati sunt atque mentiti, et absconderunt inter vasa sua.

12. Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet; quia pollutus est anathemate; non ero ultra vobiscum donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est.

13. Surge, sanctifica populum, et dic eis: [1] Sanctificamini in crastinum: hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Anathema in medio tui es Israel: non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere.

14. Accedetisque mane singuli per tribus vestras: et quamcumque tribum sors invenerit, accedet per cognationes suas, et cognatio per domos, domusque per viros.

15. Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua: quoniam prævaricatus est pactum Domini, et fecit nefas in Israel.

16. Surgens itaque Josue mane, applicuit Israel per tribus suas, et inventa est tribus Juda.

17. Quæ cum juxta familias suas esset oblata, inventa est familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi.

18. Cujus domum in singulos dividens viros, invenit Achan filium Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda.

19. Et ait Josue ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.

20. Responditque Achan Josue,

Deus, quod vere magnum est, debita gloria et honore non celebrari, quin vero contemni, derideri et exterminari, ejusmodi est, ut damnosius, exitialius et luctuosius esse nil possit, et tamen ita futurum, si tua contra nos ira perstet, nosque, ut jam incipis, metu, fuga, cæde pergas coram Chananæis affligere. Deinde, si omnino nos propter scelera nostra punire decrevisti, mille alii modi ad manum tibi sunt, quibus id citra jacturam tui honoris facere possis, tuæ saltem consulas gloriæ divinæ, ut fidelis et constans habearis in promissis tuis de Chananæa nobis donanda. Denique, si Hebræos penitus deleas, quæ alia gens colet nomen sanctum tuum, cum omnes illud ignorent?

℣. 14. *Quamcumque tribum sors invenerit* — Ex his verbis patet, non solum instinctu, sed et jussu divino adhibitas hic fuisse sortes, quo casu non licitum modo, sed et infallibile est tale scrutinium. Alias, licet sortes natura sua malæ aut vetitæ non sint, nisi forsan ex fine malo: vel materia vel forma vel modo superstitioso vitientur, tamen semper incertæ atque fallibiles sunt. Hinc Jure [2] tam ecclesiastico, quam civili prohibentur adhiberi ad exquirenda furta, scortationes, vel alia crimina incerto auctore commissa: item ad Ecclesiæ præsules eligendos [3]. Neque enim ulla in sortibus vis est seu naturalis, seu supernaturalis, ad tale quid indicandum. Unde, nisi constiterit Deum speciali modo iis sese admiscere, frustra et vanæ sunt.

℣. 19. *Fili, da gloriam Deo et confitere*, etc. — Confessione peccatorum ab Achano vere Deo gloria tribuitur, primo, fatendo, monstrandoque, eum esse rerum omnium etiam occultissimarum scientissimum, omnia ejus oculis esse apertissima, cujus forte ignotum omnibus scelus certissimo proditum fuerit, ipseque auctor inter tot myriades unus deprehensus et convictus. Secundo, commonstrando eum esse justissimum, qui non temere, neque absque causa Israelitas fœda clade affici passus esset. Tertio, esse sanctissimum, cui res quæcumque dicatæ, non possint alio diverti. Quarto, esse potentissimum, omnique reverentia dignissimum, cujus præcepta nemo impune violet: cujus senten-

(1) Lev. 20, vers 7; Num. 11, vers. 18; Sup. 3, vers. 5; 1 Reg. 16, vers. 5.

(2) Causa 26, q. 5, c. *Sortes*, et tit. de Sortilegiis, c. *In tabulis*.

(3) Cap. *Ecclesia vestra*, tit. de Sortilegiis.

et dixit ei : Vere ego peccavi Domino Deo Israel, et sic et sic feci :

21. Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum : et concupiscens abstuli, et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui.

22. Misit ergo Josue ministros : qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abscondita in eodem loco, et argentum simul.

23. Auferentesque de tentorio tulerunt ea ad Josue, et ad omnes filios Israel, projeceruntque ante Dominum.

24. Tollens itaque Josue Achan filium Zare, argentumque et pallium, et auream regulam, filios quoque et filias ejus, boves et asinos, et oves, ipsumque tabernaculum, et cunctam supellectilem (et omnis Israel cum eo) : duxerunt eos ad vallem Achor :

25. Ubi dixit Josue : Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israel : et cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt.

26. Congregaveruntque super eum [1] acervum magnum lapidum, qui permanet usque in præsentem diem. Et aversus est furor Domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius, Vallis Achor, usque hodie.

tiam et pœnam nemo ulla vi, arte, fuga, latebra evadere possit. Hæc allegorice S. August. [2] applicat confessioni sacramentali.

℣. 21. *Pallium coccineum*, seu purpureum, *abstuli*, etc. — Hoc furtum coccini videtur præfiguratum olim fuisse in ortu *Zaræ* abavi [3] hujus *Achan*; dum illi jamjam orituro, et e matris utero manum protendenti obstetrix coccinum alligavit, Genesis 38, v. 27; quia scilicet ex posteris ejus futurus erat hic Achan, abnepos illius, qui coccineam vestem sacrilege furaretur, atque ita publici luctus causam daret : ita Rabbi Raschi et Serarius.

℣. 25. *Lapidavitque eum omnis Israel* — Quomodo potuit lapidare, quem v. 15 jusserat Deus comburi? Respondet Serarius, prius vivum exustum, postea in cadaver lapidibus sævitum. Masius, et lapidatum vivum, et exustum vivum arbitratur. Dum, inquit, Achan deducitur, dum rogus struitur, incenditur, conscenditur, populus placandi Numinis avidus, a jaciendis lapidibus non continuit manus.

Et cuncta quæ illius erant, etiam filii et filiæ, *igne consumpta sunt* — idque ut salutari metu castra omnia percellerentur, et a simili crimine deterrerentur. Deus vero absolutus est dominus vitæ omnium, etiam innocentium, et saltem ob culpam originalem omnes debito subeundæ semel mortis, quocumque tempore, loco et modo placuerit Deo, subjecti sumus. Ita S. Augustinus, S. Thomas et alii [4].

Petes, An damnatus sit Achan? Dubitat S. Augustinus. Affirmat Cassianus, et Concilium Aquisgranense sub Pipino. Sed verisimilius est, salvatum esse, ob insignem pœnitentiam, et sceleris humilem confessionem, et quia, cum posset, occultare sese, et judicium pœnamque fugere noluerit. Ita Rabbini omnes, et Cajetanus, Tostatus, Masius et Serarius.

(1) 2 Reg. 18, vers. 17.
(2) Orat. in Psalm. 95.
(3) Josue 7, vers. 1.
(4) S. Aug. q. 8; S. Thom. 2. 2. q. 108, a. 4.

CAPUT VIII.

Expugnata urbe Hai, rex ejus suspendio necatur. Deuteronomium lapidibus inscribitur. Benedictiones e monte Garizim, maledictiones e monte Hebal proclamantur.

1. Dixit autem Dominus ad Josue: Ne timeas, neque formides: tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, et consurgens ascende in oppidum Hai; ecce tradidi in manu tua regem ejus, et populum, urbemque et terram.

2. Faciesque urbi Hai, et regi ejus[1], sicut fecisti Jericho, et regi illius: prædam vero, et omnia animantia diripietis vobis: pone insidias urbi post eam.

3. Surrexitque Josue, et omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderent in Hai: et electa triginta millia virorum fortium misit nocte,

4. Præcepitque eis, dicens: Ponite insidias post civitatem: nec longius recedatis: et eritis omnes parati;

5. Ego autem, et reliqua multitudo quæ mecum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cumque exierint contra nos, [2] sicut ante fecimus, fugiemus, et terga vertemus:

6. Donec persequentes ab urbe longius protrahantur: putabunt enim nos fugere sicut prius.

7. Nobis ergo fugientibus, et illis persequentibus, consurgetis de insidiis, et vastabitis civitatem: tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras.

8. Cumque ceperitis, succendite eam, et sic omnia facietis, ut jussi.

9. Dimisitque eos, et perrexerunt ad locum insidiarum, sederuntque inter Bethel et Hai, ad occidentalem plagam urbis Hai: Josue autem nocte illa in medio mansit populi,

10. Surgensque diluculo recensuit socios, et ascendit cum senioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum.

11. Cumque venissent et ascendissent ex adverso civitatis, steterunt ad septentrionalem urbis plagam, inter quam et eos erat vallis media.

12. Quinque autem millia viros elegerat, et posuerat in insidiis inter Bethel et Hai, ex occidentali parte ejusdem civitatis.

13. Omnis vero reliquus exercitus ad aquilonem aciem dirigebat, ita ut novissimi illius multitudinis occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Josue nocte illa, et stetit in vallis medio.

14. Quod cum vidisset rex Hai, festinavit mane, et egressus est cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra desertum, ignorans quod post tergum laterent insidiæ.

15. Josue vero et omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum, et fugientes per solitudinis viam.

16. At illi vociferantes pariter, et se mutuo cohortantes, persecuti sunt eos. Cumque recessissent a civitate,

17. Et ne unus quidem in urbe Hai et Bethel remansisset qui non persequeretur Israel (sicut eruperant aperta oppida relinquentes),

18. Dixit Dominus ad Josue: Leva

℣. 18. *Leva clypeum* — Ita vertunt et LXX, sed Chaldæus et recentiores habent *lanceam* seu *hastam*. Et vero Hebræum *cidon* [3] utrumque significat. Et

(1) Sup. 6, vers. 24. (2) Sup. 7, vers. 4.

(3) כידון.

clypeum qui in manu tua est, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam.

19. Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim: et pergentes ad civitatem, ceperunt, et succenderunt eam.

20. Viri autem civitatis, qui persequebantur Josue, respicientes et videntes fumum urbis ad cælum usque conscendere, non potuerunt ultra huc illucque diffugere: præsertim cum hi qui simulaverant fugam, et tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissime restitissent.

21. Vidensque Josue et omnis Israel quod capta esset civitas, et fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros Hai.

22. Siquidem et illi qui ceperant et succenderant civitatem, egressi ex urbe contra suos, medios hostium ferire ceperunt. Cum ergo ex utraque parte adversarii cæderentur, ita ut nullus de tanta multitudine salvaretur,

23. Regem quoque urbis Hai apprehenderunt viventem, et obtulerunt Josue.

24. Igitur omnibus interfectis qui Israelem ad deserta tendentem fuerant persecuti, et in eodem loco gladio corruentibus, reversi filii Israel percusserunt civitatem.

25. Erant autem qui in eodem die conciderant a viro usque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Hai.

26. Josue vero non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum donec interficerentur omnes habitatores Hai.

27. Jumenta autem et prædam civitatis diviserunt sibi filii Israel, sicut præceperat Dominus Josue.

28. Qui succendit urbem, et fecit eam tumulum sempiternum:

29. Regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad vesperam et solis occasum. Præcepitque Josue, et deposuerunt cadaver ejus de cruce: projeceruntque in ipso introitu civitatis, congesto super eum magno acervo lapidum, qui permanet usque in præsentem diem.

30. Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israel in monte Hebal:

31. [1] Sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israel, et scriptum est in volumine legis Moysi:

verisimile est, quod Theodoretus et Abulensis recte notarunt, Josue clypeum suum hasta in altum sustulisse, ut ex loco insidiarum conspici procul posset, signumque haberent illi quo monerentur urbem hostibus vacuam invadere. Sed non hujus solius rei signum hoc erat. Insuper denotabat præsentem virtutem et ultionem divinam: sicut extensio virgæ Moysis in mare Rubrum, Exodi 14, et elevatio manuum in monte adversus Amalecitas, Exodi 17. Hinc continuavit Josue in altum extollere lanceam et clypeum suum, quousque Hajenses plane fusi essent et deleti, vers. 26, ne scilicet retrahendo manum, victoriam populi Dei remoraretur aut præscinderet.

Allegorice, S. Augustin. [2] applicat hæc vero *Jesu* Christo, qui adversus *Hai*, quod *vastitatem* designat, id est adversus mundum tyrannide Satanæ vastatum, manus in cruce tamdiu extendit, quoad omnia subjugasset. Et eamdem hanc crucem suis omnibus asseclis, in omni terrarum parte, omni tempore, tamquam certissimum clypeum, tutissimamque lanceam suadet: ea nos tuetur, ea hostes omnes conficit, ea victorias omnes parat.

Notat auctor Traditionum Hebraicarum, locum hunc ubi Josue clypeum jam extendit in altum, fuisse aream in qua nutantem arcam tetigit infelix *Oza*, 2 Regum 6. Unde 1 Paralip. 13, vers. 9 vocatur *Area Chidon*.

De *benedictione* in monte *Garizim*, et *maledictione* in monte *Hebal*, totaque rei hic jam peractæ cæremonia vide quæ dixi Deuter. 11 et 27.

(1) Exod. 20, vers. 25; Deut. 27, vers. 5.

(2) Serm. 93 de Temp.

[1] Altare vero de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit: et obtulit super eo holocausta Domino, immolavitque pacificas victimas.

32. Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel.

33. Omnis autem populus, et majores natu, ducesque ac judices stabant ex utraque parte arcæ, in conspectu sacerdotum qui portabant arcam fœderis Domini, ut advena ita et indigena. Media pars eorum juxta montem Garizim, et media juxta montem Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini. Et primum quidem benedixit populo Israel.

34. Post hæc legit omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta quæ scripta erant in legis volumine.

35. Nihil ex his quæ Moyses jusserat, reliquit intactum, sed universa replicavit coram omni multitudine Israel, mulieribus ac parvulis et advenis, qui inter eos morabantur.

(1) " Vers. 31. *Altare vero de lapidibus impolitis quos ferrum non tetigit.* Ferrum nempe inter metalla impura habebatur; unde Cicero *De Leg.*, lib. II, 45: *Æs atque ferrum duelli instrumenta, non fani.* Immo ferrum numquam adscendebat super capita Nazaræorum, quod consecrati Deo essent, *Judic.* XVI, 17. Cf. Bened. Martin in *Explic. difficilior. Script. locor.*, ad Exodi XX, pag. 56 seqq.

CAPUT IX.

Gabaonitæ simulatione longi itineris imponunt Josue et principibus Israel, qui interposito juramento spondent ipsis incolumitatem. Insecuto tamen populi murmure, perpetuo famulitio adstringuntur.

1. Quibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis et campestribus, in maritimis ac littore magni maris, hi quoque qui habitabant juxta Libanum, Hethæus et Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, et Hevæus, et Jebusæus,

2. Congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josue et Israel uno animo, eademque sententia.

3. At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Josue Jericho et Hai:

4. Et callide cogitantes, tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis

℣. 3. *Gabaon* — Hæc civitas describitur infra cap. 10, v. 2. *Urbs magna erat Gabaon, et una civitatum regalium, et major oppido Hai, omnesque bellatores ejus fortissimi.* Addit Hieronym. [1], fuisse *metropolin Hevæorum* juxta Rama, in sorte tribus Benjamin, pro Levitis separatam: *Jerosolyma* non nisi 50 *stadiis*, seu tribus leucis distantem, Josephus et Benjaminus [2]; *in Silo monte* sitam fuisse Adrichomius et Burchardus [3] affirmant.

Petes primo, An Israelitæ cum Gabaonitis fœdus percutere potuerint? Negat Calvinus, et ex ejus asseclis Albericus Gentilis [4] Jurisconsultus, et Abulensis: quia cum septenis Chananæorum gentibus, e quibus erant Hevæi isti, vetitum erat inire fœdus, Exodi 34, vers. 12: Respondeo, vetitum non fuisse, si pacem ab Israelitis peterent, suamque terram, urbes et fundos illis tamquam veris a Deo constitutis dominis ultro concederent: atqui hæc omnia faciunt hic Gabaonitæ, cum toties se profitentur *servos Israelitarum*, illis supplices fiunt, illorum sacra suscipiunt, etc. Quin Deut. 20, vers. 10 expresse mandat Deus, *pacem*

(1) De Locis Hebraicis.
(2) Joseph. l. 2 Antiquit., c. 22; Benjamin. in Itinerario.
(3) Adrich. et Burchar. de Terra sancta.
(4) Lib. 3 de Bello, c. 19.

imponentes, et utres vinarios scissos atque consutos,

5. Calceamentaque perantiqua quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis: panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, et in frusta comminuti:

6. Perrexeruntque ad Josue, qui tunc morabatur in castris Galgalæ, et dixerunt ei, atque simul omni Israeli: De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntque viri Israel ad eos, atque dixerunt:

7. Ne forte in terra, quæ nobis sorte debetur, habitetis, et non possimus fœdus inire vobiscum.

8. At illi ad Josue: Servi, inquiunt, tui sumus. Quibus Josue ait: Quinam estis vos? et unde venistis?

9. Responderunt: De terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto,

10. [1] Et duobus regibus Amorrhæorum qui fuerunt trans Jordanem, Sehon regi Hesebon, et Og regi Basan qui erat in Astaroth:

11. Dixeruntque nobis seniores, et omnes habitatores terræ nostræ: Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, et occurrite eis, et dicite: Servi vestri sumus, fœdus inite nobiscum.

12. En, panes quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus, nunc sicci facti sunt, et vetustate nimia comminuti;

13. Utres vini novos implevimus, nunc rupti sunt et soluti: vestes et calceamenta quibus induimur, et quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt, et pene consumpta.

14. Susceperunt igitur de cibariis eorum, et os Domini non interrogaverunt.

15. [2] Fecitque Josue cum eis pacem, et inito fœdere pollicitus est quod non occiderentur: principes quoque multitudinis juraverunt eis.

16. Post dies autem tres initi fœ-

offerri urbibus priusquam expugnentur: quod etiam ad Chananæos extendendum fuisse fatentur Rabbini, adeoque et ipse Calvinus, et alii. Ita S. Aug. [3], Lyranus, Cajetanus, et e Jurisconsultis Decianus, ex Calvinistis Tremellius et Junius [4].

Petes secundo, Cur ergo hic vers. 14 reprehenduntur, quod *os Domini non* antea *interrogaverint?* cur v. 18 multitudo contra id factum murmurat? Respondeo, Quia licet fœdus cum illis inire licuerit, nimis temere tamen et præcipitanter in re tanti momenti, non satis excussa et explorata legatorum fide se gessisse, et jurejurando obstrinxisse videntur [5].

Petes tertio, An hoc tale juramentum obligarit Israelitas ad fidem datam Gabaonitis præstandam? Affirmant Lyranus, Hugo, Dionysius, Cajetanus. Sed respondeo, non obligasse, tum quia fraude et dolo extortum fuerat: tum quia erat hic error personæ. Putabant enim se non cum vicinis Chananæis, sed cum extraneis et valde remotis, puta Arabibus aut Syris, quales illi suis *pittaciis*, id est frustis vestium consutis, se mentiebantur, fœdus inire et jurare, iisque solis se obstringere intendebant. Ita S. Augustinus, Abulensis, Masius, Arias, Serarius. Videntur tamen principes, vers. 19, sibi persuasisse, teneri se hoc quali quali juramento. Unde colligas, quanta tunc fuerit nominis divini reverentia et religio.

Nota tamen, Hebræos, cum fraude cognita primum nihilominus pactum ratum esse voluerunt, ut licite poterant, exinceps vere obligatos fuisse. Unde et postea, cum Saul hoc fœdus violasset, gravissime id ultus est Deus, 2 Regum 21.

(1) Num. 21, vers. 24. (2) 2 Reg. 21, vers. 2.
(3) QQ. 13, 14, etc.
(4) Decian. 3, cons. 20; Trem. et Junius hic.
(5) Nihil hic peccasse Josue, nec reprehendi quod temere egerit, sed causam tantum adferri cur deceptus fuerit, pluribus contendit Cl. Limpenius tom. 1 Sept. in *Comm. de S. Josue*, § XVII et seq.

deris, audierunt quod in vicino habitarent, et inter eos futuri essent.

17. Moveruntque castra filii Israel, et venerunt in civitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula sunt, Gabaon, et Caphira, et Beroth, et Cariathiarim.

18. Et non percusserunt eos, eo quod jurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israel. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes.

19. Qui responderunt eis: Juravimus illis in nomine Domini Dei Israel, et idcirco non possumus eos contingere.

20. Sed hoc faciemus eis: Reserventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si pejeraverimus:

21. Sed sic vivant, ut in usus universæ multitudinis ligna cædant, aquasque comportent. Quibus hæc loquentibus:

22. Vocavit Gabaonitas Josue, et dixit eis: Cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis: Procul valde habitamus a vobis, cum in medio nostri sitis?

23. Itaque sub maledictione eritis, et non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei.

24. Qui responderunt: Nuntiatum est nobis servis tuis, quod promisisset Dominus Deus tuus Moysi servo suo, ut traderet vobis omnem terram, et disperderet cunctos habitatores ejus. Timuimus igitur valde, et providimus animabus nostris, vestro terrore compulsi, et hoc consilium inivimus.

25. Nunc autem in manu tua sumus: quod tibi bonum et rectum videtur, fac nobis.

26. Fecit ergo Josue ut dixerat, et liberavit eos de manu filiorum Israel, ut non occiderentur.

27. Decrevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi, et altaris Domini, cædentes ligna, et aquas comportantes, usque in præsens tempus, in loco quem Dominus elegisset.

℣. 21. *Ligna cædant, aquasque comportent* — Hæc erat mulcta fraudis Gabaonitarum. Et primo quidem toti populo, totisque castris ligna et aquas afferre cogebantur, etiam facta jam terræ divisione, unde et a Josepho δημόσιοι, id est *servi publici* seu calones vocantur. Sed successu temporis, maxime sub Davide et Salomone, solius tabernaculi et templi usibus subservisse leguntur: et *Nathinæi* [1] vocati sunt, id est *donati*, scilicet Levitis, ut essent ipsis quasi subdiaconi. Ita S. Hieronymus, Innocentius, Lyranus, Sigonius, Masius, Ribera et Abulensis: qui etiam hinc constare dicit, Gabaonitas circumcisionem et reliqua sacra Judaica suscepisse: neque enim potuissent alias his templi servitiis adhiberi. Constat secundo, illos urbibus suis, in quibus usque ad terræ divisionem manere permissi sunt, ea peracta eductos, et per varia loca distributos fuisse, saltem tabernaculo propinquiora, e quibus ad suam lignationem aquationemque per vices statis temporibus accurrerent [2]. Et sicut sacerdotibus ac Levitis erant assignata certa jura e quibus sustentarentur, ut dixi Numeror. 18, ita et Gabaonitis de commoda sustentatione prospectum per principes fuit, forsan ex eleemosynis et donariis Sanctuarii, quæ ad id abunde sufficere poterant. Ita Abulensis.

(1) 1 Esdr. 2, vers. 43, et 1 Par. 9, vers. 2.
(2) Confer Benedictinum Martin. p. 95 seqq. Bruttios inter, et Gabaonitas comparationem instituentem.

CAPUT X.

Quinque reges oppugnantes urbem Gabaon, immoto sole integri diei spatio, devincuntur, et ex spelunca extracti suspendio necantur. Sed et plures alii reges et urbes exscinduntur.

1. Quæ cum audisset Adonisedec rex Jerusalem, quod scilicet cepisset Josue Hai, et subvertisset eam (sicut enim fecerat Jericho et regi ejus, sic fecit Hai et regi illius), et quod transfugissent Gabaonitæ ad Israel, et essent fœderati eorum,

2. Timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon, et una civitatum regalium, et major oppido Hai, omnesque bellatores ejus fortissimi.

3. Misit ergo Adonisedec rex Jerusalem ad Oham regem Hebron, et ad Pharam regem Jerimoth, ad Japhia quoque regem Lachis, et ad Dabir regem Eglon, dicens:

4. Ad me ascendite, et ferte præsidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Josue, et ad filios Israel.

5. Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorum, rex Jerusalem, rex Hebron, rex Jerimoth, rex Lachis, rex Eglon, simul cum exercitibus suis, et castrametati sunt circa Gabaon, oppugnantes eam.

6. Habitatores autem Gabaon urbis obsessæ miserunt ad Josue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, et dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum: ascende cito, et libera nos, ferque præsidium; convenerunt enim adversum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis,

7. Ascenditque Josue de Galgalis, et omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortissimi.

8. Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi resistere poterit.

9. Irruit itaque Josue super eos repente, tota nocte ascendens de Galgalis:

10. Et conturbavit eos Dominus a facie Israel: contrivitque plaga magna in Gabaon, ac persecutus est eos per viam ascensus Beth horon, et percussit usque Azeca et Maceda.

11. Cumque fugerent filios Israel, et essent in descensu Beth horon, Dominus misit super eos lapides magnos de cælo usque ad Azeca: et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel.

12. Tunc locutus est Josue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Ajalon.

℣. 11. *Lapides grandinis* valde *magnos*, angelorum manu formatos in aere, et destinato ictu vibratos *misit Dominus* super Amorrhæos, nil tactis Israelitis. De simili grandine vide quæ dixi Exodi 9. Porro Josue precibus hanc quoque ruentium saxorum procellam a Deo impetratam esse, affirmat Ecclesiasticus c. 46, vers. 6: *Invocavit Jesus Altissimum in oppugnando inimicos undique, et audivit illum Deus in saxis grandinis.*

℣. 12. *Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Ajalon* — Erat vallis hæc media inter duas illas urbes, et in hac prœlio certabatur.

Petes primo, Quoto mense, et die contigit hoc portentum? Respondeo, cum Serario, 27 die 2 mensis qui dicitur

13. Steteruntque [1] sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro Justorum? Stetit itaque sol in medio cæli, et non festinavit occumbere spatio unius diei.

14. Non fuit antea nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel.

15. Reversusque est Josue cum omni Israel in castra Galgalæ.

16. Fugerant enim quinque reges, et se absconderant in spelunca urbis Maceda.

17. Nuntiatumque est Josue, quod inventi essent quinque reges latentes in spelunca urbis Maceda.

18. Qui præcepit sociis, et ait: Volvite saxa ingentia ad os speluncæ, et ponite viros industrios, qui clausos custodiant:

19. Vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, et extremos quosque fugientium cædite: nec di-

Ijar, et respondet nostro partim Aprili, partim Majo.

Petes secundo, quota hora diei steterit sol? Lyranus, Vatablus, Arias et Serarius volunt, *in meridie* id factum, quia hic dicitur *stetisse in medio cæli*. Sed medium cæli potest ubique constitui. Respondeo ergo, id contigisse verisimilius hora vespertina sub occasum solis: hic enim expresse dicitur, *Non festinavit sol occumbere*. Cum ergo vereretur Josue ne hostes propter instantes tenebras effugerent, oravit Deum ut solem sisteret; ita Cajet. et Abulensis.

Petes tertio, quamdiu steterit? Integris 24 horis, seu die uno naturali, inquit Rabbi Eliezer, et Justinus Martyr [2]. Quibus si addas 12 priores horas quibus ordinarium suum circulum sol jam peregerat, fuerit hic dies Josuanus integrarum 36 horarum. Sed verisimilius est, solem non stetisse nisi diem unum artificialem, hoc est 12 horas: unde Ecclesiastici 46, v. 5 dicitur, *Una dies facta est quasi duo*, ac si dicat, Dies quæ solet esse 12 horarum, facta est 24 horarum [3].

Nota, stetisse tanto quoque tempore immotam etiam *lunam*, ut hic dicitur, et consequenter omnia reliqua astra, omnesque cælos, jubente Deo, angelos cælorum motores tantisper subsistere. Neque enim expediebat, ut constitutus a Deo jam inde ab ipso rerum ortu perpetuus inter cælos et sidera ordo, tenor ac consensus, inæquabili unius aut duorum progressione turbaretur: ita Abulensis, Masius, Conimbricenses [4] et Serarius. Qui etiam docent, cessante cælorum motu cessasse quoque naturaliter ea omnia quorum is motus est causa particularis, v. g. reciprocationem æstus maris, quæ a luna dependet: item tempus, cujus mensura est motus primi mobilis. Unde dies illa non duravit alia duratione, quam quæ rem quamvis existentem naturaliter consequitur: uti durabunt omnia post extremum judicii diem. Non tamen cessante cælorum motu cessarunt tunc alia omnia sublunaria, quorum is motus solum est causa universalis: quia inter cælorum universalem influxum, et hæc inferiora non est connexio essentialis, ut copiose et subtiliter exponit Suarez [5].

Nota, simili miraculo, 4 Regum 20, petente Ezechia retroactum subito solem, totamque cælorum machinam ad 10 gradus, hoc est ad decem medias horas; ut ibidem videbimus. Et tempore novæ legis, de *Mutio* Eremita legimus, stitisse ad horas aliquot solem, donec ægrum, quem curatum ibat, visitasset. Quod vero de simili solis portentosa statione per triduum scribit Turpinus in Vita Caroli Magni [6]: et Sofias ille apud Plautum [7], et alii Ethnici de conceptu Herculis sui trinoctiali nugantur, nonnisi fabulæ sunt et somnia.

Allegorice, pugnante vero Jesu, et in cruce peccatum, mortem, totumque infernum debellante, sol in medio cæli et luna continuerunt radios suos, et totum universum obstupuit; ita Theodoretus.

(1) Eccli. 46, vers. 5; Isa. 28, vers. 21.
(2) Contra Tryphonem.
(3) Quis crederet? Nullum hic miraculum intercessisse Spinosa, Peyrerus et Clericus ausi sunt effutire. Eos refellit Calmetius, atque Abbas Artigny tom. 3 *Nov. Monum. hist. critices, etc.* p. 102 seqq. Adi et Bollandianos p. 53. Nihil ex hoc miraculo lædi Copernicanorum systema, conatur efficere Shuckfordius p. 463 seqq.
(4) Lib. 2.
(5) Tom. 1 Metaphys., disp. 22 de causa prima, sect. 5.
(6) Cap. 28.
(7) In Amphitruone.

mittatis eos urbium suarum intrare præsidia, quos tradidit Dominus Deus in manus vestras.

20. Cæsis ergo adversariis plaga magna, et usque ad internecionem pene consumptis, hi, qui Israel effugere potuerunt, ingressi sunt civitates munitas.

21. Reversusque omnis exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erant castra, sani et integro numero: nullusque contra filios Israel mutire ausus est.

22. Præcepitque Josue, dicens: Aperite os speluncæ, et producite ad me quinque reges, qui in ea latitant.

23. Feceruntque ministri ut sibi fuerat imperatum: et eduxerunt ad eum quinque reges de spelunca, regem Jerusalem, regem Hebron, regem Jerimoth, regem Lachis, regem Eglon.

24. Cumque educti essent ad eum, vocavit omnes viros Israel, et ait ad principes exercitus qui secum erant: Ite, et ponite pedes super colla regum istorum. Qui cum perrexissent, et subjectorum colla pedibus calcarent,

25. Rursum ait ad eos: Nolite timere, nec paveatis, confortamini et estote robusti: sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicatis.

26. Percussitque Josue, et interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites: fueruntque suspensi usque ad vesperum.

27. [1] Cumque occumberet sol, præcepit sociis ut deponerent eos de patibulis. Qui depositos projecerunt in speluncam, in qua latuerant, et posuerunt super os ejus saxa ingentia, quæ permanent usque in præsens.

28. Eodem quoque die Macedam cepit Josue, et percussit eam in ore gladii, regemque illius interfecit, et omnes habitatores ejus: non dimisit in ea saltem parvas reliquias. Fecitque regi Maceda, sicut fecerat regi Jericho.

29. Transivit autem cum omni Israel de Maceda in Lebna, et pugnabat contra eam:

30. Quam tradidit Dominus cum rege suo in manus Israel: percusseruntque urbem in ore gladii, et omnes habitatores ejus; non dimiserunt in ea ullas reliquias. Feceruntque regi Lebna, [2] sicut fecerant regi Jericho.

31. De Lebna transivit in Lachis cum omni Israel: et exercitu per gyrum disposito oppugnabat eam.

32. Tradiditque Dominus Lachis in manus Israel, et cepit eam die altero, atque percussit in ore gladii, omnemque animam quæ fuerat in ea, sicut fecerat Lebna.

33. Eo tempore ascendit Horam rex Gazer, ut auxiliaretur Lachis: quem percussit Josue cum omni populo ejus usque ad internecionem.

34. Transivitque de Lachis in Eglon, et circumdedit,

35. Atque expugnavit eam eadem die; percussitque in ore gladii omnes animas quæ erant in ea, juxta omnia quæ fecerat Lachis.

36. Ascendit quoque cum omni Israel de Eglon in Hebron, et pugnavit contra eam:

37. Cepit eam, et percussit in ore gladii, regem quoque ejus, et omnia oppida regionis illius, universasque animas quæ in ea fuerant commoratæ: non reliquit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Eglon, sic fecit et Hebron, cuncta quæ in ea reperit consumens gladio.

38. Inde reversus in Dabir,

39. Cepit eam atque vastavit: regem quoque ejus atque omnia per circuitum oppida percussit in ore gladii: non dimisit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Hebron et Le-

(1) Deut. 21, vers. 23.

(2) Supr. 6, vers. 2.

bna et regibus earum, sic fecit Dabir et regi illius.

40. Percussit itaque Josue omnem terram montanam et meridianam atque campestrem, et Asedoth, cum regibus suis: non dimisit in ea ullas reliquias, sed omne quod spirare poterat interfecit, sicut præceperat ei Dominus Deus Israel,

41. A Cadesbarne usque Gazam. Omnem terram Gosen usque Gabaon,

42. Universosque reges, et regiones eorum, uno impetu cepit atque vastavit: Dominus enim Deus Israel pugnavit pro eo;

43. Reversusque est cum omni Israel ad locum castrorum in Galgala.

℣. 42. *Universos reges et regiones uno impetu cepit* — Id est, una hac paucorum dierum expeditione: et quidem, ne vel uno Israelitarum in tot prœliis desiderato. Quam felix, quam certa panoplia, Dei auxiliaris manus! Pleni sunt historici libri cælestibus id genus auxiliis. Et ut Moysis, ut Samuelis, ut Davidis, ut Ezechiæ, ut Machabæorum, aliaque veteris Testamenti miracula sileam, quis non stupeat in nova lege præsentem Dei dexteram in subministrandis ad primam precem pluviis et adversus hostem fulminibus legioni [1] Christianorum inde dictæ *fulminatrici?* et orante S. Jacobo Nisibensi Episcopo a muscis et culicibus fugatas Persarum formidabiles copias? a S. Amiano Aurelianensi Præsule tonitruis et fulminibus abactum Attilam? Nonne et Gentilis Poeta [2] Theodosio adgratulatur?

O nimium dilecte Deo! cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes: cui militat æther,
Et conjurat, veniunt ad classica venti.

Neque desunt nostro quoque tempore seu per Europam, seu per Indias complura ejusdem rei et stupenda documenta, quæ Maffejus, Jarricus et alii historiographi recensent.

(1) Euseb. l. 1 Hist., c. 5, et Tertull. in Apol. et ad Scapul.

(2) Claudian. l. 1 de Honorii Consulatu, et Sozomen. l. 7.

CAPUT XI.

Etiam rex Jabin, cum pluribus aliis regibus, urbibus ac populis expugnantur a Josue.

1. Quæ cum audisset Jabin rex Asor, misit ad Jobab regem Madon, et ad regem Semeron, atque ad regem Achsaph:

2. Ad reges quoque aquilonis, qui habitabant in montanis et in planitie contra meridiem Ceneroth, in campestribus quoque et in regionibus Dor juxta mare:

3. Chananæum quoque ab oriente et occidente, et Amorrhæum atque Hethæum ac Pherezæum et Jebusæum in montanis: Hevæum quoque qui habitabat ad radices Hermon in terra Maspha.

4. Egressique sunt omnes cum turmis suis, populus multus nimis sicut arena quæ est in littore maris, equi quoque et currus immensæ multitudinis.

5. Conveneruntque omnes reges isti in unum ad aquas Merom, ut pugnarent contra Israel.

6. Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos: cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos

℣. 4. *Populus multus nimis* — Josephus dicit fuisse *peditum myriades triginta* seu trecenta millia: *equitum unam myriadem: curruum* falcatorum et armatis gravidorum *duas myriades.*

℣. 6. *Equos eorum subnervabis* —

vulnerandos in conspectu Israel: equos eorum subnervabis, et currus igne combures.

7. Venitque Josue, et omnis exercitus cum eo, adversus illos ad aquas Merom subito, et irruerunt super eos,

8. Tradiditque illos Dominus in manus Israel. Qui percusserunt eos, et persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, et aquas Maserephoth, campumque Masphe, qui est ad orientalem illius partem. Ita percussit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias.

9. Fecitque sicut præceperat ei Dominus, equos eorum subnervavit, currusque combussit igni.

10. Reversusque statim cepit Asor; et regem ejus percussit gladio. Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat.

11. Percussitque omnes animas, quæ ibidem morabantur: non dimisit in ea ullas reliquias, sed usque ad internecionem universa vastavit, ipsamque urbem peremit incendio.

12. Et omnes per circuitum civitates, regesque earum cepit, percussit atque delevit, [1] sicut præceperat ei Moyses famulus Domini.

13. Absque urbibus, quæ erant in collibus et in tumulis sitæ, ceteras succendit Israel: unam tantum Asor munitissimam flamma consumpsit.

14. Omnemque prædam istarum urbium ac jumenta diviserunt sibi filii Israel, cunctis hominibus interfectis.

15. [2] Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Josue, et ille universa complevit: non præteriit de universis mandatis, nec unum quidem verbum quod jusserat Dominus Moysi.

16. Cepit itaque Josue omnem terram montanam, et meridianam, terramque Gosen, et planitiem, et occidentalem plagam, montemque Israel, et campestria ejus:

17. Et partem montis quæ ascendit Seir usque Baalgad, per planitiem Libani subter montem Hermon: omnes reges eorum cepit, percussit, et occidit.

18. Multo tempore pugnavit Josue contra reges istos.

19. Non fuit civitas quæ se traderet filiis Israel, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit.

20. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel et caderent,

Hoc est, incisis crurum nervis quasi vinculis dissectis, prorsus inutiles reddes, quod latine dici solet, *subpernare*, vel *suffraginare equos*.

Petes, Quare noluit Deus Israelitas uti his equis? ne quidem ad divendendum aliis, et pretium inde conflandum? Respondeo primo, ne equis ad bella percommodis, utpote generosis et pugnacibus (de quo vide Lipsium), paullatim præfiderent Judæi, et his potius, quam Deo victorias suas adscriberent. Secundo, ne, si eos Chananæis aut aliis vicinis hostibus revenderent, ab iisdem nova rursus damna acciperent. Et has etiam ob causas jubet hic Deus currus omnes bellicos seu falcibus armatos igne comburi. Tertio, voluit Deus ab omni superbia, ferocia, libidine et fallacia, quarum symbolum est equus, Judæos avocare; ita Origenes, Theophylactus [3] et Serarius.

℣. 16. *Montem Israel* — Id est, montem *Samariæ*, qui facta postea secessione decem tribuum a tribu Juda sub Jeroboamo, vocatus est *mons Israel*.

℣. 20. *Domini sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum* — Hebraice est, *a Domino erat, ut indurarent cor suum*. Quomodo autem non Deus, sed homo se ipsum induret et excæcet, contra Calvini blasphemias fuse exposui Exodi 7.

(1) Deut. 7, vers. 1.
(2) Exod. 34, vers. 11; Deut. 7, vers. 1.
(3) Origen. homil. 15; Theophyl. in Act. 10.

et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi.

21. In illo tempore venit Josue, et interfecit Enacim de montanis, Hebron, et Dabir, et Anab, et de omni monte Juda et Israel, urbesque eorum delevit.

22. Non reliquit ullum de stirpe Enacim, in terra filiorum Israel: absque civitatibus Gaza, et Geth, et Azoto, in quibus solis relicti sunt.

23. Cepit ergo Josue omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen, et tradidit eam in possessionem filiis Israel secundum partes et tribus suas; quievitque terra a prœliis.

CAPUT XII.

Enumerantur reges 31 citra et ultra Jordanem, quos Moyses et Josue devicerunt.

1. Hi sunt reges, quos percusserunt filii Israel, et possederunt terram eorum trans Jordanem ad solis ortum, a torrente Arnon usque ad montem Hermon, et omnem orientalem plagam quæ respicit solitudinem.

2. Sehon rex Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon, dominatus est ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, et mediæ partis in valle, dimidiæque Galaad, usque ad torrentem Jaboc, qui est terminus filiorum Ammon;

3. Et a solitudine usque ad mare Ceneroth contra orientem, et usque ad mare deserti, quod est mare salsissimum, ad orientalem plagam per viam quæ ducit Bethsimoth: et ab australi parte, quæ subjacet Asedoth, Phasga.

4. Terminus Og regis Basan, de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Astaroth, et in Edrai, et dominatus est in monte Hermon, et in Salecha, atque in universa Basan, usque ad terminos

5. Gessuri, et Machati, et dimidiæ partis Galaad: terminos Sehon regis Hesebon.

6. Moyses famulus Domini, et filii Israel percusserunt eos, tradiditque terram eorum Moyses in possessionem Rubenitis, et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse.

7. Hi sunt reges terræ, quos percussit Josue, et filii Israel, trans Jordanem ad occidentalem plagam, a Baalgad in campo Libani, usque ad montem cujus pars ascendit in Seir: tradiditque eam Josue in possessionem tribubus Israel, singulis partes suas,

8. Tam in montanis quam in planis atque campestribus. In Asedoth, et in solitudine, ac in meridie Hethæus fuit et Amorrhæus, Chananæus, et Pherezæus, Hevæus et Jebusæus.

9. Rex Jericho unus: rex Hai, quæ est ex latere Bethel, unus:

10. Rex Jerusalem unus, rex Hebron unus,

11. Rex Jerimoth unus, rex Lachis unus,

12. Rex Eglon unus, rex Gazer unus,

13. Rex Dabir unus, rex Gader unus,

14. Rex Herma unus, rex Hered unus,

15. Rex Lebna unus, rex Odullam unus,

16. Rex Maceda unus, rex Bethel unus,

17. Rex Taphua unus, rex Opher unus,

18. Rex Aphec unus, rex Saron unus,
19. Rex Madon unus, rex Asor unus,
20. Rex Semeron unus, rex Achsaph unus,
21. Rex Thenac unus, rex Mageddo unus,
22. Rex Cades unus, rex Jachanan Carmeli unus,
23. Rex Dor, et provinciæ Dor unus, rex Gentium Galgal unus,
24. Rex Thersa unus: omnes reges triginta unus.

℣. 24. *Omnes reges triginta unus* — Non uno die tot reges confecit Josue, licet id asserat Genebrardus [1], sed *multo tempore pugnavit Josue contra reges istos*, inquit hic Scriptura c. 11, v. 18. Et Josephus [2] quidem dicit *quinquennale* fuisse bellum: Theodoretus [3], Abulensis, Masius, Arias, Serarius *septennale*.

Notat S. Hieronym. [4] Palæstinam, ubi longissima est, puta *a Dan usquè Bersabee*, non extendi nisi ad *centum sexaginta millia passuum:* ubi latissima, non nisi ad *sexaginta millia passuum*. Recentiores vero Cosmographi, ut Borchardus et Adrichomius et alii, angustioribus adhuc terminis eamdem definiunt. Ergo longe angustior erat nostro Belgio. Quare in terra tam angusta tot dominari reges, ut jam sileam alios populos seu respublicas in eadem habitantes, de quibus c. seq., arguit stupendam soli illius ubertatem, et jure merito vocari terram lacte et melle manantem. In sola Galilæa, inquit Josephus [5], ducentæ et quatuor visuntur urbes ac vici. Minima urbs aut vicus habet plusquam quindecim millia capitum. Quot ergo erunt tota reliqua Judæa? Quamquam et ex Aristotele, Strabone, Plinio et Genebrardo [6] meminisse oporteat, reges olim vocari solitos singularum fere urbium majorum dominos, maxime si municipia quædam accessissent.

Notat vero Procopius, et ex hoc Evagrius [7], plures ex his Chananæorum populis, cum viderent se Josue resistendo non esse, relicto patrio solo, in Ægyptum, indeque in Africam et Libyam profugisse, ibique excitatis novis urbibus, omnem eum tractum usque ad *Herculis columnas* tenuisse. Et idem sentire videtur S. Augustin. [8]. In Germaniam quoque et alia Europæ regna non paucos penetrasse tradit Abenesra, et alii Rabbini, et Genebrardus [9].

(1) In Psalm. 134, n. 10.
(2) Lib. 5 Antiq., c. 1. (3) Q. 16, etc.
(4) Ep. ad Dardanum. (5) In Vita sua.
(6) Aristot. Polit. 3; Strabo l. 16; Plinius l. 6, c. 9; Genebr. supr.
(7) Procop. l. 6 de Bello Wandalico; Evagr. l. 4 Hist. Eccles., c. 18.
(8) In epist. ad Romanos.
(9) In Chronol.

CAPUT XIII.

Jubet Deus Josue, ut terram jam occupatam dividat Israelitis. Recensentur etiam portiones jam ante assignatæ tribubus Ruben, Gad et dimidiæ Manasse trans Jordanem.

1. Josue senex, provectæque ætatis erat, et dixit Dominus ad eum: Senuisti et longævus es, terraque latissima derelicta est, quæ necdum sorte divisa est:
2. Omnis videlicet Galilæa, Philisthiim, et universa Gessuri.
3. A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum, usque ad terminos Accaron contra aquilonem: terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philisthiim dividitur, Gazæos, et Azotios, Ascalonitas, Gethæos, et Accaronitas.

℣. 3. *A fluvio turbido* — Id est a *Nilo*, qui Hebraice *Sichor*, id est *turbidus*, dicitur, græce μελας, id est *niger*, quia aqua ejus limo est *turbida* et quasi

4. Ad meridiem vero sunt Hevæi, omnis terra Chanaan, et Maara Sidoniorum, usque Apheca et terminos Amorrhæi,

5. Ejusque confinia. Libani quoque regio contra orientem, a Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath.

6. Omnium qui habitant in monte, a Libano usque ad aquas Maserephoth, universique Sidonii. Ego sum qui delebo eos a facie filiorum Israel. Veniat ergo in partem hereditatis Israel, sicut præcepi tibi.

7. Et nunc divide terram in possessionem novem tribubus, et dimidiæ tribui Manasse,

8. Cum qua Ruben et Gad possederunt terram, [1] quam tradidit eis Moyses famulus Domini, trans fluenta Jordanis ad orientalem plagam.

9. Ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in vallis medio, universaque campestria Medaba, usque Dibon;

10. Et cunctas civitates Sehon, regis Amorrhæi, qui regnavit in

nigra. Ita S. Hieronymus, Vatablus, Lyranus et Masius. Puto tamen hic non tam ipsum *Nilum* designari, quam *rivum Nili* seu *torrentem* illum qui de *deserto* venit, et inter *Rhinocoluram* fluvium et *Pelusium* urbem in mare delabitur: unde alibi *torrens Ægypti* [2], alibi *torrens deserti* [3] vocatur: estque ex ea parte limes terræ sanctæ; sicut versus Syriam limes alter erat *Emath* minor, alias *Epiphania.* Nomen vero *Rhinocolura* accepit (ut vult Strabo [4]) a ῥὶν, id est *nasus,* et κόλωρος, id est truncus: eo quod Ægyptii eo aliquando duxerint coloniam facinorosorum, naribus truncatorum, ut hac sua deformitate aliis exemplo essent et terrori.

y. 5. *Ejusque confinia* — In Hebræo, Chaldæo et Græco additur, *terræ Gibli,* de qua 3 Reg. 5, v. 18, et Ezech. 27, vers. 9. Porro quæ hic dici possent de divisione terræ sanctæ in partes æquales, item de sortitione tribuum, et cetera huc spectantia, vide Numer. 26, v. 53, ubi illa explicui.

Tantum hic notandum, eam divisionem quæ sexto hoc ab ingressu terræ sanctæ anno facta fuit in Galgalis, ut hoc cap. et sequentibus describitur, ultra tres tribus progressum aut effectum sortitam non fuisse. Solæ enim tribus Juda et Ephraim cum altera dimidia Manasse, sedes quæ sibi sortitione obvenerant, de facto adierunt: reliquæ septem tribus adire seu noluerunt, seu neglexerunt, forte metu vicinorum hostium, quibus putabant singulas tribus jam per domicilia dispersas resistendo non fore, proindeque consultius putarunt, castra ad tempus collecta manere, etiam Josue et principibus approbantibus. Forte etiam inæqualitate sortium offensi, maxime in re non sat comperta, voluerunt rem tantisper differri, donec accuratiore studio Geometrarum, oculari inspectione legatorum, et imprimis fluxu temporis, ipsaque experientia certius omnia innotescerent. Nam hæ dilationis causæ videntur insinuari cap. 18, v. 3 et sequentibus, ubi narratur perfectam demum post alterum annum fuisse in Silo sortitionem terræ quæ hic inchoatur: nam septem reliquæ tribus adierunt tunc etiam ipsæ suam singulæ hereditatem.

Nota tamen secundo, neque ab hac posteriore tribuum sortitione in Silo, neque a priore in Galgalis cœpisse subduci annos Sabbaticos et Jubilæos, quos, Levitici 25, Deus inchoari præceperat posteaquam ingressi fuissent terram. Nam primo ab ingressu anno, devictis jam Chananæis, ac cæsis 12 regibus, c. 10, v. 42, et occupatis omnium terris, utique et cultis, saltem magna ex parte, quid dici potest defuisse quo minus a Tisri seu Septembri mense (nam ab illo auspicabantur Hebræi suos annos Sabbaticos et Jubilæos, ut dixi in Chronico, c. 5), terram incoleré et possidere dicerentur? Nam quod tribus mallent adhuc ad aliquod tempus suas in commune terras possidere non impediebat possessionem, aut inhabitationem, aut usum, sed solam divisionem inter tribus. Vide plura hac de re in nostro Chronico, c. 21.

(1) Num. 32, vers. 33. (2) Josue 15, vers. 4. (3) Amos 6, vers. ult. (4) Lib. 16.

Hesebon, usque ad terminos filiorum Ammon;

11. Et Galaad, ac terminum Gessuri et Machati, et omnem montem Hermon, et universam Basan, usque ad Salecha,

12. Omne regnum Og in Basan, qui regnavit in Astaroth et Edrai, ipse fuit de reliquiis Raphaim: percussitque eos Moyses, atque delevit.

13. Noluerunt que disperdere filii Israel Gessuri et Machati: et habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem.

14. [1] Tribui autem Levi non dedit possessionem, sed sacrificia et victimæ Domini Dei Israel, ipsa est ejus hereditas, sicut locutus est illi.

15. Dedit ergo Moyses possessionem tribui filiorum Ruben juxta cognationes suas.

16. Fuitque terminus eorum ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in valle ejusdem torrentis media: universam planitiem, quæ ducit Medaba,

17. Et Hesebon, cunctosque viculos earum, qui sunt in campestribus: Dibon quoque, et Bamothbaal, et oppidum Baalmaon,

18. Et Jassa, et Cedimoth, et Mephaath,

19. Et Cariathaim, et Sabama, et Sarathasar in monte convallis.

20. Bethphogor et Asedoth, Phasga et Bethiesimoth,

21. Et omnes urbes campestres, universaque regna Sehon regis Amorrhæi, qui regnavit in Hesebon, [2] quem percussit Moyses cum principibus Madian: Hevæum, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe duces Sehon habitatores terræ.

22. Et Balaam filium Beor ariolum occiderunt filii Israel gladio cum ceteris interfectis.

23. Factusque est terminus filiorum Ruben Jordanis fluvius. Hæc est possessio Rubenitarum per cognationes suas urbium et viculorum.

24. Deditque Moyses tribui Gad et filiis ejus per cognationes suas possessionem, cujus hæc divisio est.

25. Terminus Jaser, et omnes civitates Galaad, et dimidiam partem terræ filiorum Ammon, usque ad Aroer, quæ est contra Rabba;

26. Et ab Hesebon usque Ramoth; Masphe et Betonim: et a Manaim usque ad terminos Dabir;

27. In valle quoque Betharan, et Bethnemra, et Socoth, et Saphon reliquam partem regni Sehon regis Hesebon: hujus quoque finis, Jordanis est, usque ad extremam partem maris Cenereth trans Jordanem ad orientalem plagam:

28. Hæc est possessio filiorum Gad per familias suas, civitates et villæ earum.

29. Dedit et dimidiæ tribui Manasse, filiisque ejus juxta cognationes suas possessionem,

30. Cujus hoc principium est: a Manaim universam Basan, et cuncta regna Og regis Basan, omnesque vicos Jair, qui sunt in Basan, sexaginta oppida;

31. Et dimidiam partem Galaad, et Astaroth, et Edrai, urbes regni Og in Basan: filiis Machir, filii Manasse, dimidiæ parti filiorum Machir juxta cognationes suas.

32. Hanc possessionem divisit Moyses in campestribus Moab trans Jordanem contra Jericho ad orientalem plagm.

33. [3] Tribui autem Levi non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus, ut locutus est illi.

(1) Num. 18, vers. 20.

(2) Num. 31, vers. 8. (3) Num. 18, vers. 20.

CAPUT XIV.

Caleb ex divino promisso accipit Hebron in portionem hereditariam.

1. Hoc est quod possederunt filii Israel in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar sacerdos et Josue filios Nun et principes familiarum per tribus Israel:

2. Sorte omnia dividentes, [1] sicut præceperat Dominus in manu Moysi, novem tribubus, et dimidiæ tribui.

3. Duabus enim tribubus, et dimidiæ, dederat Moyses trans Jordanem possessionem: absque Levitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres suos:

4. Sed in eorum successerunt locum filii Joseph in duas divisi tribus, Manasse et Ephraim: nec acceperunt Levitæ aliam in terra partem, nisi urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta et pecora sua.

5. Sicut præceperat Dominus Moysi, ita fecerunt filii Israel, et diviserunt terram.

6. Accesserunt itaque filii Juda ad Josue in Galgala, locutusque est ad eum Caleb filius Jephone Cenezæus: [2] Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me et te in Cadesbarne.

7. Quadraginta annorum eram quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, ut considerarem terram, nuntiavique ei quod mihi verum videbatur.

8. Fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi: et nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum.

9. Juravitque Moyses in die illo, dicens: Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, et filiorum tuorum in æternum: quia secutus es Dominum Deum meum.

10. Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est usque in præsentem diem. Quadraginta et quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israel per solitudinem: hodie octoginta quinque annorum sum,

11. Sic valens, ut eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum: [3] illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum.

12. Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt, et urbes magnæ atque mu-

℣. 12. *Da mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus* — Quæritur ubi pollicitus sit? Respondeo, Numeror. 14, v. 24, cum, murmurantibus aliis exploratoribus, ob gigantes *Enacim* quos viderant in monte *Hebron*, Caleb illis fortissime resistente, et horribilem illam atque, ut mentiebantur, inexpugnabilem terram sibi expugnandam incolendamque deposcente, respondit Deus id sibi placere: *Inducam*, inquit, *Calebum in terram hanc quam circuivit, et semen ejus possidebit eam.*

Porro *Hebron* Numeror. 13, vers. 23 dicitur, *septem annis ante Tanim Ægypti condita* fuisse, hoc est, non multo post diluvium. Sed ante tempora Abrahami vocabatur *Cariath-Arbe*, ut hic dicitur v. 15. Quod Rabbini, S. Hieronymus, Lyranus, Hugo, Abulensis et Adrichomius vertunt, *civitatem quatuor*, quod eo loci sepulti sint *quatuor* nobi-

(1) Num. 34, vers. 13. (2) Num. 14, vers. 24. (3) Eccli. 46, vers. 11.

nitæ: si forte sit Dominus mecum, et potuero delere eos, sicut promisit mihi.

13. Benedixitque ei Josue: et tradidit ei Hebron in possessionem;

14. Atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Jephone Cenezæo usque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israel.

15. Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est, et terra cessavit a prœliis [1].

lissimi *patriarchæ Adam, Abraham, Isaac* et *Jacob*, cum *quatuor uxoribus* suis *Eva, Sara, Rebecca* et *Lia*, Genesis 47, vers. 30. Sed de *Adamo* et *Eva* istic sepultis est incertissimum, nam quod hic dicitur, *Adam maximus ibi inter Enacim situs est*, nil ad primum humani generis parentem spectat, sed ad alium diluvio posteriorem, qui vocatus est *Adam* hebraice, id est *homo, maximus inter Enacim*, quia forte inter hos primus origine, statura præcellens, potentia ac dignitate clarissimus; ita Masius, Cajetanus, Vatablus, Arias et Serarius. Quin et Hebræa hoc loco sic vertunt, *Hebron ante vocabatur Cariath*, id est urbs, *Arbe; is* Arbe *homo maximus fuit inter Enacim*. Et cap. seq. vers. 13 expresse dicitur, hunc *Arbe* fuisse *patrem Enac*, a quo alii *Enacim* gigantes prognati sunt, ut dixi Numeror. 13, v. 23. Igitur *Arbe* hic non sumitur pro *quatuor*, sed est nomen proprium famosi illius gigantis, qui eo loci, ubi nunc *Hebron*, sedem sibi viventi regiam, et morituro sepulcrum delegerat, unde dicta est *Cariath*, id est civitas, *Arbe*. Quo vero tempore, quave occasione, aut a quo dicta fuerit *Hebron*, prorsus obscurum atque incertum est. S. Hieronym. [2] a filio Calebi (non hujus, sed antiquioris in Ægypto), qui 1 Paralip. 2, v. 42 *Hebron* vocatur, sic dictam putat. Sed hic in Ægypto serviebat, non vero dominabatur in Palæstina. Serarius putat a *societate* seu *amicitia*, quam cum ejus loci principibus iniit Abraham, Genes. 14, v. 13, ita vocatum fuisse: nam *chebron* significat latine *societatem* et *conjunctionem*, ut etiam notat Origenes [3]. Non est improbabile sic dictam fuisse ab Ebrone, a quo Abraham locum coemit, ut ibidem dixi. Fuit hæc Hebron una ex civitatibus secerdotalibus et refugii, inquit sanctus Hieronymus: et ex ea David [4] ex hostium manubiis ad amicos munera misit, et ipse rex ibidem per annos [5] septem resedit: in eadem rebellionem suam orsus est Absalon [6]: denique domicilio Zachariæ patris Joannis Baptistæ eamdem nobilitatam fuisse censet Baronius et Delrio [7].

(1) Sup. 11, vers. 23.
(2) De Locis Hebr. (3) Hom. 17 et 18.
(4) 1 Reg. 30, vers. 31.
(5) 2 Reg. 3, etc. (6) 2 Reg. 15.
(7) Baron. t. 1 Annal.; Delrio in Panegyrico visitationis B. Virgin.

CAPUT XV.

Sors tribus Juda. Othonieli in uxorem datur Axa filia Caleb, ob expugnatam Cariath Sepher.

1. Igitur sors filiorum Judæ per cognationes suas ista fuit: [1] A termino Edom, desertum Sin contra meridiem, et usque ad extremam partem australis plagæ;

2. Initium ejus a summitate maris salsissimi, et a lingua ejus, quæ respicit meridiem.

3. Egrediturque contra ascensum Scorpionis, et pertransit in Sina:

γ. 2. *Lingua maris* vocatur *sinus maris*, quo specie *linguæ* angustior ma-

(1) Num. 34, vers. 3.

ris pars in continentem excurrit. Sinus vero cujus hic fit mentio, est juxta Idumæam. Simile de *lingua maris* habes

ascenditque in Cadesbarne, et pervenit in Esron, ascendens ad Addar, et circuiens Carcaa,

4. Atque inde pertransiens in Asemona, et perveniens ad torrentem Ægypti: eruntque termini ejus mare magnum; hic erit finis meridianæ plagæ.

5. Ab oriente vero erit initium, mare salsissimum usque ad extrema Jordanis: et ea quæ respiciunt ad aquilonem, a lingua maris usque ad eumdem Jordanis fluvium;

6. Ascenditque terminus in Beth Hagla, et transit ab aquilone in Beth Araba: ascendens ad lapidem Boen filii Ruben;

7. Et tendens usque ad terminos Debera de valle Achor, contra aquilonem respiciens Galgala, quæ est ex adverso ascensionis Adommim, ab australi parte torrentis: transitque aquas, quæ vocantur Fons Solis: et erunt exitus ejus ad Fontem Rogel;

8. Ascenditque per convallem filii Ennom ex latere Jebusæi ad meridiem, hæc est Jerusalem: et inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Geennom ad occidentem in summitate vallis Raphaim contra aquilonem;

9. Pertransitque a vertice montis usque ad fontem aquæ Nephtoa: et pervenit usque ad vicos montis Ephron: inclinaturque in Baala, quæ est Cariathiarim, id est, Urbs silvarum;

10. Et circuit de Baala contra occidentem, usque ad montem Seir: transitque juxta latus montis Jarim ad aquilonem in Cheslon: et descendit in Bethsames, transitque in Thamna;

11. Et pervenit contra aquilonem partis Accaron ex latere: inclinaturque Sechrona, et transit montem Baala: pervenitque in Jebneel, et magni maris contra occidentem fine concluditur;

12. Hi sunt termini filiorum Juda per circuitum in cognationibus suis.

13. Caleb vero filio Jephone dedit partem in medio filiorum Juda, sicut præceperat ei Dominus: Cariath Arbe patris Enac, ipsa est Hebron.

14. [1] Delevitque ex ea Caleb tres filios Enac, Sesai et Ahiman et Tholmai de stirpe Enac.

15. Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath Sepher, id est, Civitas litterarum.

16. Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, et ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.

17. Cepitque eam Othoniel filius

Isaiæ 11, v. 15. Quale dicatur hic *mare salsissimum:* et quis sit *Ascensus Scorpionis,* dixi Numer. 34.

℣. 14. *Ex Cariath-Arbe, ipsa est Hebron, delevit Caleb tres filios Enac* — Dices, supra cap. 10, vers. 36, et c. 11, vers. 21 dictum fuit, Josue cepisse Hebron et Dabir, et percussisse in ore gladii utramque urbem, et interfecisse quotquot de Enacim in iis reperti fuerunt: quomodo ergo hic jam dicuntur hæc omnia patrata a Caleb? Respondeo, post primas Josue victorias, cum nullum in hisce captis urbibus posuisset præsidium, sed in Galgalæis fere castris juncti hærerent Israelitæ, vel aliis alibi bellis distinerentur, iterum in eas irrepserant Chananæi et filii Enacim e vicinis civitatibus Philisthinorum Gaza, Geth et Azoto, in quibus relicti fuerant, ut dicitur cap. 11, vers. 22, cumque natura loci et arte munitissimæ essent urbes, facile eas tutari poterant. Certe, dum Hebronem a Josue peteret Caleb, cap. 14, vers. 12, constat ibi iterum fuisse Enacim: quare et bellum adversus eos parabat Caleb, sed post mortem demum Josue arma sumpsisse, feliciterque expugnasse narratur cap. 1 libri Judicum, a v. 10 usque 20. Unde quod hic de iisdem expugnatis habemus, per prolepsin seu anticipationem refertur, ita Masius, Serarius et alii.

℣. 17. *Othoniel frater Caleb* — Petes,

(1) Judic. 1, vers. 20.

Cenez frater Caleb junior: deditque ei Axam filiam suam uxorem.

18. Quæ, cum pergerent simul, suasa est a viro suo ut peteret a patre suo agrum, suspiravitque ut sedebat in asino. Cui Caleb: Quid habes, inquit?

19. At illa respondit: Da mihi benedictionem: Terram australem et arentem dedisti mihi, junge et irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius et inferius.

20. Hæc est possessio tribus filiorum Juda per cognationes suas.

21. Erantque civitates ab extremis partibus filiorum Juda juxta terminos Edom a meridie: Cabseel et Eder et Jagur,

22. Et Cyna et Dimona et Adada,

23. Et Cades et Asor et Jethnam,

24. Ziph, et Telem et Baloth,

25. Asor nova et Carioth, Hesron, hæc est Asor,

26. Amam, Sama, et Molada,

27. Et Asergadda et Hassemon et Bethphelet,

28. Et Hasersual et Bersabee et Baziothia,

29. Et Baala et Jim et Esem,

30. Et Eltholad et Cesil et Harma,

31. Et Siceleg et Medemena et Sensenna,

32. Lebaoth et Selim et Aen et Remmon, omnes civitates viginti novem, et villæ earum.

33. In campestribus vero: Estaol et Sarea et Asena,

34. Et Zanoe et Engannim et Taphua et Enaim,

35. Et Jerimoth et Adullam, Socho et Azeca,

36. Et Saraim et Adithaim et Gedera et Gederothaim: urbes quatuordecim, et villæ earum.

37. Sanan et Hadassa et Magdalgad,

38. Delean et Masepha et Jecthel,

39. Lachis et Bascath et Eglon,

40. Chebbon et Leheman et Cethlis,

41. Et Gideroth et Bethdagon et Naama et Maceda: civitates sedecim, et villæ earum.

42. Labana et Ether et Asan,

43. Jephtha et Esna et Nesib,

44. Et Ceila et Achzib et Maresa: civitates novem, et villæ earum.

45. Accaron cum vicis et villulis suis.

46. Ab Accaron usque ad mare: omnia quæ vergunt ad Azotum et viculos ejus.

47. Azotus cum vicis et villulis suis. Gaza cum vicis et villulis suis,

Si Othoniel fuit frater Caleb, quo jure dedit illi Axam filiam suam uxorem, si nuptiæ neptis cum patruo fuerint prohibitæ lege Mosaica? Ad hanc quæstionem respondi Numer. 32, v. 12.

℣. 19. *Da mihi benedictionem* — Chaldaice, *possessionem*, et *hereditatem*, scilicet ampliorem. Nam hereditatis assignatio, quæ per modum dotis liberis fiebat ab antiquis patribus, *benedictio* vocabatur. Ex his vero constat, cum filiæ nuptui darentur viris ex sua tribu, dotem ipsis dari solitam etiam ex prædiis et agris: quod non licebat cum alteri ex alia tribu nuberent, ut patet Numer. ult.

Dedit ei irriguum superius et inferius — Hebraice, dedit ei *gullot mahim* [1], id est *vortices aquarum*, seu scatebras e quibus quasi terræ venis ebullientes aquæ volutatim protrudi videntur, ut fit in scatebris quorumdam fontium, ita Masius et Magalianus. Et quidem duplicis generis scaturigines ejusmodi dedit filiæ suæ Caleb, unas *superiores*, quibus clivosa; alias *inferiores*, quibus planiora loca irrigari possent. Quod sane non exiguum donum æstimari debet, maxime in Chananæa, quæ ob nimium solis ardorem aquis assiduo egeret, et pluvialibus subinde destitueretur. Sed gratificari volebat Caleb Othonieli, et quem præsagiebat ducem Israel olim futurum, voluit e vulgi numero vel ex nunc eximere, opibusque et gloria quanta posset augere. Tropologice, Procopius, irriguum superius, est oratio et contemplatio; inferius, humiliatio et mortificatio.

(1) גלת מים.

usque ad torrentem Ægypti, et mare magnum terminus ejus.

48. Et in monte: Samir et Jether et Socoth

49. Et Danna et Cariathsenna, hæc est Dabir:

50. Anab et Istemo et Anim,

51. Gosen et Olon et Gilo: civitates undecim, et villæ earum.

52. Arab et Ruma et Esaan,

53. Et Janum et Beththaphua et Apheca,

54. Athmatha, et Cariath Arbe, hæc est Hebron, et Sior: civitates novem, et villæ earum,

55. Maon et Carmel et Ziph et Jota,

56. Jezrael et Jucadam et Zanoe,

57. Accain, Gabaa, et Thamna: civitates decem, et villæ earum.

58. Halhul, et Bessur, et Gedor,

59. Mareth, et Bethanoth, et Eltecon: civitates sex, et villæ earum.

60. Cariathbaal, hæc est Cariathiarim urbs silvarum, et Arebba: civitates duæ, et villæ earum.

61. In deserto Betharaba, Meddin, et Sachacha.

62. Et Nebsan, et civitas salis, et Engaddi: civitates sex, et villæ earum.

63. Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere: habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem.

CAPUT XVI.

Sors et limites tribus Ephraim.

1. Cecidit quoque sors filiorum Joseph, ab Jordane contra Jericho et aquas ejus ab oriente: solitudo quæ ascendit de Jericho ad montem Bethel:

2. Et egreditur de Bethel Luza: transitque terminum Archi, Atharoth;

3. Et descendit ad occidentem juxta terminum Jephleti, usque ad terminos Beth horon inferioris, et Gazer: finiunturque regiones ejus mari magno:

4. Possederuntque filii Joseph Manasses et Ephraim.

5. Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas: et possessio eorum contra orientem Atharoth Addar usque Beth horon superiorem.

6. Egrediunturque confinia in mare: Machmethath vero aquilonem respicit, et circuit terminos contra orientem in Thanathselo: et pertransit ab oriente Janoe;

7. Descenditque de Janoe in Atharoth et Naaratha: et pervenit in Jericho, egrediturque ad Jordanem.

8. De Taphua pertransit contra mare in Vallem arundineti, suntque egressus ejus in mare salsissimum; hæc est possessio tribus filiorum Ephraim per familias suas.

9. Urbesque separatæ sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, et villæ earum.

℣. 8. *Per vallem arundineti* intelligitur vallis arundinibus abundans, eo quod scateat aquis stagnantibus, limosis ac torpidis, in quibus fere arundines succrescunt. Et propter has aquas subinde (sed improprie) vertitur *torrens cannæ* seu *arundinis*, ut c. seq., v. 9. Quidam putant hunc esse torrentem *Carith*, apud quem latuit Elias 3 Regum 17.

℣. 9. *Urbesque separatæ sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse* — Id est, præter eas urbes quæ Ephraimitis in proprio circulo, a circulo fratrum suorum Manassensium diviso

10. Et non interfecerunt filii Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitavitque Chananæus in medio Ephraim usque in diem hanc tributarius.

obtigerant, insuper aliæ quædam urbes, intra circulum Manassensium sitæ (notæ quidem tum, sed hic non nominatæ), communi consensu, ob amplitudinem illius tribus, separatæ et adscriptæ sunt Ephraimitis. Hinc seq. cap., v. 9, urbes istæ Ephraimitarum dicuntur fuisse *in medio urbium Manasse*. Similia etiam in aliis circulis aliarum tribuum usu subinde venisse, ut quædam iis oppida concluderentur, quæ tamen ad alienam tribum spectarent, ex seq. capp. manifestum est, et causam alibi assignavi [1].

℣. 10. *Et non interfecerunt filii Ephraim Chananæum qui habitabat in Gazer tributarius* — Præ ignavia et avaritia tolerarunt Ephraimitæ Chananæum contra expressum Dei mandatum Deuteron. 20. Idcirco et hic et Judic. 1, et 3 Regum 9, et Oseæ 7, id illis vitio vertitur: maxime ob scelera Chananæorum, quibus, ut fit, vicini Ephraimitæ facile contaminabantur. Duo genera scelerum mercatoribus familiarium notat Oseas: *Chanaan*, inquit, *in manus ejus statera dolosa, calumniam dilexit*. Quæ cum tolerari non debuissent, turpis tamen lucri causa tolerarunt Ephraimitæ, ea contagium eorumdem scelerum: *Et dixit Ephraim, Verumtamen dives effectus sum*, q. d. Nil moror scelera, dummodo tributis illorum ditescam. Sed non hic statum. *Didicerunt opera eorum*, inquit Psalmista, *et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum* [2]. Hos fructus referunt politici ex commercio infidelium: mores illorum imbibunt, superstitionibus eorum et impiis nuptiis implicantur, a cultu veri Dei, veraque fide divelluntur: atque ita ruinam sibi non præsentem modo, sed et æternam accersunt. Simile peccatum filiorum Manasse habes c. seq., v. 13.

Nota, Chananæos hos progressu temporis usque eo sese communivisse, præsertim ad littus maris, quod fere incolebant, mercaturæ facilius exercendæ causa; ut a Judæis cum vel maxime vellent, expugnari non possent. Exemplo sit hæc ipsa Ephraimitarum urbs *Gazer*, quam ne David quidem suam facere potuit: sed Pharao demum rex Ægypti destitutam jam externo auxilio vi cepit, incendit, et filiæ suæ, quæ Salomoni nupserat, in dotem dedit, 3 Regum 9. Quam ipsam historiam LXX Interpretes, ut in quibusdam codicibus reperitur, huic Josuano textui hic, teste Magalliano, subnectunt.

(1) Num. 26, vv. 28 et 53.

(2) Psalm. 105, vers. 36.

CAPUT XVII.

Sors et limites mediæ tribus Manasse, et in ea filiarum Salphaad. Murmurantibus Ephraimitis ob nimias suæ sortis angustias, jubet Josue, vi et armis producant terminos sibi consignatos.

1. Cecidit autem sors tribui Manasse (ipse enim est primogenitus Joseph): Machir primogenito Manasse patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque possessionem Galaad et Basan:

2. [1] Et reliquis filiorum Manasse juxta familias suas, filiis Abiezer, et filiis Helec, et filiis Esriel, et filiis Sechem, et filiis Hepher, et filiis Semida: isti sunt filii Manasse filii Joseph, mares, per cognationes suas.

3. [2] Salphaad vero filio Hepher filii Galaad filii Machir filii Manasse, non erant filii, sed solæ filiæ: quarum ista sunt nomina, Maala et Noa et Hegla et Melcha et Thersa.

(1) Num. 26, vers. 30.

(2) Num. 27, vers. 1, et 36, vers. 11.

4. Veneruntque in conspectu Eleazari sacerdotis, et Josue filii Nun, et principum, dicentes: Dominus præcepit per manum Moysi, ut daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum. Deditque eis juxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum.

5. Et ceciderunt funiculi Manasse, decem, absque terra Galaad et Basan trans Jordanem.

6. Filiæ enim Manasse possederunt hereditatem in medio filiorum ejus. Terra autem Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse qui reliqui erant.

7. Fuitque terminus Manasse ab Aser, Machmethath quæ respicit Sichem, et egreditur ad dextram juxta habitatores fontis Taphuæ.

8. Etenim in sorte Manasse ceciderat terra Taphuæ, quæ est juxta terminos Manasse filiorum Ephraim.

9. Descenditque terminus Vallis arundineti in meridiem torrentis civitatum Ephraim, quæ in medio sunt urbium Manasse: terminus Manasse ab aquilone torrentis, et exitus ejus pergit ad mare:

10. Ita ut possessio Ephraim sit ab austro, et ab aquilone Manasse, et utramque claudat mare, et conjungantur sibi in tribu Aser ab aquilone, et in tribu Issachar ab oriente.

11. Fuitque hereditas Manasse in Issachar et in Aser, Bethsan et viculi ejus, et Jeblaam cum viculis suis, et habitatores Dor cum oppidis suis, habitatores quoque Endor cum viculis suis; similiterque habitatores Thenac cum viculis suis, et habitatores Mageddo cum viculis suis, et tertia pars urbis Nopheth.

12. Nec potuerunt filii Manasse has civitates subvertere, sed cœpit Chananæus habitare in terra sua.

13. Postquam autem convaluerunt filii Israel, subjecerunt Chananæos, et fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos.

14. Locutique sunt filii Joseph ad Josue, et dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis et funiculi unius, cum sim tantæ multitudinis, et benedixerit mihi Dominus?

15. Ad quos Josue ait: Si populus multus es, ascende in silvam, et succide tibi spatia in terra Pherezæi et Raphaim: quia angusta est tibi possessio montis Ephraim.

℣. 5. *Ceciderunt funiculi Manasse, decem* — nempe *quinque filiis* Manasse *maribus* v. 2, obvenerunt sortes quinque: aliæ quinque obtigerunt *quinque filiabus Salphaad*, qui filius fuerat sexti filii Manasse. Sed hæ quinque posteriores partes filiarum simul junctæ non plus agri complectebantur, quam una priorum quintarum quæ maribus obtigerant: in quinque tamen partes hic dispescitur quæ non erat nisi una, et *sexta* dici potuisset, quia jam tum ab initio in quinque partes secundum numerum quinque filiarum diversis viris nuptarum dirempta fuit; ita Masius et Serarius. De his filiabus Salphaad vide Num. 27 et 36.

℣. 14. *Filii Joseph*, hoc est, duæ tribus Ephraim et Manasse, cum jam residerent in circulo suarum possessionum, experirenturque se nimis anguste habitare, queruntur apud Josue, Eleazarum, et reliquos principes: *Quare dedisti mihi possessionem sortis et funiculi unius, cum sim tantæ multitudinis*, et in duas tribus dissectus? Non queruntur hæ duæ tribus, quod pro una tantum sumptæ essent, vel quod in generali sortitione non obtigisset illis nisi portio unius tribus: sed quod ambæ simul in Cisjordana regione non plus agri jam de facto possiderent quam uni tribui satis esset. Nam licet sat amplæ portiones, et quæ duabus tribubus sufficerent, ipsis sorte obtigissent; quia tamen hæ majori ex parte adhuc a Chananæis occupabantur, usui ipsis non erant: hinc pro dilatandis spatiis suis instant apud Josue et alios principes populi.

℣. 15. *Ad quos Josue ait: Ascende in silvam, et succide tibi spatia*, et vers. 18: *Transibis ad montem*, seu ad regionem montanam, quæ adhuc est in

16. Cui responderunt filii Joseph: Non poterimus ad montana conscendere, cum ferreis curribus utantur Chananæi, qui habitant in terra campestri, in qua sitæ sunt Bethsan cum viculis suis, et Jezrael mediam possidens vallem.

17. Dixitque Josue ad domum Joseph, Ephraim et Manasse: Populus multus es, et magnæ fortitudinis, non habebis sortem unam,

18. Sed transibis ad montem, et succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia: et poteris ultra procedere cum subverteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, et esse fortissimum.

potestate *Pherezæorum et Raphaim* gigantum, q. d. Habebis sat spatii si silvas illas exscindere volueris, et vicinas solitudines cultas reddideris.

℣. 16. *Responderunt filii Joseph, Non poterimus,* neque auderemus saltus illos et silvas in montanis exscindere, cum pertineant ad *Pherezæos* et *Raphaim, in* vicinis *campestribus* degentes, quos diffidimus nos superare posse, *cum* et *urbes* incolant munitissimas, *Bethsan, et Jezrael, et ferreis,* seu falcatis *curribus utantur* — quibus nos caremus. Sed perstitit Josue in sententia, hortatus eos in Deo confidere, cujus ope non modo montes illos et silvas, sed et urbes omnes campestres Pherezæorum quantumvis munitissimas expugnent, faciantque suas, atque ita de angustioribus spatiis queri desinant.

CAPUT XVIII.

Mittuntur Geometræ qui terram accuratius dimetiantur, ut reliquis etiam tribubus suæ dentur portiones. Describitur sors et limites tribus Benjamin.

1. Congregatique sunt omnes filii Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonii, et fuit eis terra subjecta.

2. Remanserant autem filiorum Israel septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas.

3. Ad quos Josue ait: Usquequo marcetis ignavia, et non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?

4. Eligite de singulis tribubus ternos viros, ut mittam eos, et per-

℣. 1. *Congregati sunt omnes filii Israel in Silo* — Post bella enim confecta, obtentamque tranquillitatem, e primo Chananææ vestibulo, id est e Galgalis, castra moverant, et ad interiora terræ progressi, jubente utique Deo, in Silo, seu Siluntem transtulerant, unaque cum castris *tabernaculum fœderis,* quod istic remansit fixum usque ad tempora Davidis, quo fugiente Saulem translatum videtur in *Nobe,* 1 Reg. 21 et 22. Sed quo anno, et qua de causa e Silo translatum sit est incertum, nisi quod Jerem. 7, v. 12, et Psalm. 77, v. 60, insinuetur id factum propter idololatriam, et alia scelera populi Israelitici. Erat vero *Silo* in sorte tribus Ephraim [1], loco pulcro et peramœno [2], distans Jerosolyma trium forte horarum itinere, septemtrionem versus. Urbs in monte sita, et robustissimarum circumpositu tribuum, Judaicæ, Manassææ et Ephraimiticæ, ab omnibus hostium incursibus undique tuta. Hodie vocatur *mons Samuelis,* et a Borchardo et Breitenbachio *Rama.*

℣. 2. *Septem tribus necdum acceperant possessiones suas* — Causam tantæ moræ supra exposui c. 13.

(1) Psalm. 77, vers. 67.

(2) Joseph. lib. 5 Antiq., c. 1.

gant atque circumeant terram, et describant eam juxta numerum uniuscujusque multitudinis: referantque ad me quod descripserint.

5. Dividite vobis terram in septem partes: Judas sit in terminis suis ab australi plaga, et domus Joseph ab aquilone;

6. Mediam inter hos terram in septem partes describite: et huc venietis ad me, ut coram Domino Deo vestro mittam vobis hic sortem:

7. Quia non est inter vos pars Levitarum, sed sacerdotium Domini est eorum hereditas. Gad autem et Ruben, et dimidia tribus Manasse, jam acceperant possessiones suas trans Jordanem ad orientalem plagam: quas dedit eis Moyses famulus Domini.

8. [1] Cumque surrexissent viri, ut pergerent ad describendam terram, præcepit eis Josue, dicens: Circuite terram, et describite eam, ac revertimini ad me: ut hic coram Domino, in Silo, mittam vobis sortem.

9. Itaque perrexerunt: et lustrantes eam, in septem partes diviserunt, scribentes in volumine. Reversique sunt ad Josue in castra Silo.

10. Qui misit sortes coram Domino in Silo, divisitque terram filiis Israel in septem partes.

11. Et ascendit sors prima filiorum Benjamin per familias suas, ut possiderent terram inter filios Juda et filios Joseph.

12. Fuitque terminus eorum contra aquilonem a Jordane: pergens juxta latus Jericho septentrionalis plagæ, et inde contra occidentem ad montana conscendens, et perveniens ac solitudinem Bethaven,

13. Atque pertransiens juxta [2] Luzam ad meridiem, ipsa est Bethel: descenditque in Atharoth-addar, in montem qui est ad meridiem Beth-horon inferioris:

14. Et inclinatur circuiens contra mare ad meridiem montis qui respicit Beth-horon contra Africum: suntque exitus ejus in Cariath-baal, quæ vocatur et Cariathiarim, urbem filiorum Juda; hæc est plaga contra mare, ad occidentem.

15. A meridie autem ex parte Cariathiarim egreditur terminus contra mare, et pervenit usque ad fontem aquarum Nephtoa.

16. Descenditque in partem montis, qui respicit vallem filiorum Ennom: et est contra septentrionalem plagam in extrema parte vallis Raphaim. Descenditque in Geennom (id est, vallem Ennom) juxta latus Jebusæi ad austrum: et pervenit ad fontem Rogel,

17. Transiens ad aquilonem, et egrediens ad Ensemes, id est, Fontem solis:

18. Et pertransit usque ad tumulos, qui sunt e regione ascensus Adommim: descenditque ad Abenboen, id est, lapidem Boen filii Ruben: et pertransit ex latere aquilonis ad campestria: descenditque in planitiem,

19. Et prætergreditur contra aquilonem Beth-hagla: suntque exitus ejus contra linguam maris salissimi ab aquilone in fine Jordanis ad australem plagam:

20. Qui est terminus illius ab oriente; hæc est possessio filiorum Benjamin per terminos suos in circuitu, et familias suas.

21. Fueruntque civitates ejus, Jericho et Beth-hagla, et vallis Casis,

22. Beth Araba et Samaraim et Bethel

23. Et Avim et Aphara et Ophera,

24. Villa Emona et Ophni et Ga-

(1) [a] Vers. 8. *Præcepit eis Josue, etc.* Quæ ex Thalmudicis et Maimonide collegit Selderius l. 6 *de Jure naturæ et gentium*, c. 2, decem decreta Josue, et Synedrii ejus; dum terram sanctam divisit, et describi jussit, ea profert Fabricius *Cod. Pseud. Vet. Test.*, tom. 1, p. 874 seqq.

(2) Gen. 28, vers. 19.

bee: civitates duodecim, et villæ earum.

25. Gabaon et Rama et Beroth,

26. Et Mesphe et Caphara, et Amosa

27. Et Recem, Jarephel et Tharela,

28. Et Sela, Eleph, et Jebus, quæ est Jerusalem, Gabaath et Cariath: civitates quatuordecim, et villæ earum. Hæc est possessio filiorum Benjamin juxta familias suas.

℣. 28. *Jebus, quæ est Jerusalem* — Variis hæc nominibus olim vocabatur, quæ vide exposita apud Lyranum [1] et Villalpandum, Serarium et Sanctium [2]. Ejus primum conditorem Josephus facit nunc *Melchisedech*, nunc *Davidem*: sed Davidi non potest nisi ea pars urbis adscribi, quæ in monte Sion ab eo constructa postmodum *civitas David* vocata fuit. Porro Jerusalem hic statuitur in *tribu Benjamin*, cum tamen supra c. 15, v. 8 et 63, dicta fuerit esse in *tribu Juda*. Nimirum utriusque tribus fuit secundum diversas sui partes, ut dixi Deuteron. 33, v. 12. Nam pars superior australis, ubi erat mons Sion, ad tribum *Juda* spectabat: pars inferior septemtrionalis cum intermedio monte Moria, ad tribum *Benjamin*. Sed Benjaminitæ cum desperarent se posse partem suam Jebusæis extorquere, cesserunt eam tribui Judæ si eam armis obtineret, uti postmodum obtinuit David, et regni sui caput constituit, et de suo nomine *civitatem David* vocari jussit, ita Abulensis. Hanc Tacitus [3] vocat *urbem famosam et arduam situ;* Plinius [4], *longe clarissimam urbium Orientis;* Jerem. [5], *urbem perfecti decoris, gaudium universæ terræ*. De cujus amplitudine, splendore, rebusque bello gestis nihilo minus *admiranda* conscribi possent, quam de urbe *Roma* conscripsit Lipsius et Stapletonus. Sed jam pro his remitto lectorem ad Ariam, Adrichomium, Abulensem, Salmeronem et Villalpandum.

(1) In Gen. 28.
(2) Serar. in c. 10 Josue, q. 2; Sanctius in 2 Reg. 5, vers. 6.
(3) Initio lib. 5 Hist.
(4) Lib. 5, c. 14.
(5) Thren. 2.

CAPUT XIX.

Sortes sex reliquarum tribuum, Simeon, Zabulon, Issachar, Aser, Nephthalim et Dan. Sua quoque portio Josue conceditur.

1. Et egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas: fuitque hereditas

2. Eorum in medio possessionis filiorum Juda: Bersabee et Sabee et Molada

3. Et Hasersual, Bala et Asem

4. Et Eltholad, Bethul et Harma

5. Et Siceleg et Bethmarchaboth et Hasersusa

6. Et Bethlebaoth et Sarohen: civitates tredecim, et villæ earum.

7. Ain et Remmon et Athar et Asan: civitates quatuor, et villæ earum:

8. Omnes viculi per circuitum urbium istarum usque ad Baalath-Beer-Ramath contra australem plagam. Hæc est hereditas filiorum Simeon juxta cognationes suas,

℣℣. 8, 9. *Hereditas filiorum Simeon in possessione et funiculo* erat *filiorum Juda, quia* funiculus Juda *major erat* quam ei conveniret: sicque abscissa ab eo particula, quæ Simeonicæ tribui sedem præberet. Videtur enim, inquit Abulensis, errore priorum Geometrarum, putantium sat esse spatii in Palæstina omnibus tribubus ad habitandum laxissime, tribui Judaicæ, quæ prima suas terras inhabitatum ierat, plusculum spatii concessum fuisse. Qui error a secun-

9. In possessione et funiculo filiorum Juda: quia major erat; et idcirco filii Simeon possederunt in medio hereditatis eorum.

10. Ceciditque sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas: et factus est terminus possessionis eorum usque Sarid.

11. Ascenditque de Mari et Merala, et pervenit in Debbaseth, usque ad torrentem qui est contra Jeconam.

12. Et revertitur de Sared contra orientem in fines Ceseleththabor: et egreditur ad Dabereth, ascenditque contra Japhie.

13. Et inde pertransit usque ad orientalem plagam Geth-hepher et Thacasin: et egreditur in Remmon, Amthar et Noa.

14. Et circuit ad aquilonem Hanathon, suntque egressus ejus vallis Jephthahel,

15. Et Cathed et Naalol et Semeron et Jerala et Bethlehem: civitates duodecim, et villæ earum.

16. Hæc est hereditas tribus filiorum Zabulon per cognationes suas, urbes et viculi earum.

17. Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas;

18. Fuitque ejus hereditas, Jezrael et Casaloth et Sunem

19. Et Hapharaim et Seon, et Anaharath,

20. Et Rabboth et Cesion, Abes,

21. Et Rameth, et Engannim, et Enhadda, et Betpheses.

22. Et pervenit terminus ejus usque Thabor et Sehesima et Bethsames: eruntque exitus ejus Jordanis:

23. Hæc est possessio filiorum Issachar per cognationes suas, urbes et viculi earum.

24. Ceciditque sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas:

25. Fuitque terminus eorum Halcath et Chali et Beten et Axaph

26. Et Elmelech et Amaad et Messal: et pervenit usque ad Carmelum maris et Sihor et Labanath.

27. Ac revertitur contra orientem Bethdagon: et pertransit usque Zabulon et vallem Jephthael contra aquilonem in Bethemec et Nehiel. Egrediturque ad lævam Cabul,

28. Et Abran et Rohob et Hamon et Cana, usque ad Sidonem magnam;

29. Revertiturque in Horma usque ad civitatem munitissimam Tyrum, et usque Hosa: eruntque exitus ejus in mare de funiculo Achziba:

30. Et Amma et Aphec et Rohob; civitates viginti duæ, et villæ earum.

31. Hæc est possessio filiorum Aser per cognationes suas, urbesque et viculi earum.

32. Filiorum Nephthali sexta sors cecidit per familias suas:

33. Et cœpit terminus de Heleph et Elon in Saananim, et Adami, quæ est Neceb, et Jebnael usque Lecum: et egressus eorum usque ad Jordanem:

34. Revertiturque terminus contra occidentem in Azanotthabor, atque inde egreditur in Hucuca, et pertransit in Zabulon contra meridiem, et in Aser contra occidentem,

dis Geometris, penitius omnia explorantibus, ac pro septem reliquis tribubus jussu principum rursus terram metientibus, mox deprehensus ac correctus fuit. Atque ita contigit divina providentia, impleri prophetiam Jacobi patriarchæ, qua non minus de *Simeone*, quam *Levi* prædixerat, Genes. 49: *Dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel.* Nam sacerdotes et Levitæ per omnes tribus dispersi habitabant: Simeonis vero posteri licet certam sedem sortiti sint, quia tamen hoc quem jam dixi errore aliquo modo propriis sedibus primo privati sunt, nec nisi correcto errore, tribu Juda sinum suum pandente, illosque invitante et excipiente in alienæ tribus terminis, quasi in alieno hospitio collocati fuerunt, possunt etiam aptissime dici inter Israelitas dispersi fuisse.

et in Juda ad Jordanem contra ortum solis;

35. Civitates munitissimæ, Assedim, Ser, et Emath, et Reccath et Cenereth,

36. Et Edema et Arama, Asor,

37. Et Cedes et Edrai, Enhasor,

38. Et Jeron et Magdalel, Horem et Bethanath et Bethsames: civitates decem et novem, et villæ earum.

39. Hæc est possessio tribus filiorum Nephthali per cognationes suas, urbes et viculi earum.

40. Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima:

41. Et fuit terminus possessionis ejus Sarea et Esthaol, et Hirsemes, id est, Civitas solis.

42. Selebin et Ajalon et Jethela,

43. Elon et Themna et Acron,

44. Elthece, Gebbethon et Balaath,

45. Et Jud et Bane et Barach et Gethremmon:

46. Et Mejarcon et Arecon, cum termino qui respicit Joppen,

47. Et ipso fine concluditur. Ascenderuntque filii Dan, et pugnaverunt contra Lesem, ceperuntque eam: et percusserunt eam in ore gladii, et possederunt, et habitaverunt in ea, vocantes nomen ejus Lesem Dan, ex nomine Dan patris sui.

48. Hæc est possessio tribus filiorum Dan, per cognationes suas, urbes et viculi earum.

49. Cumque complesset sorte dividere terram singulis per tribus suas, dederunt filii Israel possessionem Josue filio Nun in medio sui,

50. Juxta præceptum Domini, urbem quam postulavit, Thamnath-Saraa in monte Ephraim: et ædificavit civitatem, habitavitque in ea.

51. Hæ sunt possessiones, quas sorte diviserunt Eleazar sacerdos et Josue filius Nun, et principes familiarum ac tribuum filiorum Israel, in Silo, coram Domino ad ostium tabernaculi testimonii, partitique sunt terram.

℣. 50. *Thamnath-Saraa in monte Ephraim* — Unicam imperatori suo Josue urbem hanc jure hereditario possidendam dederunt Israelitæ, non amplam, uberem aut amœnam, sed angustam, aridam, ac pene dirutam: quæ ab arborum graveolentia et soli sterilitate cognomentum *Sarah* sortita videtur, inquit Arias Montanus. Et sita erat in *monte Gaas*, Josue ult., vers. 30, et Judicum 2, vers. 9, et 2 Regum 33, vers. 30, id est, *in monte tempestatis, commotionis* et *procellæ*. In cujus septemtrionali latere etiam sepeliri voluit. Hanc Josue tanti imperatoris animi modestiam non sat mirari potuit S. Paula, teste S. Hieronymo [1] cum sacra Palæstinæ loca viseret: videretque, tam præclarum ducem, tot tantisque rebus gestis, tot et tantis victoriis insignem, tam modeste ac demisse seipsum in divisione terræ tam nobilis, tam fœcundæ gessisse, nec sibi suæque familiæ nisi locum perexiguum, vilem, asperum, ruinosum, vel potius dirutum delegisse: sed neque pro sua auctoritate delegisse, verum a populo ut sibi daretur petiisse, et quidem ultimo loco, dum aliis jam abunde provisum, et omnibus ex voto factum esset satis. In quo sane veri *Jesu* Domini nostri figuram gessit, cui cum omnia tradita essent a Patre, delegit sibi semper locum vilissimum in Bethlehem, in stabulo, in præsepi, in cruce.

Nota. Hæc eadem urbs, quæ hic vocatur *Thamnath-Saraa*, vel *Serech*, ut est in Hebræo, postea, ut patet cap. 2 Judicum, v. 9, trajectis retrograde litteris in honorem Josue vocata fuit *Thamnath-Cheres* (sic enim est in Hebræo), id est *imago solis:* quia Israelitæ super monumento Josue imaginem solis collocarant, ut *solis-stitii* ejus apud posteros jugis esset memoria; ita Rabbini, et Masius, et Adrichomius, et Arias. Posterioribus temporibus videtur locus celebrior redditus, immo ex celeberrimis totius Palæstinæ: nam cum in decem Toparchias Judæam totam dividerent Romani, ab hac urbe unam legimus, teste Plinio [2], nominatam fuisse *Thamniticam*.

(1) In Vita Paulæ.

(2) Lib. 5, c. 14.

CAPUT XX.

Sex designantur civitates refugii cis et trans Jordanem, et privilegia eo confugientium.

1. Et locutus est Dominus ad Josue, dicens: Loquere filiis Israel, et dic eis:

2. Separate urbes fugitivorum, [1] de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi;

3. Ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius: et possit evadere iram proximi, qui ultor est sanguinis:

4. Cum ad unam harum confugerit civitatum, stabit ante portam civitatis, et loquetur senioribus urbis illius ea quæ se comprobent innocentem: sicque suscipient eum, et dabunt ei locum ad habitandum.

5. Cumque ultor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus ejus: quia ignorans percussit proximum ejus, nec ante biduum, triduumve, ejus probatur inimicus.

6. Et habitabit in civitate illa, donec stet ante judicium causam reddens facti sui, et moriatur sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc revertetur homicida, et ingredietur civitatem et domum suam de qua fugerat.

7. Decreveruntque Cedes in Galilæa montis Nephthali, et Sichem in monte Ephraim, et Cariatharbe, ipsa est Hebron, in monte Juda.

℣. 2. *Urbes fugitivorum* — De his urbibus egi fuse Numer. 35. Hic solum adversus Andream Masium, qui scelerum odio, justitiæque zelo videtur Christianorum asyla improbare, nota, gravissimas urgentissimasque ob causas, sicut olim urbes quædam refugii erant apud Judæos, sic etiam modo apud Christianos, templa, cœmeteria, cœnobia, religiosasque domos pro asylis concedi. Primo, quia sic divini Numinis summa monstratur majestas, dum ei dicata loca et domus adeo habentur sacrosancta ut, etiamsi hominibus illatum sit damnum, et vel publicum, vel privatum bonum pœnas exigat, ob illius tamen reverentiam securus quis in illis sit: neque audeat illum quispiam inde extrahere, ibi attingere aut violare. Secundo, major quædam et sublimior de divinis rebus vulgo conciliatur opinio, dum vident in aris, templis, et religiosis domibus tantum esse miseris mortalibus opis ac præsidii. Tertio, consulitur multorum innocentiæ: injicitur quoddam veluti frænum incitatæ adversariorum iracundiæ ac furori: tempus datur et ei qui ad asylum venit, subeundæ pœnitentiæ, et aliis qui eum insequuntur et ad necem deposcunt, maturioris consilii capessendi. Et ut nulla esset alia utilitas, hæc sane perinsignis est, per asylorum religionem etiam in bellis et urbium expugnationibus cohiberi ac retundi, si non omnino et semper, saltem ut plurimum et majori ex parte hostiles mucrones, bacchantesque in cæde et sanguine alibi dextras hic mitescere, ac veluti fractas et debilitatas elanguescere. Unde S. Augustin. [2] Dei Christique gloriam etiam apud Gentiles maxime illustratam fuisse scribit, cum capta a Gothis barbaris urbe Roma, in Christianorum templis tuti manerent et intacti quotquot ad ea sese contulissent. Vide plura de his apud Azorium nostrum: et de asylis Gentilium, Ciceronem, Justinum, Pausaniam, Gellium, Ulpianum, Tiraquellum, et Alexandrum ab Alexandro [3].

Moraliter tot urbes refugii et asyla significant multiplex pœnitentiæ post peccata confugium, tum in hac vita ad Sacramenta et opera pia: tum in altera, ad Purgatorium; ita Serarius et alii.

(1) Num. 35, vers. 10; Deut. 19, vers. 2.
(2) Lib. 1 de Civit., c. 1 et 34.
(3) Azor. l. 8 Moral., c. 9; Cicero in Verrem; Justin. l. 28; Pausanias in Atticis, Corinthiacis, Laconicis, Achaicis; Gellius l. 10, c. 15; Ulpian. in lib. *Quid fugitivus*, et in Pandectas, etc.; Alex. l. 3, cap. 20.

8. Et trans Jordanem contra orientalem plagam Jericho, [1] statuerunt Bosor, quæ sita est in campestri solitudine, de tribu Ruben, et Ramoth in Galaad de tribu Gad, et Gaulon in Basan de tribu Manasse.

(1) Deut. 4, vers. 43.

9. Hæ civitates constitutæ sunt cunctis filiis Israel, et advenis qui habitabant inter eos: ut fugeret ad eas qui animam nescius percussisset, et non moreretur in manu proximi, effusum sanguinem vindicare cupientis, donec staret ante populum expositurus causam suam.

CAPUT XXI.

Levitis assignantur civitates 48 cum suburbanis earumdem. Et complet Deus undequaque quidquid olim Patriarchis promiserat, pace et plena quiete ubique concessa Israeli.

1. Accesseruntque principes familiarum Levi ad Eleazarum sacerdotem, et Josue filium Nun, et ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel:

2. Locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt: [1] Dominus præcepit per manum Moysi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta.

3. Dederuntque filii Israel de possessionibus suis juxta imperium Domini, civitates et suburbana earum.

4. Egressaque est sors in familiam Caath filiorum Aaron sacerdotis, de tribubus Juda, et Simeon, et Benjamin, civitates tredecim:

5. Et reliquis filiorum Caath, id est, Levitis qui superfuerant, de tribubus Ephraim, et Dan, et dimidia tribu Manasse, civitates decem.

6. Porro filiis Gerson egressa est sors, ut acciperent de tribubus Issachar et Aser et Nephthali, dimidiaque tribu Manasse in Basan, civitates numero tredecim.

7. Et filiis Merari per cognationes suas, de tribubus Ruben et Gad et Zabulon, urbes duodecim.

8. Dederuntque filii Israel Levitis civitates et suburbana earum, sicut præcepit Dominus per manum Moysi, singulis sorte tribuentes,

(1) Num. 35, vers. 2.

9. De tribubus filiorum Juda et Simeon dedit Josue civitates: [2] quarum ista sunt nomina,

10. Filiis Aaron per familias Caath Levitici generis (prima enim sors illis egressa est)

11. Cariatharbe patris Ena, quæ vocatur Hebron, in monte Juda, et suburbana ejus per circuitum.

12. [3] Agros vero, et villas ejus, dederat Caleb filio Jephone ad possidendum.

13. Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis Hebron confugii civitatem, ac suburbana ejus: et Lobnam cum suburbanis suis:

14. Et Jether, et Esthemo,

15. Et Holon, et Dabir,

16. Et Ain, et Jeta, et Bethsames, cum suburbanis suis: civitates novem de tribubus, ut dictum est, duabus,

17. De tribu autem filiorum Benjamin, Gabaon, et Gabae,

18. Et Anathoth et Almon, cum suburbanis suis: civitates quatuor.

19. Omnes simul civitates filiorum Aaron sacerdotis, tredecim, cum suburbanis suis.

20. Reliquis vero per familias fi-

(2) 1 Par. 6, vers. 55. (3) Sup. 14, vers. 14.

liorum Caath Levitici generis, hæc est data possessio.

21. De tribu Ephraim urbes confugii, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim et Gazer

22. Et Cibsaim et Beth-horon, cum suburbanis suis, civitates quatuor.

23. De tribu quoque Dan, Eltheco et Gabathon,

24. Et Ajalon et Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates quatuor.

25. Porro de dimidia tribu Manasse, Thanach et Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates duæ.

26. Omnes civitates decem, et suburbana earum, datæ sunt filiis Caath inferioris gradus.

27. Filiis quoque Gerson Levitici generis dedit de dimidia tribu Manasse confugii civitates, Gaulon in Basan, et Bosram, cum suburbanis suis, civitates duas.

28. Porro de tribu Issachar, Cesion, et Dabereth,

29. Et Jaramoth, et Engannim, cum suburbanis suis, civitates quatuor.

30. De tribu autem Aser, Masal et Abdon,

31. Et Helcath et Rohob, cum suburbanis suis, civitates quatuor.

32. De tribu quoque Nephthali civitates confugii, Cedes in Galilæa, et Hammoth Dor, et Chartan, cum suburbanis suis, civitates tres.

33. Omnes urbes familiarum Gerson, tredecim, cum suburbanis suis.

34. Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per familias suas data est de tribu Zabulon, Jecnam et Cartha

35. Et Damna, et Naalol, civitates quatuor cum suburbanis suis.

36. De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates refugii, Bosor in solitudine, Misor et Jaser et Jethson et Mephaath, civitates quatuor cum suburbanis suis.

37. De tribu Gad civitates confugii, Ramoth in Galaad, et Manaim et Hesebon et Jazer, civitates quatuor cum suburbanis suis.

38. Omnes urbes filiorum Merari per familias et cognationes suas, duodecim.

39. Itaque civitates universæ Levitarum in medio possessionis filiorum Israel fuerunt quadraginta octo

℣. 36. *Misor* — Redundat, vel adnectendum *Jaseri*, ut unam eamdemque cum ea urbem constituat. Alioquin urbs una redundaret.

℣. 39. *Civitates Levitarum fuerunt quadraginta octo* — Totidem enim jusserat eis dari Dominus Numerorum 35, vv. 6 et 7.

Nota, penes Levitas fuisse plenum jus et dominium utile in has urbes : unde statuebant ibi magistratus et alios officiales. Sed dominium supremum directum manebat penes singulas tribus, unde urbes illæ decerptæ erant. Quibus proinde cedebant portoria, vectigalia, et alia Regalia quæ vocant.

Sed petes, Quare tribui Levi, quæ numero erat omnium pene minima, dandæ fuerunt 48 urbes, id est, duplo et triplo plures quam quibusdam aliis tribubus longe numerosioribus obvenerant [1]? Respondeo primo, Quia divinam benignitatem decebat, erga ministros suos sacrorumque antistites in rebus ad victum habitationemque necessariis subministrandis esse liberalem: ut illi exempti et liberati importuna earum rerum cura, se totos in Dei cultum, cæremonias et obsequium impenderent, ita Philo [2]. Respondeo secundo, quia aliis tribubus, etsi pauciores quibusdam obvenissent urbes, obvenerant tamen plurimi quoque *pagi et vici:* quorum nullos acceperunt Levitæ, sed solis suburbanis ad mille passus, seu bis mille cubitos circum singulas urbes contenti esse debebant ut dicitur Numerorum 35, vers. 4 et 5, ita Abulensis [3]. Sed aliam hic notare est

(1) Serarius hic q. 3.

(2) Lib. de Profugis, et lib. 2 de Monarchia, et l. de Sacerd. honoribus. (3) Q. 9 in Num. 35.

40. Cum suburbanis suis, singulæ per familias distributæ.

41. Deditque Dominus Deus Israeli omnem terram, quam traditurum se patribus eorum juraverat: et possederunt illam atque habitaverunt in ea.

42. Dataque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes: nullusque eis hostium resistere ausus est, sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt.

43. Ne unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia.

divini Numinis providentiam simul et clementiam. Genes. 49 in pœnam eversæ tyrannice Sichem patriarcha Jacob irrogarat filio suo Levi pœnam dispersionis inter fratres suos. Sed Deus ob merita posterorum, et præsertim Moysis, Aaronis et Phinees, hanc ipsam pœnam convertit in laudem et præmium, effecitque ut qui dispergendi erant per omnes tribus, honorifico sacerdotii et sacri ministerii titulo dispergerentur, neque probro id illis esset, sed summo honori. Unde et hoc consequebatur commodi, quod, dispersis per omnia loca sacerdotibus ac Levitis, omnes reliquæ tribus facilius ab ipsis sanæ doctrinæ morumque præcepta haurirent: nam ipsorum erat, utpote legis peritorum, docere et erudire fratres suos. Denique et hoc notandum, divina providentia factum, quod ex omnibus Leviticis urbibus tota Palæstina dispersis eæ sacerdotibus sorte obvenerint, quæ tabernaculo ac templo, adeoque et futuræ urbi regiæ, puta Jerosolymæ, proximæ essent; ut sic commodius cum Judaica tribu connubia inire possent. *Nam*, ut inquit Theodoretus [1], *has duas tribus permisit misceri Dominus, eo quod Christus, qui e tribu Juda nasci debebat, non rex solum, sed et pontifex erat futurus.*

(1) Hic quæst. 18.

CAPUT XXII.

Remissæ ad suam possessionem trans Jordanem tribus Ruben, Gad et dimidia Manasse, exstructo ad Jordanem altari suspicionem novi criminis incurrunt, sed causis consilii sui expositis innoxii declarantur.

1. Eodem tempore vocavit Josue Rubenitas, et Gaditas, et dimidiam tribum Manasse,

2. Dixitque ad eos: Fecistis omnia quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis,

3. Nec reliquistis fratres vestros longo tempore, usque in præsentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri.

4. Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem et pacem, sicut pollicitus est: revertimini, et ite in tabernacula vestra, et in terram possessionis, [1] quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Jordanem:

5. Ita dumtaxat, ut custodiatis attente, et opere compleatis mandatum et legem quam præcepit vobis Moyses famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, et observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac serviatis in omni corde, et in omni anima vestra.

6. Benedixitque eis Josue, et dimisit eos. Qui reversi sunt in tabernacula sua.

7. Dimidiæ autem tribui Manasse possessionem Moyses dederat in Basan: et idcirco mediæ quæ superfuit, dedit Josue sortem inter ceteros fratres suos trans Jordanem ad

(1) Num. 32, vers. 33; Sup. 13, vers. 8.

occidentalem plagam. Cumque dimitteret eos in tabernacula sua, et benedixisset eis,

8. Dixit ad eos: In multa substantia atque divitiis revertimini ad sedes vestras, cum argento et auro, ære ac ferro, et veste multiplici: dividite prædam hostium cum fratribus vestris.

9. Reversique sunt, et abierunt filii Ruben, et filii Gad, et dimidia tribus Manasse, a filiis Israel de Silo, quæ sita est in Chanaan, ut intrarent Galaad terram possessionis suæ, quam obtinuerant juxta imperium Domini in manu Moysi.

10. Cumque venissent ad tumulos Jordanis in terram Chanaan, ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis.

11. Quod cum audissent filii Israel, et ad eos certi nuntii detulissent, ædificasse filios Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, altare in terra Chanaan, super Jordanis tumulos, contra filios Israel:

12. Convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent et dimicarent contra eos.

13. Et interim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari sacerdotis,

14. Et decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus.

15. Qui venerunt ad filios Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, in terram Galaad, dixeruntque ad eos:

16. Hæc mandat omnis populus Domini: Quæ est ista transgressio? Cur reliquistis Dominum Deum Israel, ædificantes altare sacrilegum, et a cultu illius recedentes?

17. An parum vobis est[1] quod peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet? multique de populo corruerunt.

18. Et vos hodie reliquistis Dominum, et cras in universum Israel ira ejus desæviet.

19. Quod si putatis immundam esse terram possessionis vestræ, transite ad terram, in qua tabernaculum Domini est, et habitate inter nos: tantum ut a Domino, et a nostro consortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei nostri.

20. [2] Nonne Achan filius Zare præteriit mandatum Domini, et super omnem populum Israel ira ejus incubuit? Et ille erat unus homo, atque utinam solus periisset in scelere suo.

21. Responderuntque filii Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse, principibus legationis Israel:

22. Fortissimus Deus Dominus, Fortissimus Deus Dominus, ipse novit, et [Israel simul intelliget: si prævaricationis animo hoc altare construximus, non custodiat nos, sed puniat nos in præsenti:

23. Et si ea mente fecimus, ut holocausta, et sacrificium, et pacifica victimas super eo imponeremus, ipse quærat et judicet:

24. Et non ea magis cogitatione atque tractatu, ut diceremus: Cras dicent filii vestri filiis nostris: Quid vobis et Domino Deo Israel?

℣. 8. *Dividite prædam cum fratribus vestris* — Calvinus vult id solum fuisse consilium, sed præceptum fuisse patet ex Numerorum 31, vers. 27, ubi jubet Deus, *dividi ex æquo prædam inter eos qui pugnaaverunt, et inter omnem reliquam multitudinem.* Hanc legem forte successu temporis neglectam rursus instauravit David, 1 Regum 30, ut *æqualis* esset *portio proficiscentium ad bellum, et remanentium ad sarcinas.*

℣. 24. *Cras,* seu futuris temporibus, *dicent filii vestri filiis nostris: Quid vobis et Domino Deo Israel?* — Chaldæus, *non est vobis verbi divini communitas:* id est, non estis de populo Dei, neque

(1) Num. 25, vers. 3; Deut. 4, vers. 3.

(2) Sup. 7, vers. 1.

25. Terminum posuit Dominus inter nos et vos, o filii Ruben, et filii Gad, Jordanem fluvium: et idcirco partem non habetis in Domino. Et per hanc occasionem avertent filii vestri filios nostros a timore Domini. Putavimus itaque melius,

26. Et diximus: Extruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas,

27. Sed in testimonium inter nos et vos, et sobolem nostram vestramque progeniem, ut serviamus Domino, et juris [nostri sit offerre, et holocausta, et victimas, et pacificas hostias: et nequaquam dicant cras filii vestri filiis nostris: Non est vobis pars in Domino.

28. Quod si voluerint dicere, respondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt patres nostri, non in holocausta, neque in sacrificium, sed in testimonium nostrum ac vestrum.

29. Absit a nobis hoc scelus, ut recedamus a Domino, et ejus vestigia relinquamus, extructo altari ad holocausta, ad sacrificia, et victimas offerendas, præter altare Domini Dei nostri, quod extructum est ante tabernaculum ejus.

30. Quibus auditis, Phinees sacerdos, et principes legationis Israel, qui erant cum eo, placati sunt: et verba filiorum Ruben, et Gad, et dimidia tribus Manasse, libentissime susceperunt.

31. Dixitque Phinees filius Eleazari sacerdos ad eos: Nunc scimus quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis a prævaricatione hac, et liberasti filios Israel de manu Domini.

32. Reversusque est cum principibus a filiis Ruben et Gad, de terra Galaad, filium Chanaan, ad filios Israel, et retulit eis.

33. Placuitque sermo cunctis audientibus. Et laudaverunt Deum filii Israel, et nequaquam ultra dixerunt, ut ascenderent contra eos, atque pugnarent, et delerent terram possessionis eorum.

34. Vocaveruntque filii Ruben, et filii Gad altare quod extruxerant, Testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus.

promissiones de terra sancta et Messia ex Abraham orituro, factæ olim patribus nostris, ad vos tamquam veros heredes spectant: et consequenter, jus non habetis ad altare et sacrificia quæ in tabernaculo fœderis cis Jordanem apud nos peraguntur. Ne ergo hæc et similia posteri vestri posteris nostris toto Jordane a vobis sejunctis exprobrent aliquando, idcirco ereximus trans Jordanem hoc vastum et nobile altare, non ut eo ad proprium et primarium altaris finem utamur, puta ad sacrificia in eo offerenda (nam probe scimus lege divina vetitum esse nobis sacrificia offerre extra tabernaculi locum a Deo designandum, Levitici 16), sed solum ad secundarium finem, nempe ad æternum monimentum ejusdem vobiscum avitæ religionis et cultus divini, sicut et stirpis paternæ: utque omnibus perpetuo testatum maneat, nos ad eadem vobiscum cis Jordanem sacra privilegiaque omnia jus habere, ita Abulensis. Ex hoc altari typico, et ex altero simili a patriarcha Jacob *in titulum* erecto Genesis 28, vers. 18, contra Iconoclastas colligit etiam Lutheranus Chytræus, posse imagines et statuas erigi, quæ Christi et Sanctorum, et divinorum beneficiorum memoriam conservent, fidem accendant, et imitationem suadeant, ita Serarius, Vasquez [1] et Bellarminus.

(1) Serarius hic, et in præfatione librorum. Vasquez de Adorat.

CAPUT XXIII.

Josue senex, jamque moribundus, hortatur filios Israel ad servanda religiose divina præcepta; nominatim de cavenda societate cum gentilibus.

1. Evoluto autem multo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israeli, subjectis in gyro nationibus universis, et Josue jam longævo, et persenilis ætatis:

2. Vocavit Josue omnem Israelem, majoresque natu, et principes ac duces, et magistros, dixitque ad eos: Ego senui, et progressioris ætatis sum:

3. Vosque cernitis omnia quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quo modo pro vobis ipse pugnaverit:

4. Et nunc quia vobis sorte divisit omnem terram, ab orientali parte Jordanis usque ad mare magnum, multæque adhuc supersunt nationes:

5. Dominus Deus vester disperdet eas, et auferet a facie vestra, et possidebitis terram, sicut vobis pollicitus est;

6. Tantum confortamini, et estote soliciti, ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi: et non declinetis ab eis neque ad dexteram neque ad sinistram.

7. Ne postquam intraveritis ad gentes, quæ inter vos futuræ sunt, juretis in nomine deorum earum, et serviatis eis, et adoretis illos:

8. Sed adhæreatis Domino Deo vestro: quod fecistis usque in diem hanc.

9. Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas et robustissimas, et nullus vobis resistere poterit.

10. Unus e vobis persequetur hostium mille viros: quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est.

11. Hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum.

12. Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, et cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare:

13. Jam nunc scitote quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam ac laqueum, et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.

14. [1] En ego hodie ingredior viam

℣. 2. Pro *duces*, lege ex Hebræo, Chaldæo et Græco, *judices*, uti legitur cap. seq. v. 1.

℣. 7. *Ne juretis in nomine deorum earum* — In Hebræo additur, *Non memorabitis nomen deorum gentium illarum*. Unde pii Judæi vix, aut non nisi cum detestatione, solebant nominare falsos deos: quod etiamnum observant qui inter ipsos volunt religiosiores videri. Quin nec hæreticorum usurpant nomina, etiam scribendo, nisi prius *pacem veniamque* sua illa symbolica brevitatis notula, *Chas ve schalom* [2], id est, *ignosce et pax esto* precati fuerint. Quod iis observandum, quibus semper in ore: *Mehercule, Mecastor, Medius fidius, Dies Jovis, Dies Veneris*, etc.

De benedictionibus et maledictionibus, quas hic moriturus Josue populo imprecatur, vide Deuter. 27 et 28.

(1) 3 Reg. 2, vers. 2.

(2) חס׳.

universæ terræ, et toto animo cognoscetis, quod de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, unum non præterierit incassum.

15. Sicut ergo implevit opere quod promisit, et prospera cuncta venerunt: sic adducet super vos quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis,

16. Eo quod præterieritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum, et servieritis diis alienis, et adoraveritis eos: cito atque velociter consurget in vos furor Domini, et auferemini ab hac terra optima, quam tradidit vobis.

CAPUT XXIV.

Renovat Josue Israelitis memoriam beneficiorum a Deo acceptorum, et fœdus populi cum Deo. Moritur Josue 110 annorum. Moritur et Eleazar pontifex. Ossa quoque Josephi patriarchæ ex Ægypto evecta sepeliuntur in Sichem.

1. Congregavitque Josue omnes tribus Israel in Sichem, et vocavit majores natu, ac principes, et judices, et magistros: steteruntque in conspectu Domini:

2. Et ad populum sic locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, [1] Thare pater Abraham et Nachor: servieruntque diis alienis.

3. [2] Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus: et adduxi eum in terram Chanaan: multiplicavique semen ejus.

4. [3] Et dedi ei Isaac: [4] illique rursum dedi Jacob et Esau. [5] E quibus, Esau dedi montem Seir ad possidendum: [6] Jacob vero, et filii ejus descenderunt in Ægyptum.

5. [7] Misique Moysen et Aaron, et percussi Ægyptum multis signis atque portentis.

6. [8] Eduxique vos et patres vestros de Ægypto, et venistis ad mare: persecutique sunt [9] Ægyptii pa-

℣. 1. *In Sichem* — Sic etiam Hebræus textus habet, et Chaldæus, et quidam Græci. Sed LXX legunt, *in Silo*. Nimirum comitia hæc indicta fuerunt *in Silo*, quomodo enim alioqui dicemus eos *stetisse in conspectu Domini?* et *Josue posuisse lapidem in Sanctuario Domini?* vers. 26. Quia tamen *Silo* erat in agro *Sichemico*, idcirco vere quoque dicuntur *tribus omnes congregatæ in Sichem*. Sicut infra v. 32 Josephi ossa dicuntur sepulta fuisse *in Sichem*: cum tamen constet ex Genesis 33, vv. 18 et 19, sepulcrum hoc Patriarcharum fuisse extra urbem Sichem, in agro, ita Serarius [10].

℣. 2. *Abraham* an in adolescentia sua coluerit falsos deos, dixi Gen. 12, v. 3 [11].

(1) Gen. 11, vers. 26. (2) Gen. 11, vers. 31.
(3) Gen. 21, vers. 2. (4) Gen. 25, vers. 26.
(5) Gen. 36, vers. 8. (6) Gen. 46, vers. 6.
(7) Exod. 3, vers. 10. (8) Exod. 12, vers. 37.
(9) Exod. 14, vers. 9.
(10) Aliter nodum solvit Shuckfordius, quem vide tom. 3, pag. 506.
(11) Multi, quorum aliquot ab Abbate Artigny citatos habes tom. 3 *Novorum Monum. hist. crit.*, pag. 77, ut Masius, Serarius, Genebrardus (neque admodum ab his cit. l. dissentit Tirinus) Abrahamum fatentur Idolis aliquando servisse. Miror tamen non Calvinum modo, sed et memoratos Catholicos hoc Josue testimonio ad hanc sententiam tuendam abuti potuisse. Gilletus in 1 *Josephi Judaic. Ant. lib., adnot.* 9 verba *et servierunt* impersonalem in Hebræo habere sensum posse ostendit: *et litatum fuit diis alienis*, quod cur ad Abraham referatur? Ut ut est, scriptum loquitur de *patre Abraham*, non de Abraham. Neque quod pater idolis servierit, servisse et filium necessario efficit; immo excipiendo omnino Abrahamum suadet Scripturæ silentium nusquam Abrahæ conversionem memorantis, quum tamen sæpe de ejus vocatione loquatur.

tres vestros cum curribus et equitatu, usque ad mare Rubrum.

7. Clamaverunt autem ad Dominum filii Israel: qui posuit tenebras inter vos et Ægyptios, et adduxit super eos mare, et operuit eos. Viderunt oculi vestri cuncta quæ in Ægypto fecerim, et habitastis in solitudine multo tempore.

8. Et introduxi vos in terram Amorrhæi, qui habitabat trans Jordanem. [1] Cumque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus vestras, et possedistis terram eorum, atque interfecistis eos.

9. Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, et pugnavit contra Israelem. [2] Misitque et vocavit Balaam filium Beor, ut malediceret vobis.

10. Et ego nolui audire eum, sed econtrario per illum benedixi vobis, et liberavi vos de manu ejus.

11. [3] Transistisque Jordanem, et venistis ad Jericho. Pugnaveruntque contra vos viri civitatis ejus, Amorrhæus, et Pherezæus, et Chananæus, et Hethæus, et Gergesæus, et Hevæus, et Jebusæus: et tradidi illos in manus vestras.

12. [4] Misique ante vos crabrones: et ejeci eos de locis suis, duos reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo.

13. Dedique vobis terram, in qua non laborastis, et urbes quas non ædificastis, ut habitaretis in eis: vineas et oliveta, quæ non plantastis.

14. [5] Nunc ergo timete Dominum, et servite ei perfecto corde atque verissimo: et auferte deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, et in Ægypto, ac servite Domino.

15. Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis utrum diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: ego autem et domus mea serviemus Domino.

16. Responditque populus, et ait: Absit a nobis ut relinquamus Dominum, et serviamus diis alienis.

17. Dominus Deus noster ipse eduxit nos, et patres nostros, de terra Ægypti, de domo servitutis: fecitque videntibus nobis signa ingentia, et custodivit nos in omni via, per quam ambulavimus, et in cunctis populis, per quos transivimus.

18. Et ejecit universas gentes, Amorrhæum habitatorem terræ, quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino: quia ipse est Deus noster.

℣. 9. De *maledictione Balaam*, vide Num. 22, et seq. capitibus.

℣. 12. *Misi ante vos crabrones* — Sic ergo constat implevisse Deum quod Judæis promiserat se facturum Exodi 23, v. 28 et Deuter. 7, vers. 20. Et quidem non *metaphoricos*, ut vult S. Augustinus, sed *veros* ac reales *crabrones* hos fuisse, certissimo patet ex Sapientiæ 12, vv. 8 et 9, ubi *vespæ* vocantur, et *bestiæ*.

℣. 14. *Auferte deos quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia et in Ægypto* — Ex hoc loco convincitur sanctus Epiphanius, aliquos Israelitarum etiam in *Ægypto* idola coluisse. Item hoc tempore Josue, licet nullus esset publicus idolorum cultus, tamen non defuisse qui secreto idola retinerent et colerent, vana superstitione vicinarum gentium paullatim corruptos. Unde v. 23 tam diserte mandat, *Nunc auferte deos alienos de medio vestri*. Licet enim in particulari nesciret quinam essent tanti sceleris rei, longa tamen experientia sat norat, in tanta multitudine, tanta irritamentorum copia, tanta in id crimen propensione, non deesse improbos aliquos qui sese ejusmodi crimine obstringerent, ita Masius et Serarius.

(1) Num. 21, vers. 24. (2) Num. 22, vers. 5. (3) Sup. 3, vers. 14, et 6, vers. 1, et 11, v. 3.

(4) Exod. 23, vers. 28; Deut. 7, vers. 20; Sup. 11, vers. 20.
(5) 1 Reg. vers. 3; Tob. 24, vers. 10.

19. Dixitque Josue ad populum: Non poteritis servire Domino: Deus enim sanctus, et fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis.

20. Si dimiseritis Dominum, et servieritis diis alienis, convertet se, et affliget vos, atque subvertet postquam vobis præstiterit bona.

21. Dixitque populus ad Josue: Nequaquam ita ut loqueris, erit, sed Domino serviemus.

22. Et Josue ad populum, Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum ut serviatis ei. Responderuntque: Testes.

23. Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de medio vestri, et inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel.

24. Dixitque populus ad Josue: Domino Deo nostro serviemus, et obedientes erimus præceptis ejus.

25. Percussit ergo Josue in die illo fœdus, et proposuit populo præcepta atque judicia in Sichem.

26. Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini: et tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in sanctuario Domini:

27. Et dixit ad omnem populum: En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia verba Domini quæ locutus est vobis: ne forte postea negare velitis, et mentiri Domino Deo vestro.

28. Dimisitque populum, singulos in possessionem suam.

29. Et post hæc mortuus est Josue filius Nun servus Domini, centum et decem annorum:

℣. 19. *Non poteritis servire Domino* — Non est absoluta præcisaque negatio, sed quæ certas conditiones requirit, maximeque optat et urget, q. d. Nisi magnos induatis animos, decretumque ac fixum habeatis omnes idololatriæ occasiones et incitamenta procul arcere; *non poteritis servire Domino* prout oportet, pure, caste, integre, diu et constanter.

℣. 26. *Tulit lapidem pergrandem*, in quo summatim verba fœderis hujus jam tertio publice innovati descripserat Josue, *posuitque eum subter quercum, quæ erat in* atrio *Sanctuarii* — vel juxta atrium, ut Rabbini exponunt. Qui etiam docent, hanc ilicem seu quercum fuisse illam eamdem numero sub qua Jacob idola Laban defodit, Genesis 35, et juxta quam Abrahamo, Gen. 12, Deus apparuit, terramque Chanaan primo promisit. Ita etiam Masius et alii. Sed quo jure passi sunt Judæi quercum illam juxta Sanctuarium, cum Deuteronomii 16, v. 21, severe inhibeatur, ne *lucus* sit *et omnis arbor juxta Domini altare?* Respondeo, non vetari istic unius vel alterius arboris seu plantationem seu conservationem, sed eas solas arbores quæ pars luci aut silvulæ sint. Patet ex Hebræo et Græco textu, ubi habemus, non facies *lucum ex omni arbore*, seu ex quocumque arborum genere.

℣. 27. *En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia verba Domini* — Ita tropice lapidi tamquam testi auditum tribuunt etiam Hebræa et Græca, idque propter inscriptionem seu incisionem in lapide. Quod Chaldæus clare exponit: *En lapis iste erit nobis quasi duæ tabulæ lapideæ fœderis. Facimus enim ipsum pro testimonio: verba enim quæ in eo sunt inscripta, referunt omnia verba quæ Dominus locutus est ad nos.*

℣. 29. *Mortuus est Josue* — ætatis anno *centesimo decimo*, jam completo. Qua etiam ætate mortuus fuerat *Joseph* in Ægypto Genesis 50, vers. 25; quoto principatus sui anno mortuus sit, dixi in Chronico c. 20. *Mensis* vero et *dies* mortis Josue memoratur in Hebræorum Kalendario, *vigesimus sextus Nisan*. Quo eodem mense etiam mortuus est verus *Jesus* Dominus noster. Ad cujus etiam mortis similitudinem, tradunt in Seder-Olam iidem Hebræi, cum sepeliretur Josue in monte Ephraim, terræmotum extitisse, ex eoque montem illum vocatum *Gaas*, id est commotionis ac tremoris.

Petes, quid de filiis aut posteris Josue? Respondeo, de his nulla usquam mentio

30. Sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare, quæ sita est in monte Ephraim, a septentrionali parte montis Gaas.

31. Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue, et seniorum qui longo vixerunt tempore post Josue, et qui noverunt omnia opera Domini quæ fecerat in Israel.

32. [1] Ossa quoque Joseph, quæ tulerant filii Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, [2] quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichem, centum novellis ovibus, et fuit in possessionem filiorum Joseph.

33. Eleazar quoque filius Aaron mortuus est: et sepelierunt eum in Gabaath Phinees filii ejus, quæ data est ei in monte Ephraim.

vel in Scripturis, vel in SS. Patribus, vel probatis Rabbinis. Unde omnino videtur dicendum, liberos nullos reliquisse, sed tota vita cælibem permansisse, ut propiorem veri *Jesu* nobis imaginem præferret. Ita S. Ignatius Martyr, Hieronymus, Chrysostomus [3] et alii [4].

(1) Gen. 50, vers. 25; Exod. 13, vers. 19.
(2) Genes. 33, vers. 19.

(3) S. Ign. epist. ad Philadelph.; Hieron. l. 1 contra Jovinianum; Chrysost. serm. de Martyrib.
(4) Vide dicta ad c. 6, v. 26.

Habita facultate Auct. Eccles.

INDEX

PROLEGOMENA

CAPUT 1. De variis sacræ Scripturæ nominibus . . . . . *pag.* 1
— 2. De divinarum Scripturarum auctoritate, ac difficultatibus in genere . . . . . „ 3
— 3. De libris canonicis et apocryphis „ 5
— 4. De partibus sacræ Scripturæ, ac libris ejus in classes divisis „ 10
— 5. De textu Hebraico Veteris Testamenti . . . . . „ 12
— 6. De Græcis translationibus in genere . . . . . „ 14
— 7. De Septuaginta interpretum versione . . . . . „ 15
— 8. De Novi Testamenti græco textu, deque Scripturæ latinis editionibus in universum . . „ 19
— 9. De Vulgata editione speciatim, ejusque auctoritate . . „ 20
— 10. De recentiorum versionibus „ 29
— 11. De variis Veteris et Novi Testamenti versionibus, et paraphrasibus Chaldaicis, Syriacis, Arabicis . . . . . „ 30
— 12. De sacræ Scripturæ variis sensibus, ejusque interpretandæ regulis . . . . . „ 32
— 13. De librorum canonicorum divisionibus in capita et versus, aliasve sectiones apud Hebræos, Græcos et Latinos . . . „ 36

CHRONICON SACRUM

A MUNDO CONDITO USQUE AD EXCISAM URBEM ET TEMPLUM JEROSOLYMITANUM PER TITUM

CAPUT 1. De die . . . . . *pag.* 41
— 2. De horis . . . . . „ 42
— 3. De hebdomade . . . . . „ 43
— 4. De mense . . . . . „ *ibid.*
— 5. De anno, et multiplici æra annorum . . . . . „ 45
— 6. De periodis annorum . . . „ 47
— 7. De sex ætatibus mundi . „ 48
— 8. Prima mundi ætas, ab Adamo, ad finem diluvii, per annos 1656 „ 49
CAPUT 9. Quo anni tempore mundus creatus est? Autumnaline æquinoctio, an verno? . . . . *pag.* 50
— 10. An hi omnes anni fuerint solares et pleni? . . . . . „ 51
— 11. Quoto die quoti mensis cœperit diluvium? quoto finierit? „ *ibid.*
— 12. Secunda mundi ætas, a principio sexcentesimi primi anni Noe, usque ad egressum Hebræorum ex Ægypto, duravit annis 887 „ 52
— 13. An Genesis cap. XI, vers. 12, inter Arphaxad et Sale interseri debeat Cainan? . . . . „ 53
— 14. Quoto anno Thare natus sit Abraham . . . . . „ 54
— 15 Distributio annorum Abrahæ „ 55
— 16. Distributio annorum Jacob et Josephi . . . . . „ 57
— 17. Distributio annorum a morte Josephi usque ad finem servitutis ægyptiacæ: et quo anno hæc cœperit et quamdiu durarit . „ 60
— 18. Tertia mundi ætas. Ab egressu filiorum Israel ex Ægypto usque ad annum primum, quo condi cœpit templum a Salomone. Duravit annis 480 ut dicitur 3 Reg. 6, vers. 1 . . . . . „ 63
— 19. Distributio ultimorum quadraginta annorum Moysis, seu peregrinationis Hebræorum in deserto. Ubi de 42 mansionibus in deserto: et 14 murmurationibus populi . . . . „ 65
— 20. Distributio annorum et gestorum Josue . . . . . „ 70
— 21. Unde sumpserint initium anni Sabbatici et anni Jubilæi: de quibus Exodi 23, v. 11, et Levitici 25, vv. 2 et seq. . „ 71
— 22. Unde exordium sumpserint anni 450, quos S. Paulus Actor. 13, v. 20 terminatos dicit cum sortitione terræ Chanaan per Josue facta anno 6 ab ingressu in terram sanctam, ut supra dixi cap. 20, ad annum 6 principatus Josue . . . . . „ 72

Caput 23. An servitutum anni 111, quorum mentio est in libro Judicum, comprehendantur in annis Judicum, an seorsim subducendi sint? . . . . . *pag.* 73

— 24. Quo sensu dixerit Jephte, Judic. 11, vers. 26, Israelitas terram Chanaan per 300 annos possedisse, cum ab ultimo anno vitæ Moysis, quo primum illam cœperunt invadere, usque ad 1 annum ducatus Jephte, non intercesserint nisi 266 vel 267 anni? . . „ 74

— 25. Quo tempore contigerit historia Michæ, Judicum 17, et expugnatio Lais, cap. 18, excidium pene integræ tribus Benjamin ob constupratam uxorem Levitæ, c. 19, 20, 21, quo item tempore historia Ruth? cap. 1, etc. . . „ 74

— 26. De annis Samuelis et Saulis „ 75

— 27. Distributio annorum Samuelis et Saulis . . . . . „ 77

— 28. Distributio annorum regni Davidis . . . . . „ 79

— 29. Quarta mundi ætas. A condi cœpto templo Salomonis, usque ad exustum illud per Chaldæos, vel potius usque ad finem captivitatis Babylonicæ, et monarchiæ Chaldaicæ. Duravit annis totis 452 . . . . „ 82

— 30. Anni et gesta Prophetarum tum majorum, tum minorum, per ordinem distributa . . . „ 86

— 31. De Græcorum Olympiadibus „ 97

— 32. De anno, mense, die conditæ urbis Romæ . . . . . „ 98

— 33. De monarchia et calculo Assyriorum, de regno Medorum, de Tobia, de Judith, etc. . . . „ 99

— 34. De æra Ægyptia et Babylonica seu Chaldæa . . . . „ 102

— 35. Quando cœperint, quando finierint 70 anni Babylonicæ servitutis, captivitatis et desolationis: Jeremiæ 25 et 29, Danielis 9, et 2 Paralip. 36, et 1 Esdræ 1 „ 107

— 36. Quinta mundi ætas. Ab initio monarchiæ Persarum, et relaxata per Cyrum captivitate Judæorum, 1 Esdræ 1, usque ad adventum Messiæ, et incarnatum Filium Dei, duravit annis totis 525 . . . . . „ 113

— 37. Series regum secundæ orbis monarchiæ, nempe Persarum quæ a Cyro post occisum Baltassar ultimum Chaldæorum regem, usque ad Alexandrum Macedonem post devictum Darium Codomannum ultimum Persarum monarcham, duravit annis integris 200 . . . . . „ 114

Caput 38. De initio et fine 70 hebdomadum Danielis c. 9, vv. 25, 26, 27 *pag.* 116

— 39. Tertia monarchia, quæ fuit Græcorum, ab initio anni 7 Alexandri Magni, quo victus fuit Darius, usque ad annum 1 monarchiæ Augusti, quæ cœpit, extinctis Antonio et Cleopatra, 11 mense post Actiacam victoriam, Augusto IV et M. Licinio Crasso Coss. stetit annis 300. — Ab anno 3 Olympiadis 112 (per Olympiades 75 integras) usque ad 3 annum Olympiadis 187. — Ab anno urbis Romæ conditæ 424 usque 724. — Ab anno Nabon-Assaris 418 usque 718, ut supra dixi cap. 36.
Series Ptolemæorum Ægypti regum . . . . . „ 120

— 40. Series regum Syriæ . . . „ 123

— 41. Series regum Macedoniæ . „ 127

— 42. Series summorum pontificum Judæorum ab exitu ex Ægypto anno mundi 2544 usque ad destructionem Jerosolymæ per Titum et Vespasianum imperatores anno mundi 4074 in tres classes distinctorum . . . . „ 128

— 43. Quarta orbis monarchia, quæ est Romanorum, ab extinctis Antonio et Cleopatra, mense 11 post Actiacam victoriam, Augusto IV et M. Licinio Crasso Coss. anno 3 Olympiadis 187, Urbis conditæ 724, et Nabon-Assaris 718 „ 133

— 44. De æra Julii et Augusti Cæsarum romanorum . . . . „ 134

— 45. De Herode Ascalonita, ejusque filiis Archelao, et Herode Antipa, et nepote atque abnepote Herode Agrippa . . . . „ 138

— 46. Arbor genealogiæ Patriarcharum veteris Testamenti, et ex his prognati Jesu Christi Domini nostri . . . . . „ 142

— 47. Sexta mundi ætas. Ab incarnato Filio Dei, seu ab adventu Messiæ in mundum, usque ad reditum ejusdem ad ultimum judicium „ *ibid.*

— 48. De mense et die et hora conceptionis, nativitatis, baptismi, mortis et resurrectionis Christi „ 148

— 49. Series annorum et gestorum Christi, a prima die qua conceptus est, usque ad ultimam qua in cælum ascendit . . . . „ 151

— 50. Acta Apostolorum, et alia quæ sub id tempus acciderunt, per annos digesta, usque ad excidium templi Jerosolymitani per Titum, anno a morte Christi 40 immo usque ad mortem S. Joannis evangelistæ, an. 68 . . 159

PROLEGOMENA

DE ANTIQUIS PONDERIBUS ET MONETIS

De asse . . . . . *pag.* 171
De obolo . . . . . „ 172
De sestertio . . . . . „ 173
De drachma, siclo, mina et talento . „ *ibid.*

De mensuris seu vasis . . . . . „ 175
De mensuris longitudinum . . . . „ 178

Explicatio idiotismorum seu proprietatum linguæ Hebraïcæ et Græcæ quæ sæpius in Scripturis occurrunt „ 180

SIMILITUDINUM AC PARABOLARUM

QUÆ IN BIBLIIS EX HERBIS ATQUE ARBORIBUS DESUMUNTUR DILUCIDA EXPLICATIO

CAPUT 1. Amplissimos reges ac sacratissimos vates herbarum cognitione exacta fuisse imbutos, desumptæ ab iis tot metaphoræ ac parabolæ declarant: quæ hic spectandæ exhibentur . . , *pag.* 199
2. De conditione et natura mandragoræ, quam a Lia sorore eblandita est Rachel . . . . „ 201
— 3. De manna cælitus delapsa, tum ea quæ medicis in usu est „ 203
— 4. De lactuca silvestri . . . „ 205
— 5. De olea, oleastro, oliva, oleo „ 206
— 6. De rhamno aculeato frutice „ 209
— 7. De cucurbita silvestri vulgo colloquinthida . . . . „ *ibid.*
— 8. De salice . . . . . „ 210
— 9. De saliunca . . . . „ 211
— 10. De herba borith, quæ medicis veteribus *struthion* vocatur, mauritanis, arabibusque scriptoribus *condisi*, cui affinis recentioribus vocata *saponaria* et *herba fullonia*, Belgis *zeep cruydt* quod ut smigma eluendis maculis adhiberi soleat . . . . „ 212
— 11. De cocco vermiculo, conchylio, murice, ostro . . . . „ 213
— 12. De paliuro aculeata stirpe, cui sanguinarii comparantur atque insidiosi, quique ad inferenda damna prompti sunt . „ 214
— 13. De gith, quæ græce *melanthion*, vulgo a nigrore *nigella* dicitur, belgice *swarte*, nardus ob odoris suavitatem, tum aliis stirpibus desumpta comparatio . „ 215
— 14. De lentisco, quæ græce schinos dicitur et ilice . . . „ 218
— 15. De hyacintho vesteque hyacinthina, vel a violæ colore janthina . . . . . „ 219
CAPUT 16. De carice, scirpo, junco palustri, papyro . . . . . *pag.* 220
— 17. De absinthio . . . . „ 222
— 18. De carduis, spinis, vepribus, tribulis, rubis, lappis, sentibus, et quibus hæ stirpes in Scriptura accommodari solent, et quid designent . . . . . „ 223
— 19. De ficu, carica, grosso . . „ 224
— 20. De palma arbore ejusque fructibus, et quid in Scriptura sacra illis designetur . . . „ 226
— 21. De hebeno, et aliis quibusdam exoticis quorum in Scriptura fit mentio . . . . . „ *ibid.*
— 22. De terebintho . . . . „ 228
— 23. De myrica sive tamarice, et erica quæ vulgo a solitudine et loco arido *heyde* vocatur, ex qua Belgæ extergendis pavimentis scopas conficiunt . . . . . „ 229
— 24. De resina, belgice *hars* . „ 230
— 25. De vite seu vinea, cujus partes atque appendices, sarmenta, palmites, malleoli, pampini, claviculi vel capreoli, uva, racemus botrus, acinus vinaceus, seu acinorum granum: et quam appositæ horum pleraque concionibus ac vaticiniis adhibentur „ 231
— 26. De hyssopo . . . . . „ 233
— 27. De arundine, quæ Græcis calamus, belgice *riet* vocatur, ejusque differentiis, de lino stipula, quisquiliis, et plerisque aliis, ex quibus similitudines desumuntur „ 234
— 28. De cucumere et plerisque aliis herbis quarum in Bibliis fit mentio . . . . . „ 237
— 29. De junipero . . . . . „ *ibid.*
— 30. De labrusca . . . . „ 238
— 31. De mentha, ruta, aneto, cumino, quæ Christus parabolis adhibet in insectanda Pharisæorum avaritia, et fucata religionis sanctimonia . . . . . „ *ibid.*
— 32. De sinapis vi et natura, cui fides ac Dei verbum comparantur „ 239
— 33. De hedera, quæ arboribus ac parietibus tenaci amplexu adhæret „ *ibid.*
— 34. De moro arbore et fructu ejus „ 240
— 35. De sycomoro et caprificis . „ 241
— 36. De malo punico, vulgo *granat appelen* . . . . . „ 242
— 37. De citreo ac malo medico, limonibus et aurantiis, vulgo *aranien appelen* . . . . „ 243
— 38. De croco . . . . . „ 244
— 39. De myrto, quæ apud omnes nationes nomen retinet; et de myrto silvestri . . . . . „ 245
— 40. De pino . . . . . „ 246
— 41. De buxo, errore vulgari palma dicta . . . . . „ 247

CAPUT 42. De nuce . . . . pag. 249
— 43. De pomis in genere, e quibus sacri vates similitudines desumunt . . . . . „ ibid.
— 44. De quercu et aliis glandiferis arboribus . . . . . „ 250
— 45. De rosa, et ex illa desumptis metaphoris . . . . . „ 251
— 46. De zizania, et lolio aliisque herbis frugibus inimicis . . „ 252
— 47. De libanotide coronaria quæ vulgo *rosmarinus* dicitur . „ 253
— 48. De amygdalo arbore, cujus passim in sacris Bibliis fit mentio, et de qua desumitur insignis metaphora seu collatio a Salomone, Ecclesiastici cap. 12 . „ 254
— 49. De platano ejusdemque natura, a qua similitudinem desumunt sacri scriptores . . „ 258
— 50. De frutice, yirgulto, surculo, termite, malleolo, palmite, germine, gemma, qui et oculus in arboribus ac plerisque aliis, desumptæ similitudines, quibus Prophetæ vaticinia illustrant „ 261

DE GEMMARUM ORTU

LIBER PRIMUS

CAPUT 1. De lapidum et gemmarum generationis causis diversis . pag. 273
— 2. Quid sint, et unde vim sortiantur gemmarum proprietates occultæ, „ 275
— 3. De ratione et causis virium in gemmis . . . . . „ 281

LIBRI SECUNDI PARS PRIMA

De gemmis XIII quarum D. Joannes in Apocalypsi meminit

CAPUT 1. De jaspidis speciebus et viribus . . . . . pag. 285
— 2. De sapphiro . . . . . „ 286
— 3. De charchedonio . . . . „ 287
— 4. De smaragdo . . . . . „ ibid.
— 5. De sardonyche . . . . „ 288
— 6. De sardio . . . . . „ 289
— 7. De chrysolitho . . . . „ ibid.
— 8. De beryllo . . . . . „ ibid.
CAPUT 9. De topazio . . . . . pag. 290
— 10. De chrysopraso . . . . „ ibid.
— 11. De amethysto . . . . „ 291
— 12. De hyacintho . . . . „ ibid.
— 13. De margaritis . . . . „ 292

LIBRI SECUNDI PARS SECUNDA

De ceteris aliquot gemmis et lapidibus

CAPUT 14. De carbunculis . . . pag. 292
— 15. De adamante . . . . . „ 294
— 16. De achate . . . . . „ 295
— 17. De alectorio . . . . . „ ibid.
— 18. De torchoide . . . . . „ ibid.
— 19. De corallio . . . . . „ 296
— 20. De corneolo . . . . . „ 297
— 21. De cyanæo Græcis, ceruleo Latinis vulgaribus autem lazuli vocato lapide . . . . . „ ibid.
— 22 De chelidonio . . . . . „ 299
— 23. De ætite . . . . . „ ibid.
— 24. De magnete . . . . . „ 300
— 25. De hæmatite . . . . . „ 301
— 26. De succino . . . . . „ ibid.
— 27. De fictitiarum veris gemmis differentia, et dignoscendi ratione „ 302

DE ASTROLOGIA

LIBER UNUS

In quo obiter indicatur, quid illa veri, quid ficti falsique habeat, et quatenus arti sit habenda fides: in quo denique multæ rerum physicarum abditæ amœnissimæque causæ explicantur tum proverbii origo: *Quarta luna nati.* pag. 311

COMMENTARIUS

IN UNIVERSAM SACRAM SCRIPTURAM

LIBER GENESIS . . . . . pag. 325
— EXODI . . . . . „ 443
— LEVITICUS . . . . . „ 533
— NUMERI . . . . . „ 596
— DEUTERONOMII . . . . . „ 676
— JOSUE . . . . . „ 753

220.7
T516

3268

TIRINI, S.J., JACOBUS

AUTHOR

Commentarius in Universam Sanctam

TITLE Scripturam, Tom. I.
Genesis-Josue

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	McNulty	NOV 14
	Newport	JAN 15

3268